



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et  
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris  
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.  
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

**Delvaux, André**

**Coloniæ Agrippinæ, 1686**

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)





M III

7 Th. 4782.


















ANDRÆ  
VALLENSIS  
VVLGO DEL VAVLX ANDANENSIS,  
I.V.D. ET IN ALMA ACADEMIA LOVANIENSI  
SS. Canonum Professoris Ordinarii,  
PARATITLA  
IVRIS CANONICI,  
SIVE  
DECRETALIVM  
D. GREGORII PAPÆ IX.

SYM M A R I A  
AC METHODICA EXPLICATIO  
*Opus novum, Scholæ ac Foro. & Decretis Concilii Tridentini,  
accommodatum.*  
Editio Novissima cum triplici Indice.

*Collegii Societatis Jesu Paderbornæ*  
16 22

COLONIÆ AGRIPPINÆ,  
Apud WILHELMUM & FRANCISCUM METTERNICH, Bibliop.  
Ander Hohe Schmid. Anno MDC. LXXXVI.

Cum Gratia & Privilegio S. C. Majestatis.



ANDREA  
VALLENSIS

VIRGO DE VAVI ANDANTIS

AND ET ALIIS ACADEMIAE FORANENSIS

PARATITIA

IVRIS GANONICI

8178

DECRETALIVM

D. GREGORII PAPAE IX.

IN MANU

AC METHODICA EXPLICATIONE

JOHANNIS SCHOLAE DE VAVI CANONICI THEOLOGICI

EDITIONE

EDITIONE NOVEMBRI 1714

Collectio decretalium  
et  
de  
iure  
canonico

COLONIAE AGROPHILAE

JOHANNES WILHELMUS FRANKENBERGII THEOLOGUS

ANNO MDCCXIV

Curae et typis J. J. J. J.



## AD LECTOREM.



Vm omnium, non modò Philolophorum, sed & Juris consultorum sententia receptum sit, ut in tradendis disciplinis, à primis principijs, & ab alijs, quæ universaliora sunt, initium sumatur, hincq; paulatim ad altiora procedatur, donec ad ultima scientiæ artisve perveniatur vestigia, nec aliter scientiæ vel artis alicujus studiosi, quàm hisce gradibus ad veram solidamque eruditionem pertingere valeant: iure optimo à Serenissimis Belgii Principibus constitutum fuit, ut in hac nostra Lovaniensi Academia non minus ad sacrorum Canonum scientiam aspirantibus, quam ad legum cognitionem animum applicantibus, Institutiones prælegerentur: quæ non modò prima Juris Pontificii principia contineant, sed totum velut corpus atque universalem illius cognitionem exhibeant, & quarum ductu Juris candidati, ne à recto studiorum cursu in avia perducantur, veluti Thesei quodam filo ad altiora ejusdem scientiæ penetralia feliciter contendant.

Cum vero ea provincia mihi demandata esset, omneque jus, quo utimur, versetur aut circa personas, aut circa res, aut circa actiones, & judicia, cepti quidem primo totum Jus Pontificium Institutionesque in tres partes, quatuor tamen libris ad instar Institutionum Imperialium comprehensas, dividere: in quarum prima, præmissis nonnullis de Juris derivatione, ejusque divisionibus, subdivisionibus, membrorumque singulorum natura, proprietate, conditionibus, atque inter se tum comparatione tum distinctione, de personis agebam Ecclesiasticis; In secunda de rebus; in tertia de actionibus & Judicijs. Eumque ordinem pluribus annis secutus sum; donec quibusdam suadentibus, satius fore, magisque è re juventutis, si ordinem amplecterer Decretalium, quo inventus, Juri Pontificio datura operam, librorum ac Titulorum ordini & continuationi assuesceret, cepti deinceps, obsecutus horum consilio, ea quæ pro maxima parte diverso ordine traderam, ad ordinem Decretalium, non sine magno labore revocare.

Cum autem in omnibus scientijs rem ordine debito proponendam sapientissimi quoque voluerint, meritò culpantur iuris interpretes, qui plerumq; multa locis prorsus alienis tradiderunt: imo sapius, miris modis miscendo om-



do omnia, omnis generis præceptorum ac materialium farraginem reliquerunt, ut, si quis rusticus hordeum, triticum, fabas, aliaque legumina in unum conferat, vix perturbatiorem horum commentariis acervum facturum videatur, ita enim, ubi de autoritate Magistratum agitur aliquid de testamentis videas, ubi de emptione & venditione differitur, de pœnis simul aliquid aut de autoritate tutorum invenias, nihilque certam sedem domiciliumque habere cernas. Unde crebra illa ex uno loco in alium reiectiones, quibus, quod hic tractandum erat, ex alio petendum monent, hinc in quo reperiri tale quid, nisi admonitus ne divinare quidem unquam quis possit. Qua in parte plurimum sanè sese deridendos propinquant, ut cum Terentio loquar. Dumque ita extrinchorum, ut dicitur, saltant & septa transiliunt, Jurisprudentiam reddunt intricatissimam, & obscurissimam efficiunt, que ut diligenti & avido lectori sit difficillimum & operosissimum, quid quoquo loco ab iis dictum sit, investigare, & sæpe etiam diligentissime & avidissime perquisita adhuc desideret.

Quam quidem confusi ordini Scyllam ut evitarem, omniaque, quæ quidem ad Institutiones Juris Canonici spectare videbantur, debito ordine ac methodo pertractarem, singula iuxta seriem Decretalium ad suos Titulos revocavi, longioresque titulos in paragraphos partiti sum.

Qua in methodo procedendi, si non eum ordinem quem forsitan quisque optaret, fuero assecutus, velim hoc perpendat, dissoluta dissipataque in debitum ordinem & artificiosam methodum reducere summa esse difficultatis: peritiamque partiendi genera in suas species virtutem esse quamdam rarissimam: tantique jam olim, etiam apud summos Philosophos, habitam, ut Socrates apud Platonem in Phædro dicere fuerit solitus. Hunc virum se tanquam Deum quendam secuturum, si quem reperisset, qui rem universam dividere nosset. Quamquam verò moneat Fabius, non tentanda esse, quæ omnino effici non possunt, quia tamen laus est interdum velle, quod non possis, si modo id præclarum honestumque sit (in quo quidquid operæ curaque ponitur, jure laudatur) & in præstantibus magna existunt, quæ optimis proxima sunt, aut aliquatenus ad proxima accedunt: non fuit, cur ab hoc ordine, quem in singulorum Titulorum summaria explicatione mihi proposui, & secutus sum licet fortè multis non ita sit probandus, deterrerer, eoque minus quod satis sciam ne Jovem quidem placere omnibus posse.

Quod ad stylum attinet, parum quoque de eo fui sollicitus, modo neque prorsus incultus esset, neque horridus, neque fucosus, soloque artificio simu-

latio



# AD LECTOREM.

lationis eruditus. Ut enim pudicæ virginis tanto gratiores sunt, quanto minus fucata, ita forensia negotia, ad quæ has institutiones potissimum accommodare volui, verborum ornatum negligunt, & vanam eloquentiam spernunt. Siquidem

*Ornari res ipsa vetat; contenta doceri.*

præstatque imperita loquacitati indiferta prudentia & doctrina. Hinc Cicero ait, Se in Philosopho (qualis haud dubiè est verus Jurisconsultus) eloquentiam si adferat non alpernaturum; si careat, non admodum efflagitaturum. Et viri in Jure ac Republica versati rem spectant, non verba captant: id enim calumniari est ex sententia Pauli. *penult. D. ad exhibendum.* Malui proinde sermone uti facili, quam eò, qui rebus obscuris nullam adferat lucem; claris verò tenebras obducatur. Candido enim & perspicuo sermone interpretatio si fiat, facilius studio res perspicitur, & difficultas materiæ tollitur. Hinc sæpè multis in suis Juris Pontificij ac Cæsarei Commentarijs viro datum est, quòd, dum magno conatu Latinitati atque eloquentiæ operam impenderent, ipsum verum Canonum & legum ac jurisconsultorum sensum per veram explicationem neglexerint, aut ita expolitis verbis, ne dicam affectatis, materiam, quam declarandam susceperant, exposuerint, ut quandoque magis lectorem ipsum dictionum significatio impediatur, quam proposita materiæ genuina cognitio.

Non inficior barbariè à Jurisconsultis Jurisq; studiosis fugiendâ, & ab his Latinâ orationem exigi: verum id unum contendo sufficere, si dictione jam diu recepta ab hujus disciplinæ eruditissimis scriptoribus, Bartolo. Baldo. Alberico, Panormitano, & alijs, rem ita exponat, ut sensus legum & Canonum percipiatur, quidve hi iuris utriusq; interpretes, quos meritis omnium facile Principes opinamur, in suis scriptis tradiderint, lectoribus fiat manifestum; cum nihilo plus commodi adferat praxi, imò verò theoricæ Jurisprudentiæ polita illa & compta dictio, quam morbis curandis eloquentia. Hinc Juris studiosos monet Fachin. *l. 8. Controvers. Juris c. 15* ut de vocabulis à Doctoribus confectis, si modo res intelligatur, nec à iuris rationibus aliena sit, non sint adeò solliciti, ut hoc nomine veteres Doctores abiiciant: addit ex Mureto *ad Epist. Senecæ* § 8 *Idem accidere iis, qui possibile & impossibile dicere saltem disputationibus Philosophicis reformidant: cum Plato, Aristoteles, Epicurus, Zeno in lingua infinitis partibus, copiosiore innumerabilia tamen vocabula fingere necesse habuerint. Equidem ut de me. sensu liberè atq; ingenuè fatear, inquit Muretus. multa puto ab istis delicatis in S. Thoma, in Ioanne Scoto alijsq;*



aliisq; eiusmodi eruditissimis hominibus irrideri, quæ & necessaria sunt, & talia, ut si quis ea vetustis illis temporibus protulisset, magnam ei gratiam omnes Philosophia studiosi habituri fuisse videantur. Nos dum teneris auribus videri volumus tenera nobis ac puerilia esse ingenia neq; vera ac solida eruditionis capacia ostendimus. Quin verò si vel ipsam Ciceronē, Principem eloquentiæ, in *Oratione pro Caccinna*, audieris, imprudentiam magnam aut stultitiam singularem putabis in verborum amore versari, rem verò & causam & communem utilitatem relinquere; magisq; circa verba quaerenda, occupatum in Jure halucinari, imò verius peregrinari.

Quod cum ita sit, ut verissimum est, non erit, cur quis iniquiori ferat animo, si in his Institutionibus tradendis stylo utar non ita uniformi, non ita tersa aure digno; imò si interdum vocabula, quæ Latini sermonis auctores non agnoscerent, intercurrent, quibus practica cognitio tradi cupit, quæque propterea nomenclatori indulgenda sunt. Cur enim, quæso, minus vernacula voces, quam Græcæ Latino sermone donentur, cum volet usus, penes quem est arbitrium & norma loquendi? Quid, inquit August. in hoc genere profit clavis aurea si non aperiatur; quid noceat lignea, si aperiatur? Quamquam non existimem dictionem meam ita incultam, ut eam ob causam politiores vereri debeat, ne stomachum & nausæam eis moveat.

A fortè alij multa me non nisi ex alijs, & ab alijs dicta, proferre inficiabuntur. Verum is ferè mos est omnium scriptorum, ut aliena suis immisceant, tū ut certiora scribant; tum ut gratius jucundiusque legantur. Qua in re apes, præcipiente Quintiliano, imitantur, quæ diutius vagantur ut flores carpant favis inferendos ac disponendos, primoque in varium succum, deinde in dulcissimum mellis saporem proprij oris spiritu convertendos. Sic etiam multa Platonem à Pythagora, complura Aristotelem à Platone, pleraque Theophrastum ab Aristotele mutuatos esse constat; nec tamen id eis vitio datum est: nec mihi dari debet, qui nō aliud proposuerim, quàm quæ in Jure dispersa sunt, & ab alijs non in loco tradita, in certum ordinē compendiosè per modum institutionum redigere; eoque minùs, quod vnicuique portionem suā tribuerim, probè sciēs cum Plinio, candoris, & ingenui animi esse palam profiteri, per quos profecerit, quorumque opera & industria in tuis scriptis adiutum te senseris.

Cæterum ut mordeant vel calumnientur aliqui, non est quod acerbiori ferā animo quandoquidem cum Salomone *Eccl. 4* animadvertam, *omnes hominum labores & industriam patere invidia proximi*, probeque sciam quā



fit difficile ad omnium salivam loqui aut scribere: procliviores esse nonnullos ad alios reprehendendos, quàm ad se ipsos moderandos, illud vitium innatum hominibus, atq; ita comparatam eorum naturam, aliena ut melius videant, quam sua, ut est apud Terentium. Sic fert usus, sic se res habet, ut te tua, me delectent mea, inquit *Cicero in Tuscul.* nemo ab invidis intactus, nemo ita numeris omnibus absolutus, quin adversus eum ex Zoili secta aliqui insurgant. Sæpè Solonè stultitia, Herculem ignavia, Pyladem perfidia nonnulli infimularunt: ipseq; Homerus in vita Sagarin, post obitū Xenophont & Zoilum Macedonem æmulum habuit. Alii in Dialogis divi Platonis ordinē desiderant; Aristotelem, totius Peripateticæ disciplinæ facile Principem, obscuritatis notant, & in multis eundem Galenus reprehendit. Virgilius à nonnullis ingenio imbecillis, ab aliis Homerici laboris compilator habetur. Homerum quandoq; dormitasse Horatius scribit; Demosthenes Marco Tullio in omnibus non placuit; Trogus Pompeus Tituli Livii conciones de fictione arguit, Seneca calcem sine arena nuncupant alii. Nec defunt, qui Plinium turbido flumini quasi multa degustarit, pauca digesserit, at similent. Accursio iudicium iniquū; denegant, Bartoli distinctionū longitudinem reprobant; Alberici brevitatem, Baldi inconstantiam, Alexandri perplexam methodum, & utriusq; Raphaelis nimiam subtilitatem culpant: in aliis politioris litteraturæ incuriam, in aliis negligentiam in citandis & allegandis Doctoribus reprehenderunt. Et, quod magis est, ne quidem per celebres illi legū Romanorum antesignani æmulorum hanc censuram dentemque Theoninum effugere, & à reprehensione securi esse potuerunt. Marcellus in Salvium Julianum notas scripsit, quibus, eum non explicat tantum, sed & notat atq; arguit plerisque in locis. Deniq; licet nihil Ulpiano eloquentius, Paulo nervosius, Callistrato doctius, Papiniano acutius, Scævola pressius, Cajo fluentius, Africano subtilius, Pompejo iucundius, Celso nitidius, Triphonino candidius panè fuerit, nullus tamen eorum tam fuit felix, ut obrectatorum linguas morsus, improbamque invidiam evadere potuerit; quod ut varia hominum ingenia: ita & varia iudicia, ut nunc sunt, ita & priscis temporibus fuerint, faciliusque sit ut vetus habet proverbium *καταβόρας ὁ κριμὴν ὅτις*, calumniari quam imitari.

Porro quidquid futurum sit, ab omnibus, qui in hisce lucubrationibus meis inveniunt, quod iure reprehendant, lubens monebor; ab eisque veniam, ab aliis in iudicando candorem precabor. Lovanii ex Collegio Winheliano, Nonis Junii, MD. CC. XXXII.



## PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

**L**EOPOLDUS divina favente Clementia electus Romano-  
tum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, & Bohemiæ,  
&c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, &c. Agnoscimus & notum faci-  
mus tenore præsentium universis, quod cum nobis nostri & S. R. Imperii fideles di-  
lecti **VVILHELMUS & FRANCISCUS METTERNICH** Fratres, Cives & Bibliopola  
Colonienses humillimè exposuerint, quem in modum *Paratitla ANDRÆE  
VALLENSIS in Ius Canonicum* accuratius Typis exscribere & propriis suis sumpti-  
bus recudere proferreque constituerint; Vereantur autem, ne æmulatorum invidia  
novam hanc editionem imitantium sese impendii & laboris sui fructu frustrarentur; i-  
deoque nobis demissè supplicarunt, quatenus indemnitati eorum privilegio nostro  
Cæsareo clementer consulere dignaremur, &c. Proinde mandantes omnibus & sin-  
gulis Typographis, Bibliopolis, Bibliopegis aliisque rem seu negotiationem libra-  
riam exercentibus seriò & districtè sub pœna decem marcarum auri puri, amissionis-  
que Exemplarium inhibentes, ne quisquam eorum præter præfatos impetrantes  
proximo sexennio à prima novissimæ editionis die computando dicta *Paratitla  
ANDRÆE VALLENSIS in Ius Canonicum* aucta & correctiora vel quovis modo  
mutata intra Sacri Imperii Regnorum ac Provinciarum nostrarum Hæreditariorum  
fines eodem aut alio typo vel forma, aut sub quovis vel additionis, correctionis,  
aliove prætextu, siue in toto siue in parte recudere vel alii recudenda dare, aliorum-  
ve impressa apportare, vendere vel distrahere, citra voluntatem & absque ipsorum  
Fratrum, Hæredum & Successorum expresso & in scriptis obtento consensu & licen-  
tiâ præsumat. Si quis verò secus faciendo Privilegium hoc nostrum seu interdictum  
quovis modo transgredi, violare & contemnere deprehendatur, eum non solum hu-  
jusmodi libris, ubicunque locorum repertis perperam quippe recusis, seu apportatis  
tis (Quos dicti impetrantes **VVILHELMUS & FRANCISCUS METTERNICH** siue  
proprio, siue Magistratus ejus loci auxilio atque auctoritate sibi vindicare poterunt)  
de facto privandum, sed & supradicta pœna ex dimidia Fisco seu arario nostro Impe-  
riali, ex altera verò parti læsæ inferenda & pendenda, omni spe veniæ sublata  
multandum decernimus, dummodo tamen prædicta *PARATITLA* nihil bonis  
moribus, Orthodoxæque fidei contrarium, ad aliorum verò Bibliopolarum & Ty-  
pographorum cautelam, tenorem huius nostri Privilegii in fronte præimpressum con-  
tineant & quaterna ejus Exemplaria quam primum post ipsam novam editionem im-  
petrantium sumptibus ad Cancellariam nostram Imperialem aulicam transmittantur.  
Mandamus ergo, &c. uti latius patet in litteris datis Viennæ die primâ Mensis  
Aprilis 1687.

**LEOPOLDVS.**

Vt **LEOPOLDVS GVILLIELMVS** Comes in Kinigsegg.

(L. S.)

Ad Mandatum Sacræ Cæsareæ Majestatis proprium  
**JOANNES PROBST. mpp.**

**INDEX**



# INDEX

## Titulorum ordine Alphabetico.

### A

**A**ccusationibus, Inquisitionibus, &  
Denuntiationibus, l. 5. t. 1.  
Adulterijs & stupro, l. 5. t. 16.  
Ætate, & qualitate, & ordine præficien-  
dorum, l. 1. t. 14.  
Alienatione judicij mutandi causa facta,  
l. 1. t. 42.  
Appellationibus, Recusationibus, &c,  
l. 2. t. 28.  
Apostatis & reiterantibus baptisma, l. 5.  
tit. 9.  
Arbitris, l. 1. tit. 43.  
Auctoritate & usu pallij, l. 1. tit. 8.

### B

**B**aptismo & ejus effectu, l. 3. tit. 42.  
Bigamis non ordinandis, l. 1. tit. 21.

### C

**C**alumniatoribus, l. 5. tit. 2.  
Capellis Monachorum, &c, l. 3.  
tit. 37.  
Causa possessionis & proprietatis, l. 2. t. 12.  
Celebratione Missarum & Sacramento  
Eucharistiæ, & divinis officijs, l. 3. t. 41.  
Censibus, exactionibus, & procurationi-  
bus, l. 3. t. 39.  
Clandestina dispensatione, l. 4. t. 3.  
Clericis peregrinis, l. 1. t. 22.  
Clericis peregrinantibus, libro 2. titulo  
29.  
Clericis conjugatis, l. 3. t. 3.  
Clericis non residentibus in Ecclesia vel

præbenda, l. 3. t. 4.  
Clericis pugnantibus in duello, l. 5. t. 14.  
Clerico ægrotante vel debilitato, lib. 3.  
tit. 6.  
Clerico venatore, l. 5. t. 24.  
Clerico percussore, l. 5. t. 25.  
Clerico excommunicato, deposito, vel  
interdicto ministrante, l. 5. t. 27.  
Clerico non ordinato ministrante, l. 5.  
tit. 28.  
Clerico per saltum premoto, l. 5. t. 29.  
Cognitione spirituali, l. 4. t. 11.  
Cognitione legali, l. 4. t. 12.  
Cohabitatione clericorum & mulierum;  
l. 3. tit. 2.  
Collusione detegenda, l. 5. t. 22.  
Commodato, l. 3. t. 15.  
Concessione præbendæ & Ecclesiæ non  
vacantis, l. 3. t. 8.  
Conditionibus apposis in desponsatione  
vel in alijs contractibus, l. 4. t. 5.  
Confessis, l. 2. t. 18.  
Confirmatione utili, vel inutili, lib. 2.  
t. 30.  
Conjugio leproforum, l. 4. t. 8.  
Conjugio servorum, l. 4. t. 9.  
Consanguinitate & affinitate, l. 4. t. 14.  
Consecratione Ecclesiæ vel altaris, l. 3.  
t. 40.  
Constitutionibus, l. 1. t. 2.  
Consuetudine, l. 1. t. 4.  
Conversione conjugatorum, l. 3. t. 32.  
Conversione infidelium, l. 3. t. 33.  
Cor-



INDEX TITULORUM.

Corpore vitatis ordinandis, vel non,	l. 1. t. 22.
	l. 1. t. 20.
Crimine falsi,	l. 5. t. 20.
Custodia Eucharistiæ, chrismatis, & aliorum Sacramentorum,	l. 3. t. 44.

D

<b>D</b> ecimis, primitiis, & oblationibus,	l. 3. t. 30.
Delictis puerorum,	l. 5. t. 23.
Deposito,	l. 3. t. 16.
Desponsatione impuberum,	l. 4. t. 2.
Digamis,	l. 1. t. 21.
Dilationibus,	l. 2. t. 8.
Divortiis,	l. 4. t. 19.
Dolo & contumacia,	l. 2. t. 14.
Donationibus,	l. 3. t. 24.
Donationibus inter vir. & uxor. & de dote post divortium restituenda,	l. 4. t. 20.

E

<b>E</b> cclésiis ædificandis, vel reparandis,	l. 3. t. 43.
Electione & electi potestate,	l. 1. t. 6.
Emptione & Venditione,	l. 3. t. 17.
Eo, qui mittitur in possessionem causa rei servanda,	l. 2. t. 15.
Eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium,	l. 4. t. 7.
Eo, qui cognovit consanguineam vxoris suæ, vel sponsa,	l. 4. t. 13.
Eo, qui ordinem furtive suscepit,	l. 5. t. 30.
Exceptionibus,	l. 2. t. 25.
Excessibus Prælatorum & subditorum,	l. 5. t. 31.

F

<b>F</b> eriis,	l. 2. t. 9.
Feudis,	l. 3. t. 20.

Fide instrumentorum,	l. 1. t. 22.
Fideiussoribus,	l. 3. t. 22.
Filiis presbyterorum ordinandis, vel non	l. 1. t. 17.
Foro competenti,	l. 2. t. 2.
Frigidis & maleficiatis, &c,	l. 4. t. 15.
Furtis,	l. 5. t. 18.

H

<b>H</b> ereticis,	l. 5. t. 7.
His, quæ vi metusve causa fiunt,	l. 1. t. 40.
His, quæ fiunt à Prælato sine consensu capituli,	l. 3. t. 10.
His, quæ fiunt à majori parte capituli,	l. 3. t. 11.
His, qui filios occiderunt,	l. 5. t. 10.
Homicidio voluntario vel casuali,	l. 5. t. 21.

I

<b>I</b> mmunitate Ecclesiarum, cœmeterij, & rerum ad eas pertinentium,	l. 3. t. 49.
Infantibus & languidis expositis,	l. 5. t. 11.
In integrum restitutione,	l. 1. t. 41.
Injuriis & damno dato,	l. 5. t. 36.
Institutionibus,	l. 3. t. 7.
Judeis & Saracenis, & eorum servis, lib.	5. tit. 6.
Judiciis,	l. 2. tit. 1.
Juramento calumniæ,	l. 2. t. 7.
Jurejurando,	l. 2. t. 24.
Jure patronatus,	l. 3. t. 38.

L

<b>L</b> ibelli oblatione,	l. 2. t. 3.
Litis contestatione,	l. 2. t. 5.
Locato & conducto,	l. 3. t. 18.

M

<b>M</b> agistris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi,	l. 5. t. 5.
Majori-	



INDEX TITULORUM,

Majoritate & obedientia,	l. 1. t. 33.	Plus petitionibus,	l. 2. t. 11.
Maledicis,	l. 5. t. 26.	Pœnis,	l. 5. t. 37.
Matrimonio contracto contra interd-		Pœnitentiis & remiss.	l. 5. t. 38.
ctum Ecclesiæ,	l. 4. t. 16.	Postulando,	l. 1. t. 37.
Mutuis petition.	l. 2. t. 4.	Postulatione Prælatorum,	l. 1. t. 5.
<b>N</b>		Præbendis & dignitatibus,	l. 3. t. 5.
Natis libero ventre,	l. 4. t. 10.	Precariis,	l. 3. t. 14.
Ne Clerici vel Monachi secularibus		Presbytero non baptizato,	l. 3. t. 43.
negotiis se immisceant,	l. 3. t. 50.	Præscription,	l. 2. t. 23.
Ne Prælati vices suas vel Ecclesias sub		Præsumptionibus,	l. 2. t. 26.
annuo censu concedant,	l. 5. t. 4.	Privilegiis & excessibus privilegiorum,	l. 5. t. 33.
Ne sede vacante aliquid innovetur,	l. 3.	Probationibus,	l. 2. t. 19.
	tit. 9.	Procuratoribus,	l. 1. t. 38.
Novi operis nuntiatione,	l. 5. t. 32.	Purgatione canonica,	l. 5. t. 34.
<b>O</b>		Purgatione vulgari,	l. 5. t. 35.
Obligatis ad rationcinia ordinandis, vel		Purificatione post partum,	l. 3. t. 47.
non,	l. 1. t. 19.	<b>Q</b>	
Observatione jejuniorum,	l. 3. t. 46.	Qui Clerici vel voventes matrimo-	
Officio Archidiacon.	l. 1. t. 23.	nium contrahere possunt, l. 4. t. 6.	
Officio Archipresb.	l. 1. t. 24.	Qui matrimonium accusare possunt, vel	
Officio primicerii,	l. 1. t. 25.	contra illud testificari,	l. 4. t. 18.
Officio Sacristæ,	l. 1. t. 26.	Qui filii sint legitimi,	l. 4. t. 17.
Officio custodis,	l. 1. t. 27.	<b>R</b>	
Officio Vicarii,	l. 1. t. 28.	Raptoribus, incendiariis, & violatori-	
Officio & potestate Judicis delegati, l. 1.		bus Ecclesiarum,	l. 5. t. 17.
	tit. 29.	Rebus Ecclesiæ alienandis, vel non,	l. 3.
Officio Legati,	l. 1. t. 30.		tit. 13.
Officio Judicis ordinarii,	l. 1. t. 31.	Regularibus & transeuntibus ad religio-	
Officio Judicis,	l. 1. t. 32.	nem,	l. 3. t. 31.
Ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit		Regulis Juris,	l. 5. t. 41.
Episcopat.	l. 1. t. 13.	Religiosis domibus ut Episcopis sint sub-	
Ordin. cognitionum,	l. 2. t. 10.	jectæ,	l. 3. t. 36.
<b>P</b>		Reliquiis, & veneratione Sanctorum,	l. 3. t. 45.
Pactis,	l. 1. t. 35.	Renuntiatione,	l. 1. t. 9.
Parochiis & alienis paræchanis, l. 3.		Rerum permutatione,	l. 3. t. 19.
	tit. 29.	Rescriptis,	l. 1. t. 30.
Peculio Clericorum,	l. 3. t. 25.	Restitutione spoliatorum,	l. 2. t. 13.
Pignoris & aliis cautionib.	l. 3. t. 21.	§§ 2	S. Sacra-



# INDEX TITULORUM,

S

Sacramentis non iterandis, l. 1. t. 16.  
 Sacra Unctione, l. 1. t. 15.  
 Sagittariis, l. 5. t. 15.  
 Schismaticis, l. 5. t. 8.  
 Scrutinio in ordine faciendo, l. 1. t. 12.  
 Secundis nuptiis, l. 4. t. 21.  
 Sententia & re judic. nol. 2. t. 27.  
 Sententia excommunicationis, l. 5. t. 39.  
 Sepulturis, l. 3. t. 28.  
 Sequestratione possessionum & fructuum, l. 2. t. 17.  
 Servis non ordinandis, &c. l. 1. t. 18.  
 Simonia, & ne aliquid pro spiritualibus exigatur vel promittatur, nol. 5. t. 3.  
 Solutionibus, l. 3. t. 24.  
 Sortilegiis, l. 5. t. 21.  
 Sponsalibus & matrimoniiis, l. 4. t. 1.  
 Sponsa duorum, l. 4. t. 4.  
 Statu monachorum &c. l. 3. t. 35.  
 Successionibus ab intestato, l. 3. t. 27.  
 Summa Trinitate, & fide Catholica, l. 1. tit. 1.  
 Supplenda negligentia Prælatorum, l. 1. t. 10.

Syndico & actore, l. 1. t. 39.

T

Temporibus ordinationum, &c. l. 1. t. 11.  
 Testamentis & ultimis voluntatibus, l. 3. tit. 26.  
 Testibus & attestationibus, l. 2. t. 20.  
 Testibus cogendis, vel non, l. 2. t. 21.  
 Torneamentis, l. 5. t. 13.  
 Transactionibus, l. 1. t. 36.  
 Translatione Episcopi, l. 1. t. 7.  
 Treuga & pace, l. 1. t. 34.

V

Verborum significatione, l. 5. t. 40.  
 Vita, & honestate Clericorum, l. 3. tit. 1.  
 Voto & voti redemptione, l. 3. t. 34.  
 Usuris, l. 5. t. 19.  
 Ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur, l. 3. t. 12.  
 Ut lite non contestata, non procedatur ad testium receptionem, vel ad sententiam definitivam, l. 2. t. 6.  
 Ut lite pendente nihil innovetur, l. 3. tit. 16.

INDEX



# INDEX

## Titulorum & Paragraphorum Ordine Librorum.

<b>P</b> roemij §. 1. <i>Acceptiones juris &amp; origo illius,</i>	1. folio	6. <i>De Iure Civile,</i>	6.
2. <i>Divisiones Iuris,</i>	2.	7. <i>De Iure Canonico,</i>	7.
3. <i>De Iure naturali,</i>	3.	8. <i>De divisione Iuris Canonici, eiusque speciebus &amp; partibus,</i>	8. 2.
4. <i>De Iure positivo &amp; eius divisione,</i>	4.	9. <i>Ex quibus constet Ius Canonicum scriptum,</i>	12.
5. <i>De Iure Gentium.</i>	5.	10. <i>De Conciliis,</i>	13.

## EX LIBRO PRIMO.

<b>T</b> itulus primus De summa Trinit. & fide Cath.	17.	<b>T</b> it. 6. De Electione & electi Potestate,	36.
1. <i>De summa Trinitate,</i>	ibid.	§. 1. <i>Quid sit electio, &amp; quando distinguatur a postulat.</i>	ibid.
2. <i>De fide Catholica,</i>	20.	2. <i>Quando facienda sit Electio,</i>	37.
<b>T</b> it. 2. De Constitutionibus,	27.	3. <i>Intra quod tempus fieri debeat,</i>	39.
§. 1. <i>Constitutionum origo &amp; divisio,</i>	ibid.	4. <i>De forma &amp; modo Electionis,</i>	ibid.
2. <i>Quinam possint condere Constitutionem: &amp; qua sit illius vis ac potestas.</i>	23.	5. <i>Quinam eligere vel eligi prohibeantur,</i>	40.
<b>T</b> it. 3. De Rescriptis,	25.	6. <i>Qualis debeat esse seu eligi Episcopus,</i>	41.
§. 1. <i>Rescripti nomine quid veniat,</i>	ibid.	7. <i>De confirmatione Electi,</i>	42.
2. <i>Quotuplicia sint rescripta,</i>	26.	8. <i>De Consecratione Episcopi, &amp; eius forma,</i>	44.
3. <i>Quis Rescriptum impetrare possit,</i>	27.	<b>T</b> it. 7. De Translatione Episcoporum,	45.
4. <i>Contra quem &amp; super quibus impetrari possit,</i>	28.	<b>T</b> it. 8. De auctoritate & usu pallii,	47.
5. <i>E pluribus Rescriptis impetratis quodnam sit preferendum,</i>	ibid.	§. 1. <i>Quid sit Pallium, &amp; cui competat,</i>	ibid.
6. <i>Qualis interpretatio facienda sit in Rescriptis,</i>	29.	2. <i>De potestate Archiepiscopi,</i>	48.
7. <i>De quibusdam Rescriptis invalidis,</i>	ibid.	<b>T</b> it. 9. De Renuntiatione,	49.
<b>T</b> it. 4. De Consuetudine,	30.	<b>T</b> it. 10. De supplenda negligentia Prælatorum,	51.
§. 1. <i>Quid sit Consuetudo.</i>	ibid.	<b>T</b> it. 11. De temporibus Ordinationum & qualitate Ordinandorum,	52.
2. <i>De requisitis ad introducendam Consuetudinem.</i>	31.	§. 1. <i>Quid sit Ordo,</i>	ibid.
3. <i>Quotuplex sit Consuetudo &amp; eius effectus,</i>	33.	2. <i>Quos sint Ordines,</i>	53.
4. <i>De stylo,</i>	35.	3. <i>A quo conferantur Ordines,</i>	54.
<b>T</b> it. 5. De postulatione Prælatorum,	35.	4. <i>De litteris dimissorias, seu reverendis, ut quidam vocant,</i>	55.
		5. <i>Quibus</i>	



5. Quibus temporibus conferendi sint Ordines,	50.	§. 1. Vicarius quis & quoduplex,	ibid.
Tit. 12. De Scrutinio in Ordine faciendo,	58.	2. De Vicario Episcopi,	82.
Tit. 13. De Ordinatis ab Episcopo, qui Episcopatu renuntiavit, & ab excommunicato,	59.	3. Qualis debeat constitui Vicarius,	ibid.
Tit. 14. De etate, & qualitate, & ordine præficiendorum,	ibid.	4. Quot modis constituatur,	ibid.
§. 1. De etate Præficiendorum,	ibid.	5. De potestate & jurisdictione Vicarii,	83.
2. De qualitate,	60.	6. Quibus modis finiatur potestas Vicarii,	84.
3. De Ordine præficiendorum,	61.	7. De officio Coadjutoris,	ibid.
4. De etate ad Ordines requisita,	62.	Tit. 29. De officio & potestate Iudicis delegati,	85.
Tit. 15. De sacra Unctione,	63.	§. 1. Quid sit delegatus & quis delegare possit,	ibid.
§. 1. Quæ dicatur sacra Unctio,	ibid.	2. Quæ forma fiat delegatio,	86.
2. De Confirmatione,	64.	3. Quinam delegari possint, vel non,	ibid.
3. De extrema Unctione,	65.	4. De officio Iudicis delegati,	87.
Tit. 16. De Sacramentis non reiterandis,	67.	5. Quibus modis finiatur jurisdictio Iudicis delegati,	89.
§. 1. Quid sit Sacramentum,	ibid.	6. De delegatis à jure ipso,	90.
2. Quot sunt Sacramenta,	ibid.	Tit. 30. De officio Legati,	ibid.
3. Quæ Sacramenta reiterari possint, & quæ non,	68.	§. 1. Legati qui & quoduplices,	ibid.
Tit. 17. De filiis Presbyterorum ordinandis vel non ordinandis,	ibid.	2. In quo conveniant hi Legati,	ibid.
Tit. 18. De servis non ordinandis,	70.	3. In quibus prædicti Legati differant,	91.
Tit. 19. De obligatis ad rationem ordinandis, vel non,	ibid.	4. Quibus modis finiatur officium Legati,	93.
Tit. 20. De corpore vitiatum non ordinandis,	71.	Tit. 31. De officio Iudicis Ordinarii,	94.
Tit. 21. De bigamis non ordinandis,	72.	§. 1. Quis dicatur Iudex ordinarius & à quo jurisdictio ea detur,	ibid.
Tit. 22. De Clericis peregrinis non ordinandis,	74.	2. Quinam jurisdictionem ordinariam habeant,	ibid.
§. 1. Cur tales ordinari prohibeantur,	ibid.	Tit. 32. De officio Iudicis,	96.
2. De quibusdam aliis ordinari prohibitis,	75.	§. 1. Quis sit Iudex,	ibid.
Tit. 23. De officio Archidiaconi,	77.	2. Quod sit officium Iudicis,	ibid.
Tit. 24. De officio Archipresbyteri,	78.	3. Quoduplex est officium Iudicis,	97.
Tit. 25. De primicerio ejusque officio,	79.	Tit. 33. De majoritate & obedientia,	98.
Tit. 26. De officio Sacristæ,	80.	Tit. 34. De Treuga & pace,	99.
Tit. 27. De officio Custodis,	ibid.	Tit. 35. De Pactis,	ibid.
Tit. 28. De officio, & potestate Vicarii,	ibid.	§. 1. Quid sit Pactum,	ibid.
		2. Divisio & effectus pactorum,	100.
		3. Cui, & de quibus quis possit pacisci,	101.
		Tit. 36. De Transactionibus,	ibid.
		§. 1. Quid sit transactio,	ibid.
		2. Quis transigere possit,	102.
		3. De quibus transigi possit,	103.
		4. De	



INDEX TIT. ET PARAGRAPHORUM.

4. De effectu transactionis,	ibid.	§. 1. Quid sit restitutio, & quibus detur, ibi.	
Tit. 37. De Postulando,	104.	2. Intra quod tempus & coram quo peti debeat,	118.
Tit. 38. De Procuratoribus,	105.	3. Effectus restitutionis in integrum, ibid.	
§. 1. Quis dicatur Procurator,	ibid.	Tit. 42. De alienatione iudicii mutandi causa facta,	119.
2. Diviso Procuratorum,	106.	Tit. 43. De arbitris,	120.
3. Quis constituere possit procuratorem,	107.	§. 1. Quam dicantur Arbitri,	ibid.
4. Quis Procurator constitui possit,	108.	2. Quo pacto fiat compromissum,	ibid.
5. In quibus causis constitui possit Procurator,	109.	3. In quos & quales compromitti possit seu debeat,	121.
6. De mandato procuratorio,	110.	4. Quot eligi possint Arbitri, & quae sit eorum potestas,	122.
7. Quo pacto finiatur Procuratoris officium,	ibid.	5. Super quibus compromitti possit vel non,	123.
8. De exceptionibus, quae persona procuratoris obici possunt,	111.	6. De effectu compromissi & sententia Arbitrorum,	ibid.
Tit. 39. de Syndico,	112.	7. Quo pacto Arbitrorum & Arbitratorum finiatur potestas,	124.
Tit. 40. De his, quae vi metulve causae fiunt,	114.		
Tit. 41. De in integrum restitutione,	116.		

EX LIBRO SECUNDO.

Tit. 1. De iudiciis,	125.	§. 1. Quodnam sit hoc iuramentum, & quid continere debeat,	ibid.
Tit. 2. De foro competenti,	127.	2. A quibus praestari debeat, vel non,	146.
§. 1. Quod sit forum competens, & quibus modis constituatur,	ibid.	3. In quibus causis praestandum sit,	147.
2. De requisitis ad prorogationem iudicis,	129.	4. De poena jurare subterfugientis,	ibid.
3. De citatione seu in ius vocatione,	130.	Tit. 8. De Dilationibus,	148.
4. De executione Citationis,	132.	§. 1. Dilatio quid sit & quod simplex,	ibid.
5. De effectu Citationis,	ibid.	2. An & quatenus dilationes prorogari possint,	151.
Tit. 3. De libelli oblatione,	133.	3. De effectu dilationum,	152.
Tit. 4. De mutuis petitionibus,	136.	Tit. 9. De Feriis,	ibid.
§. 1. Quid sint mutuae petitiones,	ibid.	Tit. 10. De ordine cognitionum,	156.
2. Coram quo Iudice & in quibus causis reconventio locum habeat,	137.	Tit. 11. De plus petitionibus,	158.
3. Quando proponi debeat conventio,	138.	Tit. 12. De causa proprietatis & possessionis,	160.
Tit. 5. De litis contestatione,	139.	§. 1. De Possessione, quid sit, & quod simplex, & de iudicii possessoris,	ibid.
§. 1. Quid sit & quo pacto inducatur, ibid.		2. De proprietate, quid sit, & in quo differat a possess.	164.
2. De effectibus litis contestationis,	142.	3. Qui in causa possessionis sit Iudex compromittens,	165.
Tit. 6. Ut lite non contestata non procedatur ad testium receptionem vel ad sententiam definitivam,	143.	4. An causa possessionis, & proprietatis possit,	
Tit. 7. De iuramento calumniae,	145.		



<i>possit cumulari,</i>	166.	Tit. 23. De Præsumptionibus,	199.
Tit. 13. De restitutione spoliatorum,	168.	§. 1. Quid sit Præsumptio,	ibid.
§. 1. Remedium hoc quando, & cui competat,	ibid.	2. De divisione Præsumptionum,	ibid.
2. De alio remedio recuperanda possessio-	169.	3. Ex quibus oriuntur Præsumptiones,	200.
nis,	169.	4. De effectu præsumptionis,	201.
3. De tertio remedio recuperanda possessio-	170.	5. De vi præsumptionum in concursu,	202.
nis,	170.	6. An Præsumptio allegari debeat, ut profi-	203.
4. Quo pacto facienda sit restitutio spolia-	171.	ei, pro quo stat,	203.
to.	171.	Tit. 24. De Iurejurando,	204.
5. Quis dicatur hic spoliatus,	172.	§. 1. Quid sit Iuramentum,	ibid.
Tit. 14. De dolo & contumacia,	ibid.	2. An Iuramentum per Deum vel creatu-	ibid.
Tit. 15. De eo, qui mittitur in possessionem, rei servandæ causâ,	173.	ras sit licitum,	ibid.
Tit. 16. Ut lite pendente nihil innovetur,	175.	3. De requisitis ad Iuramenti validitatem,	205.
Tit. 17. De sequestrationibus possessionis & fructuum,	176.	4. De divisione Iuramenti,	206.
Tit. 18. De Confessis,	177.	5. De divisione Iuramenti Assertorii seu litis decisorii,	207.
Tit. 19. De Probationibus,	179.	6. In quibus causis sit locus Iuramento suppletorio probationis,	209.
§. 1. Quid sit probatio,	ibid.	7. De vi & effectu Iuramenti assertorii,	ibid.
2. De divisione probationis,	180.	8. De vi & effectu Promissorii Iuramenti,	210.
3. Onus probandi cui incumbat,	181.	9. Quando Iuramentum confirmet contra-	211.
4. Quando facienda probatio,	182.	ctum, vel non,	211.
5. Qualis debeat esse probatio, & quis finis atque effectus,	183.	Tit. 25. De Exceptionibus,	212.
Tit. 20. De testibus & attestationibus,	184.	Tit. 26. De Præscriptionibus,	214.
§. 1. Quis dicatur testis, & qualis esse debeat,	ibid.	§. 1. Præscriptio & Usucapio quid sit,	ibid.
2. Qui à testimonio arceantur,	ibid.	2. De requisitis ad Usucapionem; & primo de Possessione,	216.
3. De modo producendi testes,	188.	3. De bona fide,	217.
Tit. 21. De testibus cogendis,	192.	4. Quo tempore bona fides requiratur,	ibid.
Tit. 22. De fide Instrumenti,	193.	5. De titulo,	219.
§. 1. Instrumentum quid & quoduplex,	ibid.	6. De tempore,	220.
2. Differentia Publicorum & privatorum Instrumentorum,	195.	7. Quinam præscribere possint,	221.
3. Quomodo & ubi instrumenta edi debeant,	196.	8. Quæ res præscribi possint,	222.
4. Qualiter & cui edi debeant,	197.	Tit. 27. De sententia & re iudicata,	223.
5. De interpretatione & improbatione instrumentorum,	198.	§. 1. Sententia quid sit, & quoduplex,	ibid.
		2. De differentia inter sententiam definitivam & interlocutoriam,	224.
		3. Quomodo ferenda sit,	226.
		4. De pluribus Iudicibus ejusdem litis,	229.
		5. De	



INDEX TIT. ET PARAGRAPHORUM.

1. De fine & effectu sententia definitiva, ibid.  
 Tit. 28. De Appellationib. Recusationibus & Relationibus, 230.  
 §. 1. Quid sit appellatio & quod duplex, ibid.  
 2. Quis appellare possit, 231.  
 3. A quibus Iudicibus appellare liceat, ibid.  
 4. A quibus sententiis seu actibus appellare liceat, vel non, 232.  
 5. Coram quo sit appellandum, 234.  
 6. Ad quem sit appellandum, 235.  
 7. Quando & a quo tempore interponi debeat appellatio, 236.  
 8. Qualiter sit interponenda appellatio, 237.  
 9. De differentia definitiva ab interlocutoria quoad interponendam appellationem, ibid.  
 10. De tempore petendi Apof., 239.  
 11. Quibus appellationibus sit deferendum, 240.  
 12. De tempore introducenda & proseguenda appellationis, 241.  
 13. De causis biennii ad introducendam, proseguendam & finiendam appellationem, 243.  
 14. Quale debeat esse impedimentum primi anni seu primi fatalis, ut praebeat causam dandi secundum, 245.  
 15. De effectu appellationis, 246.  
 16. De Privilegiis remedio attentatorum competentibus, 248.  
 17. Quenam Iudici vel partibus pendente appellatione liceant, 249.  
 18. De Recusationibus, 251.  
 19. De causis & effectu recusationis, 252.  
 20. De Relationibus, 253.  
 Tit. 29. De Peregrinantibus, 254.  
 Tit. 30. De confirmatione utili vel inutili, 255.

EX LIBRO TERTIO.

- Tit. 1. De vita & honestate Clericorum, 256.  
 Tit. 2. De cohabitatione Clericorum & mulierum, 259.  
 Tit. 3. De Clericis conjugatis, 261.  
 §. 1. De Clerico Ordine sacro initiato, ibid.  
 2. De Clerico minoribus Ordinibus initio, contrahente matrim., 262.  
 3. An Clericus conjugatus immunitate Ecclesiastica perinde gaudet ac non conjugatus, 263.  
 Tit. 4. De Clericis non residentibus, 264.  
 Tit. 5. De praebedis & dignitatibus, 266.  
 §. 1. Quid sit Præbenda & Beneficium Ecclesiasticum, ibid.  
 2. De divisione beneficiorum, 268.  
 Tit. 6. De Clerico ægrotante vel debilitato, 270.  
 Tit. 7. De Institutionibus, 271.  
 §. 1. Quid sit Institutio & Collatio, ibid.  
 2. Qui conferre beneficia possint, 272.  
 3. Quibus conferri beneficia debeant, 274.  
 4. In quibus consistat idoneitas Clericorum ad beneficia, 275.  
 Tit. 8. De concessione præbendæ & Eccles. non vacantis, 276.  
 §. 1. Quando conferenda, ibid.  
 2. Quibus modis beneficia vacent, 277.  
 3. Intra quod tempus conferri debeant, 278.  
 4. De pluralitate & incompatibilitate beneficiorum, ibid.  
 Tit. 9. Ne sede vacante aliquid innovetur, 281.  
 Tit. 10. De his quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli, 283.  
 Tit. 11. De his, quæ fiunt à maiore parte Capituli, 284.  
 Tit. 12. Ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur, 285.  
 Tit. 13. De rebus Ecclesiæ alienandis vel non, 287.  
 §. 1. De



§. 1. De non alienandis rebus Eccles. ibid.	§. Quinam donare possint, ibid.
2. De alienandis rebus Eccles. quibus scilicet casibus permissa sit alienatio, 289.	Tit. 25. De peculio Clericorum, 318.
3. Qua sit iusta causa & solemnitas alienandi res Ecclesie, 290.	Tit. 26. De testamentis & ultimis voluntatibus, 319.
Tit. 14. De Precariis, 291. Tit. 15. De Commodato, 293. Tit. 16. De Deposito, 295. Tit. 17. De Emptione & Venditione, 296.	§. 1. Quid sit Testamentum & quatuorplex ejusdem solemnitas, ibid.
§. 1. Quid sit Emptio-Venditio, & requisita ad eam, ibid.	2. De Institutione heredum, 322.
2. Quae res vendi possint & ad quid teneantur uterque contrahentium, 297.	3. De duplici de iure actione legitima & Trebellianica, 323.
3. Derescindenda venditione, ibid.	4. De Substitutionibus, 324.
4. Quae res vendi non possint, 298.	5. Qui Testamentum facere possint, 325.
Tit. 18. De Locatione-Conductione, 299.	6. Qui test. in testam. adhiberi possint, 327.
§. 1. Locatio-Conductio quid sit, ibid.	7. De executoribus ultimarum voluntatum, 328.
2. De Emphyteusi, 300.	Tit. 27. De Successione ab intestato, 329.
Tit. 19. De rerum permutatione, 301.	Tit. 28. De sepulchris, 330.
Tit. 20. De Feudis, 302.	§. 1. Quid sit sepulchrum ac sepultura, ibid.
§. 1. Quid sit Feudum, ibid.	2. Ius sepulturae ad quam Eccles. spectet, 331.
2. Quis in Feudum dare & quatenus alienare possit, 303.	3. Electio sepulturae unicuique liber à se, 332.
Tit. 21. De Pignoribus & aliis cautionibus, 305.	4. De Sepulchro maiorem, 333.
§. 1. Quid sit Pignus & quatuorplex, ibid.	5. De portione Canonica, parochiali Ecclesiae debita, 334.
2. Quae res oppignorari possint, 306.	6. De Canonica portione Episcopi, 335.
3. De pactis pignorum, 307.	7. Quibus deneganda sit sepultura, 337.
4. De actionibus pignoratitiis & quo modo pignus dissolvatur, 308.	8. An pro sepult. aliquid exigi possit, 338.
Tit. 22. De Fidejussoribus, 309.	9. De penis violentum sepulchra, 339.
§. 1. Quis dicatur Fidejussor, ibid.	Tit. 29. De Parochiis & Parochianis, ibid.
2. In quibus obligationibus adhiberi possit fidejussor, 310.	§. 1. Qua dicatur Ecclesia Parochialis, & unde, ibid.
3. Quinam fideiubere possint, ibid.	2. De iuribus Eccles. parochialium, & numero Parochorum, 342.
4. Effectus fideiussionis, ibid.	Tit. 30. De Decimis, Primitiis & Oblationibus, 343.
5. Quib. modis extinguatur fideiussio, 312.	§. 1. Oblatio quid sit & quatuorplex, ibid.
Tit. 23. De Solutionibus, 313.	2. Quibus cedant oblaciones, 344.
Tit. 24. De Donationibus, 314.	3. A quibus recipi, quique recipere oblaciones non possint, ibid.
§. 1. Quid sit donatio & quatuorplex, ibid.	4. De decimis, quid sint, & quo iure debeantur, 345.
2. Qualis in dubia fiat interpretatio donationis inter vivos, 315.	5. Ex quibus rebus decima debeantur, & quatuorplex sint, 346.
3. Quo pacto donatio inter vivos perficiatur, 316.	6. Quibus debeantur decima, 347.
4. De divisione Donationis in Propriam & Impropriam, 317.	7. A quibus debeantur decima, 349.
	8. Quibus modis quis eximatur à decimarum prestatione, 351.



9. De decimis novialium, deque actione & cognitione decimarum, 352.  
 10. De penis detinentium vel non solventium decimas, 353.  
 §. 1. De primitiis, 354.  
 Tit. 31. De Regularibus, & transiuntibus ad Religionem, 355.  
 §. 1. Qui dicantur Regul. & Monachi, ib.  
 2. Quo pacto fiant Monachi, ibid.  
 3. De requisit. ad valid. professionis, 357.  
 Tit. 32. De conversione conjugatorum, 359.  
 Tit. 33. De conversione infidelium, 360.  
 Tit. 34. De Voto & Voti redemptione, 361.  
 §. 1. Voti definitio, ibid.  
 2. Divisio Voti, 362.  
 3. De effectu seu obligatione voti, ibid.  
 Tit. 35. De statu Monachorum & Canonicorum Regularium, 364.  
 Tit. 36. De Religiosis domibus, ut Episcopo sint subjectæ, 366.  
 §. 1. Domus religiose qua dicantur, ibid.  
 2. De visitat. domum religiosarum & locorum priorum, a laicis regi solutorum, 367.  
 Tit. 37. De Capellis Monachorum & aliorum Religiosorum, 368.  
 Tit. 38. De Jure Patronatus, 369.  
 §. 1. Quid sit, & quibus modis acquiratur hoc jus, ibid.  
 2. Quotuplex sit jus patronatus, 370.  
 3. In quo differat jus patronatus Ecclesiæ, a laico, 371.  
 4. Quomodo jus patron. transferatur, ibid.  
 5. De præsentatione, 372.  
 6. De Institutione, 373.  
 7. Quomodo amittatur jus patronatus, 374.  
 Tit. 39. De Censibus, Exactionibus & Procurationibus, 375.  
 §. 1. De Censibus, ibid.  
 2. De exactionibus, 376.  
 3. De Procuratoribus, ibid.  
 4. A quibus debeantur procuraciones & vidualia, 377.  
 Tit. 40. De consecratione Ecclesiæ vel Altaris, 378.  
 Tit. 41. De celebrat. Missarum, & Sacram. Eucharistiæ, & divinis officiis, 380.  
 §. 1. Quid sit Eucharistia, & de materia hujus Sacramenti, ibid.  
 2. De forma & Ministro Eucharistiæ, 381.  
 3. De aliis non conficientibus hoc Sacramentum, illud tamen sumentibus, 382.  
 4. De effectu Eucharistiæ, 384.  
 Tit. 42. De Baptismo & ejus effectu, ib.  
 §. 1. Quid sit Baptismus & quotuplex, ib.  
 2. De Ministro Baptismi, deque susceptoribus seu patrinis, 385.  
 3. Quam baptizandi & in quo loco, 386.  
 4. De effectu Baptismi, 387.  
 Tit. 43. De Presbytero non baptizato, ib.  
 Tit. 44. De custodia Eucharistiæ, Christomatis & aliorum Sacramentorum, ib.  
 Tit. 45. De Reliq. & venerat. SS. 388.  
 Tit. 46. De observatione Je. uniorum, 389.  
 Tit. 47. De purificatione post partum, 390.  
 Tit. 48. De Ecclesiis ædificandis vel reparandis, ibid.  
 §. 1. De ædificandis Ecclesiis, ibid.  
 §. 2. De reparandis Ecclesiis, 392.  
 Tit. 49. De immunitate Ecclesiarum, cœmeterii, & rerum ad eas pertinentium, 393.  
 Tit. 50. Ne Clerici vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant, 395.

EX LIBRO QUARTO.

- Tit. 1. De Sponsal. & Matrimonio, 396.  
 §. 1. Quid sint Sponsal. & quotuplicia, ib.  
 2. Quam spon. salia contrahere possint & quibus modis, 397.  
 3. De effectu Sponsaliorum, 398.  
 4. Quibus modis spons. dissolvantur, 399.  
 5. De matrimonio, quid nominis & rei, 401.  
 6. De materia, forma, & ministro matrimonii, 402.  
 7. De ætate requisita ad contrahendum matrimonium, 403.  
 8. De consensu contrahentium matrimonii, 404.  
 9. De consensu pariter, an is necessarius, 405.



10. <i>Quinam matrimonium contrahere possint,</i>	406.	2. <i>De gradibus cognationum eorumque subactione,</i>	423.
Tit. 2. <i>De dispensatione impuberum,</i>	407.	3. <i>De Affinitate,</i>	425.
Tit. 3. <i>De clandestina desponsatione,</i>	408.	4. <i>De Iustitia publica honestatis,</i>	426.
Tit. 4. <i>De sponsa duorum,</i>	411.	Tit. 15. <i>De frigidis &amp; maleficiatis &amp; impotentia coeundi,</i>	ibid.
Tit. 5. <i>De conditionibus apposis in desponsationibus &amp; aliis contractibus,</i>	412.	Tit. 16. <i>De matrimonio contracto contra interdictum Eccles.</i>	428.
Tit. 6. <i>Qui Clerici vel voventes matrimonium contrahere possint.</i>	413.	APPENDIX. <i>De impedimentis matrimonii cum dirimentibus tum impedientibus,</i>	429.
Tit. 7. <i>De eo, qui duxit in matrimonium eam, quam polluit per adulterium,</i>	414.	Tit. 17. <i>Qui filii sunt legitimi,</i>	431.
Tit. 8. <i>De conjugio leproforum,</i>	415.	Tit. 18. <i>Qui matrimonium accusare possunt, vel contra illud testari,</i>	432.
Tit. 9. <i>De conjugio servorum,</i>	ibid.	Tit. 19. <i>De divortiis,</i>	433.
Tit. 10. <i>De natis ex libero ventre,</i>	417.	§. 1. <i>De dissolubilitate matrimonii rati non consummati.</i>	435.
Tit. 11. <i>De cognat. spiritali,</i>	ibid.	2. <i>De dissolutione matrimonii quoad thorum,</i>	ibid.
Tit. 12. <i>De cognatione legali,</i>	419.	Tit. 20. <i>De donationibus inter virum &amp; uxorem, &amp; de dote post divortium restituentia,</i>	436.
Tit. 13. <i>De eo, qui cognovit consanguineam uxoris vel sponsæ suæ,</i>	420.	Tit. 21. <i>De secundis nuptiis,</i>	438.
Tit. 14. <i>De consanguinitate &amp; affinitate,</i>	422.		
§. 1. <i>De consanguinitate,</i>	ibid.		

EX LIBRO QUINTO.

Tit. 1. <i>De Accusationibus, Inquisitionibus, &amp; Denuntiatis.</i>	439.	sub annuo censu concedant,	457.
§. 1. <i>De Accusationibus,</i>	ibid.	Tit. 5. <i>De Magistris &amp; ne aliquid exigatur pro licentia docendi,</i>	458.
2. <i>Quinam accusare possint,</i>	440.	Tit. 6. <i>De Judæis &amp; Saracenis, &amp; eorum servis,</i>	459.
3. <i>Quinam accusari non possint,</i>	442.	Tit. 7. <i>De Hæreticis,</i>	461.
4. <i>De Inquisitione,</i>	443.	§. 1. <i>Quis dicatur Hæreticus,</i>	ibid.
5. <i>De denuntiatione,</i>	446.	2. <i>De pœnis Hæreticorum,</i>	462.
6. <i>De aliis modis procedendi in criminalibus,</i>	447.	3. <i>De modo procedendi in causa Hæresi,</i>	463.
Tit. 2. <i>De Calumniatoribus,</i>	448.	Tit. 8. <i>De Schismaticis &amp; ordinatis ab eis,</i>	464.
Tit. 3. <i>De Simonia, &amp; ne aliquid pro spiritalibus exigatur vel promittatur,</i>	449.	Tit. 9. <i>De Apostatis &amp; reiterantibus Baptismum,</i>	475.
§. 1. <i>De crimine seu delictis in genere,</i>	ibid.	Tit. 10. <i>De his qui filios occiderunt,</i>	477.
2. <i>Simoniam quid sit,</i>	450.	Tit. 11. <i>De infantibus &amp; languidis expositis,</i>	ibid.
3. <i>Quotuplex sit Simonia,</i>	452.	Tit. 12. <i>De homicidio voluntario vel casuali,</i>	478.
4. <i>De pœnis Simoniacorum,</i>	453.		Tit.
Tit. 4. <i>Ne Prælati vices suas vel Ecclesias</i>			



# INDEX TIT. ET PARAGRAPHORUM.

Tit. 13. De Torneamentis,	480.	Tit. 33. De privilegiis & excessibus privilegiatorum,	508.
Tit. 14. De Clericis pugnantis in duelo,	481.	§. 1. De privilegiis,	ibid.
Tit. 15. De Sagittariis;	483.	2. De excessibus privilegiatorum,	510.
Tit. 16. De adulterio & stupro;	ibid.	Tit. 34. De purgatione Canon.	511.
§. 1. De adulterio & pœnis illius,	ibid.	Tit. 35. De purgat. vulgari,	512.
2. De stupro & pœnis illius,	485.	Tit. 36. De iniuriis & damno dato,	513.
3. De incestu & pœnis ejusdem,	ibid.	§. 1. De iniuriis & earum pœnis,	ibid.
Tit. 17. De Raptoribus & incendiariis & violatoribus Ecclesiarum,	486.	2. De damno dato,	514.
§. 1. De raptoribus virginum,	ibid.	Tit. 37. De pœnis,	ibid.
2. De pœnis raptus,	487.	§. 1. Pœna quod triplices & quo pacto infligenda,	ibid.
3. De raptoribus rerum, atque incendiariis,	488.	2. De aliis observandis circa pœnarum impositionem,	516.
Tit. 18. De Furtis,	489.	3. De pœna privationis,	517.
§. 1. Furti definitio Enucleata,	ibid.	4. De pœna Exilii,	518.
2. De furti generibus & pœnis,	491.	Tit. 38. De Pœnitentiis & Remissionibus,	ibid.
Tit. 19. De usuris,	492.	§. 1. De variis pœnitentia significationibus & divisionibus,	ibid.
§. 1. Usura quid sit, & quot modis accipiantur,	ibid.	2. De Pœnitentia, ut est Sacramentum,	519.
2. Quibus modis dividatur usura,	494.	3. De Contritione,	520.
3. Quo jure usura sint prohibita,	495.	4. De quantitate Contritionis,	521.
4. De pœnis usurariorum,	496.	5. An & quando obliget præceptum Contritionis,	522.
Tit. 20. De crimine falsi,	498.	6. De Confessione,	ibid.
§. 1. Falsum quid, & quibus modis committatur,	ibid.	7. Quos & quando obliget præceptum Confessionis,	525.
2. De pœnis falsi,	499.	8. De conditionibus & qualitatibus Confessionis,	526.
Tit. 21. De Sortilegiis,	500.	9. De circumstantiis in Confessione exprimendis,	527.
Tit. 22. De collusionibus detegendis,	501.	10. Quando liceat dividere seu dimidiare Confessionem,	528.
Tit. 23. De delictis puerorum,	502.	11. An Confessio possit esse publica, fierique per litteras aut interpretem vel nuntium,	529.
Tit. 24. De Clerico venatore,	ibid.	12. De nullitate Confessionis,	530.
Tit. 25. De Clerico percussore,	ibid.	13. De sigillo seu secreto Confess.	ibid.
Tit. 26. De malediciis,	503.	14. De satisfactione, tertia parte pœnitentia & quod duplex ea sit,	532.
Tit. 27. De Clerico excommunicato, deposito vel interdicto ministrante,	504.	15. Per quam opera satisfiat & de modo in satisfact. servando,	533.
Tit. 28. De Clerico non ordinato ministrante,	ibid.	16. An	
Tit. 29. De Clerico per saltum promotus,	505.		
Tit. 30. De eo qui furtivè Ordinem suscipit,	ibid.		
Tit. 31. De excessibus Prælatorum & subditorum,	506.		
Tit. 32. De novi operis nuntiatione,	507.		



- |  |       |   |       |
|--|-------|---|-------|
| 16. An penitens teneatur accipere & adimplere penit. sibi imposit. | ibid. | 3. De effectu maioris excommunicationis   | 545.  |
| 17. An unus pro alio tam vivo quam mortuo satisfacere possit,      | ibid. | 4. De effectu minoris excommunicationis   | 546.  |
| 18. De remissionibus seu indulg.                                   | 534.  | 5. Quinam excommunicare possint,  | ibid. |
| 19. Quid sit thesaurus Indulgentiarum & unde originem trahat,      | 535.  | 6. Quinam excommunicari possint vel non,  | 547.  |
| 20. An Indulgentia possint concedi animab. in purgat. existentib.  | ibid. | 7. Quis possit absolvere ab excommunicatione,   | 548.  |
| 21. Quibus competat potestas concedendi indulgentias,              | 536.  | 8. De Suspensione,  | 550.  |
| 22. De effectu Indulgentiarum,                                     | 537.  | 9. Quis possit suspendere & qua sit forma suspensionis,   | ibid. |
| 23. De causa indulgentiarum,                                       | ibid. | 10. De effectu suspensionis & forma absolutionis à suspensione,   | 551.  |
| 24. De requisitis ex parte volentium acquirere indulgentias,       | 538.  | 11. De interdicto,  | 552.  |
| 25. Quoties quis possit consequi indulgentias, & quamdiu durent,   | 539.  | 12. Quis possit & ob quam causam interdicere, qua sit forma interdicti, quis effectus & poena interdicti violati, | 553.  |
| 26. De Iubileo,  | 540.  | 13. De Irregularitate,  | 555.  |
| Tit. 39. De sententia excommunicationis,                           | 541.  | 14. De Depositione & Degradatione Clericorum,   | ibid. |
| §. 1. Quid sit Excommunicatio: & species Censura Ecclesiastica,    |       | Tit. 40. De Verborum significatione,  | 557.  |
| 2. Quotuplex sit Excommunic.                                       | 542.  | Tit. 41. De Regulis Juris,  | 558.  |



ANDREÆ DEL VAVLX. I. V. D.  
ET SS. CANONUM PROFESSORIS ORDINARIJ.

PARATITLA  
SIVE  
SVMMARIA  
ET METHODICA EXPLICATIO  
DECRETALIVM  
D. GREGORII PAPÆ IX.

PRO O E M I U M.

§. I.

Acceptiones Juris variæ & origo illius.

1. *Juris consulti diligentissimi etymologiarum investigatores.*
2. *Juris acceptiones & derivationes variæ.*
3. 4. *Jus à iustitia rectè dici secundum iurisconsultos.*
5. *Satisfit Grammaticorum regula & objectioni.*



UONIAM, Ulpiano l. C. recte, in l. 1. d. de iustitia & iure. Juri operam datum prius nosse oportet, unde Juris nomen descendat; eaque ab antiquo cum Philosophorum tum Jurisconsultorum consuetudo semper fuit, ut diligentissime inquirerent etymologiam nominum, & cur unaquæque res hoc aut illud nomen sortita esset; eò quod nominata, si rectè imposita sint, ex eodem naturæ fonte, quo ipsarum rerum definitiones hauriantur, finisque rerum ipsarum cognoscendarum instrumenta non abs re me facturum putavi, a-

cturus de jure Canonico, altius exordiar; & priusquam ad Titulos librorum Decretaliũ veniam, nonnulla de Juris privatione, ejusque divisionibus, subdivisionibus, membrorumque singularum natura, proprietate, conditionibus, atque inter se tum comparationibus tum distinctionibus, præmiserò. Eoque magis, quod secundum Cicer. lib. 1. Offic. omnis, quæ à ratione suscipitur de realiqua institutio debeat à definitione proficisci, ut intelligatur, de quo disceptatur.

Ideoque, ut inde exordium capiam, sciendum quòd prout juris sunt variæ acceptiones, de quibus Paulus l. C. in l. penult. d. de iust. & iure, & Joan. Andreas in Novella *Non est novum de Reg. Juris*: ita & secundum eas variæ quoque derivationes assignari possint.

3. Et quidem, ut omittam alias ad propositũ minus spectantes, si Jus sumatur pro lege (pro ut sumitur in §. *singularum Instit. De rer. divis. in can. Jus generale Dist. 1.* in verb. *Lex autem juris*, scilicet scripti, est species; & dum dicimus, Hoc vel illud est certi juris, illud facti) rectè dicitur à Jussu seu Jubendo, quia lex in jussu seu imperio

A



imperio superioris est posita. Si verò sumatur, ut est idem, quod iustum, non quidem in ea generali acceptione, qua iustum idem est, quod legitimum, seu legi consonum (quo pacto formaliter acceptum, est obiectum formale obedientiae; quæ idem expresse vult, vel facit aliquid, quia est lege præceptum vel statutum, materialiter autem sumptum est materia omnis virtutis, quia lex in omni materia virtutis aliquid statuit) sed prout iustum sumitur specialiter pro eo, quod est æquale & alteri debitum, ac formale obiectum est iustitiæ particularis, recte dicitur à iustitia, ut vult Vlp. in *d. l. 1.*

4. Nec obstat Grammaticorum regula secundum quam iustitia potius à iusto, & iustum à iure, tamquam simpliciori nomine, derivari videtur: quia denominatio obiecti recte potest sumi ab habitu, seu potentia in illud tendente: Sic enim Sciibile à Scientia; Sensibile à Sensu; Visibile à Visu denominatur. Etiam si loquendo de ordine seu derivatione, quoad causalitatem obiecti, ipsa potentia vel habitus dici possit derivari ab obiecto: sic enim iustitia à iure, prout idem est quod iustum, denominari potest, quia ita sumptum est causa iustitiæ, per modum obiecti & causæ finalis: licet in genere causæ efficientis sit effectus iustitiæ, quia iustitia facit & constituit obiectum suum, sicut & cæteræ virtutes morales.

5. Et hinc patet, etiam Jus, prout significat artem juris (ut usurpat Vlp. dum ait, Juri operam daturum prius nosse oportere, unde nomen Juris descendat, illudque definit, esse artem boni & æqui, quia scilicet sit ars, tendens in bonum & æquum) dici posse à iustitia, mediante scilicet iusto, à quo tanquam obiecto suo derivatur: juxta illud. Quidquid est causa causæ, est etiam causati causæ.

## § II.

## Divisiones Iuris.

1. Ius variè dividi.
2. Divisio iuris in jus ad rem, & jus in re.
3. Quid sit jus ad rem. 4. Quid jus in re.
5. Divisio iuris in Naturale & Positivum, &c.

1. Quomodo ius, secundum varias sui acceptiones, variè derivatur, ita etiam variè dividitur. Et quidem, omnis alius divisionibus, eas dumtaxat proponemus, quæ ad proprium nostrum magis spectant.

2. Jusigitur sumptum, prout idem est, quod potestas legitima, seu à lege concessa, ex parte termini quem respicit, dividitur in jus ad rem, & jus in re, quod plurimum pendet ex juris positivi dispositione. Hac divisione utitur Pontifex in *Clement. unica circa fin. de sequestr. possess.*

3. Jus ad rem dicitur, quod non tribuit actionem in rem ipsam, ad quam dicitur esse jus, sed in personam dumtaxat, quia scilicet est jus ad rem, quæ tali jure nondum est obligata seu affecta; & ideo potest esse circa rem nondum existentem. Tale jus est, quod competit alicui per electionem, præsentationem ad aliquod beneficium, per collationem ante acceptationem, per successionem hæreditatis ante acceptationem, per emptionem, donationem, stipulationem, vel alium similem contractum ante rei traditionem, quæ regulariter ultra legitimum titulum (qualis est emptio, donatio, vel alius similis contractus) ad dominium acquirendum requiritur. Dico, regulariter, quia subinde ex speciali legis dispositione non est necessaria: veluti in beneficiis Ecclesiasticis, in quibus per collationem & acceptationem subsecutam comparatur jus in re, *cap. si tibi absenti de preben. in 6.* & in hæreditate, alijsque juribus incorporalibus, quæ transeunt in aliquem jure hæreditario, sive per testamentum, sive ab intestato: nam in ijs acquiritur dominium & jus in re per solam additionem, verbo vel facto factam, §. ult. *Instit. de hered. qualis & differ. l. cum hæredes 23. D. de acquirenda vel amitt. poss.* Videatur Did. Covarr. lib. 2. *Variat. Resolut. cap. 19.*

4. Jus in re, quod jus perfectum appellatur, dicitur, quod tribuit actionem realem, seu actionem in rem; habetque rem sibi devinctam & obligatam: & ideo non potest esse circa rem non existentem. Tale est jus, quod quis habet per emptionem, aliosque similes contractus, subsecuta rei traditione per dominum: item ad beneficium per collationem, secuta acceptatione: per testamentum, aut successionem ab intestato, aditâ hæreditate. Hinc constat, jus ad rem esse debilius, & facilius amitti, quam jus in re, ut observat Glossa in *Clement. unica de Clericis conjugatis.*

Jus verò sumptum pro lege, seu ut idem est, quod lex, dividi potest, sicut lex, atque ita in Naturale



Naturale & Positivum. Positivum rursus in Divinum & Humanum: Divinum in Vetus & Novum: Humanum in Jus Gentium, Jus Civile, & Jus Canonium. De singulis membris, quod quidem pro ratione instituti nostri sufficiat, dicendum est aliquid.

## §. III.

## De jure Naturali.

1. *Dari jus Naturale probatur.*
2. *Definitio seu positus descriptio illius juris.*
3. *Jus naturale esse immutabile.*
4. 5. *Per præscriptionem aut servitutem non immutari jus naturale.*
6. *Occurritur aliis argumentis.*

1. **I**us naturale dari negavit Pythagoras, & nonnulli alij Philosophi, volentes omne jus consistere opinione: contra, dari eiusmodi jus, cum Platone. Cicero. Aristot. tenet communis omnium Theologorum. Philosophorum, & Iurisperitorum opinio, & colligitur satis ex l. 1. *D. de just. & jure, & instit. de jure natur. gent. & civili.* Cuius ratio est, quia cum homo multas habeat operationes liberas & proinde incertas atque indeterminatas, etiam regulam habeat necesse est, quæ eas dirigat, ut sint rectæ, & consentaneæ rectæ rationi ac fini ultimo. D. Paulus ad Rom. 2. *Gentes, inquit, quæ legem non habent, scilicet scriptam sci- licet, naturaliter ea, quæ leges sunt, faciunt.*

2. Illud definitur ab Ulpiano d. l. 1. §. 3. & Justiniano *inst. d. loco*, quod natura omnia animalia docuit. Quibus verbis non tam intendunt aliquam definitionem Jure naturalis tradere, quam signum aliquod in adæquatum, quo dignosci queat. Nec enim voluerunt jus naturale esse hominibus cum brutis commune uti opinatur Valla, ideo dictam definitionem impugnans: sed quod in hominibus illud dicatur jus naturale, quod non solum ab hominibus, verum etiam à brutis usurpatur, ut est maris & foeminae conjunctio, liberorum procreatio & educatio, obligatio antidotalis, quæ est ut bene facienti bene faciamus; sic tamen, ut quatenus in brutis reperitur, non dicatur jus naturale, quia sicuti bruta sunt incapacia injuriæ; l. 1. §. *aut Prætor D. Si quadrupes paup. fecisse dic.* ita & juris, quod à ratione, quæ bruta destituuntur, deducitur; sed quatenus ab hominibus, & quidem tunc solum, quando non ex sensus, sed rationis ductu, usurpatur. Quod addo, ne quis inferat

hinc, omnia, quæ hominibus cum brutis sunt communia, veluti edere, bibere, &c. ita, & similia, esse juris naturalis. Dixerunt autem Ulp. & Justin. jus naturale non esse proprium generis humani, quia scilicet non ita illi convenit, quin in brutis quoque aliqua ejus adumbrata effigies reperiat.

3. Hoc verò jus est immutabile ex se & natura sua: totaque variatio eorum, quæ sunt juris naturalis, contingit non ex eo, quod jus ipsum naturale in se mutetur & varietur, sed quia advenit nova circumstantia ex parte objecti seu materiæ, quæ ipsum objectum seu materiam extrahit ex numero eorum, quæ seclusâ tali circumstantia erant de jure naturali. Nec enim jus naturale, aliquid præcipiens faciendum, aut fieri prohibens, referri debet ad objectum absolute consideratum, quia illud non sic præcipit aut prohibet, sed cum certis & debitis circumstantiis; ut v. g. non quælibet occisio hominis est jure naturali prohibita, sed quæ sit auctoritate privata, extra casum necessariæ defensionis. Similiter, etsi jure naturali reddendum sit depositum, nunquam tamen juris naturalis fuit, ut eius depositus redderetur furioso, aut non furioso quidem, sed in perniciem Reip. aut alterius, *can. Ne quis xxiii. quæst. 2.*

4. Hinc patet, quæ ratione præscriptio jure civili, & servitus jure gentium introductæ, non immutet aut tollant jus naturale. quo prohibetur retineri alienum in viro domino, & omnes liberi nascantur: quia præscriptio, ubi legitime semel est completa, non facit, ut retineatur alienum, quamdiu manet alienum; hoc enim esset contra jus naturale: sed facit, ut qui præscripsit, retineat, suum, & id, ejus dominium per præscriptionem legitime completam auctoritate legis acquisivit. Atque ita nihil refert, quod tum sciat, fuisse alienum ante præscriptionem.

5. Eodem modo libertas (quæ non dicitur esse juris naturalis, quasi eam præceperit, & servitutem veterit, sed partim negativè, quia servitutem jus naturale non invexerit, partim positivè, quia unicuique jus naturale concessit, ut esset liber, ac dominus suæ libertatis. hoc ipso quo illum fecit liberi arbitrij) tollitur per servitutem, absque mutatione juris naturalis, ob novam circumstantiam advenientem, post hominis peccatum, ex parte objecti, nempe



licitam iniusto bello capti interfectionem, quæ merito non solum à jure gentium, sed etiam à quolibet privato, hujusmodi interfectionis jure habente, commutari potuit in perpetuam servitutem, *J. Hostes D. De capt. & postlim. reversis.*

6. Eadem ratione solvi possunt omnia argumenta, quibus probari videtur jus naturale esse mutabile, nempe quod illud in se & ex parte sua semper unum & idem maneat; dicatur autem solum mutari per denominationem extrinsecam, ob materiam, de qua est, variationem, ratione aliarum atque aliarum circumstantiarum. Hujusmodi circumstantias ex parte objecti seu materiam potest jus positivum sive gentium, sive civile, sive Canonicum, addere vel detrachere, nulla prorsus mutatione facta in jure naturali. Et secundum hoc intelligendus est Juris consultus, in *Jus civile. D. de iustis. & iure*, dicens, Jus civile neciù totum à naturali recedere, nec per omnia ei servire, sed aliquando aliquid ei detrachere, aliquando addere: quia scilicet aliquando circumstantiam aliquam detrachit, aliquando addit, sicque illud determinat, modificat, vel restringit, prout plenius deduxi in Summa ad Decretum Gratiani lib. 1. cap. 10. & sequenti. Vide Molin. de iustis & iure Tract. 1. disp. 4.

Observandum autem, hic, ex ijs, quæ sunt juris naturalis, aliqua dici prohibita, quia mala, ut odium Dei, blasphemia, furtum, adulterium non autem mala, quia prohibita: & è contra aliqua esse jussa & præcepta, quia in se bona & necessaria, ut Deum esse colendum, parentes honorandos, egeni subveniendum.

## §. IV.

## De jure Positivo, &amp; ejus divisione.

1. Descriptio hujus juris.
2. In quo à jure naturali distinguatur.
3. Divisio.
4. Quid sit Jus positivum Divinum; & subdivisio in Vetus & novum.
5. Præcepta juris positivi divini veteris seu legis Moisaica, alia moralia, alia ceremonialia, alia judicialia.
6. Jus positivum divinum novum.
7. Jus humanum.

1. Jus positivum est & dicitur illud, quod ex libera Dei vel hominis voluntate pendet,

Et hoc est, quod vult Philosophus, illud definitens, quod ab initio, hoc an illo modo fiat, nihil refert; cum verò constitutum fuerit, tunc deum refert, quia scilicet ejus obligatio non ex natura rei præcepta, sed ex præcepto & voluntate præcipientis oritur, & derivatur ad objectum. Quò fit, ut mutari possit, etiam si maneat omnes eadem circumstantiæ, cum quibus ante obligabatur.

2. Et in eo distinguitur à jure naturali: sicut & in eo, quod, quæ jure naturæ prohibita sunt, prohibita sunt, quia in se mala, quæ autem jure positivo è contra mala sunt, quia prohibita.

Jus Positivum dividitur in Jus Divinum & Humanum, reperito tamen diviso in membris dividendis, hoc modo, Jus positivum aliud est Jus Positivum divinum, aliud est Jus Positivum Humanum; ut à priori membro excludatur Jus Naturale, quod certo respectu ac certâ ratione divinum appellatur, nempe quatenus à Deo, tanquam ab auctore naturæ, dimanat.

3. Jus Positivum Divinum est, quod à Deo optimo maximo, vel Christo, quatenus homo simulque Deus, in tempore latum & conditum est, sive Angelico, sive humano, ut Moyse & Apostolorum, ministerio, sive per se.

4. Hoc subdividitur in Jus Positivum divinum Vetus, & in Jus Positivum Divinum Novum. Jus Positivum Divinum Vetus est, quod in veteri Testamento Deus ipse condidit, de ijs scilicet, quæ ad jus naturale non spectant, ut de ceremonijs & politia. Hoc autem jus, quia à Deo acceptum per Angelos, Moyse, tanquam præco & mediator inter Deum & homines, Iudæis tradidit, promulgavit, & scripsit, *can. Moyse Dist. 1* Subinde dicitur lex Moyse seu Moysaica.

5. Hujus verò Juris præcepta trium generum fuerunt. Alia scilicet moralia, quæ ad morum disciplinam spectabant: qualia sunt. Non occides. Non mœchaberis, & alia Decalogi præcepta, de quibus Exod. 20. Alia Ceremonialia quæ ad cultum ritè Deo exhibendum pertinebant, de quorum divisione videatur D. Thomas 1. 2. quæst. 101. Alia denique Judicialia, quæ justitiæ administrandæ subserviebant, de quorum divisione D. Th. d. loc. quæst. 104. Moralia sunt juris naturalis, ac proinde immutabilia, & indispensable. Ceremonialia vero & judicialia sunt determinationes moralium & dumtaxat vim,



vim habebant ex divina institutione & voluntate; ac proinde ad jus positivum spectabant, & inter Christianos exspirant, consummato per Christi mortem opere nostræ redemptionis, solaque moralia remanserunt, non quatenus veteris Testamenti, sed quatenus juris naturalis. Dixi, inter Christianos, quia Iudaei adhuc legem Moysaicam servant, & secundum eam vivunt, etiam quoad successiones *Calderinus Consil. 30. in tit. de Testamentis Felinus in c. Iudaei 2. Columna 2. de Iudaeis. Videatur Maranta Parte 3. Speculi auri. num. 49. & seqq.*

6. Jus Positivum Divinum Novum est, quod Christus homo simulque Deus in novo Testamento condidit. Talia sunt ea, quæ sunt de Sacramentis. Alioquin non omnia, quæ in novo Testamento reperiuntur, sunt juris divini, sed pleraque juris humani Ecclesiastici, ut illa, quæ non ex ore ipsiusmet Christi, sed per solos Apostolos, inspirante Spiritu sancto, decreta fuerunt: veluti Canones, qui Apostolorum dicuntur, & præcepta, quæ apud Divum Paulum commemorantur, de homicida vel ebrio homine non ordinando, de jejuniis quadragesimæ, de trina in aquam demersione eorum, qui baptismo abluuntur, de bigamo non ordinando, & similibus. De convenientia & distinctione juris positivi divini veteris à jure positivo divino novo plenius egi in Tractatu ad 26. *distinct. Gratiani.*

7. Jus Humanum est, quod ex hominis voluntate immediatè pendet, sive quod ab auctoritate humana proximè statuitur, seu cujus obligatio ex mera hominis, aliquid præcipientis vel prohibentis, voluntate oritur. Unde patet ratio discriminis positi inter leges divinas & humanas, in *can. Omnes distinct. 1.* quod scilicet leges divinæ & naturales sint eadem apud omnes; humanæ autem non, sed aliæ atque aliæ aliis atque alijs gentibus placeant. Necessarium vero fuit hoc jus humanum, ad legem divinam & naturalem, tamquam generaliores & indeterminatas, solumque generalia præcipientes aut prohibentes, determinandas, temperandas, & cuique societati & communitati accommodandas, ad consensionem & concordiam inter homines de rebus humanis & politicis, diversimodè sæpè opinantes & sentientes, conciliandum, & ut inquit Isidorus, in *can. Facta sunt distinct. 4.* ut metu ejus huma-

na coerceatur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia, &c. Nam, ut Plato ait, 2. *de Legibus*, si homines absque legibus vixerint, nihil à feris atrocissimis discrepabunt: & Aristoteles 1. *Politie* c. 2. Sicut homo, si sit perfectus virtute, est optimum omnium animalium, ita si fiat alienus à lege & iustitia, sit pessimum omnium.

Jus Humanum dividitur in Jus Gentium, Jus civile & Canonicum.

## §. V.

## De Jure Gentium.

1. *Definitio huius iuris.*
2. *An naturali in quo distinguatur.*
3. 4. *Quid sit naturale, quid Gentium jus.*
5. *Duplex jus Gentium, primum & secundarium.*

1. Jus Gentium propriè dictum, & prout à Naturali distinguitur, definiti potest, esse illud, quod usu ac moribus omnium aut fere omnium gentium introductum est, non autem instinctu solius naturæ, ut colligitur ex §. *Ius autem gentium instat. D. jura nat. gent. & civili, juncto can. Ius gentium dist. 1.*

2. Atque ita distinguitur à Naturali, quod obligatio hujus Juris oritur ex voluntate hominum; sit mutabile quantum est ex parte sua; non semper omnibus, sed regulariter & fere omnibus sit commune *d. can. Ius gentium*: ideoque potest alicubi non servari, quod apud alios de jure gentium esse censetur. At vero Jus naturale est unum & idem apud omnes, & tantum per errorem atque ignorantiam potest alicubi non servari: & insuper ejus obligatio non ex alienius præcipientis aut prohibentis arbitrio & voluntate, sed ex natura rationali & naturali conditione operum oritur.

3. Ideoque in *can. Ius naturale dist. 1.* ab Isidoro definitur, esse illud, quod est commune omnium nationum, ed quod ubique instinctu naturæ, non constitutione aliquâ, habeatur: & ab Aristotele, esse illud, quod ubiq; gentium idem valet, non quia ita decretum sit, vel non decretum.

4. Ut autem melius intelligatur, cur dixerim, Jus Gentium propriè dictum, & prout à Naturali distinguitur, advertendum est, Ulp. Justin. & alios, dum dividunt Jus in Jus Naturale, Gentium, & Civile, dumtaxat loqui de Jure



quod non transcendit limites naturæ; nihil autem de iure, ut ita dicam, supernaturali, quale est ius Divinum Positivum; nihil etiam de iure, quod à ministris Ecclesiæ ad finem supernaturalem est conditum, quale est ius Canonicum. Secundò, per ius naturale non intellexisse omne illud ius, quod revera est naturale, prout sumitur & definitur in *d. can. Ius naturale distinct. 1.* sed solum illud, quod ita hominibus est naturale, ut sit eis cum brutis commune, uti patet ex definitione, quam tradunt, antè à nobis explicata. Tertiò per ius Gentium intellexisse omne illud ius, quod omnibus aut ferè omnibus hominibus est proprium, iisquè solis convenit; sive interim revera pertineat ad ius naturale, sive ad ius gentium, prout de illis loquitur *Isid. d. dist. 1.* ut patet ex eorum verbis & exemplis. Nam inter exempla iuris gentium referunt religionem erga Deum: item ut patriæ ac parentibus pareamus: fas item esse vim & injuriam repellere, *l. 2. §. 3. de iust. & iure.* Quæ tamen omnia constat, esse iuris naturalis: sicut & præcepta Decalogi, quæ etiam sub iure gentium comprehendunt.

5. Hinc factum est, quod iuris Interpretes distinguant duplex Ius Gentium; alterum, quod solis hominibus convenit; ita tamen, ut simul cum illis natum sit, quod inde appellant Ius Gentium Primævum, & ius gentium antiquum *l. 1. D. de acquir. rer. dom.* nam licet intrinsecè naturale sit, tamen illud Gentium appellant, quia illo gentes communiter utuntur. Vocant etiam subinde Divinum, quia ab exordio rationalis creaturæ animis hominū à Deo insculptum est. Vocant & interdum ius Naturale, §. *Singulorum Inst. de rer. div. l. bona fides D. de positi*, quia non pendet ab aliqua hominum constitutione, sed à naturali instinctu rationis habetur. Vocant tamen ius naturale secundarium ad distinctionem prioris iuris naturalis, quod scilicet hominibus simul cū brutis est commune, & eius naturale primum appellant. Ex hoc autem iure gentium descendit religio erga Deum, amor erga parentes, præcepta Decalogi. Eodem iure omnia hominibus erant communia omnes nascebantur liberi. *d. can. Ius naturale dist. 1.* & de hoc iure gentium loquitur *Iust. in §. quod quædam naturalis ratio inter omnes constituit, id apud omnes populos per aq; custoditur.* illis ipsis verbis.

Alterum verò appellatur Ius gentium secund-

darium, & Ius gentium humanum, ad distinctionem prioris, eò quod non ab initio cum hominibus natum sit, sed postea, usu exigente & humanis necessitatibus gentes humanæ illud sibi constituerint, id est, moribus usurparint: & hoc est Ius gentium propriè dictum, antea à nobis definitum, quo introducta sunt Meum & Tuum, bella, discretæ gentes, regna condita, dominia distincta, *l. 5. de iust. & iure*, captivitates ac servitutes secutæ: item omnes pæne contractus introducti, §. *Ius autem gentium inst. de iure nat. gent. & civili* (ubi de hoc Iure gentium loquitur *Iustin*) aliaque plura, quæ recentior *Isidorus in d. can. ius gentium dist. 1.* His observatis facile fuerit præcedentes divisiones intelligere, ac Theologorum divisiones cum Jurisconsultorum divisionibus conciliare.

## §. VI

## De iure Civili.

1. Descriptio & causæ illius.

2. Quomodo à iure naturali & gentium distinguatur.

3. Ius Fœderum ad ius civile refertur.

1. Ius Civile, cuius origo traditur in *can. 1. §. 2. dist. 2.* est, quod quisque populus vel quæque civitas sibi proprium constituit, §. *Ius civile inst. de iure nat. gent. & civili. can. ius civile distinct. 1.* Nam cum non omnia omnibus convenire possint, ob regionum morumque diversitatem, & leges ad Respublicas, non è contra, accommodandæ sint, sit, ut singulæ pæne civitates ius sibi proprium constituant. Unde & ex unaquaque civitate aut populo nomen sortitur, ut ius Civile Atheniense, Ius Civile Lacedæmoniorum, Ius Civile Romanorum; quod per Antoniniam intelligitur, quoties sit civitatis iuris Civilis, non addito, cuius sit civitatis aut populi: vocaturque etiam Ius Quiritium, *can. Quiritium d. dist. 1.* ob rationem ibidem assignatam.

2. Distinguitur verò Ius Civile à Iure Naturali, quod eius obligatio pendeat ab auctoritate humana; sit unius tantum civitatis aut populi; sit mutabile, etiam in totum, quantum est ex parte sua. A Iure autem Gentium distinguitur quod Ius gentium sit commune omnibus aut ferè omnibus hominibus, totumque sit moribus gentium introductum, nec ullo scripto comprehensum; Ius autem Civile, sive scriptum sit, sive moribus introductum, quale jus



jus est consuetudo, unius tantum sit civitatis aut populi.

Divisiones autem Juris Civilis petantur ex Institutionibus Justiniani.

3. Ad jus Civile spectat Jus Feudorum, tanquam consuetudinarium, juxta primam Rubricam Feudorum, *Item in Proemio Feudorum col. fin. & omnes in praludis Feudorum* & tanquam jus non scriptum. Abbas in *cap. Firmiter in fine princ. de summa Trinitate*. Quoad ejus autem observantiam in primis servandæ sunt particulares ejusque provincie circa Feuda Constitutiones: ijs cessantibus, servandum jus consuetudinarium Feudorum; & si casus occurrat, qui in eo non sit decisis, recurrendum ad jus commune, maxime de usufructu & emphyteusi, arguendo de simili ad simile. Dissidentibus vero Jure Civili & Canonico; recurrendum potius ad Canon. cum ratione juramenti, quod præstat per Vasallos, prout hæc latius deducit Maranta, *Parte 3. Speculi aurei, n. 83 & seqq.*

§. VII.

### De Iure Canonico.

1. Quodnam sit jus Canonicum.
2. Unde dictum; & varia hujus juris appellationes.
3. Quomodo à Jure Civili distinguatur, & finis utriusque juris.
4. Necessitas juris Canonici.
5. Origo & incrementum ejusdem.

**I**us Canonicum vocatur illud Jus positivum, quod à summis Pontificibus constitutum vel approbatum est, *cap. Non debet, & ibi Abbas in 3. Notab in f. de consang. & affinit.*

2. Appellatur autem Canonici à Græca voce *κάνων*, quæ Latinè Regula dicitur, *can. 1. & 2. distinct. 3. Item 5. Etymol. c. 17.* & quidem per antonomasiam Regula Ecclesiastica, *cap. 1. inf. de Constitut.* ed quod collectum & coarctatum sit ex Canonibus, id est, Regulis Ecclesiasticis, ad rectè vivendum, æternamque beatitudinem assequendam, institutis. Vocatur etiam Jus Ecclesiasticum, *can. 1. dist. 3. & alibi* ab Ecclesia, quia scilicet est de rebus ac personis Ecclesiasticis. Dicitur & Pontificum, ab auctore suo, nempe summo Pontifice, à quò vim & auctoritatem habet. Vocatur insuper subinde Divinum sive Divina Lex, partim, quia quædam in hoc jure tradita, ex sacris Scripturis sunt excerpta, & in

sacris Concilijs repetita, ut in *e. Significasti 4. inf. de electione*, partim, quia Canones Ecclesiastici, tanquam conclusiones vel determinationes quædam, ex lege divina, veluti è suis fontibus ac principijs, profluunt & eliciuntur, *cap. qualiter & cap. quando 24. inf. de accusat.* atque instituti, dono, & nutu, ac gratia Spiritus Sancti editi sunt, *can. violatores xxv. q. 1.* partim denique, quia ex ipsiusmet Christi ore potestatem legum condendarum Pontifex, ut Petrus successor, accepit, *c. Translato sacerdotio 3. inf. de constitut.*

3. Hinc non fuerit difficile, distinguere Jus Canonici à Jure Naturali, Gentium, & Civili; atque ostendere, quanto Civili sit augustius & sublimius, tum ratione causæ efficientis, tum ratione universalitatis, tum ratione finis, quem spectat; quandoquidem Jus Civile à potestate prorsus sæculari, temporali, ac terrena dimanet, sit tantum unius civitatis aut populi, ac finem merè temporalem & terrenum, nempe vitam civium talem, quæ naturali ratione sit conformis, Jus verò Canonici à potestate merè spirituali, à Christo communicata Petro, Petrique successoribus promanet (quæ tanto temporali dignior est, quanto spiritualia corporalibus & anima corpore digniora sunt) & omnes omnino Christi fideles, etiam Reges & Imperatores, astringat; finemque merè spiritualem, æternam nempe beatitudinem, principaliter atque ultimè intendat. Plenius de differentiis ejus à Civili videre licet apud Baptistam de sancto Alasio, in *Rubr. decreti Gratiani à num. 43. usque ab 250.* ubi ducentas quinque distinctiones recenset.

4. Necessitas verò Juris Canonici vel ex eo factis comprobatur, quod, ut inquit Arist. *lib. 3. Politic. c. 7. in fine, & lib. 4. c. 1. sub finem*, non Respublicæ ad leges, sed leges ad Respublicas accommodandæ sint. Nam inde sequitur quod quemadmodum duæ sunt in genere Respublicæ, scilicet distinctæ, altera nempe politica seu civilis, habens finem planè politicum ac civilem, naturalem scilicet felicitatem seu vitam civium talem, quæ naturali rationi sit conformis seu juxta Cicero *lib. 1. de Orat.* Justitiam in humana societate conservationem; altera verò Ecclesiastica, quæ ut tota spiritualis est, finem quoque semper & ubique spiritualem, æternam



nam nempe beatitudinem vitamque Christianorum talem; quam salus aeterna seu sempiterna beatitudo post hujus vitae terminum sequatur, in omnibus intuetur, atque in eundem instar sagittarum respicit ac collimat, & in eum cives suos per mores, homine Christiano dignos, reducere ac dirigere nititur: ita etiam necesse sit, ut diversae quoque sint leges, & diversa jura, quibus utraque Respublica ad finem sibi propositum & accommodatum dirigatur. Ac proinde necessum, aliud esse Jus Civile, quo Respublica civilis, alterum Canonicum, quo Respublica Ecclesiastica regatur, & ad suum finem perducatur; idque praeter & ultra legem naturalem & divinam; quandoquidem Deus suis legibus non omnia in particulari statuerit, quae ad spirituale regimen Ecclesiae suae convenire possunt; necita omnia in particulari determinari ac definiti poterint, ut essent incommutabilia; sed necessum fuerit, Christum Ecclesiae suae Ministris ac Pastoribus multa pro temporum, locorum, personarum, similiumque circumstantiarum varietate, novis legibus statuenda, disponenda, ac moderanda relinquere.

5. Incepit verò Jus Canonicum jam inde ab exordio nascentis Ecclesiae. Siquidem ab ipsismet Apostolis Traditiones quaedam ac Constitutiones ad Ecclesiam debite gubernandam emanarunt, quae non aliud fuerunt, quam Canones illi Apostolorum, per clementem Romanum in unum congesti, quibus semper usque est, hodieque utitur Ecclesia: Constitutiones pleniores de Sacramentis, ministris, ac ritibus Christianis, per eundem Clementem cum praedictis Canonibus in libros quosdam redactae. Et licet ita exiguis fontibus initio contineretur hoc Jus Canonicum, tamen successu temporis, paulatim, ut fieri solet, crescente omni legislatione, varijs novis Traditionibus, Canonibus, & Decretis editis, varijsque Concilijs Oecumenicis & Provincialibus celebratis, pro exigentia negotiorum & status Ecclesiae, crevit potissimum à tempore Constantini, ut patet *can. Canones Dist. 15*. Fueruntque hujusmodi Canones & Decreta super addita, paulatim per diversos in diversa volumina redacta, prout videre licet admodum Boetium Eponem, *De jure sacro lib. 2.* postea etiam digemus.

## § VIII.

De divisione Juris Canonici, ejusque speciebus ac partibus.

1. *Divisio Juris Canonici in scriptum & non scriptum.*
2. *Corpus Juris Canonici quibus constet libris.*
3. *Oeconomia & dispositio Decreti Gratiani.*
4. *Quo pacto Capita decreti allegari soleant.*
5. *Quid Palae nomine in Decreto intelligatur.*
6. 7. *Decretalium origo, appellatio & dispositio.*
8. *Sextus Decretalium.* 9. *Clementina.*
10. *Extravagantes Joannis XXI. & Communes.*
11. *Septimus Decretalium Pet. Matthaei.*
12. *Decretum Gratiani quatenus auctoritatem juris habeat.*
13. *De inscriptione Decreti, an ea genuina.*

1. **D**ividitur Jus Canonicum in Jus Canonicum scriptum & non scriptum. Scriptum dicitur firmius & nobilius non scripto: firmius quidem propter scripturam, §. *Constat, Institut. De jure nat. gent. & civili, l. Contrahitur D. De pignorib.* nobilius verò, tum ratione principij, nempe Pontificis, à quo dimanat; cum interim consuetudo usu populi introducatur, & quidem tacito Principis consensu, scriptum verò expresso; unde dicitur divinitus per ora Principum promulgatum, *l. fin. Cod. De prescriptione longi temporis. can. fin. xvi. qu. 3.* tum ratione antiquitatis, quia prius constitutum: nam consuetudo legem imitatur, §. *Ex non scripto Institut. de iure natur.* & pro lege suscipitur, cum deficiat lex, *can. Consuetudo Dist. 1.*

2. Universum autem Corpus Juris Canonici scripti, quo hodie in scholis ac foro utimur, constat Decreto Gratiani, quinque libris Decretalium Gregorij Noni, sexto Decretalium Bonifacii Octavi, Decretalibus Clementis Quinti, & denique Extravagantibus tam Joannis XXI. quam Communibus, id est, aliorum summorum Pontificum.

3. Decretum Gratiani dividitur in tres partes Principales. Prima continet centum & unam Distinctiones: quarum viginti prioribus Gratianus agit de Juris Ecclesiastici elementis, principijs, fontibus, atque dignitate. Inde usque ad 93. agit de Clerici seu personarum Ecclesiasticarum origine, institutione, ac forma instituendi, vitâ, moribus, atque officijs, & inde



& inde usque ad finem ultimæ distinctionis, de principatu Pontificis, & universa jurisdictionis Ecclesiasticæ sive Pontificiæ præstantia non solum præ omni cæterorum Ecclesiasticorum potestate, sed & præ cuncto sæculari simul imperio, sive Regum, sive Imperatorum sive Principum quocumque.

Secunda pars dividitur in triginta sex Causas: quarum singulæ in Quæstiones dividuntur, & quælibet Quæstio in Capita. In quibus agit Gratianus de generibus causarum seu judiciorum, sub Ecclesiasticam jurisdictionem cadentium, incipiendo à criminalibus, & pecuniariis subjungendo, permixtis tamen subinde criminalibus, cum pecuniariis, pro multiplici quæstionum ex unaquaque causa resultantium varietate: excepto, quod Causæ trigessimæ tertiæ, quæ est matrimonialis. Quæstio tertia cõtineat tractatum de penitentia, divisum in septem distinctiones, distinctas quoque per Capita; occasione dubij quo quærebatur, An ex confessione soli Deo factâ, quam mulier quædâ à viro separata fecisse proponebatur, peccatû deleri posset.

Tertia denique pars continet tractatum de Consecratione, divisum in quinque distinctiones, subdivisas etiam per Capita: in quarum distinctionum prima agit Gratianus de consecratione Ecclesiarum, & Missarum celebratione; in secunda de Venerabili Sacramento Eucharistiæ inter Missarum solemnias offerendo: in tertia de Festis & Ecclesiasticis cæremoniis promulgandis & obliervandis: in quarta de Baptismi Sacramento; in quinta denique de Sacramento Confirmationis & Jeunijs Ecclesiæ. Atque ita patet, primam & tertiam partem decreti Gratiani esse potissimum juris publici, cum partim ad Magistratus Ecclesiasticos, partim ad Sacramenta Christiana cæremoniasque Christianus pertineat, secundam verò partem esse propriè ipsorum judiciorum, seu causarum quarumcumque, ad forum Ecclesiasticum spectantium, ut rectè tradit Boëtius Epo, mihi quondam, dum Philosophiam apud Duacenses in Collegio Marchianensi profiterer, in Jure præceptor plurimum recolendus. *De iure sacro lib. 2. cap. 2. n. 97.*

4. Solent autem Capita decreti Gratiani citari sub nomine Canonum: & quidem quatuor modis primò, hoc modo, *can. Humanum di-*

*stinct. 1. can. Constitutio distinct. 2. vel hoc modo, distinct. 1. can. Humanum distinct. 2. can. Constitutio sic quod Humanum & Constitutio sint principia capitum, quæ illis Distinctionibus continentur. Secundo hoc pacto, 1. g. 1. can. quicumque studet: 6 g. 2. can. Si tantum; vel hoc modo, can. Quicumque studet 1. g. 1. can. Si tantum 6. g. 2. id est prima Causa g. 1. 6. Causa g. 2. & sic de alijs. Tertio modo Capita tractatus de Penitentia solent sic allegari, de Penitentia distinct. 3. can. Reperiuntur vel hoc pacto, can. Reperiuntur de Penitentia distinct. 3. Quarto denique Capita tractatus de Consecratione solent hac forma citari, de Consecratione distinct. 1. can. Vasa de Consecratione distinct. 1.*

5 Reperiuntur tamen in eodem Decreto quædam Capita, quæ inscribuntur sub nomine *Paleæ*: quo nomine quid veniat intelligendum, variant interpretes, ut videre licet in Admonitione ad Lectorem, eodem Decreto editionis Gregorianæ præfixa, & notat Joan. Uffel. *ad Covar. lib. 4. Var. resolut. cap. 11.* Verius videtur *Paleæ* esse additiones quasdam ad primam collectionem Gratiani postmodum factas, siue ab ipsomet Gratiano, siue ab alijs. Quas non esse contempnas cõstat vel ex eo, quod multæ & in Decretalibus, & apud verustiores Gratiani collectores, habeantur, prout refertur in eadẽ Admonitione.

6 Quantum verò ad quinque libros decretalium Gregorij Noni attinet, earum compilatio seu collectio prodijt mandato ejusdem Pontificis per Raymundum, illius Capellanum & Penitentiarium, anno Domini circiter 1230. & per eam omnes anteriores Decretalium editiones ac compilationes, quæ variæ erant, partim approbatæ, partim reprobatæ, ut videre licet apud Boëtium Eponem, *lib. 2. De iure sacro à n. 12.* abrogatæ fuerunt, ita ut tum temporis universum Juris Canonici corpus, hisce duobus solis voluminibus contineretur, Decreto in quâ Gratiani, & quinque libris decretalium Gregorij IX. Quos sub nomine *Decretalium* potius edidit, quam sub nomine *Decreti*, uti Gratianus suum opus ediderat, sumpta appellationis ratione à majori parte eorum, quæ in ijs continentur. Nam quia in his libris duplo plures sunt Epistolæ SS. PP. quàm sint reliquæ auctoritates simul junctæ; apud Gratianum verò è contra longè plura Conciliorum decreta, quàm

B

Ponti.



Pontificum Constitutiones vel decretales Epistolæ: ideo Gratianus suam collectionem seu compilationem *Decretum* appellavit & Gregorius Nonus suam, *Decretales*.

7. Solentque Decretales citari sub nomine *Extra*, & quidem brevitaris causâ hoc signo, & etiam nulla librorum mentione facta, v. g. *c. Quoties 1. de pactis c. Tua nos de iurejur.* quasi essent extra Gratiani decretum, quod prius tempore fuit; vel simpliciter sic, *c. Nisi essent de prabendis*, quia per excellentiam designantur libri Decretalium.

Hanc autem Decretalium compilationem Gregorius Nonus formavit ad rationem & formam Pandectarum ac Codicis: nam ut in illis Jus civile, ita & in hac compilatione omne Jus Canonicum ad iudiciorum rationem dirigitur & accommodatur. Primo enim libro in primis Juris canonici principia exponit; & mox ad ordines, gradus, jurisdictiones, & officia Magistratum, qui jurisdictioni Ecclesiasticæ præfunt, descendit: ac deinde, prout ad iudicia ipsa veniat, subiungit quædam præparatoria iudiciorum; nec non quædam, quibus controversiæ antelitis ingressum amicè componuntur, ut sunt pacta, transactiones, procuraciones, postulationes, restitutiones in integrum, & arbitria. In secundo verò libro universam iudicij ordinis rationem ac modum, tam in civilibus quam criminalibus, quod multis præceptis communibus regatur, tradit & explicat. In tertio & quarto agit de materia seu causis civilibus, quæ in iudicium Ecclesiasticum deduci solent: & sunt partim solorum Clericorum, ut Ecclesiastica beneficia; partim clericorum & Laicorum simul, ut contractus, testamenta, nuptiarum, de quibus libro tertio; partim denique solorum Laicorum sunt peculiares & propriæ, ut causæ matrimoniales, de quibus libro quarto. Et denique in quinto subiicit causas iudiciorum criminales. Hisque omnibus, exemplo pandectarum, ad extremum adjungit duos Titulos generales: alterum *de verb. significatione*, alterum *de regulis juris*.

8. Gregorium Nonum subsecutus est Bonifacius Octavus, qui circa annum 1294. partim suas, partim superiorum Pontificum, ut Gregorij x. Innocentij v. Clementis iv. & aliorum, qui inter ipsum & Gregorium Nonum

intercesserant, quin etiam ipsius Gregorij ix. novellas Constitutiones atque Decretales, ac præcipue duorum generalium Conciliorum Lugdunensium, alterius sub Innocentio iv. circa annum Domini 1245. alterius sub Gregorio x. circa annum Domini 1273. celebratorum; Decreta totidem libris, quot ipse Gregorius ix. ipsidem singulorum librorum Titulis, licet non omnibus, compilationi Gregorianæ seu quinque libris Decretalium Gregorij ix. seorsum superadjecit. Inde factum, quod, licet hoc quoque opus Bonifacii Octavi quinque constet libris, sicut Decretales Gregorianæ, tamen sub nomine *Sexti Decretalium* citari soleat, quasi esset sextus liber specialis, & separatim libris quinque Decretalium Gregorij Noni accesserit. Unde & ejus Capita hoc pacto solent citari, *c. Volentes de privilegijs in 6. & sic de alijs*.

9. Bonifacio proximè successit Clemens Quintus, qui eodem servato ordine constitutiones conc. Viennensis, ipso præfide circa annum Christi 1310. celebrati, una cum cæteris constitutionibus ac decretalibus suis epistolis editioni paraverat quidem, sed eo demum rebus humanis exempto, per successorem Joannem xxii. absolutæ & publicatæ sunt sub an. Christi 1320. Et quia nihil præter solius Clementis, vel conc. Viennensis, à Clemente confirmari, constitutiones continet, ideo *Clementina* ab auctore suo vocantur, sub eoque nomine citantur hoc modo, *c. Gravis de sententia excommunicationis in clementinis*; vel sic, *Clementina Gravis de sententia excommunicationis*.

10. Paulò post ipse quoque Joannes xxii. suas addidit Constitutiones numero viginti, & juxta Decretalium ordinem. Eoque defuncto circa ann. Christi 1335. variæ variorum SS. PP. sequentium prodierunt constitutiones, annorum plus minus 150. novum jus comprehendentes. Quæ constitutiones tam Joannis xxii. quam aliorum Pontificum sequentiū, quia paucæ erant, nec peculiaris alicujus voluminis Decretalium nomen merebantur, idè *Extravagantes*, & Joannis xxii. & *communes* respectivè appellatæ sunt; & quidem posteriores *communes*, quia multis Pontificibus sunt communes, nec uni soli debentur, sicut *Clementina*, vel *extravagantes* Joannis xxii. Ideo autem dictæ sunt *Extravagantes*, quod antea extra corpus Juris



canonici incertâ quasi sede vagarentur. Et inde adhuc idem nomen retineant, licet postmodum in ordinem librorum Juris canonici redactæ sint. Sic enim & olim *Extravagentes*, vocari ceperunt omnes Pontificiæ constitutiones quæ Gratiani volumine non erant comprehensæ, ut docet Abbas antiquus, in *præfat. Decretal. Gregorij IX. sub finem*: quamquam postmodum quoad Decretales Gregorij IX. Bonifacij VIII. & Clementis V. hæc appellatio in usu esse desierit.

11. His postremò accessit *Septimus Decretalium*, ab eruditissimo viro D. Petro Matthæi, Jurisconsulto Lugdunensi, collectarum, & in quinque libros distributarum.

12. Addamus nunc aliquid de auctoritate Decreti, & inscriptione ejusdem. Nam de reliquis à Decreto Gratiani partibus Juris canonici dubitandum non est, quin partes juris sint, atque auctoritatem juris obtineant, quandoquidem ipsos SS. Pontifices auctores habeant, atque ab alijs etiam SS. Pontificum earum compilationes approbatæ sint, veluti Decretalium à Gregorio IX. Sexti Decretalium in concilio Viennensi, Clementinarum in concilio Viennensi, Extravagantium ab alijs Pontificibus. Aliud verò dicendum videtur de decreto Gratiani, quatenus ab ipso emanavit, quandoquidem Gratianus tamquam privatus homo, patriâ Etruscus, Monachus S. Felicis, Ordinis S. Benedicti, in monasterio S. Proculi Bononiæ, anno 1150. illud privato studio consarcinavit, nec auctoritatem legis ferendæ habuerit. Et licet quidam velint illud ab Eugenio III. sub quo vixit, approbatum fuisse, tamen contrarium probat Boëtius Episcopus, d. lib. 2. *De iure sacro num.* 135. At vero quia passim cum reliquo Juris canonici corpore circumfertur, frequentatur, atque in scholis docetur, fidem facit, ut notat Abbas in *cap. 2. inf. de rescriptis*. Cumque Gregorius IX. Summus Pontifex reliquis partibus Juris illud annumeraverit, atque adeò recognoscit, corrigi ac repurgari, & retineri mandaverit (ut videre licet ex Epistolis eidem Decreto præfixis) non est, quodd in hac parte amplius laboremus: modò tamen singula, quæ in eo comprehensa sunt, ad suos fontes & origines revocentur; eò quodd ratione Auctorum, quibus decreta desumuntur, major vel minor sit eorum auctoritas.

13. De inscriptione Decreti dubitatur, an genuina & legitima ea sit. Nam licet passim *Decretum Gratiani* nuncupari soleat: hanc tamen inscriptionem & improbat, & falsam appellat Ant. Augustinus, *Dialogo 1. de emendatione Gratiani*, eo quod in nullo fere, ut inquit, veteri libro Gratiani ea inscriptio extet, sed hæc *concordia discordantium canonum*; & in melioribus editionibus singularis numerus vertatur in pluralem: exemplo Ciceronis, qui libros quosdam à se conscriptos, non de Officio, sed de Officijs, & alios non de lege, sed de legibus inscripsit. Ut proinde, cum hoc Gratiani opus non unius Decreti sit explanatio, sed Decretorum collectio, non debeat *decretum* inscribi, sed potius *decretorum collectanea*, aut *decretorum corpus*, ut vocat Innocentius III. in Epistola ad Archiepiscopum Compostellanum. Quia tamen in admonitione ad Lectorem, editioni Gregorianæ præfixa, profertur etiâ vetustissima exemplaria quorum aut initio præfigitur hic titulus, *decretum Gratiani Monachi*; aut in extremo sic habetur. *Explicit decretum, compilatum à Gratiano*, varijsque Auctores etiam antiquissimi citentur, qui referunt Gratianum decretum composuisse, & in ipsa editione Gregoriana *decretum Gratiani* & vocatur, & ita nuncupari significetur: non est, cur ab hac inscriptione vulgari recedamus, in re præsertim tam dubia, potissimum cum non sit auctoribus infirmæque, suos libros in singulari numero inscribere, etiam si æquè commode, aut fortè etiam commodius, in plurali inscribere potuissent. Sic enim, ne extra ipsum corpus Juris civilis exempla quæramus, libri pandectarum, Digestum Vetus, Infortiatum, & Digestum Novum inscribuntur, cum tamen non sint unius aut alterius legis, sed infinitarum pænè digestio.

14. Cur vero etiam *concordia discordantium canonum* inscribatur, ratio est, quod in hoc suo volumine Gratianus potissimum intendit, Canonum ipsorum vel veram vel apparentem contrarietatem, qua totum jus contritum fuit, l. 1. *circa finem versic. nostram autem l. 2. in princ. cod. de vet. jure enucleando*, tollere, & ad conformitatem, consonantiamque revocare: eo quod magna vis & elucidatio Juris consistat in concordandis juribus contrarijs, aut quovis modo discordantibus, ut colligitur



gitur ex Proœmio Decretalium, § *sanè*, & Proœmio Codicis, *Constitut.* 1. habeturque *in lege* 1. *Cod. de novo Cod. faciendo*, & in *d. l. 2. §. sicut autem in tanta* Eoque fit, ut, licet Gratianus in hoc opere tria præcipue sibi proposuerit summa genera, ut patet ex antè dictis, ea tamen Rubricis non distinxerit, sed omnibus hanc generalem inscriptionem præfixerit, quia ad hoc maxime nititur, ut discordantes Canones ad concordiam revocet.

## §. IX.

Ex quibus constat Jus Canonicum scriptum.

1. 2. *Jus Canonicum quod modo ex Principum Constitutionibus & SS. Patrum sententiis constare dicatur.*
3. *Leges non dedignantur imitari sacros Canones, & contra*
4. *Jus Canonicum à jure Civili declarationem accepit, & contra*
5. *Canon summi Pontificis dictis SS. Patrum quando deroget.*
6. *Removetur obiectio.*

**C**onstat Jus Canonicum partim ex sacrae Pagine præceptis; partim ex Conciliorum, tam universaliū quam particularium, auctoritate Pontificia confirmatorum decretis; partim ex Constitutionibus ac sanctionibus SS. Pontificum, partim ex sæcularium Principum Constitutionibus, seu legibus, & sanctorum Patrum sententijs.

1. Quod tamen intelligi debet de ijs, cum Constitutionibus tum sententijs, quæ in corpus ipsum Canonicum relatæ sunt, & à Sancta Sede approbatæ: alias enim vim legis Ecclesiasticæ non habent, *can. De libellis distinct.* 20. non magis, quàm responsa prudentum sine approbatione Principum. Nec enim hoc ipso, quo Gratianus pleraque jura civilia in suum Decretum retulit, ea referri debent in numerum sacrorum Canonum: quandoquidem Gratianus ipse, utpote homo privatus, ut antè diximus non habuerit auctoritatem ea canonizandi.

2. Idem dicendum de Patrum sententijs, quæ licet ex Leonina Constitutione, in *can. 1. distinct.* 20 post SS. PP. sacrorumque Conciliorum decreta & sanctiones, secundum in decidendis cau-

sis locum sortiantur: Juris tamen (ad quod con-  
dendum non solum scientia, sed magis potestas  
necessaria, *d. dist.* 20 *in prin.*) auctoritatem non  
habent: licet, quatenus in corpus Canonicum  
relatæ, & à summo Pontifice approbatæ sunt,  
sive Principum sæcularium Constitutiones, sive  
sententiæ Patrum, non sit dubitandum, quin  
parem cum alijs Pontificum Constitutionibus  
vim & auctoritatem habeant, juxta illud vulga-  
tum Justiniani, in *l. 1. §. sed neque 6. C. De vet. ju-  
re enucleando*, & à Bonifacio repetitum in *c. Si A-  
postolica De prabendis*, in 6. Omnia nostra faci-  
mus, quibus auctoritatem nostram impertimus.

3. Ut autem leges non dedignantur sacros  
Canones imitari, ita & sacri Canones Principum  
Constitutionibus adjuvantur, & adjuvari  
debent, *c. 1. inf. de novi operis nunciis. can. Si  
in adiutorium 7. distinct.* 10. & *similibus alijs.*  
arque adeo etiam in foro Ecclesiastico recipiun-  
tur, *can. Summopere 70. xi. q. 3.* dummodo  
sacra Scriptura, vel Canonici sanctionibus,  
vel bonis moribus non adversentur, *can. 2. 4. 9.  
cum seqq. distinct.* 10. nec expresse statuant de re-  
bus aut personis Ecclesiasticis, sed simpliciter lo-  
quantur, nisi forte Ecclesiæ favorem concer-  
nant, Nam de rebus aut personis Ecclesiasti-  
cis potestas sæcularis non potest quidquam va-  
lide statuere, *c. Qua in Ecclesiis 7. inf. De  
Constitut. & alijs similibus*; sed in illis subest  
Ecclesiasticis, *can. Certum 3. distinct.* 10. eam-  
que manet obsequendi necessitas, non auctori-  
tas imperandi, *can. Bene quidem 1. §. cumque lega-  
ta distinct.* 69. idque ex constitutione divina, *can.  
Lege dist.* 10.

Hinc patet, Justiniani Constitutiones in Co-  
dice & Novellis. De rebus & personis Ecclesi-  
asticis nominatim disponentes, licet de facto o-  
lim obtinuerint, de Jure tamen Canonico nulli-  
us fuisse momenti.

4. Cæterum ubi aliquid obscurius aut mi-  
nus diserte & explicatè jure Canonico consti-  
tutum est, quod jure Civili apertius sit deci-  
sum aut declaratum, vel contrà; alterum ab al-  
tero interpretationem sive declarationem re-  
cte mutuatur. Unde si casus aliquis sit deci-  
sus à Jure Civili, & dubius de Jure Canoni-  
co, sequemur Jus civile in utroque foro; si-  
cut & è diverso, ubi casus est decisus de Jure  
Canonico, & dubius de Jure Civili: Abbas latè  
in



in cap. 1. de novi operis nuntiis. Glof. & DD. in cap. Licet fufcepto 10 inf. de foro compet. Bart. in l. Privilegia & l. Omni novatione C. De facrof. Ecclef. Ubi verò jus Canonicum & Civile inter fe manifeftè repugnant aut diftentiunt, utrumque in fuo foro retinendum eft, nifi fortè jus Civile foveat peccatum, uti foveat leges permittentes ufuras, concubinatum, præfcriptionem cum mala fide, & alia fimiles: nam tum ad jus Canonicum, rejefto jure Civili, etiam quoad forum fæculare, recurrendum eft, & fin inf. de præfcriptionibus. In caufis verò miserabilium perfonarum fervandum eft jus Canonicum in utroque foro, quando Canones contrariantur legibus. Item fi jus Civile foveat lucrum otiofum, & fapiat quendam rigorem, non fervabitur in foro Canonico, licet per Canones non fit reprobaturum. Si verò ftatuatur æquitatem, jus autem Canonicum rigorem, fervandum erit Civile in utroque foro, Felip. in c. In cauffis 15 col. 1. inf. De teftib. prout citat & tradit Maranta Parte 3. Spec. num. 75. & 76.

5. Quantum verò ad dicta fæctorum Patrum attinet, cum non ijs, fed fummo Pontifici, data fit potestas legis Canonice condendæ, Clement. Paftoralis § fin. De re judicata. Abbas in c. Tua inf. de decimis. Felius in c. Ne innotatis inf. De conflitut. Ideo quoad decifionem cauffarum, ubi eft canon fummi Pontificis, ibi ceflat auctoritas fæctorum Patrum: nifi dictum fæcti Patris fuerit conforme novo vel veteri Testamento, feu ejus auctoritate munitum, quia tunc effer præferendum cuicumque legi, etiam fummi Pontificis. Ceflante vero difpofitione fummi Pontificis, poffunt dicta fæctorum Patrum allegari ad decifionem cauffarum, prout ex alijs, quos citat, tradit Maranta d. locum 77 & feqq. Ubi etiam tradit, quoad folam interpretationem divinæ Scripturæ, nō ad decifionē cauffarū, magis credi dicto fæctorum, quam fūmi pontificis.

6. Non obftat prædictis, quod jus canonium totum humanum dicatur; vnde videri poffet, non conftare ex fæcæ paginæ præceptis, quæ funt juris divini: nam in primis, ut antè dixi, in novo Testamento multa funt juris humani Ecclefiaftici. Quantum verò ad veteris Testamenti præcepta, fola moralia, tamquam naturalia, eaquæ de cauffa immutabilia remanferunt: judicialia enim & cæremonialia morte Chrifti, completo noftre redemptionis opere exfpira-

runt: & quæ paffim in Decretalibus ex ijs inserta & repetita reperiuntur, non obligant nos, ut divinæ legis præcepta, fed ut humani juris funt, nova fcilicet fæctione à SS. PP. renovata. Vide Covar. lib. 1. Var. Refolut. cap. 17.

§. X.

### De Concilijs.

1. Ratio nominis.
2. Divifio in Ecclefiafticum & Sæculare.
3. Divifio Ecclefiaftici in Vniverfale & locale seu particulare.
4. Concilia Vniverfalia quot, & qua.
5. 6. Particulare quid, & quotuplex.
7. 8. De provincialibus concilijs: & qui ad illa vocandi.
- 6 De Concilijs seu Synodis Epifcopalibus, & modis celebrandis.
10. Difcrimen Vniverfalium & particularium, quoad vim obligandi.

**D**iximus Jus Canonicum fcriptum partim quoque conftitutum effe ex conciliorum decretis; de quibus propterea breviter hic agendum eft.

Concilij nomen Latinum eft, tractum ex more Romano, dictumque, vel à communi intentione: & quidem publici ex cauffa, ut dicitur & declaratur in Can. Canones diftincti 15, vel à Confulendo, quafi Confilium, quod ad Concilia vocentur viri fapientes, ad confultandum fuper agendis, & ad publicam utilitatem fpectantibus. Aliter vero Græca voce Synodus appellatur, quafi comitatus vel cœtus à coëundo, id eft conveniendo, d. can. Canones verf. Synodus. Utraque appellatione promifcue utimur.

2. Potest autem Concilium dividi, primo in Ecclefiafticum & Sæculare. Ecclefiafticum (de quo fole hic agendum) ex etymologia nominis, allata ex d. can. Canones, definiri potest, Congregatio hominum Ecclefiafticorum prudentum, auctoritate Prælatorum convocatorum, ad tractandum communi intentione de rebus Ecclefiafticæ neceffarijs, & utilitatem ejus publicam concernentibus.

3. Conciliorum Ecclefiafticorum, fecundum Gloffam in can. Convenientibus 1. q. 7. alia funt Vniverfalia seu Generalia, alia Localia seu particularia. Concilium Vniverfale Ecclefiafticum eft, quod à Papa vel ejus Legato cum omnibus (id



est, totius orbis Christiani) Episcopis constituitur. *Glossa in can. Generalia distinct. 17.* Unde & Oecumenicum, id est totius orbis Christiani, & Universale, ex parte convocatorum, appellatur: quia scilicet, ut sit legitimum, requiritur, ut ad illud convocatio Episcoporum (qui de jure communi vocari debent, tamquam vocem decisivam habentes) sit generalis & legitime facta. Quamvis necesse non sit, ut omnes personaliter compareant, ut videre licet apud Bellarm. *lib. 1. controvers. De concilijs cap. 15.* & Turrecrem. *3. de Summa Ecclesia cap. 10.* & alii quot seqq.

4. Generalia Concilia in universum dumtaxat novem recenset Gratianus, quot scilicet ad ejus usque ætatem fuerunt celebrata: alioquin plura sunt, ut videre licet apud Bellarm. *d. lib. 1. cap. 5.* E quibus quatuor primatum obtinent, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense, quæ ab Ecclesia Catholica tamquam quatuor Evangelia probata & recepta sunt, *can. 2. §. inter cetera, & can. Sicut 2. distinct. 15. Novellâ Justin. 131. cap. 1. l. 4. & 7. §. sequentes. Cod. de Summa Trinitate.* Post horum tamen quatuor auctoritatem, etiam reliqua Concilia Universalia auctoritatem suam habent, si modò auctoritate summi Pontificis convocata & confirmata fuerint, *d. can. 1. §. hæc sunt. & can. Sancta 3. distinct. 15. & simili lib:* alioqui Concilia Universalia, sine summi Pontificis auctoritate congregata, non tam Concilia censenda sunt, quam conciliabula sive improbata conventicula, *can. 1. 2. & 5. distinct. 17.* Idèdque quod ex historijs ac varijs Canonibus apud Gratianum legimus; Imperatores & Principes congregasse aliqua Concilia universalia, accipi debet, vel quod illa congregarint ex sententia & auctoritate Romani Pontificis, & tamquam ejus voluntatis ac decreti executores, ut docet Bellarm. *d. loco c. 13.* vel quod ipsis petentibus, postulanti- bus, & urgentibus congregata fuerint, auctoritate tamen summi Pontificis. Nam cum is sit universalis Ecclesiæ Rector & Pastor, atque Imperator in spiritualibus, & Judex supremus omnium Christi fidelium, supremam & amplissimam habens in eos potestatem, *can. Patet 10. can. Nemo 13. cum seq. can. Ipsi sunt 16. cum seq. ix. q. 3. can. de Constantinopolitana. 4. dist. 22. Extrav.*

*Vnam sanctam De majori, & obed.* ad eum spectat disponere de ijs, quæ concernunt universalem statum Ecclesiæ & ad id Concilia universalia convocare; non ad Imperatorem, vel alium Principem sæcularem, qui non Præsul, sed filius est Ecclesiæ, si Catholicus sit, ut latius hæc omnia deduxi *ad distinct. 15. Gratiani.* Vide Turrecrem. *De Summa Ecclesia, cap. 6. Bell. d. loco c. 12.*

5. Concilium Particulare est ad quod non vocantur omnes Episcopi totius orbis Christiani: hoc enim Concilium propriè Particulare vocatur, opponiturque concilio Universalis. ex parte convocatorum: alioquin concilium aliter particulare dici potest, ex parte auctoritatis, seu quoad auctoritatem, illud, quod non astringit omnes Christi fideles.

6. Concilio cum particularium, propriè dictorum, alia sunt Nationalia, alia provincialia, alia Diocæsana seu Episcopalia. Nationalia sunt, quæ celebrat aliquis patriarcha vel primas, cum Archiepiscopis & Episcopis, unius alicujus regni aut nationis seu duarum, trium, pluriumve provinciarum. Talia sunt multa Concilia Romana, à summo Pontifice cum Episcopis Italiæ tantum celebrata, de quibus Turrecrem. *3. de Summa Ecclesia cap. 3.* Toletana item, & Africana, quæ etiam subinde Universalia dicantur, non tamen absolute, sed vel quia sunt universalia & generalia in isto vel isto regno, natione aut provincijs, vel quia sunt universalia quoad auctoritatem, quia scilicet, quatenus, approbata à summo Pontifice, omnes Christi fideles ad sui observationem adstringunt.

7. Provincialia dicuntur, quæ Archiepiscopus seu Metropolitani celebrat cum suis Suffraganeis, Episcopis, Abbatibus alijsque Clericis suæ provinciæ. Olim quidem bis singulis annis, *can. De concilijs 2. can. Quoniam 7. & alijs distinct. 18.* postmodum autem semel, *d. can. Quoniam, cap. Sicut olim. 25. inf. de accusat.* Hodie verò ex decreto Concilij Tridentini, *Sess. 24. cap. 2. de reformat.* quolibet saltem triennio cogi jubentur per Metropolitanum, aut eò legitime impedito, per Episcopum antiquiorem; non tamen per Episcopum exemptum, qui Archiepiscopum semel elegit, etiam si super omnes sedeat, & promotione sit antiquior. Zerola in *Praxi Episc. parte 1. V. Concilium ad §. 7. ex declarat. Card. Interpp. concil. Trident. ijs-*  
que



que omnes Episcopi, alijque, quibus id vel ex jure ( ut Abbates in tota provincia commorantes, sive Abbatis habeant, sive Commendas, *can. d. cernimus distict. 18.* ) vel ex consuetudine competit, sub certis pœnis interesse jubentur. Talia Concilia sunt plurima in Tomis Conciliorum.

Ad eorum convocationem aut celebrationem non requiritur præsentia vel auctoritas primatis aut Patriarchæ, *arg. d. can. de concilijs*

8. An autem ad ea soli Episcopi vocandi sint controversatur. Vetiior affirmativa sententia: quia jura hac de re loquentia tantum faciunt mentionem Episcoporum, *can. propter Ecclesiasticas, can. Non oportet, can. pervenit, can. Si quis Episcoporum & can. ult. distict. 16.* Possunt tamen alij vocari, non ut habeant vocem, sed ut sint consultores. Et sæpè vocari expedit, *arg. e. Novit. &c. Quanto inf. De his, qua sunt à Prælat. sine cons. cap.* quia ubi multa consilia, ibi salus & multitudo sapientum est sanitas orbis, ut inquit Sapientis, *Prov. 11.*

Vocandi tamen sunt, præter Episcopos, quicumque jurisdictionem Episcopalem habent, ut colligitur ex *can. convenientibus, 1. q. 7. can. Hadrianus distict. 53.* Et omnes Episcopi ipsius provincie in provinciali Synodo comparere debent, aut alias, si justam excusationem habeant, illam per litteras vel certos nuntios Metropolitanò significare, *Gloss. in can. Placuit dist. 18.* Episcopi autem, qui nulli subijunt Archiepiscopo, aliquem vicinum Metropolitanum semel eligere debent, & in ejus Synodo Provinciali cum alijs interesse, salvis suis privilegijs in reliquis juxta Concil. Trid. *sess. 24. cap. 2. de reform.* Eligere vero potest Episcopus, vel Archiepiscopus, si exemptus, non obstante contraactione Cleri sui: & electio per eum facta obligat, successores, *Zerola V. Concilium § 3. ex congregat. Cardd. interp. Capitula Ecclesiarum cathedralium invitanda sunt, non cogenda, Abbas in cap. ult. inf. De his qua sunt à Prælat. sine cons. cap.* Eos tamen, qui loco Cathedralium comparent, non habere auctoritatem definiendi, tradit ibidem Abbas. Quæ autem tractanda sint in Synodis provincialibus, refert Azorius *instit. Moral. p. 2. lib. 3. cap. 47.*

Ad Concilia provincialia revocari possunt ea, quæ Legatus à Latere, vel alius, ex specia-

li mandato suæ legationis, celebrat cum Metropolitanis, & alijs Clericis provincie aut provinciarum, intra terminos suæ legationis contentarum, juxta notata in *cap. ult. inf. de officio deleg. cap. 2. eod. in 6.* Nam & hæc provincialia dicuntur, à provincia, quæ habere debet unum Archiepiscopum, & decem aut undecim Episcopos, *can. Societate v. 1. q. 3.* Quinimo Gratianus Nationalia, quæ tamen à provincialibus distinguuntur, in *can. Regula §. porro dist. 3.* vocat provincialia, & sub provincialibus comprehendit: quia certis provincijs continentur, nec ad omnes Christianos, uti verè Universalia, pertinent.

9. Episcopalia sunt, quæ ab Episcopis inter suæ diocesis Clericos, & Abbates indicuntur, *can. Quando distict. 38. can. Placuit x. 1. q. 2. l. m. Abbates xviii. q. 2. similibus:* vel Sede vacante à Capitulo cathedralis Ecclesie, Honor. ab Axel. in *Summa decretal. ad Tit. de constitut. nùm. 7.* Et quidem celebrati ea quorannis debent, *can. Quoniam, can. Annus singulis dist. 18. Concil. Trident. sess. 24. cap. 2. §. fin. de reform.* nisi Episcopus justo impedimento detineatur: quo casu alium, in dignitate Ecclesiastica constitutum, puta procuratorem aut Vicarium suum Generalem, deputare potest, qui loco ipsius Synodum celebret, & ei præsit, *can. Episcopus d. distict. 18.* Si vero alias celebrare neglexerit, pœnam suspensionis per duos menses sustinere debet, *can. ult. juncta Glossa in V. Excommunicationis d. distict. 18.*

Modus celebrandi est, ut omnes, qui interesse tenentur, moneantur de Synodo, tali loco & tempore celebranda, *arg. can. propter d. Distict. 18.* Sufficitque unica monitio, licet in judicialibus trina requiratur, *Glossa in d. can. Si Episcopus.* Et ad hæc Concilia etiam exempti omnes, qui alias cessante exemptionis, interesse deberent, nec capitulis Generalibus subduntur accedere tenentur, secundum concilium Trident. *d. loco. Azorius d. cap. 47. q. 3.* Horum vero conciliorum ( quæ magis propriè Synodi quam concilia vocantur, ut patet ex *cap. Sicut olim §. 1. inf. de accusat.* ) statutis neque subditi extra diocesim, neque ignorantes, nisi ignorantia sit supina, ligantur, ideoque ea suis subditis nota facere non omittat Episcopus Videatur plenius Piasc. in *Praxi Episcop. p. 2. cap. 2. artic. 1.*

Episc-



Episcopaliſus Concilijs addi poſſunt Conci-  
lia ſeu Congregationes, quas ineunt alicujus or-  
dinis Monachi aut religioſæ perſonæ, ex Supe-  
riorum ſuorum auctoritate, de quibus in *cap. En-  
qui inf. De ſtatu Monachorum.*

10. Distinguuntur Concilia Particularia ab  
Univerſalibus, quod Univerſalia vim defini-  
endi habeant, & omnes Chriſti fideles conſtrin-  
gant, *can. 1 §. 1. diſt. 15. cap. 5. inf. de conſt. & ſi-  
milibus, l. Nemo 4. C. de ſumma Trinitate, Concil.  
Florent. in unione Armenior.* Particularia verò  
non habeant vim definiendi, ſed ſolum procu-  
randi, ut, quod alias ſive generaliter ſive ſpecia-  
liter ſtatutum eſt, obſervetur. Similiter non om-  
nes conſtringunt, ſed tantum ſubditos quamdiu  
in regno, vel diœceſi morantur, juxta *cap. 2. de  
conſtit. in 6 l. fin. D. de juriſd. omnium iudic.* ubi  
dicitur, quod extra territorium juſ dicenti im-  
punè non pareatur. Hoc tamen diſcrimen intel-  
ligendū eſt de ijs particularibus Concilijs, quæ  
non ſunt univerſalia quoad auctoritatem, id eſt,  
quæ neque ſunt à ſummo Pontifice generaliter  
ad conſtringendos omnes Chriſti fideles appro-  
bata, neque in corpus Canonicum relata, ut vi-  
dere licet in *cap. 2. inf. de elec. cap. Nec Episcopi inf.  
de temp. ordin. cap. 1. inf. de ſiliis preſbyt. & alijs.*  
Nam quæ à ſummo Pontifice generaliter com-  
probata ſunt, perinde obligant omnes Chriſti fi-  
deles, atque ſi ab ipſomet convocata & celebra-  
ta eſſent, juxta vulgatum illud, *Noſtra faci-  
mus, quibus auctoritatem noſtram impertimus.*  
Plurima autem Concilia Particularia, ordine al-  
phabetico recenſita, videre licet apud Boërium  
Eponem, *lib. 2. De jure ſacro à nu. 150. uſque ad  
nu. 157 incluſivè.*

Circa Oecumenica verò, à Gratiano enume-  
rata, illud obſervandum, quod quinque reliqua  
à quatuor primis, non ſub locorum designatio-  
ne, ſed per enumerandi rationem, ut & alii ple-  
rique ſcriptores, ea recenſeat: nam reſpectu qua-  
tuor præcedentium Synodorum Univerſalium,  
ſequentes appellat, quintam Synodum, ſextam  
Synodum, ſeptimam Synodum, octavam Sy-  
nodum, nonam Synodum.

Hæc verò explicationi decretalium Gregorij  
IX. præmittenda duxi, quod juxta *l. 1. d. de origi-  
ne juris* non deceat illotis, ut dicitur, manibus  
proximus materiam interpretationis alicujus ag-  
gredi, ſed Præſationes præmittendæ ſint, quæ li-  
bentius nos ad lectionē propoſitæ materiæ per-  
ducant, & cum eo venerimus, ejus evidentiorē  
præſentent intellectum: ad quod facit textus in *l. 1.  
§. Idemque jubemus Cod. de veri jura enucleando: in  
§. His igitur inſtitutis de juſt. & jure, & in §. fin. in-  
ſtit. de publ. jud.* Unde & ipſe Gregorius IX. ſuæ  
compilationi Præſationem præmittit, qua de-  
clarat ſe intendere, diverſas conſtitutiones & de-  
cretales Epistoſas prædeceſſorum ſuorum, in di-  
verſa ſparſas volumina (quarum aliqua propter  
nimiam ſimilitudinem, & quædam propter con-  
trarietatem, nonnullæ etiam propter ſui prolixi-  
tatem, inducere conſuſionem videbantur; aliæ  
quæ verò vagabantur extra volumina ſupradi-  
cta, quæ tamquam incertæ ſæpe in judicijs  
vacillabant) ad communem & maximè ſtudenti-  
um utilitatem in unum volumen, reſecatis ſu-  
perſuiſus, redigere, & ſuas Conſtitutiones ac De-  
cretales Epistoſas, per quas nonnullæ, quæ  
in prioribus erant dubia declaran-  
tur, adpicere.

PARATITLA  
SIVE  
SUMMARIA  
ET METHODICA EXPLICATIO  
LIBRI PRIMI  
DECRETALIVM

TIT.



TITULUS PRIMUS.  
De Summa Trinitate & Fide  
Catholica.

## §. I.

## De Summa Trinitate.

1. 2. Ratio ordinis, inscriptionis &amp; nominis.

3. Cur in Trinitate prima persona dicatur Pater.

4. Secunda Filius.

5. Tertia Spiritus sanctus.

6. 7. Ratio distinctionis personarum in divinis.

8. Vitanda in divinis nomina diversitatem essentia significantia.

I.



UIA juxta monitum gentile,  
à Jove principium; & ubi fun-  
damentum deficit, nihil super  
edificare potest, *can. Cùm  
Paulus 1. q. 1. Gutierrez lib. 3.*

*Præf. Quæst. quæst. 15. n. 46.* e contra verò tunc  
firma & solida constituitur fabrica, cùm prius  
de solido provideretur fundamento: ideo, si-  
cut Justinianus legislationem suam, quam xlii.  
libris Cod. complexus est, à summa Trinitate  
& fide Catholica orsus fuit, ita & summus Pon-  
tifex Ius Canonicum auspicatur: tum quia, si-  
cut leges civiles, ut iustæ sint, ex præceptis ju-  
ris naturalis & gentium seu rationis humanæ  
desumi debent, *l. 1. D. de iust. & iure*; ita etiam  
Constitutiones Ecclesiasticæ, uti quædam vel  
conclusiones vel determinationes, ex lege di-  
vina & præceptis fidei, veluti è suis fontibus, e-  
liciuntur. *Qualiter & quando inf. de constitut.*  
tum quia fundamentum Juris universi Christi-  
ani, præsertim Ecclesiastici seu Pontificij, est De-  
us ipse, trinus & unus. Unde in *can. Quo iura  
Dist. 8.* dicitur Deus iura humana per Impeta-  
tores & rectores sæculi distribuisse humano ge-  
neri: & in *can. Nemo xv. q. 3.* dicuntur Roma-  
næ leges divinitus per ora Principum promul-  
gatæ: & in *l. 2. D. de legib.* dicitur omnis lex in-  
ventum & munus Dei. Hinc & ipsi Ethnici le-  
gumlatores omnem suam legislationem in di-  
vinum aliquod numen retulerunt: ut Minos, qui  
Cretensibus legem condidit, in Jovem; Numa,  
qui Romanis, in Ægeriam Nympham; Tris-  
megistus, qui Ægyptijs, in Mercurium; Cha-

rondas, qui Thyrijs, in Saturnum; Lycurgus,  
qui Lacedæmonijs, in Apollinem, Draco & So-  
lon, qui Atheniensibus, in Minervam; non mo-  
dò ob majorem auctoritatem, sed quia, ut om-  
nium creaturarum rerum auctor, ita & legum re-  
ctè conditarum fons & origo est Deus, juxta il-  
lud Proverb. 8. *Per me Reges regnant & legum  
conditores iusta decernunt.*

2. Inscribitur autem hic Titulus de summa  
Trinitate, ut excludantur aliæ trinitates, quæ  
non sunt summæ; qualis v. g. in candela est  
splendor, ignis, calor, Tamen verò Trinitas,  
secundum etymologiam, videatur significa-  
re unam essentiam trium personarum, quasi  
dicatur trium unitas: tamen secundum pro-  
prietatem vocabuli magis significat numerum  
personarum unius essentia, ad invicem rela-  
tarum, & non ipsas relationes personarum.  
Et ideo Pater non est Trinitas, quia non est  
trina seu triplex persona: nomenque hoc *Tri-  
nitas*, ad aliud non refertur, sed absolute dicitur.  
Et licet cum nomine colectivo conveni-  
at, quòd, ut illud, significet pluralitatem sup-  
positorum & unitatem quandam, scilicet or-  
dinis alicujus: tamen ab eo differt, quod in  
divinitate non solum sit unitas ordinis, sed si-  
mul unitas essentia, prout docet D. Thomas  
1. p. q. 31. art. 1. ad 1. & 2. In divinis igitur est  
Trinitas, non triplicitas, quia Trinitas dicitur  
absolute, nec refertur ad aliud, cùm significet  
numerum ternarium personarum: at vero hoc  
nomen, *Triplicitas*, significat proportionem in-  
æqualitatis, cùm sit species proportionis inæ-  
qualis: nam triplex est majus eo, cujus respectu  
dicitur triplex, D. Th. d. loco ad 3. Quando autem  
dicitur, *Trinitas in unitate*, non ponitur numerus  
in unitate essentia, quasi sit ter una, sed ponun-  
tur personæ numeratæ in unitate essentia seu na-  
tura, sicut supposita alicujus naturæ dicuntur  
esse in illa: & e contra dicitur *Unitas in Trinitate*,  
sicut natura dicitur esse in suis suppositis. *Tri-  
nitas autem non potest dici de Trinitate, quia sic  
esset*

C



essent tria supposita Trinitatis & novem personæ: sicut sunt tria supposita Deitatis; cum dicitur Deus est Trinus: nam trinum significat distinctonem suppositorum illius, de quo dicitur. D. Thom. *l. loco ad 4.*

3. Ex prædictis autem personis divinis prima propriè dicitur Pater, quia hoc nomen significat paternitatem, per quam persona Patris distinguitur ab omnibus aliis personis, & ideo est proprium nomen illius: nam proprium nomen cuiuslibet personæ significat illud, per quod illa persona distinguitur ab omnibus aliis. Et licet apud nos Pater non significet personam, quia relatio, quam significat, non est subsistens: tamen in divinis significat personam, quia ibi significat relationem subsistentem in persona divina. Dicitur autem potius Pater, quam Genitor, licet hoc nomen sit communius, quia secundum Arist. *lib. 1. de anima* denominatio fieri debet à perfectione & fine: iam verò Generatio significat, ut in fieri Paternitas autem complementum generationis.

4. Secunda persona dicitur Filius, atque etiam Verbum, eiusque processio dicitur Generatio. Quæ licet generaliter sumpta (prout ad omnia generabilia & corruptibilia se extendit, & opponitur corruptioni, eiusque subiectum est materia) nihil aliud sit, quam mutatio de non esse ad esse: tamen propriè sumpta est in solis viventibus, estque origo viventis à principio vivente, coniuncto secundum similitudinem eiusdem naturæ specificæ; proprièque dicitur Nativitas; & in divinis per prius dicitur de filio, quam de creaturis, quia verior & perfectior est generatio in divinis, quam in creaturis. Cum enim de ratione generationis sit, quod generans generet sibi simile secundum formam; quod forma est similior formæ generantis, eò & perfectior est generatio. Et ideo cum in divinis, non etiam in creaturis, sit eadem forma geniti & generantis, ibidem etiam perfecta est generatio: siquidem Deus Pater & Deus Filius conveniunt in unitate numerica naturæ, non item generans & genitum in creaturis; & Deus ac creatura nequidem in specifica vel generica.

5. Tertia persona dicitur Spiritus Sanctus, Licet autem hoc nomen sumptum, in vi & potestate duarum dictionum, seu adiectivi & substantivi, sit commune toti Trinitati; cum

& Pater dicatur Spiritus, (ut cum dicitur, *Spiritus Domini super me*) & Filius dicatur Spiritus, (ut cum dicitur Filius, *in Spiritu Dei eiecit demonia*, naturæ suæ potestate se eiecit demonia demonstrans; & Spiritus sanctus dicatur quoque Spiritus (ut in illo, *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem*.) & similiter Pater sit sanctus, Filius sanctus, & Spiritus Sanctus sit sanctus, quia nomine Spiritus significatur immaterialitas divinæ substantiæ: tamen idem nomen sumptum pro una & eadem dictione, ex usu Ecclesiæ accommodatum est ad significandam unam trium personarum divinarum, eam scilicet, quæ procedit per modum amoris, sicuti tertia persona in divinis procedit. Et ideo, licet hoc nomen, Spiritus sanctus, relativè non dicatur, prout dici debent nomina propria divinarum personarum: tamen pro relativo ponitur, in quantum est accommodatum ad significandum personam, solâ relatione ab alijs distinctam; potestque in illo nomine intelligi aliqua relatio, si Spiritus sanctus intelligatur, quasi spiratus.

6. Ratio autem huius numeri personarum in una essentia, provenit cum ex eo, quod Deo non sit deneganda maxima perfectio, cuiusmodi est fecunditas, quâ simile producit sibi simile, juxta illud Isaia 66. *Numquid ego, qui ceteros parere facio sterilius ero?* quasi dicat, ceteros illâ perfectione, quam alijs tribuo? Tum ex eo, quod de ratione summi boni, qualis est Deus, sit, ut summe sit sui communicativum. Hinc enim fit, quod, cum non possit se summe communicare ad extra in creatione rerum, cum repugnet creaturam esse summe perfectam, & æqualem seu consubstantialem Deo, necessum fuerit, ut Deus ab æterno se ad intra communicaret & produceret sibi simile; idque per actionem intellectus & voluntatis, cum præter has nulla sit actio immanens in Deo; secundum actionem autem intellectus processit secunda persona, quæ dicitur Filius & Verbum, Filius quidem, atque etiam Genitus quia ejus solius processioni conveniunt ea, quæ pertinent ad propriam generationem viventium: nam ejus in divinis sola processio est, per modum similitudinis, & ejusdem prorsus naturæ cum eo, à quo procedit. Nam licet quod procedit secundum processionem ad extra, debeat esse distinctum ab eò, à quo proce-



procedit: tamen quod procedit ad intra processu intelligibili, uti Filius à Patre, non oportet esse diversum; imò quanto perfectius procedit, tanto magis est unum cum eo, à quo procedit. Nam quo magis intellectus actu intelligit, eo magis fit unum cum re intellecta. Et proinde cum divinum intelligere sit infinitæ perfectionis, necesse est, quod Verbum divinum sit perfectè unum cum eo, à quo procedit, absque omni diversitate: & quia procedit per modum intelligibilis actionis, & secundum rationem similitudinis, ideo proprie dicitur Filius, & ejus processio dicitur proprie Generatio, & Filius Genitus potius, quam Processio Spiritus sancti, quæ est magis secundum modum impulsus & inclinationis, quam per modum similitudinis. Nam intellectus per hoc fit in actu, quod res intellecta sit in intellectu, secundum suam similitudinem: voluntas autem per hoc, quod habeat quandam inclinationem in rem volitam, non autem quod res volita sit in voluntate, secundum suam similitudinem. Et ideo quod procedit secundum actionem voluntatis, non procedit ut Genitum vel Filium, sed magis ut Spiritum quo nomine quædam vitalis morio & impulsio designatur, prout aliquis dicitur ex animo moveri vel impelli ad aliquid faciendum. Dicitur vero Verbum, quia secundum operationem intellectus procedit, nempe secundum seu per intellectiōnem sive cognitionem illam perfectissimam Patris, quæ suam essentiam, tres personas divinas, & omnes creaturas, quæ eminenter continentur in divina essentia, intuitivè cognoscit & comprehendit. Nam Pater hanc cognitionem eliciendo, producit Verbum: quod propriè in divinis reperitur, significatque aliquid ab alio procedens, tamquam terminum dictiōnis seu intellectiōnis. Quia vero intelligere divinum est infinitæ perfectionis, & est ipsa substantia intelligentis, ut tradit D. Th. 1. p. qu. 14. art. 4. necesse est, quod Verbum divinum sit perfectè unum seu ejusdem naturæ cum eo, à quo procedit; ut proinde rectè quoque dicatur Filius genitus à Patre. Secundum vero actionem voluntatis Patris & Filij processit Spiritus sanctus; nam licet in Deo idem sint intellectus & voluntas, tamen quia de ratione amoris est, quod non procedat, nisi à conce-

ptione intellectus, eo quod nihil ametur, nisi ab intellectu conceptum: ideo processio Verbi & processio amoris seu Spiritus sancti habet ordinis distinctionem in divinis: ac proinde Filius à Patre & Spiritus sanctus à Patre & Filio procedit. Quia vero quidquid est in Deo est Deus, sic quod in eo intelligens, intelligere, & intellectus & intellectio sint ejusdem naturæ & similiter voluntas & actio ejus: idcirco per quamlibet processionem ad intra communicata fuit divina natura, non autem aliæ naturæ.

7. Ceterum tamen hæ tres personæ divinae sint verè una essentia, natura & substantia. *Damnatus hoc tit.* tamen inter se realiter distinguuntur per relationes realiter inter se distinctas, nempe paternitatem, filiationem, spirationem activam, & spirationem passivam fundatam super processione Spiritus sancti: quæ relationes in singulis personis identificantur realiter & formaliter cum divina essentia quandoquidem in divinis nulla compositio reperiri possit, manente solâ distinctione rationis, quæ sufficit, ut de essentia divina & relationibus seu personis divinis enuntientur contradictoria, ut v. g. quod Pater generet, Filius generetur, non autem divina essentia; similiter Deus generet, non autem Deitas, d. e. *Damnatus.*

Non tamen ex eo, quod in divinis sint quatuor prædictæ relationes, sequitur esse quatuor personas seu quaternitatem in divinis (hæc enim damnatur in d. e. *Damnatus*) quia relatio spirationis activæ non differt realiter à paternitate & filiatione, cum nulla sit oppositio inter spirationem activam & paternitatem ac filiationem. In divinis autem omnia inter quæ non intervenit relationis vel originis oppositio, sunt unum, & abstractum & coneretur sunt idem. Nec etiam sunt duæ spirationes activæ, & duæ relationes illis respondentes; quia pater & Filius concurrunt ad processionem Spiritus sancti in ratione unius principij, & unica eademque spiratione, non autem duabus spirationibus, e. unico eod. in 6. Nam licet sint duæ personæ spirantes, Pater & filius, sicque dici possit Spiritus sanctus procedere à Patre & Filio; ut pluribus, si considerentur ut personæ, quia procedit ab ijs sicut amor viventium duorum: tamen eandem habent naturam, & eundem volun-



atis actum, quo spirant Spiritum Sanctum: & si e cum in illis sit idem fundamentum, eadem ratio fundandi, & idem terminus. erit quoque eadem relatio. Nec ulla est oppositio relativa inter Patrem & Filium spirantem, quia conveniunt in eadem virtute spirandi, & ratione illius virtutis sunt unum principium, sicut & unus Deus, propter eandem formam divinitatis, & unus creator propter eandem vim creandi. Et hinc licet Pater & Filius possint dici duo spiritus, propter duo supposita non tamen duo spiratores propter unicam spirationem. Ratio diversitatis est, quia spirans est adjectivum, Spirator verò substantivum. Nomina autem adjectiva, cum significant formam ut inexistenter, necessariò multiplicantur, seu habent numerum secundum multiplicationem subjectorum seu suppositorum: nomina autem substantiva solum multiplicantur ad multiplicationem formæ, quam significant licet interdum Patres ponant substantivum pro adjectivo.

8. Vitanda autem sunt in divinis nomina diversitatem essentiae significantia, qualia sunt Diversus, Differens, ne tollatur unitas essentiae; Divisus, Separatus, ne tollatur simplicitas divinae essentiae; Dispar, ne tollatur æqualitas; Dissimilis, Discrepans, Alienus, ne tollatur similitudo: & sic de similibus: solumque utendum voce distinctionis, significante solam oppositionem relationis, & suppositorum distinctionem. Hinc licet filius recte dicatur alius à Patre, quia hoc nomine masculinè accepto significatur distinctio personæ seu suppositi in natura: non potest tamen dici aliud, vel diversus, *d. e. damnamus*, quia significatur diversitas naturæ seu substantiæ, quæ est essentia, in qua sunt unum & idem: & ideo si quando in scriptura authentica invenitur diversitas, vel differentia personarum, ea sumi debet & sumitur pro distinctione: bene tamen dicitur aliud suppositum.

Vitanda quoque sunt nomina repugnantia distinctioni personarum, qualia sunt solitarius, Singularis, Unicus: licet recte dicamus unicum filium, quia in divinis non sunt plures Filij.

## §. II.

## De Fide Catholica.

1. Quid sit Fides. 2. Traditiones quosuplices.
3. De Fide quatenus disputare liceat.

## 4. Qui teneantur præstare professionem Fidei.

**F**ides variis modis sumitur, ut videtur licet apud Hostiensem h. tit. Ubi tamen si velit hic sumi pro collectione articulorum Fidei, qui in Symbolo Athanasii continentur: tamen, quia illi articuli obiectum potius sunt Fidei, ut ea, quæ credenda sunt, ideo, rectius dicitur. Esse donum Dei ac lumen, quo illustratus homo firmiter assentitur omnibus quæ Deus revelavit, & nobis per Ecclesiam credenda proposuit, sive scripta illa sint, sive non sint. Et hæc consistunt, partim in libris sacris & Canonicis: qui quot sunt, & qui sint, vide Conc. Trid. Sess. 4. ubi illos enumerat, & anathemate ferit eum, qui eosdem integros, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris & Canonicis non susceperit: partim in ijs, quæ sine scripto continentur, traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt, Concil. Trid. *ibid.* ubi similiter anathemate ferit eum, qui prædictas traditiones sciens & prudens contempserit.

2. Traditionum autem aliæ sunt divinae, ut quod Spiritus Sanctus à Patre & Filio, tanquam ab uno principio & una spiratione ex omni æternitate processerit: quod tres personæ divinae in una substantia sint æquales, & distinguantur realiter per relationes reales. Aliæ sunt Apostolicæ, ut ciborum delectus, jejuniis quadragesimæ, trina immersio, dum quis sacro fonte baptismatis abluitur. Aliæ sunt Ecclesiasticæ, ut mores & consuetudines quas observat Ecclesia consecrando altaria, vasa, calices, templa, vestes, quibus utitur in Missæ sacrificio.

3. Additur autem in Titulo, *Catholica*, id est universalis: de qua Fide disputare publicè vel privatim prohibetur Laicis sub pœna excommunicationis, in cap. 2. §. 1. *De hæresibus in 6. Concil. Mechl. dioc. 1600. tit. 1. cap. 1.* & alijs quibusdam publicè turbis coadunatis, in *1. Nemo Cod. eod.* Nec etiam magistris & custodibus Canonum fas est inire certamen cum hominibus alienæ communionis, ut dicitur in *e. Cum quibus xxiv. q. 3.* Quod verum est, si causa tumultus



tus & perfidia defendenda disputetur. *d. l. Ne-  
mo.* Alias ad confusiones hæreticorum & veri-  
tatem eliciendam disputare licet.

4. Hujus verò Fidei professionem facere te-  
nentur, in primis electus seu promovendus ad Episcopatum Conc. Trid. Sess. 24. cap. 1. *De reformatione.* Item provisi de Canonicis & dignita-  
tibus in Cathedralibus Ecclesijs, non tantum  
coram Episcopo, seu ejus Officiali, sed etiam Ca-  
pitulo, sub pœna non faciendi fructus suos, non  
suffragante eis possessione, Conc. Trid. *d. Sess.*  
24. cap. 12. §. *provisi De reformatione.* Sic refert Franc.  
Zypæus *De Jure Pontificio* nono lib. 1. hoc tit. Ca-  
rolum Magnum jam olim sanxisse, ut Presbyte-  
ri & Diaconi, per Parochias constituendi, hanc  
professionem suo Episcopo facerent; ejusque  
formam pro Græcis edidisse Gregorium XI. &  
pro Latinis Pium IV. Eandem professionem in-  
jungi etiam ijs, qui Doctoratum, Licentiam, aut  
cujusvis artis professionem adipiscuntur, Chi-  
rurgis, Medicis, Confessarijs, Concionatoribus,  
Advocatis, Procuratoribus in causa Religio-  
nis, Magistratibus, Ludimagistris, Bibliopolis,  
Obstetricibus. Videantur Declarationes Cardi-  
nalem ad. cap. 2. *Concilij Tridentini.* Sess. 25. *de re-  
format.*

## TITULUS II.

### De Constitutionibus.

#### §. I.

#### Constitutionum origo & divisio.

1. *Constitutio dupliciter sumitur, generaliter & specialiter.*
2. *Ratio nominis.*
3. *Origo Constitutionum.*
4. *Earum condendarum modi, per Epistolam, Decretum & Edictum.*
5. *Constitutiones Principum secularium plerumque leges; Pontificum Decreta, Canones, & simpliciter Constitutiones appellari.*
6. *Constitutionum Ecclesiasticarum species, Dogma, Mandatum, Interdictum, Sanctio, Canon, Decretum, Epistola decretalis.*
7. *Motus proprius, Responsum SS. Patrum, Pragmatica sanctio.*

Cum omne Jus Pontificium, quo utimur,  
constet scripto aut non scripto, & scriptum  
sit certius nobiliusque, quam non scriptum, ut  
ante diximus: ideo summus Pontifex, posito  
fundamento totius Juris Canonici, incipit à u-  
re scripto, cujusmodi est Constitutio.

1. Sumitur Constitutio dupliciter, nempe  
generaliter & specialiter. Generaliter sumpta om-  
nes iuris scripti, sive Canonici sive Civilis par-  
tes comprehendit, à quocunque, sive à Principe,  
sive ab inferiori (quod tamen Constitutionis e-  
denda potestatem habeat) proficiscatur, ut de  
Ecclesiastica Constitutione patet ex c. 6. 8. & 11.  
& 12. h. & ita in hoc Titulo sumitur Speciali-  
ter verò est Jus illud scriptum quod Rex vel Im-  
perator vel Princeps constituit, vel edidit, *can-  
Constitutio Dist. 2. l. 1. D. eod.* Quod enim Prin-  
cipi placuit, legis habet vigorem, *d. l. 1. §. quod Prin-  
cipi, Instit. de jur. nat. gent. & civili:* ut de eo dubi-  
tare sacrilegium dicatur in *l. fin. Cod. de LL.*

2. Dicitur autem Constitutio à Constituen-  
do, id est simul statuendo, quasi commune  
statutum; vel quia lex debeat esse communis,  
*can. Erit autem Lex. distinct. 4.* vel quia Prin-  
ceps non solus, sed simul cum Proceribus suis  
& Consiliarijs leges condar, *l. Humanum Cod.  
de LL.* Nec obstat, quod ex Constitutionibus  
quædam sint personales, §. *ex his Instit. d. tit.*  
quia quatenus Constitutio est personalis, de-  
generat à nomine & natura Legis ac Constitutio-  
nis, & induit nomen & naturam privilegij  
ut patet ex *can. Regula distinct. 3.* Adde quod  
ut inquit Philosophi, non sit necesse ratio-  
nem etymologicam converti cum nomine: nam  
Fur dicitur à Furvo, eo quod de nocte fiat,  
cum tamen etiam fiat de die deturque fur-  
tum manifestum, *l. 1. D. De furis.* Sic Tutor à  
Tuendo, Doctor à Docendo, Augustus ab  
Augendo dicitur, cum tamen sit tutor, qui non  
tuetur; Doctor, qui non docet, Augustus qui  
non auget.

3. Cœpit autem Jus Constitutionis à iusti-  
ficationibus, quas Dominus tradidit Moy-  
si, dicens Exodi 12. *Si emeris servum Hebraum &c.*  
*can. Jus autem distinct. 7.* Moyses vero gentis  
Hebræe primus omnium divinas leges factis  
litteris explicavit; & Phoroneus Rex Græcis  
primis leges judiciaque constituit; & alij  
alijs: ac inter eos, de quibus ante, Num.  
Pom.



Pompilius Romanis. Postea, cum populus se-  
ditioſos magiſtratus ferre non poſſet, Decem-  
vitos legibus ſcribendis creavit, qui leges ex li-  
bris Solonis in Latinum ſermonem translatis  
duodecim tabulis expoſuerunt, *can. Moſes d.  
Diſt. 7.* Ubi *can. ſeq.* recenſentur nomina eorum,  
qui leges duodecim tabularum interpretati  
ſunt. Cæterum paulatim antiquis legibus ve-  
tuſtate & incuriâ abolitis, novæ leges à Con-  
ſtantino Cæſare & reliquis ſucceſſoribus cœpe-  
runt, ut ibidem dicitur.

4. Conſtitutionis, ſive civilis ſive Eccleſiaſti-  
cæ, ſpecialiter dictæ, condendæ tres ſunt modi  
præcipui: per Epiſtolam, per Decretum & per  
Edictum, *ſ. ſed & quod Principi Inſtit. de jure nat.  
g. 11. & civil.* Per Epiſtolam, cum Princeps, de re  
aliqua dubia abſens conſultus, reſcribit, quid ve-  
lit pro jure ſervari. Hinc nata ſunt Reſcripta  
Principum (cujusmodi ſunt, ferè omnes leges  
Codicis, in quibus Imperator ad petitionem ali-  
cujus reſpondit, & jus conſtituit, prout ſæpius  
ſolet, *l. ſape de officio Præſidis*) & Epiſtolæ Decre-  
tales ſummorum Pontificum. Sic ex Epiſtola  
Divi Piſi ad Alium ſcripta eſt, *lex. 2. d. de his qui  
ſunt ſui vel alieni juris, ſ. cujus reſcripti inſit. eod.  
ſit ex Epiſtola Adriani lex ſin. Cod. de conſtituta  
pecunia ſ. ſi plures Inſtitut. De fidejuſſorib.*

Per Decretum, cum Princeps, ſive civilis ſive  
Eccleſiaſticus, dere inter partes controverſa  
cognoſcens, judicat, & ſententiam deſinitivam  
profert, *l. 9. ſ. ubi decretum d. de officio Pro conſ.*  
Talis enim ſententia vocatur Decretum & facit  
jus non modò inter partes, de præſenti colligi-  
gantes, verum etiam inter omnes alios, ſimilem  
controverſiam habentes. Et in hoc diſtinguitur  
à ſententia judicis inferioris, quæ inter partes  
dumtaxat colligantes facit jus: & de qua pro-  
inde intelligitur illud. Res inter alios acta alijs  
non præjudicat. Dicitur etiam Decretum con-  
ſtitutio ſummi Pontificis, cum conſilio Cardina-  
lium ad nullius conſultationem edita, *ſecundum  
Gloſſ. in princip. diſtinct. 3.*

Per Edictum, cum Princeps, non interro-  
gatus de jure, nec de cauſa cognoſcens, ſed caſus  
futuros proſpiciens, ſponte & proprio motu a-  
liquid pro bono Reipub. edicit & promulgat.  
Unde ſunt Edicta Principum, quæ vulgo *Plac-*  
*cores* appellamus; & ſunt Conſtitutiones ge-  
nerales Principis, aliquid iubentis aut prohi-

bentis, Ejusmodi quoque ſunt Novellæ Con-  
ſtitutiones Juſtiniani, & plera que Conſtitutio-  
nes in Codicem relatæ, incipientes ab his vel ſi-  
milibus verbis: *Hæc perpetua, vel perpetuo vali-*  
*tura lege ſancimus, & c.* ut in *l. 3. Cod. de LL. & l.  
Hæc editæ Cod. de ſecundis nuptiis.* Sic Prætores  
& alij Magiſtratus, per Edicta tantum jus con-  
ſtituebant, ob doni, odij, amicitiaſve ſuſpicionē,  
quæ à Principe abſunt. Theophilus in *ſ. Præ-*  
*torum quoque Edicta, Inſtitut. De jure nat. gent. &  
civil.*

5. Solent autem Conſtitutiones Principum  
ſæcularium præſius hodie appellari Leges: nam  
olim Lex dicebatur, quam populus. Senatorio  
Magiſtratu, veluti Conſule interrogante fere-  
bat, *ſ. Lex eſt Inſtit. De jure nat. gent. & civil.* Unde  
& à Plebiſcitis, Senatusconſultis, & alijs Juris  
civilis partibus ſeparabatur, ut conſtat ex *ſ.  
ſcriptum autem jus Inſtit. d. 111. & alijs pluribus lo-*  
*cis*: licet interdum etiam latius ſumpta Plebiſ-  
citurum comprehendere, *l. 6. d. de pactis l. 1. d. de  
off. ejus cui mandata eſt jurisdictio.*

At verò Pontificum Romanorum Conſtitu-  
tiones potius Decreta, & Conſtitutiones, &  
Canones, quam Leges appellantur, & præferri  
debent Conſtitutionibus Principum ſæculari-  
um, *can. Suſcipitis diſt. 10.* & hæ illis obſequi de-  
bent, *can. Conſtitutiones & ſeqq. ead. diſt.* Quini-  
mò ſi ſint contra Canones & Decreta Romano-  
rum Pontificum, ac bonos mores, nullius ſunt  
momenti, *d. can. Conſtitutiones*: & ſi factæ fue-  
rint adverſus Evangelicam & Propheticam do-  
ctrinam, ſtare nequeunt, *can. Omne xxv. qu. 1.*  
Ubi autem Evangelicis atque Canonicis decie-  
tis non obviaverint, omni reverentiâ dignæ ha-  
bendæ ſunt, *can. Suſcipitis in fine.* Quælibet verò  
Conſtitutio, ſive Eccleſiaſtica ſive civilis peni-  
tus excludenda eſt, ſi juri naturali vel divino  
contraria probetur, *can. Sanè in fine Diſtinct. 9.*

6. Conſtitutionis Eccleſiaſticæ ſeptem vi-  
dentur eſſe ſpecies. Dogma, Mandatum, Inter-  
dictum, Sanctio, Canon, Decretum, Epiſtola De-  
cretalis, ut docet Turrecrem. *ſ. porro Diſtinct. 3.*  
Dogma dicitur Conſtitutio Eccleſiaſtica, ad ſi-  
dem pertinens, *can. pen. de consecr. diſtinct. 5.*

Mandatum eſt Conſtitutio Eccleſiaſtica ad  
diſciplicam pertinens, *can. denique diſtinct. 4.*

Interdictum dicitur Conſtitutio, quæ ad  
correctionem præſentium & imminentium  
malo-



malorum ordinatur. Unde differt ab Edicto, quod Edictum sit generalis Constitutio, jubens aliquid vel prohibens, in formam legis universalis promulgata, nulla adjecta poena, *can. Non propter de consecrat. d. distinct. 4.* ut illud ab Augusto de describendo universo orbe.

Sanctio proprie est Constitutio poenalis, seu quæ certam poenam, præsertim capitis, non obtemperantibus irrogat, *l. Sanctio D. De poenis, §. Sancta Instit. de rer. divis.* Est enim Sancire, auctore Servio, sanctum aliquid, id est, consecratum facere, fuso sanguine hostiæ. Hujusmodi sanctio est in *can. Si quis suadente xvii. q. 4.* Et hinc leges ipsæ sanctæ vocantur, quia sanctione & poenæ comminatione stabilitæ & confirmatæ sunt. Latè sumpta vox Sanctio omnem Constitutionem Principis secularis vel Romani Pontificis designat, *Cod. de novo Cod. faciendo §. quibus vers. colligentes, can. Consulisti 2. q. 5. c. Inter corporalia,* ibi: quod non est sanctorum Patrum decreto sanctum; *De translat. Episcopi.* Latissimè verò totius Juris collectionem significat, *d. §. quibus.*

Canon dicitur Constitutio, quæ in Concilio Universali vel Provinciali promulgatur. Exemplum de generali, in *c. Nonnulli inf. de rescriptis,* de provinciali in *c. 1. & 3. De foro competent. Latius sumitur pro omni Constitutione Ecclesiastica, sive à Pontifice sive à Concilio facta, ut in §. porro Canonum distinct. 3.*

Decretum in genere est sententia Principis inter partes, de quarum ipse causâ cognovit, & sententiam dixit, *l. Minor autem §. 1. D. de minoribus;* vel interlocutus est, *l. 1. D. de constitut. Princ. l. Extras D. Quod metus causa, l. penult. D. ad leg. lul. de vi privata.* Hoc loco Decretum est Constitutio, quam Papa non consultus cum Cardinalibus, consensum præstantibus, super aliquo negotio constituit, & in scriptum redigit. Exemplum in *c. Et si membra De his, qua sunt à Prælato sine cons. Capituli, can. Generali xxv. q. 1.*

Decretalis Epistola dicitur, quam Romanus Pontifex alicui, super aliqua causâ dubitanti, & Sedem Apostolicam consulenti, scripto transmitti; sive solus *c. 1. inf. de rescriptis,* sive de consilio fratrum, *c. Bona memoria inf. de elect.* seu est Constitutio Pontificis ad alicujus consultationem promulgata. Indifferenter tamen dicitur etiam Canon & Decretum.

7. His addi possunt Motus Proprius, Res-

ponsum sanctorum Patrum, Præceptum, & Pragmatica Sanctio. Motus proprius dicitur, cum Pontifex sive Princeps, nullius intercedente consilio aut suâ vel petitione, aliquid facit, Responsum sanctorum Patrum, est dictum, ad interpretandum seu respondendum prolatum, & in corpore Juris clausum, Præceptum idem videtur quod Mandatum, ut à superiore præcipitur, licet inter ea nonnulli distinguant. Pragmatica Sanctio est illud, quod Imperator de consilio Procerum sanxit & statuit, *ult. Cod. de divers. rescriptis, & ibi Glossa, ut & in l. jubemus Cod. de sacros. Ecclesiis, & in can. Per venit distinct. 100. §. 11.*

Quinam possint condere Constitutionē:  
& quæ sit illius vis ac potestas.

1. Qui condere Constitutionem Ecclesiasticam possint.
2. Vis & effectus ejusdem: quod futuris de formam negotijs.
3. Quod omnes fideles liget.
4. Quod posterior de eadem retrahatur ad priorem, & e contra.
5. Quatenus Constitutiones poenales obligent & extendantur.
6. Quatenus ignorantes obligentur; & quotuplex ignorantia.
7. Constitutionum & alia Generales, alia Speciales.
8. Constitutio proprie dicta debet esse justa & universalis.

1. Constitutionem Ecclesiasticam, generaliter dictam, condere in primis potest summus Pontifex, *c. fin. h. r. c. Inter alia de sent. excommunicat.* deinde alii Prælati inferiores, ut Legatus Pontificis, *c. fin. inf. de officio Legati c. 1. inf. de locato;* Patriarcha, Archiepiscopus, Episcopus, *c. 2. inf. de majoris & obed. & c. Extra inf. de locato* Collegia Ecclesiastica, prout de his plenius Hostiensis in *Summa hoc tit. Honor. ab Axel d. tit. n. 3.* Constitutionem verò Ecclesiasticam, strictè & proprie dictam, condere potest solus Pontifex, vel alius ex eius auctoritate.

2. Vis verò & effectus Constitutionis Ecclesiasticæ est, quod futuris feratur negotijs, non autem præteritis; nec ad ea regulariter extendatur, nisi id exprimat, *cap. 2. & fin. inf. eod. cap. deliberatione §. fin. de offic. deleg. in 6. & ibi Cano-*



Canonista, l. *Leges & constitutiones C. De LL.* aut sublit causa, cur ad casus præteritos extendi debeat: ut si peream reproberetur, quod Juri naturali, aut divino repugnat. Vide Navarrum *h. tit. Conf. 5. & in Relezione cap. Si quando Descriptis exceptione 21* Hinc And. Gall. lib. 2. *Observat. 9.* concludit, Constitutiones Caroli V. de reddituum emptionibus, Angustæ promulgatas, ad rationem viginti pro uno, non extendi ad casus præteritos, quodque quoties nova Constitutio emanat aliquid circa negotij ordinationem vel contractus disponens, semper considerari debent mores & consuetudines, quæ tempore contractus extiterunt, non autem quæ postea introducantur, quia futurorum scientiam contrahentes habere nequeunt: & ita, inquit, docet Baldus Bartolus, & alij, quos citat.

3. Constitutio summi Pontificis, postquam legitime est promulgata, omnes Christi fideles obligat. Sufficitque eam ad illum effectum promulgari solènter & publice in Urbe, c. 1. §. *Quod ne sufficit De postulat. Pralat.* nisi clausulam publicationis specialem insertam habuerit, c. *Quoniam 40. De Simonia, c. Omnis 12. vers. Unde de pœnit. & remis.* Constitutio vero Principis secularis, vel Prælatorum inferiorum summo Pontifici, solum territorij subditos attingit, l. *Extra territorium D. de juris d. om. judicium, DD. in l. cunctos populos Cod. De summa Trinitate*: nec potest Pontificiæ Constitutioni repugnare aut illam tollere, c. *Sollicitud. de majoritate & obedientia, can. Inferior dist. 21.* Neque enim regulariter licet inferioribus aliquid contra Canones statuere, quamvis possint consuetudinem inducere, ut postea dicemus. Dico regulariter, quia quibusdam casibus id possunt, quorum præcipuos videre licet apud Joan. Pet. Monet. in *Tract. De distributionibus quotidianis, parte 2. q. 13. n. 6. & seqq.*

4. Insuper in eo consistit vis Constitutionis, quod posterior de eadem retrahatur ad priorem, & contra, declarandi vel supplendi causa, nisi sit priori contraria; tunc enim eam tollit, etiam nullâ illius factâ mentione, c. 1. *h. t. in 6. c. 1. inf. de cognat. spirit. l. Non est novum D. De LL. Glos. in cap. Quoniam dist. 18.* licet speciales consuetudines & statuta locorum contraria non tollat, nisi id exprimat, *rex. expressus in d. c. 1. h. tit. in 6.* Marcus de Mantua *Singul. 233.* Ratio prioris est, quia, ut in *d. c. 1.* dicitur summus

Pontifex censetur habere omnia jura in scrinio pectoris sui; & ideo condendo Constitutionem priori (quam scire reputatur) contrariam, censetur ei derogare. Ratio posterioris est, quia locorum specialium & personarum consuetudines & statuta, cum facti sint, & in facto consistent, potest probabiliter ignorare; & ideo per Constitutionem eis contrariam, a se noviter editam, nisi in ea expresse caveatur, non censetur ijs in aliquo derogare.

5. Regulariter autem & limitatur Constitutio à ratione finali Constitutionesque novæ personales vel odiosæ restringendæ sunt; potissimum quæ à jure communi recedunt & exorbitant, id est, jure communi in aliquo derogant, omnium verò maxime, quæ Ecclesiasticæ libertati etiam rationabiliter contrariantur, *Auth. Cassa C. de sacros. Ecclesiis*; ita ut verborum quibus conceptæ sunt, tenorem ac rigorem non excedant. Nisi sint Constitutiones, quæ concernant favorem Reip. vel salutem animarum: nam tales, licet odiosæ, extenduntur ad similes casus, *Felinus Conf. 18. n. 14.* Non censetur autem Constitutio sublata per non usum, nisi probetur contrarius usus; & illum alleganti incumbit probatio. Verran. *decis. 220. parte 1.* Constitutione verò cassatâ, non cassatur ejus effectus prius editus, nisi in ipsa cassatione dicatur, ut Constitutio habeatur pro infecta; & hoc, si alias fuit valida, Abbas in *Qua in Ecclesiis 7. h. t.*

6. Circa Constitutionum obligationem illud quoque notandum, eas, exceptis quibusdam casibus, non ligare ignorantes, l. *Si ignorant, juncta Glos. D. locuti, c. Si verò 2. inf. de sent. excommunicat. can. Lectores distinct. 32* modò ignorantia non sit crassa supina, vel affectata, sed probabilis seu invincibilis, ut vocant Theologi. Crassa sive supina est, qua quis ignorat, quod communiter omnes sui ordinis & conditionis sciunt: quod contingit per culpam latam, non etiam per levissimam vel levem. Affectata seu optata est, quâ quis ignorat, quod scire teneretur, quia non vult scire, quo liberior peccet, iuxta illud Psal. 68. *Noluit intelligere, ut bene ageret*, relatum in *can. Ideo dist. 37.* Justa verò est, quâ quis ignorat, quod non oportet eum scire, *can. Turbatur h. notandum q. 4.* & quâ communiter homines ejusdem ordinis adhiberi diligentiam laborant. Et hæc omnino excusat, quando



quando est causa actus, quando scilicet actus non fieret, nisi ignoraretur; & ideo excusat omnino à peccato: scilicet quando est comes peccati; uti est, quando peccaretur, etiam si sciretur: nam hæc nunquam excusat à culpa. Videatur plenius Navar. *Cons. h. tit.*

7. Constitutionum alia sunt Generales, alia Speciales seu Personales, Generales vim legum obtinent, & generaliter omnes tenent, *l. 1. & 3. h. 1. Novel. de Ecclesiast. titulis 131. in princ.* Et censentur Generales, quando factæ sunt per verba generalia, quia ubi lex non distinguit, nec nos distinguere oportet, *arg. l. De pretio 8. D. de public. in rem ad.* tamen si aliqua esset dubitandi ratio, an sint generales, vel non: quia dici solet, quod lex simpliciter lata comprehendat omnem casum, dato, quod in uno sit major ratio, quam in alio *l. 1. §. quod autem D. de aliat. l. in fraudem §. fin. D. de testam. milit.* Etiam generaliter intellectæ continentur rigorem, & essent duræ, *l. Prospexit D. Qui & à quibus manumissilib. non fiunt.* & c. item etiam si sint solum generales in fine, & speciales in principio, *Glossa in Rubr. Cod. Etiam ob chyrographariam pecuniam & c. Insuper etiam si sint solum generales in sua præfatione & initio quia licet postea loquantur per verba specialia tamen tota lex est generalis, l. Regula §. fin. ibi: nam initium Constitutionis, & c. ibid. Bart. D. de iuris & facti ignorantia Speciales sunt, quæ non omnibus, sed alicui vel aliquibus tantum, vel certo hominum generi aut loco positæ sunt: & ideo solum ius impetrantis concernunt, nec ad successores eorum, contra quos impetratæ sunt, extenduntur, & morte etiam impetrantis expirant, *c. Signif. 36. inf. de rescriptis.* & aliter vocantur Rescripta, de quibus seq. Tit.*

8. Porro ut Constitutio propriè dicta sit valida, oportet eam esse æquam, iustam & universalem. *can. Erit autem lex dist. 4.* ut etiam mature & cum iudicio deliberato fiat, non præcipitanter & ex abrupto, *c. Alma, vers. diligenti habita deliberatione De sen. excom. in 6 l. 1. D. De LL. facta que ad rumorem populi non tenet, arg. l. Si privatus 7. D. Qui & à quibus & c.* Nec debet per eam dari facilis occasio ad delinquendum: aliàs tamquam iniqua reprobarur, *l. Illud convenire §. 1. D. de pactis dotal. c. Quemadmodum c. Etsi Christus versic. quadam anim inf. de iurejurando Lud. Romanus Singul. 714. incip. Index potestatis.*

## TITULUS III.

## De Rescriptis.

## §. I.

Rescripti nomine quid veniat.

1. Quid sit Rescriptum
2. Qui rescribere possint.
3. Differentia inter Rescriptum & privilegium.

**Q**uia Rescripta sunt quædam, ut ante diximus, Constitutiones speciales, per quas ut plurimum dantur ministri, qui iura exequantur, sine quibus parum est iura condere, *c. Vbi periculum 3. c. Commissa 35. de electione in 6.* ideo Pontifex post Titulum de Constitutionibus tractat de Rescriptis.

1. Rescriptum in genere nihil est aliud, quam Constitutio per epistolam specialis, vel, juxta Rebuffum, *Tract. de rescriptis nu. 5.* est Principis concessio, per litteras authenticas legitime facta: sive sit secundum ius, ut si mandetur, quatenus fiat ius, *cap. Licet 12. inf. de officio ordinarii, juxta text. in cap. 1. h. t.* sive contra ius aliquid concedatur, veluti quod condemnatus adhuc audiat. Nam quod dicitur, rescriptum contra ius non valere, verum quidem est, nisi in rescripto iuri derogetur, ut in *l. fin. Cod. Si contra ius, & c.* Nisi enim Princeps expressè deroget iuri, oportet iudicem judicare secundum ius, *c. Si quando 5. h. t.* quia mens Principis præsumitur talis, qualis de iure esse debet, *l. Ex Facto D. de vulgari & pupill. subtit.*

2. Dicitur, Principis; id est, cujuslibet locum primum obtinentis, qui rescribere potest. Cujusmodi in primis est Papa. *zoro h. tit. & alia iurib.* cujus rescripta interdum vocantur *Litteræ Apostolicæ* vel *rescripta Apostolica*: & rescriptum, quo alicui causa committitur, dicitur *Commissio*. *cap. Sedes 14. & seq. h. t.* Secundo Imperator, *vis. Cod. de precibus imp. offeren. & de diversis rescriptis.* Et hujus rescripta subinde vocantur *Divina iussiones*, *sacri assatus*, *Sacra oracula*, *Sacra forma aut iussiones*, *Imperiales concessiones*, *Sacra litteræ*, Tertio, Rex Hispaniæ, Franciæ, & quilibet alius Princeps, non recognoscens superiorem. Quarto Cancellaria; sive Papæ, *c. Ad hac 10. h. t.* sive Imperatoris vel Regis, in sua scilicet.

D



scilicet provincia, ubi constituta est, ne se mutuo impediunt. Quinto, Legatus Papæ, Collegium Cardinalium; & quicumque potest constitutionem condere, ac jurisdictionem habet, is potest & rescriptum condere. Hostiensis in *Summa huius Tit. §. Quis possit* &c. Videatur plenius Rebuffus, d. loco. Inferiorum vero concessionem vix dicuntur Rescripta; magisque Litteræ excommunicationis, restitutionis, commissionis, citationis, inhibitoriæ, absolutoriæ appellantur, c. Olim 25 in *V. absolutio litterarum* h. t. & simil.

Dicitur concessio; quia sola partis petitio non dicitur Rescriptum, sed subijuncta ipsius Principis concessio, l. l. Nec damnoisa juncta rubr. Cod. de precibus Imp. offeren. c. Si gratiosa 5. h. t. in 6. Atque ideo pars dicitur impetrare rescriptum, quando id ei conceditur, c. Caterum, 3. in verbis impetraverit litteras h. tit. & Impetratum rescriptum, quando pars illa obtinuit, l. Impetrata rescripta, Cod. sentent. rescind. non posse. Dicitur, per litteras; nam solo verbo concessio facta non dicitur Rescriptum, nisi litteris expeditis; hæ enim sunt; quæ dicuntur Rescripta, & e contra, c. Ad aures 8. & seqq. ac ferè per tot. h. t. Dicitur, authenticas; quia alias non dicuntur rescripta, c. 1. & 2. inf. De fide instrum. Dicitur denique, legitimè facta; quia non debet subreptitiè vel obreptitiè impetrari.

3. Differt porro Rescriptum à Privilegio in pluribus; & inter alia, quod privilegium sit contra jus, Glossa in *Summa* 25. q. 2. Rescriptum vero regulariter sit secundum jus, & ad observantiam Juris communis, l. Falso C. de divers. rescript. Glossa in c. 1. in *V. noscatur in fine*, De Constitut. in 6. & ideo secundum naturam ejus debent intelligi, cap. Causam 18. & ibi Panor. & alij h. t. Videatur plenius Rebuffus in *Praxi Benef.* de differentiis inter Privilegium & Rescriptum.

## §. II.

## Quotuplicia sunt Rescripta.

1. Rescriptorum tria genera.
2. Rescripta iustitiæ sive ad lites.
3. Rescripta gratiæ sive ad Beneficia.
4. De clausula Si preces veritate nitantur.
5. De obreptione & subreptione
6. Quanam in Rescriptorum impetratione expræmendat.

1. Rescriptorum specialium in genere tria sunt genera, juxta triplicem modum quo contingit S. Pontificem rescribere. Aut enim contra jus rescribit, aliquid alicui concedendo, veluti immunitatem à collectis, ut in l. 1. & per tot. De immunit. concedenda, lib. 10. aut decimis, vel aliquem sua lege solvendo: vel cum aliquo dispensando. Aut rescribit ad lites: aut denique ad beneficia Primi modi Rescripta dicuntur Privilegia, de quibus lib. 5. Secundi modi, dum scilicet ad lites rescribit, appellantur.

2. Rescripta Iustitiæ; quorum meminit, l. Legib. Cod. Si contra jus vel utilitatem publ. ubi Bartol. & alij, c. Suscitatus 13. c. Pastoralis 14. c. Super litteris 10. h. t. & talia sunt, cum Pontifex de jure partis obscuro consultus, aperit illud, & quid Judex in judicando sequi debeat, ostendit, c. Ex parte 12. c. Sedes 15. & alij hoc tit. aut quando causâ ad se devoluta Judicem aliquem delegat, c. 1. c. Nonnulli 28. & alij hoc tit. Dicuntur autem Rescripta ad lites seu iustitiæ, tum quia ad iustitiæ administrationem pertinent & referuntur: tum quia causam annexam habent, cur concedi debeant, nec sunt meræ gratiæ. Et hæc licet præter jus dentur, in casibus scilicet à jure non decisis: tamen dicuntur etiam dari secundum jus, quia vel ad juris interpretationem, vel ad juris debitam executionem dantur.

3. Rescripta denique ad beneficia vocantur Rescripta Gratiæ, quorum text. in c. Gratia hoc tit. in 6. Clement. Gratia, eod. tit. quia nullam aliam causam habent, cui concedantur, quam concedentis meram liberalitatem. Hujusmodi rescripta sunt, quibus Pontifex mandat alicui provideri de beneficio Ecclesiastico, c. Mandatum 38. c. Abbate 40. h. t. & de his duobus posterioribus Rescriptorum generibus hic agimus, ut Rescripta hic nihil aliud sint, quam S. Pontificis Epistolæ ad lites vel ad beneficia; ad supplicationem alicujus rescriptæ. Alioquin alia sunt Rescripta gratiæ, quæ à sæcularibus conceduntur; & sunt remissiones gratiæ & indulgentiæ, de quibus D. ad Senatus. Turpil. & Cod. De abolition. Alia solent dici Rescripta Communia seu Mixta, ut quidam vocant, quæ scilicet tum à Papa, tum à sæcularibus Principibus concedi possunt, ut rescriptum legiimationis;



4. In omni autem rescripto S. Pontificis hæc clausula, *Si ita est, Si preces veritate nitantur*, semper subintelligitur, *c. Ex parte 2. c. Olim 25. h. e.* licet rescripta principis secularis de iure civili non valeant, nisi expresse eam clausulam insertam habeant, *l. fin. Cod. de diversis rescriptis*. Diligenter itaque cavendum, ne obreptione vel subreptione aliquid impetretur.

5. Tamen si autem obreptione & subreptione sæpe confundantur, & pro iisdem capiantur, communicer tamen ita distingui solent, quod obreptione committantur exprimendo falsum; subreptione verum tacendo, *juxta notata per Innoc. in c. Cum dilecti 22. h. e.* Ceterum qui subreptionem obijcit, eam probare debet: ei verò qui falsum narravit, incumbit probatio illius quod pro vero suggestit. Wamels *conf. 7. n. 2. ubi alios citat*. Si igitur dolo seu malitiose aut scienter impetrans, falsum in suo libello allegaverit, vel verum tacerit, rescriptum gratiæ seu ad beneficium est ipso iure nullum, *c. Ad aures 8. c. Super litteris 20. h. e.* Sin per errorem aut simplicitatem id fecerit, prout in dubio fecisse præsumitur, tunc distinguere solent. Nam si falsum narratum aut verum tacitum sit tale, quod, etiam si totum negotium ex veritate Pontifici fuisset narratum, is nihilominus verisimiliter confessurus & rescripturus fuisset, saltem in forma communis, valet Rescriptum, ad hoc, ut Iudex delegatus causam definiat: non quidem secundum formam rescripti, sed secundum ordinem iuris, *d. c. Super litteris, c. Ex insinuatione 37. eod. tit.* Si verò tale sit, quod ex veritate negotio exposito, Pontifex verisimiliter non fuisset rescripturus, puta quia Canones dari verant quod petitur, non valet Rescriptum, *d. c. Super litteris*. At Rescripta ad lites, per falsi suggestionem aut veri suppressionem obventa, aut etiam sine huiusmodi fraude, dummodo S. Pontifex aliàs veritate expressa & falsitate suppressa non fuisset rescripturus, valent quidem ipso iure, sed ope exceptionis coram Iudice delegato refelluntur, *d. c. Super litteris*. Ratio diversitatis est, quia rescripta gratiæ sunt ambitiosa, *c. Quamvis De prab. in 6.* non item rescripta ad lites.

6. Debet igitur in rescriptis fieri mentio de omni eo, quod movere potest Pontificem ad rescribendum, vel non rescribendum, vel etiam non tam facile. Quod Garzias *De Beneficiis*

*p. 8. cap. 3.* asserit generaliter obtinere in Rescriptis ad lites: in Rescriptis verò ad beneficia seu gratiæ intelligit de ijs, de quibus in iure vel de stylo curiæ cautum est, ut exprimantur; eo argumeto, quod collatio facta criminosa, modo crimen non sit tale, quod inhabilitatem inducat, valida sit; quam tamen verisimiliter Pontifex non fecisset, si crimen novisset. Et si autem Rescriptum subreptione tribuat jurisdictionem tamen statim obreptione & subreptione opposita, processus si quis fiat, est nullius momenti, *cap. Ex tenore 6. c. Ad audientiam, 31. h. e. t. Maceirar. lib. 1. Var. resolut. 8. n. 1. & 3.*

Illud etiam observandum, Rescriptorum Pontificorum alia per viam Brevis, alia per viam Cognitionis, alia per viam Rescripti specialiter nuncupari, concedi. Insuperque Cisterciensis habere privilegium, ne possint conveniri per rescriptum Papæ, nisi in eo fiat mentio de eorum Ordine, *c. Cum ordinem 6. h. e.*

### §. III.

Quis impetrare Rescriptum possit.

1. Impetrare potest non prohibitus.
  2. Qui prohibeantur.
  3. Rescriptum ad lites sine speciali mandato impetrari non potest.
  4. Rescriptum gratia potest.
1. Impetrare potest, quicumque non prohibetur, *c. 1. eod. in 6.* si sit actor, si verus, *c. Actorum 2. c. Ad hac 10. & aliis h. e.* licet sit filius familias, quia non reperitur prohibitus, Nec obstat, quod sine consensu patris non possit agere: quia impetrare rescriptum non est agere. Quin etiam Monachus, licet sit mundo mortuus, *can. Placuit xvi. q. 1. & servus Dei* non liceat frequentare lites *c. 2. inf. De postulando*: tamen rescriptum impetrare potest, in quantum illi convenire & subservire valet, Rebuffus in *d. Tract. De Rescriptis. n. 3.*

2. Impetrare verò non potest; Primo excommunicatus, *c. 1. eod. in 6.* & ab eo impetratum rescriptum super alio, quam excommunicationis vel appellationis articulo, est ipso iure nullum, sicut & id, quod inde secutum est, Privat enim excommunicatio communionem hominum, inducitque inhabilitatem ad beneficia, ad electionem, præsentationem, *de quo inf. Tit. 6.* item ad agendum, *cap. 1. eod. in 6.* Secundo servatus nisi de domini vindicanda nec agat, *l. 1. Cod. de precibus*



*precibus imp. offeren.* III. Falsus aut revocatus procurator, *c. Ex parte 33 h. t.* IV. Hæreticus, *l. 2. c. de summa Trinitate Gloss in c. Super litteris h. t.* Laicus pro se impetrare litteras gratiæ non potest, cum sit incapax beneficiorum, *c. Ex litteris 6. inf. de transact. c. 2. & ibi DD inf. de instit.* Ideoque mandata vel nominationes ab eo impetratæ non valent. Rebuff. in *Tract. Nominat. g. 9.* Justitiæ verò impetrare potest, ut patet ex *tit. inf. De officio delegati, c. Nonnulli 28. § fin h. t.* Hostien. in *Summa h. t. § Quis impetrare* Rebuff. in *Prax. Benef. Tit. Differentia inter rescripta gratiæ & justitiæ.*

3. Sic nec litteras ad lites impetrare licet, sine speciali mandato; & taliter impetrans tamquam falsarius punitur, *c. ex parte Decani. 33. d. c. Nonnulli in fine. & ibi dem Gloss. h. t.* ubi dicit, tale rescriptum esse annullandum per exceptionem, quia, parte non contradicente valeret: sicut & si impetretur à coniuncta persona, carnali scilicet, non etiam spirituali tantum conjunctione, *Gloss. fa in c. cum M. de constitut. ubi vide Felin nu. 11.* In Franeia tamen passim sine mandato impetrari talia rescripta tradit, Rebuff. in *Tract. concordat. in V. Speciale vers. Vigessimus sextus*, ubi restatur de consuetudine.

4. At verò rescriptum gratiosum potest sine mādato impetrari, *c. Ex ore. ubi Abbas inf. De his qua sunt à maiore parte capituli, Gloss in d. c. Nonnulli § sunt & alij, c. Quam sit & ibi Gloss. in V. petere de elect. in 6. Panor. in c. Ad aures 8. post Gloss. in fine h. t. ut v. g. beneficiorum, privilegiorum, immunitatum. De stylo tamen & praxi Romanæ Curia nullum exigi mandatum ad impetrandum rescriptum, siue gratiæ siue justitiæ, tradit & rationem reddit Gon zal ad Regul. viii. Cancell. Gloss. 63. n. 16 & seq. Ubicumque autem prohibetur quis impetrare rescriptum, si impetret non valet: siue prohibetur ratione personæ suæ, ut excommunicatus, hæreticus, siue ob turpitudinem causæ finalis ut in nuptijs ex rescripto petitis; siue quia res impetrata sit à lege prohibita, veluti ut quis duas mulieres obtineat,*

#### §. IV.

Contra quem & super quibus Rescriptum impetrari possit?

1. Impetrari potest contra quemlibet.
2. Etiam non citatum.
3. Super causis quibuslibet.

1. Impetrari potest contra quemlibet, siue Clericum siue Laicum, siue maiorem siue minorem modò, is, contra quem impetratur, subdit jurisdictioni concedentis, Hostien. *hostis § contra quem.* Si tamen minores & viliores personæ in rescripto exprimantur, non intelliguntur maiores & digniores; nec super maioribus & gravioribus negotijs audiuntur, qui de minoribus dumtaxat mentionem fecerunt, etiam si addit clausula, *Et quidem alij, & res alia c. Sedes & eod.* Impetrari etiam potest contra impetrare prohibitum, veluti contra excommunicatum, nec ex malitia sua lucrum & commodum referat, *c. intel. lectus inf. de iudicijs.*

2. Citatio vero ejus, contra quem impetratur, ad impetrationem non requiritur, sed bene in rescripti approbatione, si approbationem seu interminationem; ut vocant, requirat. Rebuffus *d. loco n. 42.*

3. Impetrari autem potest super omnibus, tam spiritualibus quam profanis, *c. 2. & per tot h. t. tā corporalibus, quam incorporalibus c. Quarelam 24. inf. de electione, c. dispendia h. t. in 6. super Ecclesijs & beneficijs, c. 2. & alij h. t. sic tamen ut Papa & Ecclesiastici viri super spiritualibus, sæculares verò super temporalibus rebus, & in quibus casibus Judices sæculares de spiritualibus cognoscunt; ut in possessorio, rescripta concedant Rebuffus *d. loco n. 66.* Casus vero, super quibus prohibetur à jure rescriptum impetrari, videantur apud Lue. de Penna in *l. unie. Cod. de pistor. lib. 11.**

#### §. V.

E pluribus Rescriptis impetratis, quodnam sit præferendum?

1. Qualiter posterius Rescriptum præferatur priori.
2. Speciale posterius derogat priori generali.
3. Generale posterius non tollit primum speciale.
4. Cur per posterius revocetur prius.

1. S I duo diversi ad unum idemque beneficium Rescriptum impetrent; vel etiam ad unam eandemque litem diversa Rescripta ad diversos Judices posterius priori præferatur, si modo prioris mentionem faciat: alias valebit prius, & posterius subreptitium habebitur. nec obtinebit alicuius roboris firmitatem, *c. Ceterum h. t.* Nisi primum fuerit impetratum comuni



muni consensu partium; nam tunc non valet secundum impetratum per alienam partem, hoc subtrahit *d. c. Caterum*: 2. Aut nisi prius sit generale, & posterius speciale, quia tunc speciale posterius derogat generali priori, quantum ad ea, quæ in speciali specialiter, & contraria contentis in generali, exprimuntur, vel in generali non exprimuntur, licet prioris mentionem non facit. *c. 1. & c. Pastoralis §. quoniam eod. tit. 3.* Id ipsum obtinet quoque, si speciale prius fuerit impetratum, quia generi per speciem derogatur, *c. generi De reg. jur. in 6.* & quia generalis dispositio, quæ sequitur, non refertur ad specialem præcedentem, *l. Sanctio legum D. de penis*. Quod si utrumque sit generale, illud attenditur, quod est magis speciale. Rebuffus in *d. Tract. de rescriptis n. 104.*

4. Non mirum autem videri debet, per posterius rescriptum revocari prius: id enim non fit sine causa, cum quod ad preces supplicantis largitur Pontifex sit veluti precarium, quod jure communi ad voluntatem dantis revocari potest, *l. Aut Prætor D. de precario*.

Quod tamen dicitur, in *d. c. Caterum*, secundum rescriptum, non habita mentione de priore, non valere, intelligendum est, si pars opponat. Abbas & alij *ibid.* Facit. *c. Plerumque §. eod.* ubi post annum valent secundæ litteræ, quando adversarius primis non fuit usus: nam inde sequitur, non fuisse ab initio nullas. Quod si quis, impetrato rescripto, videat sibi fore damnosum, non cogitur illud præsentare *cap. ex conquestione. §. De restitut. spoliarum*. Imò potest ei renuntiare, etiam si præsentaverit. Abbas *ibid.* etiam post citationem, modò parti satisfaciatur de expensis & interesse. Aliud dicendum, si parti sit aliquod jus quæsitum. Rebuff. *a loco n. 160.*

## §. VI

## Qualis interpretatio sit facienda in Rescriptis?

1. *Stricta interpretatio est Rescriptorum.*

2. *Clausula in Rescriptis ad sententiam juris communis revocanda.*

1. Quando in Rescriptis validis aliqua suboritur dubitatio, tunc interpretatio stricta est facienda. & quidem secundum jus commune, *c. Causam qua 18. h. t.* quia in dubio non

præsumitur Princeps aut Pontifex, aliquid contra jus commune rescribere, sicut nec derogare juri alteri prius quæ sit: quod est de natura rescripti, *l. Fallam. Cod. De diversis rescriptis, l. Rescripta Cod. de precib. Imp. offeren.* Montanus *De Tutela c. 33. n. 527.*

2. Et hinc omnes clausulæ, in rescriptis expressæ vel subintellectæ, ad juris communis sententiam revocari solent. Unde clausulam illam, *Si simul omnes interesse non possunt. unus nihilominus vel duo negotium exequantur*, interpretatur Pontifex, in *c. Sciscitatus 13. h. t.* de impedimento tam juris, quam facti: & per illam, *Si præ alio non scriptum* (quæ semper intelligatur, nisi contrarium exprimatur) declarat se non intendere collatorum duobus gravare mandatis, *c. Mandatum 38. h. t.* Et denique, dum in Ecclesia aliqua est certus Canonicorum numerus, nec vacat, locus, regulariter rescriptum impetrans non recipitur, *c. Constitutus, 19. h. t.* Ideo solet Pontifex addere, *Non obstante Canonicorum numero*; per quam clausulam pro illa vice juri derogat communi, *d. c. Constitutus*.

Quatenus tamen non de jure communi, sed de præjudicio agitur rescribentis, videntur rescripta latè interpretanda, *cap. Olim 16. inf. De verb. sig. & l. Beneficium D. de constitut. Principum*: dummodo ambiciosa non sint, quia tunc restringenda, *cap. 4. de præben. in 6.*

## §. VII.

## De quibusdam Rescriptis invalidis.

1. *Rescriptum non valet inhibens causæ cognitionem*
2. *Manifestè peccans in linguam Latinam.*
3. *Pendente lite imperatum.*
4. *Item contra jus vel stylum.*
5. *Quatenus vitiatur.*
6. *Subreptio quo modo tollatur.*

1. In primis suspectum omne est Rescriptum, inhibens causæ cognitionem. *c. Ex parte 2. hoc tit.* quia non præsumitur Pontifex velle pervertere juris ordinem; & ideo suspicio est, tale rescriptum ab eo non proficisci.

2. Non valet quoque Rescriptum, manifestè peccans in linguam Latinam, *c. Ad audientiam 11. h. tit. Roman. Conf. 76 n. 10 & seq. Glos. in eam. Apostolica xxxv. q. 9.* quamvis Principum secularium rescripta in Grammaticam peccantia valeant, *l. Imperator D. de statu hominum*. Attamen litteræ aut syllabæ unius alteriusve defectus non vitiatur



viciat Rescriptum, *e. Ex parte inf. De fide instru-*  
*men nisi defectus sit talis, qui mutet sensum &*  
*intellectum dispositivi rescripti, e. Inter dilectos*  
*6 inf. d. tit.*

3. Lite etiam pendente neutri litigantium fas  
impetrare rescriptum, quo alius de possessione  
vel quasi possessione deiciatur, *cap. 12. & ult.*  
*inf. Vt lite pendente, &c.* Neque enim lite pendente  
rescriptum impetrare licet, nisi ut deciditur in l.  
2. & 3. *Cod. Vt lite pendente, &c.* Sicut nec post  
provocationem, d. l. 3.

4. Similiter non valet rescriptum contra jus,  
l. Rescripta *Cod. De precibus imp. offeren. can. Re-*  
*scripta xxv. q. 2.* sive divinum, quod inferior tol-  
lere nequit; sive naturale, quod est immutabile;  
sive Gentium, ut si rescriptum dominium rei  
meae mihi auferat: sive contra jus Civile, *can.*  
*Imperiali xxv. q. 2.* sive contra Canonicum; sive  
etiam contra Concilia generalia, *e. Ex parte inf.*  
*De capellis Monachorum* Similiter non valet con-  
tra jus municipale, vel consuetudinem, nō facta  
illius mentione Rebuff. d. loco nu. 70. in fine Ra-  
tio horum est, quia talia Rescripta censentur  
concessa præter intentionem Principis, ob vari-  
as occupationes tunc juris non recordantis, d. 6.  
*Ex parte.* Non enim præsumitur, voluisse jura,  
tot vigilijs excogitata, uno rescripto subvertere,  
l. Si quando 35. C. De inoff. testam., e. Ecclesia 48.  
*inf. De electione:* licque deficit non potestas, sed  
voluntas.

Similiter non valet, si sit contra stylum, *e.*  
*Quam gravi 6. inf. De crimine falsi:* tunc enim  
non præsumitur aut credetur à Papa vel ejus Le-  
gato emanasse, *e. Porrecta 6. inf. de confirmat. u-*  
*vili.* Item si habeat clausulas insolitas: si tollat  
justitij, quia tum præsumitur falsum: si pro-  
hibitum sit impetrari: si careat debita solemnitate:  
si sit falsum in loco suspecto: si crimen sup-  
plicanti indulgeat: si sit fisco damnosum: si sit  
contra utilitatem publicam, vel jus publicum,  
veluti ut ædificetur in via publica in præjudi-  
cium transeuntium. Valet tamen rescriptum  
contra jus, si sit per modum privilegij, quod  
juri solet derogare, *can. Privilegia distict.* 3. Si  
in aliquo tantum deroget juri, veluti ut disse-  
ratur solutio creditorum per annum aut quin-  
quennium, l. Quoties *Cod. de precib. imp. offerent.*  
Si addatur clausula, *summariè & de plano,* quia  
ordo juris non tollitur, *Clement. Sapè de verb.*

*significat.* Si fiat mentio juris contrarij, l. fin.  
*Cod. Si contra jus, &c.* Si non lædat alium, & pro-  
sit petenti.

5. Observandum autem circa hæc, subreptionem  
nem in uno capite, seu in una parte, Rescripti,  
regulariter non viciat Rescriptum, quoad alia  
capita separata, *e. Si eo tempore h. t. m. 6.* nisi sit do-  
losa, quia tunc viciat in totum, *e. Sedes 15. e. Ex*  
*tenore 16. e. Super litteris 20 h. t.* cum mendax pre-  
cator seu impetrator debeat carere penitus impe-  
tratis, d. e. *Sedes.* Similiter si subreptio in uno  
capitulo fuerit causa obtinendi rescripti quoad  
omnia, viciat in totum, *e. Constitutis 19. & ibi*  
*Gloss. & Abbas, h. e.*

6. Observandum postremò, subreptionem  
tollit per clausulam, *Motus proprii,* per clausulam,  
Non obstante, per clausulam, Si non sit alteri jus  
quasitum, quia videtur tunc concessum sub con-  
ditione, si non præjudicetur alteri in jure quas-  
sito *e. Quamvis eod. in 6.* Item per clausulam, *Ex*  
*certa scientia;* per clausulam, *Ex plenitudine pote-*  
*statis;* per clausulam, *Pro expressis habentes & sup-*  
*plentes omnes defectus,* prout de his videre licet  
apud Rebuff. d. Tract. de Rescriptis.

## TITULUS QUARTUS De Consuetudine.

### §. III.

#### Quid sit Consuetudo?

1. Jus non scriptum in Traditionibus, & in Consue-  
tudine consistit
2. Definitio Consuetudinis
3. Consistit in facto.
4. Quid mos.

1. **P**ostquam egimus de jure Canonico scri-  
pto, ejusque partibus, partim in Cor-  
pore Juris clausis, partim non clausis: sequitur  
ut de non scripto agamus; quod dari constat ex  
*can. Ecclesiasticarum, can. Nolite & aliis distict.*  
11. & distict. 12. *ferè per tot.* Consistit illud  
partim in Traditionibus, sumpto tamen no-  
mine traditionis specialiter, ut designat ran-  
tium doctrinam non scriptam; partim in Con-  
suetudine specialiter sumpta. Traditiones au-  
tem, de quibus egimus Tit. primo, non solum  
agnoscit Ecclesia Catholica, seu jus Pontifi-  
cium, sed etiam Justinianus ipse varijs in locis,  
ut in l. sanctior ibi: secundum Apostolicam.  
&c. in



&c. in l. Nemo ibi: juxta Apostolicam &c. in l. Cum resam in princ. in l. Cum Salvatore Cod. De Summa Trinit. & in plurimis Novellis.

2. Consuetudinis specialiter sumptæ, ut à traditione distinguitur, variæ à varijs assignantur definitiones. Justinianus definit, Esse diuturnos mores, consensu utentiū comprobatos. Cujus definitionis explicationem suppono ex Institutionibus eiusdē. Isidorus vero in *can. Consuetudo dist. 1.* definit, Esse ius quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex. Quæ definitio datur per genus definiti, quod est ius, & per differentiam, sumptam a causa efficiente & simul ab effectu, dum dicitur, Moribus institutum, quod pro lege suscipitur, dura deficit lex, scripta scilicet. Censetur autem deficere lex scripta non solum, quando omnino non est lata, verum etiam quando est ambigua, vel inuoluit posita vel dum rationi non inicitur Ideoque non obstat, quod consuetudine utamur etiam, lege non absolute deficiente, ut patet ex c. Cum dilectus h. t. quodque detur consuetudo contra legem, seu legi derogans. & præter legem, vel etiam ipsi legi conformis, quæ dicitur optima legis interpretis.

3. Pro pleniori autem explicatio ne datæ definitionis observandum, vocabulū (*consuetudo*) duobus modis solere sumi, quantum ad rem præsentem attinet, nempe vel pro ipso usu & frequentibus moribus, seu actibus alicujus communitatis aut populi, & ita dicitur esse facti, & in facto consistere: vel pro ipso jure, quod ex ejusmodi diuturno usu & frequentibus moribus seu actibus nascitur: & hoc modo dicitur esse ius quoddam, distinctum à jure scripto. Quamquam in *cap. hoc sit. in 6.* quod loquitur de consuetudine sumpta pro jure, dicatur esse facti & in facto consistere non quasi non sit ius, sed quia peculiare consuetudines, de quibus *d. cap. loquitur*: dicuntur esse facti & in facto consistere: vel quia ex facto nempe ex moribus seu actibus hominum, oriuntur: vel quia sunt pæne infinitæ, ut facta hominum, Unde & ignorare consuetudinem meritò præsumitur Pontifex, *d. cap. 1.* eandemque alleganti, nisi notoria sit, incumbit probatio: & quidem non in generale, sed specialiter in casu controverfo. *Surd. Consil. 313. num. 32. ubi alios citat. Fachin. lib. 3. Conf. 26. nu. 10.* pro-

bari debet in eadem specie, & concurrentibus iisdem qualitatibus, *Surd. Decis. 13. n. 10 & decis. 87. n. 12. Fachin. d. lib. 3. Conf. 82. ubi plures citat.* Quæ autem requirantur, ut probetur: vide remissivè apud *Surd. Conf. 333. nu. 21. Mascardum de probat. Verbo Consuetudo. Gail. 2. Obs. 31. n. 15.*

4. Similiter vocabulum, Mos, interdum sumitur, prout est idem quod Consuetudo, sumpta pro jure, uti dum dicimus quem sequi morem patriæ, id est consuetudinem. Ita sumitur in *can. Mos dist. 1.* dum dicitur, Mos esse longa consuetudo de moribus tantummodo tractat. Interdum verò sumitur, ut significat actus ipsos, eorumque frequentiam & reiterationem: & hoc modo non est consuetudo, sed potius consuetudinis causa. Ita sumitur in definitione consuetudinis, & in definitione moris, illis verbis, *de moribus tantummodo tractat*, atque ita non definitur idem per seipsum.

## §. II.

### De requisitis ad introducendam Consuetudinem.

1. Primò requiritur diuturnitas & actuum frequentia.
2. 3. 4. Definitio temporis & actuum relinquatur arbitrio iudicis.
5. Actus debent esse uniformes & usitati.
6. Secundo, oportet rationabilem esse consuetudinem.
7. Tertio requiritur scientia Principis.
8. Scriptura non est de essentia legis.
9. Vt neque de substantia est consuetudinis, quod sit non scripta.

1. AD consuetudinem introducendam requiruntur in primis diuturnitas temporis & actuum frequentia. Nam licet consuetudo inchoari possit ab aliquo actu insigni, quem ceteri postmodum imitentur: tamen non nisi pluribus induci potest, ut constat ex l. 1. & 2. Cod. *Qua sit longa consuet.* tum ex definitionibus ejus, exigentibus mores & actus frequentes: tum ex ratione etymologica, quia consuetudo vocatur, quod in communi sit usu, *can. Consuetudo dist. 1.* Usus enim est actus repetitus, & quidem interpolatè, *Barthol. in l. De quibus D. de Ll. Cur. Sess. 4. num. 38, &c.*



38. & ideo non sufficit unicuique actus, licet notus sit toti populo vel collegio: nisi esset successivus, & haberet continuationem temporis, intra quod inducitur consuetudo, *text. sing. in c. Cum de beneficio de prabendis in 6.* vel nisi esset iudicialius talis, ex quo tamquam notorio dege- reretur consensus populi. Abbas in *c. fin. h. t.* Tame- ni vero utroque jure, tam Civili quam Can- onico determinatum sit, quantum temporis requiratur ad prescriptionem.

2. Neutro tamen definitum est, quantum re- quiratur ad consuetudinem, quæ vim legis ha- bet, & speciem juris constituit, atque à præscrip- tione plurimum differt: sicut nec definitum est: quot actus requirantur, ideoque utrumque Ju- dicis arbitrio relinquendum est, *arg. leg. D. De ju- re deliberandi*, ut is iudicet, an tantum temporis, & tot talesque actus, siue judiciales siue extra- judiciales, intervenierint, ut ex ijs præsumi possit consensus populi, & venisse in notitiam Princi- pis, vel populi, superiorem non recognoscentis; & consequenter intervenisse tacitum ejus con- sensum, necessarium ad hoc, ut consuetudo vim legis habeat, aut legem abrogare possit.

3. Non obstat, quod in quibusdam Juris textibus consuetudo dicatur *Longævus usus*, *l. 2. C. Qua sit longa consuet. vel inveterata*, *l. De qui- bus D. de LL. aut vetustate probata* *l. Idor. 5. Ety- molog. c. 3.* vel *longa d. Tit. C. Qua sit longa con- suet. ac diuturna*: *l. Diuturna D. de LL.* quia il- lis locis non designatur tempus necessarium ad ejus introductionem, sed solum tempus, quo, postquam introducta fuit, duravit ac durat; quia scilicet pleræque consuetudines non tan- tum receptæ sunt à decem annis (quod tempus in Juristextibus dicitur longum & diuturnum) sed plurimæ ab hominum memoria: atque ita inveteratum, longævum, & longum, & diu- turnum, sunt accidentia consuetudinis, non eti- am ad ejus substantiam vel introductionem re- quisita.

4. Nec obstat, quod in *cap. ult. hoc t.* sicut & in *c. 3. cap. in o. inc. Cumana inf. de elect.* velit Pontifex consuetudinem, ut derogare possit ju- re Ecclesiastico, esse legitimè præscriptam, quia sensus est, quod debeat esse legitimè introdu- cta. Sic licet quædam jura velint consuetudi- nem longi temporis habere vim legis, aut et- iam legem tollendi: non tamen definiunt,

quantum debeat esse tempus ad consuetudinem introducendam. Et dum longum tempus in Ju- re vocatur tempus decem annorum, id intelligi- tur, de tempore requisito ad prescriptionem quarundam rerum; quod vocatur longum, ad distinctionem alterius temporis brevioris, puta quadriennij, sufficientis ad prescriptionem alia- rum quarundam rerum, ut in *tit. Cod. de quadri- ennij prescrip.*

5. Quantum verò ad actus, ex quibus con- suetudo inducitur, attinet, ij debent esse unifor- mes, *l. Nemo, §. temporalis, D. de reg. juris.* Farinac. seu difformi observantia, *2. parte dec. 112. n. 5. latè Rota Rom. dec. 19. n. 6. & dec. 72. n. 28. in noviss. 2. p. divers.* Cravetta *Conf. 113. n. 4.* Menoch *lib. 4. Presumpt. 31. n. 7.* quia ex actibus qui difformiter successerunt, remanet dubium, quid populus servare voluerit: cum tamen sicut lex, ita & con- suetudo debeat esse clara & certa, non autem obscura & dubia, *Hofstien. h. t. §. fin. Surd. Conf. 393. n. 23.* Et ideo consuetudo, quæ non fuit conformis, non attenditur *Surd. Com. 449. n. 7. ubi plures citat.* Similiter nec ex contrariis aut turbidis actibus Farinac. *1. parte dec. 56. n. 13. & 16.* vel quia mera facultate vel ex tolerantia pro- cedunt, inducitur, Farinac. *d. dec. 112.* quia multa per patientiam tolerantur, quæ si in iudicium deducantur, exigente justitia tolerari non de- bent, *c. Cum jam dudum de prabendis.* Debent quoque actus esse usitati publicè, præsentibus & scientibus multis & infinitis personis, ut inde dici possit intervenisse tacitus majoris partis po- puli consensus, Azo. in *Sum. Cod. Qua sit longa con. Farin. 1. p. dec. 155. n. 4. & 2. p. dec. 318. nu. 5.* imò debent actus isti fieri animo inducendi consuetudinem, *cam. consuetudo dist. 1.* Abbas in *c. fin. vers. 7. requiritur hoc t.* *Surd. conf. 393. n. 28.* & taliter facti probari, ad probandam consuetu- dinem, Farinac. *2. p. dec. 44. n. 2.*

6. Secundò requiritur, ut sit rationalis, uti patet tum ex *c. ult. hoc t.* ubi cum id decusum exstet, nec reperiaturs jus civile in contrarium servari in utroque foro debet, *arg. cap. 2. inf. de novi operis nuntiatio*, tum ex eò, quod vim legis habere debeat, & pro lege scripta, cum ea de- ficit, suscipi: atqui ratio est anima legis, ut col- ligitur ex *l. Si re leges D. de LL.* ideoque consue- tudo, quæ est contra rationem aut veritatē, seu contra jus naturale vel divinum, vel bonos mo-



es, nullius est momenti, *can. Veritate*, cum ali-  
quot segg. *distin.* 8. & corruptela dicitur, *can.*  
*Mala ibid. c. Cum venerabilis* 7. h. t. & quidem  
tantò perniciosior quo diutius durat, *arg. c. ult.*  
*h. t.* Erit autem rationabilis, si habeat conditio-  
nes legis, enumeratas partim in *can. Consuetudo*  
*dist. 1.* partim in *can. Erit autem lex distin.* 4.  
quandoquidem legis auctoritatem habere de-  
beat. Ut tamen lex iusta & rationabilis sit, &  
consequenter consuetudo sufficit, quòd talis sit  
ut in pluribus, licet non sit talis in singulis, Præ-  
sumitur autem rationabilis, si tanti temporis sit,  
ut ejus initij non extet memoria.

7. Tertiò requiritur scientia Principis, ubi  
populus Principem superiorem habet, & ejus  
saltem tacitus consensus. Scientia quidem,  
quia aliter nec adesse nec præsumi potest taci-  
tus Principis consensus, quam si usus sit ei ma-  
nifestus. Requiritur autem tacitus saltem con-  
sensus Principis, ad hoc, ut consuetudo vim  
legis habere possit, vel legem abrogare: nec e-  
nim inferior potest condere legem, aut contra  
legem superioris quidquam statuere. Hinc ve-  
rò tacitus consensus implicite continetur in  
definitione consuetudinis, in verbo, Moribus;  
intellige approbatis: si quidem per alios, quam  
per approbatos, non inducitur consuetudo: &  
ideo dicitur debere inductam esse ex certa  
scientia, non per errorem, *Glossa in can. Frustra*,  
*vers. item quod non per errorem distin.* 8. *Late*  
*Parin. 1. p. decis. 524 nu. 4.* Sunt tamen, qui ve-  
lint non requiri specialem scientiam, sed suffi-  
cere, quod Pontifex in *d. c. fin. h. t.* decreverit,  
ut consuetudo legitime præscripta habeat vim  
legis statuendæ & tollendæ: quasi talis volun-  
tas, ut eam vim habeat consuetudo, sit tacita  
scientia & tollerantia consuetudinis in poste-  
rum inducendæ legitime; ut eas vires fortietur  
absque alia speciali ipsius consuetudinis in  
Principe scientia. Sanchez *De Matrim. lib. 7. di-*  
*sp. 4. n. 11.* *Surd. Conf. 335 n. 68.* Imò id ipsum  
obtinere quidam volunt etiam in consuetudine,  
quæ est contra jus, ut Moner. *De distribut. quo-*  
*tid. 2. p. q. 12 n. 19.* & in *Tract. de decimis c. 3. n. 88.*  
Sanchez *d. lib. 7. disputat. 82. n. 20.* Welenb. in  
*tit. DD. LL. n. 8.* ubi ait sufficere, quod Princeps  
non contradicat, & hanc sententiam esse recep-  
torem tradit.

8. Ut autem non est de essentia legis, quod

sit scripta, quandoquidem causa obligationis  
legis sit potestas Principis, explicata & appli-  
cata per voluntatem ejus, aliquo signo externo  
sufficienter expressam, ad quod nullo modo est  
opus scriptura: ita nec est de substantia seu es-  
sentia consuetudinis, quòd sit non scripta, non  
solum, postquam est introducta; quia licet tunc  
scribatur, nihilominus manet consuetudo, ut  
patet ex libris Feudorum, qui continent consue-  
tudines, juxta *Rubr. Feud. & omnes scribentes in*  
*præludis Feudorum Maranta 3 p. Speculi aurei n.*  
*83. & c. c. 2. De præbendis in 6.* sed nec quoad  
ejus introductionem.

9. Non obstat, quod in eo consuetudo à lege  
distingui videatur, quòd lex scripta sit, consue-  
tudo non; & per hoc discrimen assignentur defi-  
nitiones legis & consuetudinis: quia istud discrimen,  
& definitiones illud continentes, non as-  
signentur per sola essentialia, sed tantum per id,  
quod ut plurimum accidit, prout plurimum  
evenit, ut lex scripta sit, consuetudo verò non sit  
scripta.

Distinguitur igitur in eo quoque consuetudo  
à lege, etiam non scripta, quòd lex semper con-  
stituatur expresso consensu Principis, nec mori-  
bus utentium introducatur: consuetudo verò  
semper moribus utentium introducatur, & ut  
plurimum tacito consensu Principis consume-  
tur seu approbetur. Insuper de substantia legis  
est promulgatio, non autem de substantia con-  
suetudinis.

Et hæc quidem intelligenda sunt de consue-  
tudine specialiter sumpta: alioqui sumitur ali-  
quando generalius pro eo jure, quod in commu-  
ni usu est, ut in *can. Consuetudo Dist. 1.* dum dici-  
tur, nihil differre an scriptura, an ratione consti-  
tatur: nam eo pacto sumpta non distinguitur à ju-  
re scripto, sed potius illud sub se continet.

### §. III.

Quotuplex consuetudo, & ejus effe-  
ctus.

1. Effectus consuetudinis in genere.
2. Consuetudo, quæ est præter legem, constituit  
novum jus.
3. Consuetudo secundum legem juri dubium in-  
terpretatur.
4. Consuetudo contra legem tollit legem.
- 5, 6, 7. Satisfit objectioni triplici.

E

Diri-



**D**ividitur Consuetudo in generalem & particularem. Rursus in Canoniam & Civilem: & utraque subdividitur in eam, quæ est præter legem seu præter jus; & in eam, quæ est secundum legem seu jus; ac denique in eam, quæ est contra legem seu jus.

1. Quantum ad effectum consuetudinis in genere spectat, ea est stricti juris, & servanda solum in suis terminis, neque extenditur de casu ad casum. *Surd. Conf. 407. num. 3.* nec de persona ad personam, *idem Conf. 371. n. 4.* nec de loco ad locum, *idem Conf. 323. nu. 13.* Facit licitum quoad forum fori, quod alias esset illicitum quoad evitandam poenam temporalem *Surd. Conf. 227. nu. 51.* tribuit jurisdictionem non habenti, *c. Cum contingat. De foro competenti, can. conquestus 1x. q. 3.* Attenditur autem ea, quæ viget in locis vicinis, quando deest propria. *Surd. Conf. 311. n. 16.* Similiter attenditur ea, quæ est ultima: item ea, quæ est favorabilior. *Surd. Conf. 448.*

2. Consuetudinis, quæ est præter legem, effectus est constituere jus novum, ubi deficit lex, *can. Consuetudo distincta. 1.* obligatque non minus in conscientia ad sui observationem, quam lex scripta, cum parem habeat vim & auctoritatem: cuius rei ratio redditur in *l. de quibus, D. de LL.* Exempla hujusmodi consuetudinis habentur in *can. illa distincta. 11. c. 2. de observat. jejunij. c. fin. de feriis.*

3. Consuetudinis, quæ est secundum legem, effectus est, non jus novum constituere, sed jus dubium interpretari: unde in *d. l. de quibus* dicitur optima legum interpretatio: aut legem præ-existentm confirmare, & eam adjuvare, ut colligitur ex *c. sopite, de consuet.*

4. Consuetudinis contra legem effectus est, tollere legem: non quidem naturalem aut divinam quandoquidem consuetudo ad jus humanum spectet, & ab humana potestate pendeat; sed humanam, sive civilem, sive Canoniam, modo justa & rationalis sit, *c. ult. hoc tit. d. l. de quibus D. de LL.* Tollit autem generaliter, si generalis sit: si verò sit specialis, abrogat specialiter in illo loco, in quo introducta est viget.

5. Non obstat quòd in multis Canonibus dicatur consuetudo non prævalere legi sed est si-  
cut & veritati, credere debere; imò eam, quæ obviat Canonice institutis, nullius esse momenti: quia loquuntur de consuetudine mala

& irrationabili, quæ proprie non est consuetudo, sed magis corruptela, ut diximus, vel si loquantur de rationabili, ut *c. Cum consuetudine 9. h. t. c. l. 2. Cod. quæ sit longa consuetudo*, loquuntur vel de consuetudine facti, vel solum volunt, consuetudinem non habere ex præcisa ratione consuetudinis, quòd vincat legem, pro-  
ut verissimum est, & indicant illa verba, *non tamen usque ad id sui valitura momento, &c.* Hanc siquidem vim habet ex eo, quod sit lege poste-  
rior, legi contraria: & tacito Principis consensu approbata.

6. Et ideo non obstat, quod consuetudo contra legem inducatur per actus multitudinis seu populi, & quidem ab initio malos, ut pote contra legem factos, nam ad eam introducendam non requiritur bona fides nec titulus. *Surd. Conf. 335. n. 68.* sed sufficiunt diuturnitas temporis, actuum frequentia, & tacitus populi vel Principis consensus. Et in eo distinguitur à præscriptione, quæ non potest introduci, nisi per possessionem, & actus ab initio iustos ac bonæ fidei. Sicut & in eo distinguitur, quod consuetudo constituat seu potius sit jus commune, non item præscriptio: unde præscriptione acquiritur jus alicui singulari ac privato non item consuetudine. Rursus præscriptio & privilegiū non concurrunt, juxta *c. Inter dilectos 6. ceterum inf. de fide instrum. c. Veniens 19. inf. de rescript.* Insuper illa est actionis seu petitionis exclusio, hæc actionis seu juris acquisitio, *c. Constitutio 47. inf. de electione, c. in Genesi 55. eod. tit.* Præterea consuetudo erronea nihil juvat: è contra præscriptio erronea juvat, quia titulus sufficit putativus, licet verus non sit, dummodo error probabilis excuset, & det causam præscribendi, juxta *l. ult. D. Pro socio.* Denique præscriptio habet locum in immobilibus, spiritualibus & corporalibus, *c. Auditis & segg. inf. de præscript.* consuetudo in corporalibus, ut electionibus, jurisdictionibus, servitutibus. Et quod consuetudo possit tollere legem, non habet à multitudinis seu populi, sed à Principis seu legislatoris, tacito consensu, cuius eadem vis est cum expresso: & malitia successu temporis purificatur; partim per supervenientem ignorantiam probabilem succedentium, partim per accedentem consensum tacitum legislatoris, qui ut auctor est legis, ita illam tollere potest.

Non



7. Non obstat denique, quod lex debeat esse rationabilis & iusta; unde videtur sequi, consuetudinem, quæ contraria sit legi, fore injustam & irrationabilem: quia licet consuetudo, contraria legi, eamque abrogans, sit contra rationem talis legis, non tamen est contra omnem aliam rationem: si quidem contraria diversis respectibus possit esse rationabilia, arg. c. *Quia non debet, inf. De consanguinitate*. Et hinc fit, quod consuetudo possit etiam abrogare legem, habentem clausulam, *Non obstante contraria consuetudine*, sive præterita scilicet sive futura, ex nova nimirum & iusta ratione superveniente, quæ injustitiæ seu iniquitatem consuetudinis pro eo tempore, quo lex eam tollit, aufert. An autem consuetudo contraria legi vel statuto probetur per simplicem observantiam, an verò demonstrari debeat, quod in contradictorio iudicio fuerit obtenta, quæri potest. Postterius tenet *Surd. Conf. 393. n. 25. per l. De quibus*, in verbis, *in omnibus*, *D. De LL. & alios, quos citat.*

#### §. IV. De Stylo.

1. Quid per Stylum hic intelligatur.
2. Stylus Curia Rom. ius facit.
3. Etiam in aliis Curia.
4. Stylus à consuetudine in quibus differat.
5. Allegans Stylum probare eum debet.

1. **Q**uemadmodum Consuetudo dupliciter sumitur, prout vel est facti, vel iuris, seu ius quoddam: ita proportionem quadam Stylus, prout speciatim à Juris peritis usurpatur, sumi potest vel pro modo ac formula quasi artificiali procedendi in causis & negotiis, ut docet *Bart. in l. de quibus D. De LL.* sicque vocari Stylus facti: vel pro iure quodam, ex huiusmodi formula & modo procedendi nato: 2. sic enim dicimus Stylum Curia Romanæ facere ius, maximeque in rescriptis attendi debere, c. *Quam gravi, 6. inf. De crimine falsi*. & allegari posse in decisionibus, quando ius non est in contrarium, c. *Ex litteris sup. De constit. c. Litteris 3. inf. De iuramento calumnia*. Videatur *Farinac. 2. p. Decis. 88. num. 1.* Et maxime in respicientibus processum, & in modo procedendi attendi debet, *Farin. 1. p. Decis. 704. num. 6.* Necessario autem Stylus Curia Rom. servari e-

tiam in omnibus aliis debet *Curtis Farin. d. p. Decis. 212. n. 2.* etiam extra statum Ecclesiasticum, maxime ubi agitur de interpretatione litterarum Apostolicarum, vel statuti, à Sede Apostolica confirmati, ut idem *Farinac. docet. ibid. Decis. 196. n. 2.*

3. Differt verò Stylus à consuetudine, primo, quod Stylus sit in scribendo; consuetudo in aliis actibus *Decius Conf. 11. nu. 12. Matfil. Conf. 8. n. 27. Felin. inc. 2. num. 18. De rescript.* Secundo, Stylus versatur circa modum procedendi in iudicio; consuetudo circa definitionem, decisionemque causarum *Alex. Conf. 36. n. 9. lib. 2.* Stylus est particularis; consuetudo generalis, *Felin. d. loco*. Denique Stylus tantum introducit ex actibus iudicialibus: consuetudo tam ex actibus extrajudicialibus, quam iudicialibus.

6. Cæterum quemadmodum allegans consuetudinem, probare eam debet, ita & allegans Stylum alicuius Curia, eum probare tenetur, & quidem in individuo & concludenter, *Farinac. 2. p. Decis. 486. n. 71. & Decis. 301. nu. 7. ubi alios citat.* Quamquam, ubi respicit ordinatorem iudicii, possit Iudex se de illo extrajudicialiter informare, ut ibidem docet *Farinac. Decis. 725. n. 5.* Alioquin Stylus contra ius, & respiciens decisoria, concludenter probari debet non per simplicem fidem, ut idem docet *1. p. Decis. 256. n. 5.* nec per fidem extrajudicialem Procuratorum, *decis. 644. n. 4.* Probatur verò ex assertione plurium Notariorum & Causidicorum & inspectione aliorum processuum, *Farinac. 1. p. Decis. 393. n. 2.* Quod de Styli duplici acceptione diximus, idem dici potest de Ritu, qui videtur significare usum & observantiam circa solemnitatem alicuius actus, aut ius quoddam non scriptum, ortum ex tali observantia solemnitatis circa tales aut tales actus.

### TITULUS QUINTUS De Postulatione Prælatorum.

1. Ratio ordinis.
2. Quid sit Postulatio.
3. Qui postulandi.

E 2

4. 5. De-



4. 5. Debet concors esse Postulatio & certa.

6. Quale impedimentum esse debeat in postulanda.

**H** Aec nos egimus de Jure scripto, ejusque principijs ac partibus; & de jure non scripto, ejusque etiam partibus. Quia verò parum est jura concedere vel nosse, nisi sint, qui ea tueantur & observari curent, 2. D. De orig. juris, c. Vbi periculum h. praterea De elect. in 6. ideo de Personis Ecclesiasticis, id sacrorum Canonum ministris, Distinct. 2. in prima, earumque assumptione ad dignitates deinceps agendum est.

Tribus potissimum modis contingit assumi aliquem ad dignitates Ecclesiasticas: Postulatione, Electione, & Translatione. Postulatio, quamvis hæc in subsidium Electionis sit introducta, ut si quis per Canones eligi prohibeatur, saltem subsidio Postulationis admittatur, hic præcedit, quia innititur gratiæ, iuxta c. Bona memoria 23. in fine 3. & Abbatem in Rubr. h. t. Frustraque ageretur de electione eius, qui ob Canonicum aliquod impedimentum eligi non potest.

2. Est autem Postulatio (ut alias eius omittam significationes, & inter eas illam, quæ querelam denotat vel petitionem, quæ sit in judicio adversus aliquem) strictè sumpta, & prout ab Electione distinguitur, concors, certa, & supplex Capituli vel aliorum petitio, apud superiorem facta, ut certa aliqua persona ad Prælaturam promoveatur, ad quam, ob aliquod impedimentum vel defectum, iure eligi non potest, cum tamen Ecclesiæ utilis futura speretur; 3. veluti si agatur de Laico in Episcopum assumendo, can. Osius Dist. 61. vel de eo, qui illegitimè natus est, c. Immoit 20. inf. De elect. vel ætate minor est, c. Cum in cunctis, c. Cum nobis 19. inf. eod. vel in minoribus constitutus, c. Praterea, inf. De ætate & qualitate ordin. vel si Episcopus aut Archiepiscopus unius Ecclesiæ expectatur ab alia, c. ult. juncto c. Bona memoria 2. h. t. vel nondum religionem professus exposcatur Abbas, c. Cum monasterium 13 inf. De elect. Cum enim hi eligi prohibeantur, postulari debent, d. c. Cum in cunctis.

4. Dictum est, concors: quia postulatio debet à Collegio concorditer fieri, d. Bona memoria h. nos igitur; & c. ult. h. t. id est, vel ab omnibus, vel saltem, ut vult Panormit, à maiore par-

te Capituli seu Collegii, id est à non minori, quæ tertia parte, eaque saniori, d. h. nos igitur & arg. c. 1. in fine & c. ult. inf. De his, quæ sunt à maiori parte Capituli, & colligitur ex c. Scriptum 40. inf. De elect. Quod si postulatio cum Electione concurrat, necesse est, ut numerus postulantium duplo sit maior numero eligentium; alioqui electio præfertur, d. c. Scriptum & ibi latè Panormit. Cujus ratio est, quia Postulatio nititur gratiæ, nec ullum jus postulari tribuit, qui aliquo defectu laborat, & quem proinde superior non cogitur admittere, c. Postulationem 5. h. t. At verò Electio jure nititur, quod difficilius expugnatur.

5. Dictum est, certa, quia in certis verbis postulatio facta est nulla: ut si dicatur, eligimus postulando, aut postulamus eligendo, vel alijs similibus modis, relatis in c. unico eod. in 6.

6. Dictum est; ob aliquod impedimentum non autem ob delictum: quia qui crimine aliquo aspersus est, vel notatus, neque eligi neque postulari potest, d. c. unico. Debet quoque hoc impedimentum esse Canonicum ut per superiorem tolli possit: & si postulatus sit minor ætate, debet is attigisse 27 annum, c. unico h. t. in Extravag. Ioan. xxii. Debet insuper attendi, ne in ejusmodi postulationibus dispensatio super talibus defectibus & Canonicis impedimentis difficilis sit, & Ecclesiæ futura: qua de re vide Panormit. ad c. fin. circa finem h. t. Hinc postulari non potest tanquam postulatione indignus, qui violavit interdictionem, c. 1. h. t. Debet etiam idoneus postulari, alioqui doctrina & moribus indignum scienter postulantem pro ea vice omittunt jus postulandi: sicut & superior amittit potestatem, alium postulatum admittendi, qui sciens postulatam indignum admisit, c. 1. & 2. eod. tit. quia sic aburitur sua potestate, d. c. Scriptum in fine De electione.

#### TITULUS VI.

### De Electione & electi Potestate.

§. I.

Quid sit Electio, & quomodo distinguatur à Postulatione.

1. Quid significet Electio.

2. Sumitur generaliter & specialiter.

3. De-



3. *Definitio Electionis.*4. *Locum habet in dignitatibus Ecclesiasticis.*5. *In quibus differat à Postulatione.*

**D**E Postulatione jam dictum est, qui est modus promovendi ad dignitatem Ecclesiasticam per viam gratiæ: sequitur de Electione qui modus est promovendi aliquē per viā juris.

1. Tamen si autem Electionis nomen ex vi sua denotet delectum rei alicuius vel personæ, & duabus vel pluribus, *c. in causis 30. cum seq. h. r. c. Cum speciale 61. inf. De appellat. c. In alternatibus De reg. iur. in 6. l. Plurimum 10. D. de iure dotium l. Si quis stipulatus D. de verb. oblig.* tamen in hac materia restringitur ad personam, quatenus quis ad certam Ecclesiæ functionem & dignitatem eligitur.

2. Et hoc modo sumptum, dupliciter capi potest: primò generaliter, ut non solum Electionem, specialiter sumptam, sed & Postulationem, Præsentationem, Nominationem ac Collationem comprehendat, quia in his omnibus eligenda est persona, beneficio idonea, quæ postuletur, præsentetur, nominetur, & cui conferatur beneficium: secundò specialiter, & prout à reliquis distinguitur.

3. Sicque est alicuius ad dignitatem aliquam Ecclesiasticam vacantem canonicè facta vocatio auctoritate superioris confirmanda, ut constat ex *c. Cum dilectus 32. c. Nihil 44. h. r. c. Glof. in Clem. Quia contingit in V. Electionem eod. tit.*

4. Dicitur, ad aliquam dignitatem: quia in simplicibus beneficiis Electio, propriè dicta, locum non habet, sed in dignitatibus & Prælaturis Ecclesiasticis, maxime quæ jurisdictionem aliquam in Ecclesiasticas personas habeat adiunctam: quæ ideo beneficia Electiva dicuntur, nec ad alicuius dispositionem pertinere. Huiusmodi sunt Pontificatus, Patriarchatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, omnesque Collegiatarum Ecclesiarum Præposituræ, nisi aliter ex fundationis consuetudine, præscriptione legitima, aut privilegio obtineat: in quibus Electio potius obtinet, quàm collatio: ut is qui præficiendus est, sit gravior Clero ipsius Ecclesiæ, dum eius suffragiis eligitur. Et ideo si quis aliter, quàm per electionem totius Collegii, ad dignitatem Ecclesiasticam aspiraverit, veluti si forrè per collationem fuerit promotus, tanquam per cupiditatem & contra Canonicæ

regulæ disciplinam, expellendus est, *c. 1. h. r.*

5. Licet igitur olim iura promissè fuerint, verbo Postulationis & Electionis, ut patet ex *can. Statutus dist. 61. & can. Literas dist. 63.* tamen plurimum differunt. Nam, ut dictum est, Postulatio est introducta in subsidium Electionis, ut eius incapax promoveatur: nullum jus postulato tribuit, sed solâ gratia superioris nititur, qui eam admittere vel rejicere potest: & iure ordinatio à solo Papa admitti potest, quippe qui solus Canonica seu iuris communis impedimenta iure ordinatio relaxare possit. Insuper qui eligi potest, postulari non potest, & contrà. At verò Electio introducta est, ut capax promoveatur: iure nititur, nam tribuit electio ius ad rem, & per eam initiatur vinculum matrimonii spiritualis inter ipsum & Ecclesiam, ad quam eligitur, confirmarique potest de iure communi ab alio, quàm à Papa. Et quando ad inferiorem spectat confirmatio, eam si legitime facta fuerit, confirmare debet: alioquin si distulerit, potest ei præfixi tempus, intra quod confirmet: & si intra illud non confirmaverit, confirmatio devolvitur ad superiorem.

## § II.

## Quando facienda sit Electio.

1. *Electio non nisi mortuo & sepulto Prælato facienda regulariter.*
2. *Quo loco convenire electores debeant.*
3. *Convocandi & citandi sunt omnes.*
4. *Per Procuratorem electio quatenus fieri possit.*
5. *Electio non securo effectu, non evacuatur.*
6. *A seculari facta electum inhabilem reddit.*

1. **P**riusquam de electione Prælati Ecclesiæ agatur, Ecclesia debet esse viduata suo Pastore seu Prælato, *c. Bona memoria 36. h. r. can. Obeantibus 35. Distinct. 63. can. Episcopo 3. in fin. vii. q. 1. Glof. in can. Postquam 11. Distinct. 50.* quandoquidem iusti possessoris beneficium alteri dari non possit, *c. 2. & 3. inf. De concessione præbende, cap. 1. & 3. eod. tit. in 6.* Nec ante sepulturam defuncti Prælati saltem ex honestate, fieri debet, aut de ea tractari: alioquin antè facta, nisi aliud obster, non valebit, *d. c. Bona memoria 36. juncta Glof. & Panor. ibid. n. 11. can. Nullus 7. dist. 79.*



2. Mortuo vero & sepulto Prælati, debent electores, scilicet, qui sunt de Collegio Ecclesiæ viduati, cui Prælati quæritur (nam ad hos de jure Decretalium spectat electio, *cap. 1. &c. Cum terra hoc t.* in Capitulo convenire diem electionis statuere, eamque per litteras absentibus nuntiare: locum electioni commodum designare; qui locus plerumque est Capitulum, *c. In causis 30. hoc t.* vel Ecclesia, *cap. Quod sicut 28. h. t.* Franc. Marc. 1. p. q. 97. vel chorus Ecclesiæ, *c. Cum nobis olim. 19. h. t.* vel alius honestus & decens, secundum consuetudinem, modò non sit clandestinus: nam clandestinas electiones reprobat Pontifex in *c. Quia propter 42. §. electiones h. t.*

3. Quod si non possit conveniri inter Canonicos de loco, is per sortem eligi potest; licet electio per sortem fieri nequeat Steph. Gratianus *disceptat forens. cap. 65. nu. 43. ubi alios citat.* Oportet autem omnes, qui jus eligendi habent, si ve de jure communi si ve ex privilegio vel pacto, si ve ex præscriptione, quæ jus eligendi tribuit, secundum *Glos. & alios in c. Cum ana 30. h. t.* nisi ius repugnet (hinc enim laicis ne quidem ex consuetudine vel præscriptione potestas eligendi permitti potest, *c. Messana 56. h. t.* vocari & citari legitimè, ut electioni intersint, modo sint in provincia, *c. Cum inter 18. & ibi Glos. in V. remoti, c. Coram 35. & ibi Glos. c. Genes 55. h. t.* seu in loco; ex quo evocari debeant, *c. Quia propter 42. §. illud h. t.* & modo sine periculo Ecclesiæ vocari & expectari possint, *c. Quod sicut 28. h. t.* alioqui si aliquis eorum præteritus fuerit, poterit is, ob sui contemptum, agere, & electionem etiam confirmatam, infirmare, *c. bona 36. h. t.* nisi malit electioni aliorum accedere, eamque ratam habere, prout potest etiam ex post facto, *c. Quod sicut 28. & ibi Abbas h. t.* vel consuetudine obtineat, quod absentes non vocentur. Quod si quis vocatus & citatus legitimè ob justum impedimentum interesse nequeat electioni, super quo si opus fuerit, in iuramento suo fidem facit dicto, *d. c. Quapropter §. illud.* Licet non possit per litteras suffragium suum conferre, quia non ante electionem, sed in ipsa electione, secretè & sigillatim singulorum vota expromenda sunt, *c. Si quis iuste §. Absens eod. in 6.*

4. Potest tamen per procuratorem, si ve unum si ve plures, dummodo ex Collegio as-

sumatur, *d. §. illud.* Et si plures procuratores constituti fuerint, non aliter admittentur, quam si singuli in solidum constituti sunt, cum potestate jurandi in animam suam, quod constituens tali impedimento detineatur, *Glos. in d. Si quis iusto in V. detentus, & erit tunc, quia omnes vocari possunt ne in diversos vota dirigant, melior conditio occupantis, d. c. Si quis iusto in princ.* Nullo præoccupante, sed utroque, vel omnibus simul concurrentibus, ne in diversos vota dirigant, is solus admittetur, quem Collegium vel major pars elegerit, *d. c. Si quis iusto §. verum.* Dissidentibus vero Canonicis circa admittendum, is admittetur, qui primus in instrumento procuratorio nominatus fuerit, *d. §. verum.* Quod si unum duntaxat procuratorem constituerit, necesse est, ut procurator certam personam expresse designet, & suo & domini mandantis nomine, ut eandem, non vero diversas, nominet in scrutinio, nisi de certa persona eligenda mandatum speciale habeat: nam tum illam nomine procuratorio nominare debet, & suo nomine aliam eligere potest si videatur magis idonea, *d. c. Si quis §. porro.* Quod si nullus e Collegio velit esse procurator, tum receptum est, ut possit permittente non tamen reclamante aut dissentiente Capitulo, constituere extraneum, *d. c. Si quis §. absens ibidemque Glos. in V. nolente.* Necesse quoque est, ut procurator constitutus sit saltem. Subdiaconus, ut colligitur ex *Clement. Vi ij qui de astate & qualitate, & c.* Nemo autem invitus electioni interesse cogitur, *d. c. Quia propter, in verbo volunt & Abb. ibid. c. Quod sicut 20. h. t.* potest enim quis juri suo cedere, *l. Si quis in conscribendo 29. Cod. de pactis.*

5. Quod si vocati fuerint non vocandi, valet electio ijs non expectatis *c. cum inter 21. h. t.* Neque habens facultatem eligendi præsentandi, aut nominandi, illam abdicat a se, si electio, præsentatio, nominatio, non sortiatur effectum, quia nunquam in ullis dispositionibus censetur consumpta facultas, quando non est securus effectus, Steph. Gratian. *Disceptat forens. cap. 746. n. 13. & seq. tomo 4.*

6. Denique si quis electioni per abusum sæcularis potestatis de se factæ consenserit, is carere debet commodo electionis, siq. *c. in habilis, ita ut absque dispensatione ad aliam dignitatem eligi non possit, c. Quisquis 43. h. t. c. 1. eod.*



*in 4. compilat.* Et huiusmodi electionem, quæ nulla est, celebrare præsumentes à beneficijs per triennium suspenduntur, privatiq; sunt potestate eligendi.

## §. III.

Intra quod tempus fieri debeat Electio.

1. Intra tres menses faciendæ Electio.
2. Aliàs ad proximum superiorem devolvitur jus eligendi.
3. Ab exemptis ad summum Pontificem.

**I**N Ecclesijs Cathedralibus sive Episcopali-  
bus ac Regularibus, id est Collegiatis quibuscunque, fieri electio debet intra tres menses, nisi iustum subsit impedimentum, quod tollere electores non possint, *c. Ne pro defectu 4. l. b. tit. can. Postquam 11. Distinct. 50. can. Obstantibus distinct. 63.* Et incipiunt computari dies, non à die vacationis, sed à die, quâ Canonici, vel alij de Collegio innotuerit vacatio Ecclesiæ, *d. c. Ne pro defectu, juncto Innoc. & alijs h. t.*

2. Canonici verò, vel alij, intra hoc tempus electionem negligentibus, jus eligendi devolvitur ad proximum superiorem, *d. c. Ne pro defectu*: licet olim devolveretur ad Romanum Pontificem, *c. Dilectus, inf. De concess. præbenda*: qui superior tenetur intra tres alios menses Prælarum eligere ex ipsa Ecclesia vacante, si in ea dignum inveniat, alioqui ex alia, *d. c. Ne pro defectu*. Eoque negligente devolvitur electio ad alium superiorem, & sic gradatim usque ad Papam, *d. c. Ne pro defectu*.

3. Ad quem statim jus eligendi devolvitur, quando Canonici, negligent electionem, ab Archiepiscopali jurisdictione sunt exempti, ac summo Pontifici immediate subiecti, *c. Licet inf. De supplenda neglig. Prælatorum*. Idem obtrinet in Præfecturis, atq; alijs dignitatibus regularibus exemptis, per electionem dari consuetis, *Clement. 1. De supplenda neglig. Prælat. c. Cum singula in fine De præbend. in 6.* Potest tamen consuetudine induci, ut una Ecclesia de gremio alterius teneatur sibi Prælatum eligere, *c. Cum dilectus 32 h. t.* Quando verò non omnes, penes quos electio est sunt negligentes, sed major pars Capituli negligit electionem, vel non vult eligere aut renuntiat electioni, vel quando qui alias e-

ligendi ius habent, sunt absentes in loco, unde vocari eos oportet, tunc ius eligendi devolvitur ad minorem partem, illosve, qui præsentibus & habiles fuerint ad eligendum, quia tales non reputantur de Capitulo, iurisque fictione totum Capitulum representatur in minore parte, vel etiam uno, Abbas *in c. Congregato 53. n. 2. & 4. h. t. & in c. Gratum n. 5. 8. & 9. sup. De postulatis. Prælat.*

## §. IV

De forma & modo electionis.

1. Forma Electionis triplex.
2. Electio per scrutinium.
3. Quia dicatur major & sanior pars.
4. Electio per compromissum.
5. Per quasi inspirationem divinam.
6. An hæc forma etiam in Prælatu Episcopo inferioribus locum habeat.

**F**ormam Electionis triplicem tradit Innocentius in *c. Quia propter 4. 2. h. t.* nempe per scrutinium, per compromissum, & quasi per inspirationem divinam: & aliter facta electio non valet, & contra facientes privandi sunt eâ vice potestate eligendi, *d. cap. Quia propter, c. Cum manna 50. in fine & ibi Glos. h. t.*

2. Per scrutinium fit electio, quando vocatis seu requisitis ac præsentibus omnibus, qui debent, volunt & possunt commodè interesse, tres de Collegio eligentium ad hoc collegialiter congregato, fide digni eliguntur, qui præsentium vota secretò & sigillatim diligenter excipiant, eaque certa, pura, libera nullaque adjectâ conditione, vel alternatione *c. 2. eod. in 6. d. c. Quia propter & c. Cum terra 14. h. t.* deinde votis in scripturam redactis mox scrutinium publicent in communi seu in præsentia Capituli: ut ex suffragiorum collatione unus habeatur pro legitime & Canonice electo, in quem omnes, vel major & sanior pars consenserint, *d. c. Quia propter & alijs h. t.* Nam electio per minorem partem Capituli facta non tenet, neque ratificari per subsequentem consensum potest *c. Auditis 29. h. t.* Publicatione autem factâ nullius suffragij mutatio admittitur, *c. Publicato 28. h. t.*

3. Dixi major & sanior pars quia non sufficit major, nisi etiam sit sanior, *d. c. Quia propter Major*



Major pars est, ubi est major eligentium numerus: minor vero pars spectatur ex auctoritate & zelo eligentium, atque electi meritis. Hinc si in Ecclesia Cathedrali sint octodecim Canonici, & duodecim Titulum elegerint, sex Sempromium, qui tamen sint sanioris iudicii, neutra electio subsistet, quia in utraque alterum desideratur, *c. Ecclesia vestra 57. h. 1. nisi numerus eligentium alterius partis alteram in duplum excefferit: nam eo casu nulla habebitur ratio illius partis, licet sanioris; nisi quod ipsi maneat saluum jus expugnandi aliorum vota ex alio capite, veluti quia sint excommunicati majori excommunicatione, suspensi per sententiam ab officio, irregulares, c. Si quando ibi Glos. eod. in 6. non quidem, ut minuant seu attenuent aliorum vota, sed ut ea reddant nulla, Glos. ibid. Quod si vero major pars scienter indignum elegerit, valet electio de digno à minori parte, etiam ex eodem scrutinio facta, *c. Dudum 22. Congregatio 53. hoc tit.**

4. Per compromissum fit electio, quando ij, quorum est eligere, compromittunt in unum, *cap. Si compromissarius hoc t. in 6. cap. Post translationem inf. Derenuntiat. vel plures idoneos. d. c. Si compromissarius ibi Glos. in V. translatum, c. Cum in veteri 52. h. 1. eiusdem vel alterius collegii, qui vice omnium eligant & Ecclesiae viduata provideant de Pastore. Atque in eum, quem illi elegerint, omnes consentire, & si idoneus sit, recipere teneatur, *d. c. Quia propter juncto. c. Causam qua d. c. alijs h. 1. nisi appareat contra formam compromissi electum esse, c. Cum electus 32. eod. Dixi, in unum vel plures; quia sufficit in unum compromittere, d. c. Si compromissarius eod. in 6. Imò subinde expedit, ob hominum ad dissentendum naturalem facilitatem. Tamen si autem in alijs Collegii negotiis explicandis sufficiat consensus maioris partis: tamen in compromittendo omnium consensus exigitur; adeo ut unius dissensus compromissum impediatur, *d. c. Quia propter, ibi: qui vice omnium, ibi Panormit.* quia interest singulorum, ne priventur voce sua. Deinde cum compromissum sit voluntarium, recipi ab omnibus debet, iuxta *c. Quod omnes De reg. juris in 6.* Neque tenentur compromissarii servare aliquam formam in electione per eos faciendam, *arg. d. c. Quia propter ibi, vel saltem ibi Abbas;***

quia forma compromissi est subsidiaria. Quod si compromissum simul concurrat cum scrutinio, & permixtum exerceatur, veluti si compromittatur, ut compromissarii, sive unus sive plures, secreto & sigillatim vota exquirant, illumque eligant, in quem major & sanior pars Collegii consenserit, tunc ea, quæ in scrutinio necessarii observanda sunt, etiam in hac specie adhibenda erunt, *c. Cum dilectus 32. Glos. vers. Verum B. h. 1. c. Si cui 24. Cum expediat 29. eod. in 6.* Facta vero electione, electores in præjudicium electi compromittere non possunt.

5. Per quasi inspirationem divinam, seu viam Spiritus sancti, dicitur fieri electio, quando ab omnibus unanimiter, & veluti conspirante consensu, quasi per inspirationem divinam, unus eligitur sine vitio, *d. c. Quia propter.*

6. Et si autem non desint, qui velint hanc formam electionis, ab Innocentio præscriptam, etiam in alijs Episcopo inferioribus. Prælati servari debere, verius tamen est contrarium, cum id jure cautum non sit, præterquam in Prælati Ecclesiarum Regularium: ad quas eadem forma rectè produciatur ex Innocentio in *d. c. Quia propter in V. Ecclesia viduata.* Verum hanc controversiam quoad Regulares sustulit nobis Conc. Trid. Sess. 25. c. 6. De Regularibus: ubi & de electione Abbatissæ aut Priorissæ, aut cujusvis alterius nominis Præfectæ seu Præpositæ vide plenius.

## § V.

Quinam eligere vel eligi prohibeantur.

1. Eligendi jus non habent laici, impuberes, &c.
2. Non potest quis seipsum eligere aut presentare.
3. Enumerantur, qui eligi non possint.

1. In primis jus eligendi non cadit in Laicum ne quidem ex consuetudine vel præscriptione, *c. Messana 36. h. 1.* Et ideo ad clamorem populi facta electio non debet per superiorem confirmari, *c. Osus 2. eod.* quamvis patroni circa electionem jam factam merito postuletur assensus, *c. Cum terra 14. in fin. eod. tit.* Alioquin ne quidem per compositionem, cum Prælato



& Capitulo factam, potest ei jus eligendi competere in collegiata Ecclesia, *c. Sacrosancta* 51 *cod.*

Item impuberes jus eligendi non habent, nec sacris ordinibus non initiati; ut neque suspensi ab homini, seu per sententiam Judicis, secus de suspensis per Canonem, non excommunicati majori excommunicatione: non irregulares; de quibus in *c. l. cui Desent. excommunicat.* in 6. Dependet enim jus dandi suffragii ab ordine & beneficio Felini: ad *c. Apostolica* sub n. 16. *vers. Dum autem dicitur inf. De except.*

2. Non potest etiam quis se ipsum eligere, *c. fin. sup. De consuet.* sicut nec presentare, quia interdantem & accipientem debet esse distinctio: Nec obstat, *c. Cum jure* 33. *h. t.* ubi si ex compromissariis tres eligant, quartum, quartus electus consentiendo electioni de se factæ, a media parte eligentium auget numerum, & electionem perficit; quia id obtinet quando proceditur per modum compromissi, secus, dum per modum scrutinii vel quasi inspirationis divini.

Similiter non omnes eligi possunt: ut in primis Laici, *can. 1. Dist. 61.* nisi ex causa, *can. Statuimus* §. 1. *d. Distinct.* non excommunicati majori vel minori excommunicatione: non suspensi, *c. per inquisitionem* 26. *h. t.* & *c. Cum dilectus* 8. *sup. De consuetudine*: non interdicti, vel impedimento aut vitio corporis effecti, quo nequeant ministerio inservire: reprehensibilis: non curialis: non neophytus in fide, id est qui nuper fidem Christianam amplexus est, ne in superbiam erigatur: qui non morbo contagioso vel incurabili laborat: non irregularis: non scismaticus, etiam si ad unionem Ecclesie sit reversus: licet ex dispensatione possit confirmari, *c. Quia diligentia* 5. *h. t.* Non Simoniacus, publicus aleator, sacrilegus, usurarius: non illegitimus; talemque eligentes, nisi probaverint se ignorantes elegisse, incidunt in poenas Concilii Lateranensis, *c. Innocentius* 20. *h. t.* Non denique alio aliquo crimine notatus ex ijs, quæ enumerantur in *can. Qui in aliquo Distinct.* 51. Licet autem in Abbatem vel Priorem Regularem eligi nequeat novitius, non professus Regulam, *can. Presbyteros* xvi. *q. 1. c. Cum causam* 27 & *c. Cum in Magistratum* 49. *h. t.* in Episcopum tamen elegi potest. *c. Nullus*

28. *h. t. in 6.* In prælatum vero Regularem non potest eligi non Monachus, *c. Cum ad nostram* 37. *h. t.* sicut nec in Abbatem non instructus in Regula Monachali, Officii 38. *h. t.* Habens etiam plures dignitates vel beneficia curata, sine dispensatione eligi potest, *c. Dudum* 54. *h. t.* Quod si vero electi alterius cassata fuerit, non vitio personæ, sed electionis modo, iterum eligi potest: secus si vitio personæ, *c. super eo* 12. *h. t.*

## §. VI.

Qualis debeat esse seu eligi Episcopus.

1. Debet in primis esse iusta ætatis, probata vita & scientia.

2. Quam requiratur scientia.

3. Pœna eligentium indignum.

1. **E**ligendus in Episcopum debet esse legitimenatus, tricesimum annum ætatis excessisse: probatæ vitæ & scientiæ, *c. Cum in cunctis* 7. & *c. Innocentius* 20. *h. t.* & aliis qualitatibus præditus, quia juxta sacros canones, *can. Qui Episcopus Dist. 23.* (ubi plurimæ referuntur) & Conc. Trid. decreta requiruntur, Conc. Trid. *Sess. 24. c. 1. De reform. & Sess. 7. c. 1. De reform.* ac insuper in ordine Subdiaconus, & quidem sex mensium spatio ante electionem, Conc. Trid. *d. Sess. 12. c. 2. De reform.* Vbi latius vide, quæ & quanta eligendo scientia requiratur, sicut & in *can. Qui Episcopus Dist. 23. can. Qui Ecclesiasticis* §. *ecce dist. 36. can. Omnes Dist. 38.* Debet autem in genere esse talis & iustæ, ut muneris sibi injungendi necessitati satisfacere possit.

3. Debent vero electores, quantum in se est adniti, ut semper dignissimi eligantur, juxta communem sententiam, tam Theologorum quam Canonistarum, de qua vide Covar. *ad. reg. Peccatum* p. 2. §. 7. n. 4. nam alias totius familiæ Domini status & ordo nutabit, si, quod requiritur in corpore, non inveniat in capite Conc. Trid. *Sess. 24. cap. 1.* Eligentes scienter indignum, pro prima vice sunt ipso jure privati potestate eligendi, *c. Cum Vintoniensis* 25. *h. t.* & ab Ecclesiasticis beneficiis obtentis in illa Ecclesia, ad quam fuit facta electio, per triennium suspensi. Nec possunt interim ad aliquam dignitatem in eadem Ecclesia, secus in alia, eligi vel assumi, *c. Cum in cunctis*

F

junio



juncto c. Per inquisitionem 26 h. t. defectumque Capituli supplet Episcopus, d. c. Cum in cunctis §. Clerici sande.

## §. VII.

## De Confirmatione Electi.

1. & 2. Qui & à quibus confirmandi.
3. pœna ingerentium se administrationi Ecclesie, omiſſa confirmatione.
4. Ordo petendæ confirmationis.
5. Quid observari debeat, cui jus est confirmandi.
6. Ante confirmationem citandi contrarios.
7. Confirmati potestas ante consecrationem

**E**LECTIONE Canonice peracta & publicata, priusquam electus Ecclesie administratio ni se immisceat, necessarîo confirmari debet, c. Postquam 3. h. t. à suo scilicet superiori cui subijcitur: ut Abbas alijque inferiores, ab Episcopo: nisi probent exemptionem. c. Cum monasterium 13 h. t. Innoc. in c. In singulis n. 3. inf. De statis Monach. Put. Decis. 39. De prebendis: & jure communi antiquo Episcopus a suo Archiepiscopo, c. Cum de electis 32. h. t. Archiepiscopus à suo Patriarcha vel Primat, can. Mos antiquus Distinct. 95. Patriarcha à summo Pontifice c. Scriptum 40. h. t. vel Legato in provincia sicut & quilibet immediate subjecti summo pontifici, vel quorum confirmationem singulari jure pontifex sibi reservavit: pro ut sibi reservavit confirmationem Episcoporum Germanie, vigore Concordatorum c. Nihil 44. §. ceterum h. t.

2. Hodie vero postquam Romani Pontifices per secundam Regulam Cancellarie sibi generalliter omnes Ecclesias Patriarchales, Primatiales, Archiepiscopales & Episcopales, reservarunt, omnium horum confirmatio vel institutio ab ipso summo Pontifice petenda est, siue electi fuerint, ubi adhuc viget mos eligendi; siue nominati & designati ex privilegio à Principibus, Regibus, Imperatoribus vel alijs patronis.

3. Quod si, omiſſa confirmatione, electus, per se vel per alium in totum vel partem, sub quocumque colore vel prætextu, id est, siue titulo electionis, siue titulo procuratoris vel œconomi, administrationi Ecclesie se ingesserit, ipso jure privatur jure sibi per electionem quæ sita, c. Nostri 9. Qualiter 7. h. t. c. Avaritia

ead. in 6. quia non ipse sibi honorem assumere, sed vocari tanquam Aaron, d. c. Qualiter. Et quia eo casu callatur electio, vitio personæ, non autem electionis, redditur quoque ineligibilis & inhabilis ad eandem aut aliam Ecclesiam, secundum c. Super eo 12. h. t. Abb. in d. c. Qualiter n. 8. Eaque pœna obtinet in quocumque electo ad cathedralem Ecclesiam, & ad aliud quodcumque beneficium electivum, Franc. in d. c. Avaritia. n. 2. Crescent. Decis. 6. n. 11 & 12. De jure patroni. Nec potest recipi ab Ecclesia, recipientesque ipso jure privantur potestate eligendi pro ea vice Gloss. in c. Bona memoria 23. in V. licentiam h. t. c. Quanto & ibi Gloss. in V. suspendimus inf. De translat. Episcop. & manent suspensi à suorum beneficiorum perceptione, donec Sedes Apostolicæ meruerint gratiam obtinere Extravag. h. t. in Com. Excipiuntur tamen ij, qui extra Italiam in concordia electi a summo Pontifice confirmandi sunt: quibus ob Ecclesiarum necessitatem & utilitatem facta est potestas administrandi Ecclesiam, tam in spiritualibus, quam in temporalibus; sic tamen, ut de rebus Ecclesiasticis nihil penitus alienent, d. c. Nihil & ceterum h. t. Quod à Bonifacio VIII. ad Abbatissas certo modo porrectum est, c. Indemnitas ibi, §. si vero & §. ceterum eod. in 6. Excusantur etiam à dicta pœna si administraverint de licentia legitimi superioris, Gloss. in d. c. Avaritia V. procuratoris & ibid. Archid. vel electo competierit, ex privilegio vel consuetudine, administratio Ecclesie vacantis, Joan. Andr. in d. c. Avaritia & ubi Franc. sub n. 2. circa finem vers. in eadem: & Gloss. ibidem ponit sex casus, in quibus electo concessa est administratio. Non sufficit etiam, ad prædictam pœnam incurrendam, accepisse possessionem ante confirmationem, vel constitutum esse œconomum vel procuratorem: sed probanda est administratio defacto in spiritualibus vel temporalibus ut tradit Glossa in d. c. Avaritia §. in V. eo ipso & ibidem Franc. n. 5.

Dixi ante, electione Canonice peractâ, quia nullus nisi Canonice electus confirmandus est, can. Nullus Dist. 62 & ibi Archid. & Geminianus. Quod si verò quis Canonice electus, confirmatus fuerit, an gesta per eum valeant, vide Canor. in d. c. Nullus h. t.

4. Ordo petendæ confirmationis hic præscribitur



bitur in *c. Quam sit eod* in 6 ut in primis, electio ne peracta, electores, quam citius commodè possunt, eam præsentent electo. Et quamvis, si in eo culpabiles exciterint, non præjudicent electo, Monach. in *c. Quam sit* 6. n. 4. b. t. in 6 & ibi Gloss. in *v. commodè*: tamen ipsi quoad feodalitate, excluduntur à prosecutione electionis, & suspenduntur per triennium continuum ab omnibus beneficiis, quæ in Ecclesia, de ejus electione agitur, obtinent, adque si intra illud tempus se propria auctoritate, vel alio quæsito colore, ingesserint, illis ipso jure perpetuo sunt privati, *c. Cupientes, h. easterum, eod.* in 6. Inde electus à die nuntiatur ac præsentatur electionis, intra mensem electioni de se factæ consentire, & eam acceptare, cessante justo impedimento, tenetur, sub pœna excidendi jure, sibi per electionem quæsito. Postquam verò electioni de se celebrata consensit, & eam accepit, tunc intra tres alios menses sequentes confirmationem petere tenetur, cessante justo impedimento sub simili pœna privationis juris, sibi per electionem competentis, electione revertente ad eligentes, *d. e. Quam sit fin. c. Si elect. 26. b. t. in 6.* & ibi Monach. quamvis non teneatur eam obtinere, quia sæpe plus temporis labitur, priusquam cum Camera Apostolica super annatis componatur. Impedito autem accusato, denunciato, inquisito, tempus non currit. Mald. *De iust. & iur. & relig. tit. 9. c. 2. Dubio 10.* Hoc tamen trimestre petendæ confirmationis postmodum Nicolaus III. immutavit in electione ad Cathedrales & Regulares Ecclesias, quarum confirmatio ad summum Pontificem spectat, vel, interjecta appellatione, devolvitur, ut scilicet intra unum mensem post consensum vel notitiam electionis ipsemet electus per se, vel, si legitime sit impediens, per procuratorem ad Sedem Apostolicam iter arripiat, & ad illud conficiendum tantum temporis summat, quantum necesse fuerit pro locorum intervallo, *d. e. cupientes juncto c. Si postquam eod.* in 6. ubi pleraque alia ab eo adjecta videre licet.

5. Cavere autem diligenter debetis ad quem jus confirmandi spectat, ne præcipiantur, confirmet; sed ante omnia diligenter inquireat & explorat de persona electi, in loco, ubi natus, & diutius fuerit conversatus, *c. Scriptum 40. b. t. ejusque* sufficientia, vita, moribus, atque alijs qualitatibus, *c. Nihil 44. b. t. c. fin. eod.* in 6.

& similiter de qualitatibus contradicentium in eadem plebe, cui ordinandus est, *can. illud dist. 2. 3.* de quæ ipsa electione, vel electionis actu seu processu, idque vel in judicio inter partes, si quis contradictor fuerit, & compareat, vel ex merito suo officio, si non fuerit contradictor, etiam si nihil electo objiciatur, *c. Cum nobis olim 19. h. t.* ut tunc demum, si rite omnia confecta viderit, confirmationis munus electo imperdat *d. e. Nihil d. c. Cum nobis h. t.* Alioquin si per negligentiam confirmet indignum, ipso jure perdit potestatem confirmandi primum ejus successorem, & à perceptione fructuum proprii à suo superiore sine prævia monitione per sententiam suspenditur, *d. e. Nihil & ibi Gloss. in v. suspendatur*, quousque ejus indulgentiam mereatur promereri. Si vero per malitiam convictus fuerit in hoc excessisse, graviori subiacet ultioni, arbitrio superioris *d. e. Nihil can. Si quis sine & ibi Gloss. can. Quicumque s. dist. 81.* imponeturque pœna depositionis, *can. Tantis 3 ead. dist.* & promotus de jure, *d. e. Nihil.* vide quæ de examine promovendorum ad Cathedrales Ecclesias, quoad natales sufficientiam, mores, vitam, doctrinam, ætatem, & alia à sacris Canonibus requisita, faciendo, & ad Pontificem transmittendo, statuit Conc. Trident. *Sess. 2. cap. 2. & Sess. 24. cap. 1. de reformat.* cujus ordinationem postmodum renovavit, & in multis ampliavit Gregorius XIII. ut videre licet in ejus Bulla, qua refert Piasc. in *Praxi sua Episcop. in proœm. de electione n. 2.*

6. Quod si electus collectum, vel alium suæ electionis adversarium, habeat, is ante confirmationem omnino citandus erit: alias vero, ubi concors fuerit electio, aut nullus nominatim se opponit electioni, generale & peremptorium edictum proponendum est in Ecclesia in qua celebrata est electio, quo contradictores, si qui sint, moneantur, & evocentur, ut statò die & loco confirmationis faciendæ veniant, causas improbandæ electionis & impediendæ confirmationis dicturi: alioqui, prætermittitur hac observatione, confirmatio nullius erit momenti, *c. fin. eod.* in 6.

Cæterum Canonice confirmatus Episcopus, ante consecrationem consequitur jus in re, Gloss. in *cap. Cum venissent in v. renuntiavit inf. De in integ. restitut. juncto, cap. 2. §. sicut inf.*



De transl. & ibi Gloss in V. confirmatus, ac utrobique DD. Rota Decis 6 h. tit. in novis. & ex iure communi potest exercere ea, quæ sunt jurisdictionis vel dignitatis Episcopalis, uti excommunicare, corrigere, iuramenta a vassallis recipere, beneficia conferre, instituere, causas matrimoniales cognoscere, indulgentias concedere, & alia similia, notata in cap. Accedentibus inf. De excessib. Pralat. & ibid Panormit n. 4. Non etiam ea, quæ sunt ordinis Episcopalis, veluti ordines conferre, cap. Nostri 9. & alius h. tit. sicut nec ea, quæ competunt Episcopo ex privilegio; qualia habentur in cap. ult. De pœnit. & remiss. cap. Quod nonnullis De privileg. & c. ult. cod. in 6. vel ex delegatione, Felin in c. Eam te à nu 17. sup. De reser. Præsec in Præc. de elect. sub. n. 19. Nec isto iure requiritur, ut Episcopus confirmatus adeptus sit possessionem sive installationem vel investituram Panormit in cap. Transmissam 15. n. 3. h. tit. Felin, in cap. Ne Dei timorem n. 2. & seq. inf. De Simoniacis, Rota Decis 182 n. 3. 5. & 6. p. 2. ad plenam scilicet administrandi potestatem, nisi alicubi contrarium consuetudine fuerit receptum, vel alius sit in possessione, qui tunc requiritur, ut inducatur, in possessionem per iudicem, etiam si adversarius iniuste possideat, Panormit. in d. cap. Transmissam n. 3. Franc. Marc. q. 49. p. 1. Iure novo in Extrav. Injuncta De elect. in Extrav. communib. opus est, ut Episcopus, si velit exercere ea, quæ sunt jurisdictionis, post confirmationem suam, obtrineat litteras Apostolicas, alioqui nec admitti nec recipi tamquam Episcopus, nec possessionem Ecclesiæ libi collatæ consequi potest Latè Garz. de Beneficiis p. 5 cap. 4 §. 3 nu. 242. & seq. quam Extravagantem postea Julius III. renovavit & amplius vit Constitutione suâ, incip. Sanctissimus in Christo Pater, an. 1553. die 17. Maij relata per Piassec. in Praxi Episcopali d. loco, ubi vide, quomodo soleat prospici, ne Ecclesia vacans ob moram intercurrentem in expeditione Bullarum aliquid patiatur.

## §. VIII.

## De Consecratione Episcopi.

1. Consecratio à confirmatione intra menses tres pendenda.
2. 3. A quibus fieri debeat & qua die.
4. Forma Consecrationis.
5. Effectus eiusdem.

## 6. Electionis hodie exiguum esse usum in Belgio.

1. Episcopi electionem & confirmationem sequitur Consecratio, per quam matrimonium cum Ecclesia consummari dicitur, c. 2. & c. ult. inf. De transl. Episc. & antequam non dicitur, quis Episcopus, sed Electus tantum, c. Nostri 9. h. tit. & c. Tua 8. inf. De his quæ sunt à Pralat. sine cons. Capit. Ea ultra tres menses confirmatione, cessante legitimo impedimento, protrahi non debet, ut colligitur ex can. Quoniam Dist. 75. & novissime ex Conc. Trid. Sess. 23. c. 2. De reformat ubi poenam statuit, ut, si intra tres menses consecratio non suscipiatur, promotus teneatur ad fructuum percceptorum restitutionem; si intra totidem menses postea eam petere & procurare neglexerit, ipso iure sit privatus Ecclesiâ suâ. Idem Conc. Sess. 7. c. 9. decrevit, ut prorogationes de non celebranda consecratione ultra sex menses concessæ nulli suffragentur.

2. Consecrandus est Episcopus ex Apostolorum constitutione à tribus ut minimum ejusdem Provinciæ Episcopis, cæteris assensum præbentibus & accedente de iure communi iussu Archiepiscopi, c. Si Archiepiscopus, 6. inf. De temporib. ordin. & c. Quod sedem 10. inf. De officio iud. ordin. Quamquam melius foret, si implemet Archiepiscopus una cum Suffraganeis hoc munus consecrationis obiret, d. c. cum c. seq. ut olim fieri consuevit, ut patet ex can. Episcopi & alius Distinct. 64. Ipse vero Metropolitani non nisi in civitate metropoli, compvincialibus ibidem convenientibus, Episcopus autem compvincialis ibi consecrandus est, ubi Metropolitani elegerit, can. ult. circa fin. Dist. 51. Ex decreto Conc. Trid. celebrari consecratio debet, si extra Curiam fiat, in Ecclesia, ad quam promoti fuerint, aut in provincia, si commodè fieri possit.

3. Congregatis autem ejusdem Provinciæ Episcopis, fieri debet consecratio die Dominica, & hora tertia lucis; scilicet secundum Canones, can. Ordinationes Episcoporum 1. & can. Quod die 5. Dist. 75. quia Episcopi vicem obtrineant Apostolorum, quibus in die Pentecostes hora tertia Spiritus sanctus datus est: & præmisso scrutinio cum precibus, d. can. Ordinationes. Scrutinium vero sive examen ordinandi



mandi in Episcopum fieri debet secundum ea, quæ habentur in *can. Qui Episcopus. 3. Distinct. 23.*

4. In ipsa consecratione peragenda Episcopi duo ponunt & tenent codicem Evangeliorum super caput & cervicem ejus, qui consecratur, *d. 1. can. Ordinationes*: unoque super eo fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi præsentibus manibus suis caput ejus tangunt, *can. Episcopus distinct. 15.* illudque unâ manibus inungunt sacro chrismate: quod ex oleo, nitorem seu puritatem conscientiarum, & ex balsamo, odorem seu integritatem famæ significante conficitur. Vide plenius *inf. tit. de sacra unctione*; sicut & de alijs caeremoniis ministeriorum, quæ adhiberi solent in Pontificali Romano.

Postremo Episcopus consecratus Ecclesiæ Romanæ & ejus Pontificibus, fidelitatis juramentum præstat, juxta formam præscriptam in *Ergo N. Episcopus, inf. De jurejurando.*

5. Peractaque consecratione, aut elapso termino consecrationi præstituto, omnia beneficia Ecclesiastica, si quæ habet, ipso jure vacant, libereque ab eo, ad quem provisio spectat, conferri possunt, *c. Cum in cunctis. 7. §. cum verò h. tit. si modo habuerit possessionem*, vel per eum steterit, quo minus habuerit: nam ad vacationem utrumque requiritur, & consecratio & adepta possessio, *can. Si quis Episcopi distinct. 92.* Innocentius in *d. 1. Cum in cunctis. §. an. Staphil De vacat. per promotionem. nu. 2.* Antea vero non vacant, quandoquidem consecratio ex causâ rejici possit à superiore, *c. Super his inf. de accusationib. Glos. ad dictum §. cum verò.* imò nec vacant, lapsis tribus mensibus, nisi habuerit administratio bonorum, Innocentius *d. loco.*

6. Denique, ut illud quoque breviter hic moneam, hodie exiguus videtur usus electionis: partim quia omnes Ecclesiæ Cathedrales & Metropolitanæ reservatæ sunt dispositioni Sedis Apostolicæ, per secundam Regulam Cancellariæ; partim quia in pleisque Regnis, & præsertim in hoc Belgio, Principes ex indulto Pontificis nominant personas sibi probatas non tantum ad Episcopatus, sed etiam ad omnes primas dignitates, sæculares & Regulares: & super hujusmodi personis nominatis Capitulum fingit electionis suæ processum.

¶ §. 1. de

## TITULUS SEPTIMUS.

### De Translatione Episcoporum.

1. Quid sit Translatio.
2. Cur propria auctoritate fieri nequeat.
3. Ex quibus causis fiat.
4. Quæstio, cur matrimonium spirituale inter Prælatum & Ecclesiam dissolvi possit, non etiam carnale consummatum.

**N**on solum per postulationem atque Electionem, verum etiam per Translationem eorum qui antefuerunt, sive postulati sive electi, Ecclesiis providetur: ac proinde, postquam actum est duobus prioribus modis, ratio ordinis postulat, ut de hoc tertio agamus.

1. Est autem Translatio de una Ecclesia, quam quis obinet, sive Episcopus sive alius Prælati exempti, ad aliam majorem, auctoritate summi Pontificis, propter Ecclesiæ necessitatem vel evidentem utilitatem, translatio seu mutatio, *can. Mutationes, can. Suus & can. Sicut vir. VII. q. 1.* Dixi, ad aliam majorem: quia ad majorem non fit translatio, *can. Legitimus distinct. 93. in fine.*

Dico, auctoritate summi Pontificis: quia licet Episcopus electus renuntiare juri suo liberè & pro arbitrio possit, *cap. In presentia inf. de renuntiat.* nec à principio cogatur quis in virtute acceptare Episcopatum, *can. Gestis, can. Vbi ista distinct. 74.* tamen: postquam confirmatus vel consecratus est, non potest propria auctoritate propriam deserere Ecclesiam, & ad aliam se transferre, *c. 2. §. ult. h. t.* adeo ut, si contrâ fecerit, utraq; sit & propria & aliena privandus, ut nec illis præfideat, quos per superbiam sprexit, nec illis, quos per avaritiam concupivit, *d. c. 3. in fine.*

2. Ratio est, tum quia majores causæ, cujusmodi est translatio Episcopi, atque aliæ, quæ à Glossa in *d. cap. Inter corporalia* certis verbis comprehenduntur, referendæ sint ad Sedem Apostolicam: tum quia inter Episcopum sive Prælatum & Ecclesiam spirituale quoddam matrimonium per electionem initietur, per confirmationem ratificetur, & per consecrationem consummatur, *d. c. ult.* ac proinde ma-

F 3

trimo.



matrimonium huiusmodi solius S. Pontificis auctoritate solvi potest, & ad Ecclesiam aliam Episcopus consecratus transferri, d. cap. 2. & 3.

3. Idque postulant Ecclesie necessitate, ut dixi, veluti metu hostium, *can. Temporis* vii. q. 1. vel evidenti utilitate, ut quia in alia Ecclesia plus proficere possit: vel suadente id bono pacis & concordie Roman. *Consl.* 343. Quo pacto D. Petrus ex Ecclesia Antiochena se Romam transtulit, d. *can. Mutationes*, & *can. Beati Petrus & Paulus* 2. q. 7. Roman. *Consl.* 352. ut ubi caput superstitionis erat, illic fieret caput sanctitatis & religionis; ubi gentium Princeps habitabat, ibi lederet & moraretur Princeps Ecclesie. Talis enim translatio antiquis vel novis Canonibus non est prohibita, si modò auctoritate summi fiat Pontificis cuius solius est judicare, subsistat utilitas vel necessitas Ecclesie: verum ea prohibita est, quæ ex cupiditate & ambitione fit tamquam ambitiosa, *can. Episcopum*, *can. propter* vii. q. 1. Indulgentia vero summi Pontificis super huiusmodi translatione alicui concessa, strictè ad litteram est servanda, ut si ad maiorem dignitatem alicui transitus permittatur; vigore talis concessionis nequeat ad parem transire, d. e. *ult. h. tit.*

4. Quæres, Cur summus Pontifex hoc matrimonium spirituale, per consecrationem consummatum, magis dissolvere possit, quam carnale consummatum? Ratio est, quia matrimonium carnale consummatum Christus induxit ad significandam indissolubilem unionem Christi cum Ecclesia, per carnem assumptam; & proinde ex ratione huius significationis habet omnimodam indissolubilitatem. At verò matrimonium spirituale, etiam per consecrationem consummatum, non habet hanc significationem: uti nec matrimonium carnale ratum & nondum consummatum, quod proinde per ingressum Religionis dissolvi potest, ut postea dicitur.

Quo pacto ergo, inquit, in c. *Inter corporalia* 2. h. 2. dicitur, spirituale vinculum fortius esse carnali, Resp. non dici fortius quoad omnimodam indissolubilitatem, quandoquidem varijs modis dissolvatur, veluti translatione, depositione, renuntiatione, auctoritate summi Pontificis facta; sed quoad alios respectus, veluti quia per matrimonium spirituale solvi

potest carnale spirituale ad se trahit carnale, non è contra: Nam, ut diximus, matrimonium carnale ratum, non consummatum, dissolvitur per ingressum Religionis, etiam altero invito, c. *Ex publico inf. De convers. conjugat.* & post matrimonium carnale, etiam consummatum, possunt conjuges mutuo consensu Religionem profiteri, ut etiam postea dicitur. At è diverso matrimonium spirituale non dissolvitur per carnale; nec semel professus Religionem licet postmodò contrahere matrimonium carnale. Adde, quod matrimonium spirituale etiam inde fortius vinculum dici possit, quod operetur fortius, quatenus imprimit characterem, qui etiam post mortem manet: cum interim matrimonium carnale per mortem alterius profus solvatur.

Translatus autem legitime Episcopus nihil juris in priori retinet Ecclesia, *Calder. Consl.* 1. *de translat. Prælat. alias* 56. n. 2. si scilicet translationi consenserit, aliàs non. Verum tamen litteras super secunda Prælatura oportet esse expeditas, & ostensas Capitulo: nam sola scientia, aut sola expeditio litterarum, sine præsentatione in Capitulo facta, non sufficit. *Gonz. ad Reg.* vii. 11. *Cancell. Gloss.* 15. nu. 49. ubi alios citat. Quinimò necesse est, ut translatus est, acquiesceat, aut per eum non steterit, quod minus assecutus sit Felin. in c. *Eam* 16. nu. 9. *sup. De rescript.* Garz. *De Beneficiis* p. 11. c. 6. n. 39. 49. & seq.

Denique tamen hic Titulus tantum inferibatur. *De translatione Episcopi* tamen etiam alii possunt transferri, ut Cardinalis, *cap. Dilectus inf. De præbendis* Archiepiscopus; *cap. Bona* 4. *supra* *De postulatione Prælatorum*; Abbas, in *cap. Venerabilis. sup. De consuetudine*, Præpos. in *cap. Dudum*, *sup. De electione*; & similes. Imò quicumque beneficiati transferri possunt, *cap. Admonet inf. De renuntiatis*. Et quidem inferiorum Clericorum translatio fit auctoritate cuiuslibet proprii Episcopi, *can. Abbas* 7.

XVII. qu. 2. *can. Si quis*, & *can. seq. Distinct.* 17.

(\*)



## TITULUS VIII.

## De auctoritate &amp; usu Pallii.

## §. 1.

Quid sit Pallium, &amp; cui competat.

1. 2. Quid sit Pallium, &amp; cur detur.

3. Quando &amp; quo loco uti eo possit Archiepiscopus.

4. Pontifex Rom. semper &amp; ubique eo utitur.

5. Intra quod tempus peti debeat.

6. Episcopis non nisi ex privilegio conceditur.

Inter eos, qui ad dignitates promoventur per Postulationem, Electionem vel Translationem, quibusdam jus Pallii competit de jure communi, uti Archiepiscopis, Patriarchis, Primatibus, & Romanæ Ecclesiæ Pontificibus: de quo nunc agendum.

1. Est autem Pallium ornamentum quoddam, de corpore beati Petri sumptum, Pontificali officij plenitudinem conferens, *c. Significasti 3. sup. De electione juncto c. Nisi specialis 3. h. t.*

2. Dicitur, De corpore B. Petri sumptum; vel quia super altare B. Petri benedicitur & consecratur à Papa; vel quia à Romana Sede proficitur. Nam licet illud conferant quoque quatuor Patriarchæ, nempe Constantino politanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Jerosolymitanus: tamen privilegium conferendi à Romana Sede habent.

Dicitur, Pontificali officij plenitudinem conferens; quia sicut Episcopus in Episcopatu suo non habet plenum & consummatum jus, nisi sit consecratus: ita nec Archiepiscopus in sua Provincia plenum jus habet, nisi Pallium sit consecutus; adeo ut ante illud acceptum se quidem dicere Metropolitanum, non tamen Archiepiscopum possit, *d. c. Nisi 3. h. t.* nec ante queat exercere ea, quæ sunt ordinis Archiepiscopalis saltem graviora ac majoris momenti, veluti Concilium Provinciale convocare, Episcopos consecrare, chrisma consecrare, dedicare basilicas, ordinare Clericos, *c. Quod sicut 18 §. praterea, c. Significasti 3. sup. De elect. & cætera, quæ sine sacrificio Missæ non obit Hostien in Summa h. t.* Potest tamen Episcopis concedere facul-

tatem, ut suum Suffraganeum consecrent, *c. Suffraganeis 11. sup. eod. tit.* aliaque facere, quæ stolam tantum indutus rectè exequitur, veluti calices & alia hujusmodi vasa consecrare, cœmeteria sacrare & dedicare Hostien. *d. loco §. quid sit Pallium.*

Quod si ante acceptum Pallium Archiepiscopus exerceat ea, quæ sunt potestatis, ordinem spectantis, nec fuerit antea consecratus Episcopus, nullius momenti erunt: si verò fuerit consecratus Episcopus, firma erunt & rata, licet peccet contra Canones & jura, possitque per sententiam ab officio removeri, aut alia minori pœna puniri.

3. Potest autem de jure communi uti Pallio in omnibus Ecclesijs, etiam exemptis, *Clement. 2. de privil. Provinciarum suarum inter Missarum solemnias; extra Provinciam vel Ecclesiam, veluti in supplicationibus, in concessu, in comitijs, non potest, c. 1. & ult. h. t. can. Pallium Dist. 100.* ne quidem ex consuetudine; nisi ex speciali privilegio alicui concedatur, ut in aliena Ecclesia, accedente ejus consensu, cujus est Ecclesia, eo utatur, *c. Ex suarum h. t.*

Præterea alteri cedere Pallium nequit, cum illud personam non transcat, sed quisque debeat cum eo sepeliri, *c. 2. h. t.* Quod si ad aliam Ecclesiam transferatur, non potest uti eodem pallio, quo in priori Ecclesia usus fuit, sed aliud petere & expectare debet, *c. Bona memoria 4. in fine sup. De postulat. Pralat. & cum utroque sepelitur, Pannon. in d. c. 2. n. 7.*

4. Solus verò Romanus Pontifex semper & ubique utitur Pallio: idque in eo plenissimam designat potestatem, in quam assumptus est in universam Ecclesiam Christianam, quæ ejus Provincia esse intelligitur, *can. Cuncta per mundum can. Per principalem 11. q. 3.* Alij vero in Ecclesijs suis & certis diebus tantum, quia in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis, vocati sunt, *c. Ad honorem 7. h. t.*

5. Cæterum Archiepiscopus intra tres menses à die consecrationis, si antè non fuerit consecratus, vel à die confirmationis, ubi antè fuit consecratus, cessante justo impedimento, per se vel per procuratorem, ad hoc speciale mandatum habentem, petere pallium debet, & quidem obnixè atque instanter, *can. Prisca 2. Distinct. 100.* quod illi datur, præstito prius, & non



& non aliter, Romano Pontifici fidelitatis & obedientiæ juramento, *can. Oportum d. Dist. 100.*

Quâ autem forma detur, & quibus diebus uti eo possit Archiepiscopus, videatur apud Glos. in *d. c. Ad honorem*. De forma Pallij Panorm. in *Rubr. h. t. n. 5 & 6*.

6. Subjiciendum hic, Episcopum non uti pallio, nisi ex Privilegio, *c. Cum in iuventute inf. De praesumpt.* ubi id de Quinque Ecclesiensi traditur, idemque de Hostiensi in offiis Tyberis fluvij, de Papiensi in Longobardia; Lucensi in Tuscia; Bambergeni in Germania, alibi memoratur.

## §. II.

## De potestate Archiepiscopi.

1. Archiepiscopus est summus Episcoporum, qui & Metropolitanus.

2. In quos juris dictionem exercent.

1. **A**rchiepiscopus, qui subsequitur Primatem, tamquam jurisdictione inferior, *can. 1. distinct. 99.* major est Episcopis in sua Provincia subiectis, per proprias dioceses, *can. 12 & 3. 9. qu. 3.* Episcopi autem subiecti in iure Canonico vocantur Suffraganei, quia Archiepiscopi in officio Archiepiscopali suffragantur, *Archiepiscopus à Græcis dicitur Princeps seu summus Episcoporum, can. Cleros distinct. 21* id est primus seu summus Episcopus. Olim quidem solitus fuit vocari *Patriarcha*; sed postea usus obtinuitur soli quatuor, supra nominati post summum Pontificem vocarentur Patriarchæ. Similiter olim Archiepiscopi dicti sunt *Primates*; quia principalium civitatum Episcopi; tamen postea nomen illud potissimum attributum fuit iis, qui præerant civitatibus, sub quibus erant civitates Archiepiscopos habentes. Aliter Archiepiscopus in utroque iure vocatur *Metropolitanus, causa 19. qu. 3. fere per tot. & Novella Iustinian. 5. §. fin.* Atque hæc nomina non differre docet Rebuffus, ad §. 1. *De institutione in Concordatis*: diciturque Metropoliticum ius in iure nostro, quod competit Archiepiscopis, *cap. Ut litigantes De officio ordinarij in 6. & similibus*. Vocatur autem Archiepiscopus *Metropolitanus*, vel, ut vult Isidor. in *d. can. Cleros distinct. 21.* à mensura civitatum, quia juxta Pelayum in singulis Provinciis præfici debeat

unus Archiepiscopus, & unaquæque Provincia decem vel undecim civitates, totidemque Episcopos, ut colligitur ex *can. Sessore v. l. 9. 3.* vel quia in Metropoli aliqua civitate, id est matrice primaria, sedem habet, *can. 1 & 2 Dist. 90.* Nihilominus in *d. can. Cleros*, distinguitur Metropolitani ab Archiepiscopo, ut ibidem videre licet.

2. Habet autem Archiepiscopus jurisdictionem Episcopalem & ordinariam in sua Provincia cui præest, atque in omnes Suffraganeos, non exemptos, eorumque est iudex ordinarius, *cap. Pastoralis inf. De officio ordinarij*: quorum proinde electiones confirmat vel infirmat de iure communi, de causis eorum civilibus ac criminalibus cognoscit & iudicat: nisi tales sint criminales causæ, quæ reservatæ sunt summo Pontifici, cuiusmodi est crimen hæresis *Conc. Trid. Sess. 24. c. 5. De reformat.* & quæ merentur depositionem seu privationem officij ac dignitatis. Vide idem Concil. *Sess. 13. cap. 8. & d. Sess. 24. cap. 5. & 8.* In subditos vero Suffraganeorum non habet jurisdictionem ordinariam, nisi certis quibusdam casibus eam vel ex consuetudine aut privilegio vel præscriptio acquisierit, *cap. Duo sunt, inf. De officio ordinarij*. Primus casus est in causis, quæ iure appellationis aut devolutionis ad eundem pertinent, *cap. 1. inf. De officio Legati*: ubi quoad hoc traditur discrimen inter Archiepiscopum & Legatum Papæ; quod nempe super causis Episcopatum & per simplicem querelam adiri possit, non etiam Archiepiscopus, nisi per appellationem causæ ad eum devolvantur. Causa autem ad Archiepiscopum devoluta, acquirit is jurisdictionem quoad personas appellantes tantum, non quoad alios. Neque etiam ad ferendum testimonium in causa citare alium potest, neque causam delegare, subdito Suffraganei in viro, *cap. 1. De foro competenti in 6.* Secundus casus est, si subditus Episcopi delinquat in diocesi Archiepiscopi, vel in ea prædium habeat. Tertius, si absolutus ab Archiepiscopo nolit parere Episcopo. Quartus, si Clericus habeat causam criminalem contra suum Episcopum, quia ea deduci debet ad Synodum, in qua Archiepiscopus præest. Quintus, quando Episcopus est negligens in eo, quod facere debet. Sunt & similes alij, quos brevitas causæ omittit. Et si vero



verò unus sit Iudex provinciarum, *can. In apibus vii. q. 1.* tamquam habens Jurisdictionem Archiepiscopalem, *can. per singulas ix q. 3.* non tamen tanquam habens jurisdictionem ordinariam Episcopalem: cum in unaquaque provincia debeant esse plures Episcopi, uni Archiepiscopo subiecti; habentes jurisdictionem Episcopalem & ordinariam. Et ideo licet Archiepiscopus sit Iudex ordinarius Episcoporum suar provinciarum, non tamen subditorum illius. Nec habet hic locum vulgaris illa regula, *Si vinco vincentem te, te vinco*, quia Archiepiscopus habet ligatam & limitatam potestatem quoad subditos Suffraganeorum.

## TITULUS IX.

## De Renuntiatione.

1. Quid sit Renuntiatio.
2. Et divisio ejus.
3. Renuntiatio in favorem alia simplex, alia qualificata.
4. Fieri debet cum auctoritate & consensu superioris.
5. Episcopatus ex quibus causis renuntiari liceat.
6. Semel admissa renuntiatione non datur regressus ad idem beneficium.
7. 8. Coram quo fieri debeat, & per quem.
9. Regula Cancell de infirmis resignantibus, & publ. resignantibus.

**E**xplicatis modis, quibus potissimum acquiritur dignitates: sequitur de renuntiatione, per quam acquiritur, tam ab ijs, qui utuntur pallio, quam ab alijs, sæpe amittuntur.

1. Renuntiatio in genere nihil aliud est quam proprii juris spontanea abdicatio seu cessio. Dicitur, proprii juris; quia juri, quod habet quis tertius, renuntiari, seu illud resignare non potest, *l. Si universa Cod. De Legatis, l. Traditio D. De acquir. rer. dom. l. Observare in fine D. De offi. Proconsulis c. Dilecto in fine de prebendis.*

Hic autem pressius sumitur pro dignitatis vel beneficii seu officii Ecclesiastici obtenti, seu juris, quod in eo quis habet, spontanea & libera coram superiore facta dimissione seu renuntiatione. Dicitur, Libera: quia coacta nullus est momenti, *c. Super hoc 5. h. s.*

2. Ea est duplex, Tacita & expressa. Tacita dicitur, quæ fit ipso jure, nulla verborum declaratione interveniente. Unde quia acceptat secundum beneficium incompatible, securâ pacificâ ejus possessione, censetur renuntiare primò *c. De multa 28. inf. De prebendis*, & qui matrimonium contrahit, *c. l. i. versis inf. de Clericis conjug.* Gloss in *c. Unico eod. in 6.* vel sit miles secularis, censetur renuntiare beneficio, si quod habet, *c. Inaudientia 25. inf. De sent. ex com. ubi DD. Videatur plenius Rebus in Praxi benef. tit. De resign.*

Expressa est, quæ fit verbis ad hoc accommodatis: idque dupliciter, vel purè & simpliciter; vel sub conditione aut in favorem alicujus. Purè & simpliciter fieri dicitur, quando fit in manibus superioris, siue ulla pactione, conditione vel modo, ita ut nulla fiat renuntianti reservatio, *c. Tuam nos inf. De Simonia*: & post hujusmodi renuntiationem potest Ordinarius beneficium resignatum conferre, cui velit. *Rebus d. loco cit. De resignatione pura.* Conditionalis est, quæ fit sub aliqua conditione vel modo. Talis est renuntiatio seu resignatio ex causa permutationis: item quæ fit in favorem alicujus coram S. Pontifice. Quod addo, quia resignatio in favorem non potest fieri coram Ordinario: jure quippe Pontificio coram Ordinario prohibita est omnis pactio & conditio in renuntiatione tamquam simoniaca, *c. Quam pio 1. q. 2. c. Cum pridem, & c. fin. inf. de pactis Glossa & DD. in c. Ex parte inf. de officio delegati, latè Garzias de Benef. p. 11. c. 3. §. 2. n. 152. & seq.* Potest tamen, resignatus absque simoniæ labe rogare Ordinarium, ut conferat tali vel tali, *d. c. Tuam nos de simonia*; licet peccet, si is; pro quo rogat, non sit idoneus, *c. Tuam inf. De atate & qualis. & ord. præfici.*

3. Renuntiatio in favorem simpliciter est duplex, nempe Simplex, quando quis simpliciter resignat in favorem alicujus, absque ulla reservatione: & Qualificata, quando aliquid reservatur resignanti, veluti regressus vel fructus aut medietas eorum, aut aliqua pensio. Vide plenius Flaminium, *De resignat. beneficior. lib. 1. q. 1. & 2.*

1. Dixi antè, Coram superiore facta dimissione; quia sicut miles sine permisso sui Ducis non potest deferere militiam, *tit. D. De re militari*: ita quicumque habet dignitatem vel beneficium Ecclesiasticum, etiam minimum, non potest ei renuntiare sine consensu sui superioris, *c. Ad-*



*monet 4. h. t.* quia præterquam quod inter dignitatem & Prælatum contrahatur quoddam spirituale matrimonium, quod propria auctoritate solvi nequit, etiam quodlibet beneficium habet adjunctum officium Ecclesiasticum, *e. ult. de rescriptis in 6.* quod est publicum; & ideo aliter facta renuntiatio est nulla, quoad Ecclesiam scilicet, seu superiorem, qui, non obstante tali renuntiatione, cogere eum potest obire officium suum, *e. 1. h. t.* Alioqui renuntians, sponte renuntiando, seipsum excludit seu privat, si velit Ecclesia seu superior. Et hic consensus superioris necessarius requiritur in renuntiatione siue tacita siue expressa. Imola in *c. Ex ore 3. n. 20. inf. De hu. qua sunt à m. p. r. parte Capit. contra Glos. ibid. Flamin. De Resignat. benef. l. 7. q. 7.* quamvis Garz. distinguat, *d. c. 3. §. 3. n. 278. & seqq.*

5. Episcopatu vero renuntiare non licet, siue consensu summi Pontificis, *e. Nisi. um. pridem 10. & alibi h. t.* licet nec alijs dignitatibus, Episcopatu inferioribus, quando eas obtinentes exempti sunt à jurisdictione Episcoporum aut Archiepiscoporum, & immediate subiecti summo Pontifici, *e. ult. eod.* Cæterum non solet S. Pontifex ob quamlibet causam admittere renuntiationem, *d. c. 1. eod.* sed potissimum propter sex, quæ enumerantur & explicantur in *d. c. Nisi cum pridem* & continentur his verbis:

*Debilis ignarus, male conscius, irregularis,*

*Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit*

Prima itaque est debilitas corporis, ob quam tamen non debet quis removeri, ne afflictio addatur afflictio, *e. an. Cum percussio cum seq. v. 1. q. 1.* Secunda, defectus scientiæ ob quem etiam quis removeri potest, *e. Quamvis ult. inf. De a. t. & qualis præst.* Tertia conscientia criminis, veluti simonia, homicidij, & similia. Prædictæ tamen tres causæ debent esse tales, ut ob aliquam earum quis munere suo fungi non possit. Hinc in *d. cap. 1. h. t.* non datur credendi licentia Episcopo, qui propter senectutem vult cedere, si necessarius vel utilis sit Ecclesiæ suæ. Quarta, malitia plebis, quæ nullo modo patitur Episcopum seu Prælatum. Quinta, grave scandalum evitandum. Denique sexta est irregularitas. Porro etiam causas, ob quas, & non alias resignationes omnes beneficiorum coram Ordinarijs fieri & admitti possint ac debeant, sub pœna nullitatis, si ex alia causa fiant, præscribit Constitu-

tio quædam. Pij V. verum ea, ut & multæ aliæ, hic publicata non est, quia restringit Ordinariorum facultates. Vide Flamin. *De Resignat. benef. lib. 5. q. ult. & alios, quos citat Garzias, p. 11. s. 3. §. 3. n. 269.*

6. Renuntiatione autem semel admissa, cogitur renuntians cedere, licet postea eum pœniteat renuntiationis factæ, *e. Extramissa h. t.* Et contra repentem beneficium admittatur spontaneæ renuntiationis exceptio, etiam causâ renuntiationis non adjecta: quia non est verisimile quem beneficium, multis fortè expensis & laboribus quæsitum, quo sustentari debeat, facile sine magna causâ sponte sua resignasse: quamquam actor replicare possit, quod non sponte renuntiavit, *e. Super hoc 5. e. d.* quodque qui renuntiavit litteris beneficialibus, non ideo institutioni jam factæ renuntiare videatur, *e. Sane dilecto 7. eod.* Similiter qui petijt licentiam renuntiandi, & illam obtinuit, renuntiare compellendus est. *Quidam cedendi 12. h. t.* quia in huiusmodi postulatione, vel commodum Ecclesiæ, cui quis præest, vel salutem propriam videtur attendisse: quorum neutrum suasionibus aliquorum, quærentium, quæ sua sunt seu levitate qualibet impedire debet, *d. c. Quoniam cedendi.* Non potest igitur, ubi quis semel renuntiavit, ad idem beneficium redire, nisi iterum ad illud eligatur, *d. c. Extramissa, juncto c. Cum inter 2. h. t.* Excepto tamen eo, qui propter crimen renuntiavit Episcopatu, & religionem ingressus est: nam hic ad Episcopatum redire non potest, licet iterum eligatur, *cap. Post translationem eod.* Aliâ vero impeditur administrare officium, siue propter persecutionem, siue ob infirmitatem corporis, siue ob defectum scientiæ, & ideo factus Monachus, cessante impedimento, potest rursus ad Episcopalem dignitatem assumi, *d. cap. Post translationem.* Quin etiam, si quis assensus Episcoporum fuerit simoniacæ, sed ignoranter, & postea fiat regularis, licet ad primum reverti non possit, ad alium tamen readsumi potest, *d. c. Post translationem §. rursus.*

7. Cæterum coram eo renuntiatio dignitatis fieri debet, ad quem spectat confirmatio, *cap. fin. & ibi Glos. eod. tit.* alterius vero beneficii coram eo, qui potest resignantem, etiam invitum, destituere, *secundum Glos. in Clem. unica in V. manibus, de renuntiatis.* Verum an renuntiatio simpli-



cis beneficij fieri possit in manibus collatoris, inferioris Episcopo, ita ut is solus eam admit-  
tat, quæritur? Negat ex Innoc. Rota in antiquis  
h. t. Decis. 5. ob rationem antea datam. Verum al-  
liud observat usus, quamvis non possit destitue-  
re solus.

8. Non solum per seipsum, sed & per procura-  
torem, unum vel plures Clericum vel Laicum  
renuntiare quis potest; valetque renuntiatio,  
sive dignitatis sive beneficij, per procuratorem  
facta, etiam si prius revocatus fuerit; ipso tamen  
& superiori, in cujus manibus facta est, ignoran-  
te: nisi per malitiam ipsorum vel aliorum. revo-  
catio fuerit occultata, Clem. unica eod. & ibid.  
Glos in V. Procuratorem.

9. Denique observanda hic est Regula XVIII.  
Cancellariæ, quæ statuit, ut in infirmitate resig-  
nantes supervivere debeant viginti diebus; alias  
vacare beneficium per obitum censetur. Quæ  
Regula cœpit ab Innoc. VIII. & hic quoque usu  
recepta est teste Zypæo, De jure Pontif. novo h. t.  
nu. 3. Atque obtinet in collationibus dumtaxat  
Papæ, non autem Ordinariorum: eique ut Pa-  
pa, ita & Legatus ejus potest derogare, etiam  
cum præjudicio graduatorum expectantium.  
Zypæo loco Exstat & alia Regula de publicandis  
resignationibus: verum quia forma ejus hic non  
ita strictè servatur, cum sufficiat quod resigna-  
tio palam innotescat, nec celeretur, etiam si in tem-  
plo coram populo, tempore Missæ aut concio-  
nis, die festivo non promulgetur, teste Zypæo d. lo-  
co nu. 2. ideo de ea hic fufius non agam.

## TITULUS DECIMUS.

### De supplenda negligentia Prælatorum.

1. Prælati nomen in h. t. laud sumitur.
2. Negligentia Prælati qua fit; & pœna illius.
3. Committitur ab Episcopo, non conferente benefi-  
cium vacans intra præfixum tempus, & pa-  
trone non præsentante aliquem.
4. Item ab Episcopo recusante benedicere Abbati  
sine causa.

Quia sæpè in prælaturis res negligenter &  
pertinacioriè aguntur, can. Ante omnia, dist.  
40. nec solum per cessionem seu renuntiationem  
dignitas vel beneficium amittitur, verum etiam  
per nimiam remissionem, c. Inter corporalia ver-  
sic sed neque illud sup. de translat. Episc. & quia  
quod negligitur seu omittitur, supplendum &  
instaurandum est: ideo subjicitur hic Titulus, in  
quo tractatur, quo modo negligentia Prælato-  
rum deprehendatur & puniatur.

1. Prælati strictè dicuntur, quicumque in Ec-  
clesiasticis habet jurisdictionem contenciosam,  
Abbas in c. 2. de judicij. Latè verò comprehen-  
dit Episcopos, Abbates, Priores, Archipresby-  
teros, Archidiaconos, & alios, usque ad simpli-  
cem Curatum: & ita hic sumitur, quia eujus-  
cumque Prælati negligentia supplenda est, c. 2.  
& fin h. t.

2. Est autem negligentia Prælati omissio e-  
jus, quod de jure vel consuetudine ratione sui  
muneris facere debebat, can. Negligere 55. 11. & 7.  
& ibi Glos can. Cum simus 3. 1x. q. 3. can. 1. & 2.  
dist. 84. Eaque varijs modis suppletur & coër-  
cet, pro varietate eorum, quæ negliguntur seu  
omittuntur, & prout negligentia est major vel  
minor: sic enim aliquando imponitur excom-  
municatio duorum mensium, can. Quidquid 1.  
quæst. 1. aliquando pœna depositionis vel priva-  
tionis dignitatis vel officij, c. 1. inf. de officio Cu-  
stodie: aliquando vero negligentia & remissio per  
superiorem datur coadjutori idoneus, c. Grandi  
h. t. in 6.

3. Quod si Ordinarius non contulerit bene-  
ficio vacans intra sex menses, privatur iure  
conferendi; & illud devolvitur ad superiorem  
adeo ut collatio post illud tempus per inferio-  
rem facta sit nulla, c. 3. 4. & 5. h. t. nisi de miseri-  
cordia toleretur, d. c. 4. Similiter si patronus intra  
tempus à jure præfixum. Laicus scilicet intra  
quatuor menses, Ecclesiasticus vero intra sex, à  
die notitiæ vacationis beneficij, ad illud non  
præsentaverit, Clericum amittit jus præsentandi  
pro ea vice, & illud devolvitur ad superiorem, c.  
2. & ibi Abbas h. t. Vide plene Joan. Honorium  
in Summa h. t. n. 4. & seq.

4. Quod si Episcopus ad quem spectat bene-  
dicere Abbates, (quâ benedictione consequun-  
tur, quod possint conferre minores Ordines,



*can. Quoniam Distinct 69 c. Cum contingat inf. De stato & qual. Clement. Attendentes. De reli-  
gios. dom. iuncta Glos in V. benedic. Tertio cum hu-  
militate ac devotione requisitus, subditos Ab-  
bates sine causa noluerit benedicere, ex tunc  
Abbates possunt omnia illa exercere, quæ pos-  
sent benedici, ac proinde Minores Ordines con-  
ferre, & proprios Monachos benedicere; donec  
ipsi Episcopi suam duritiam recogitent, & Ab-  
bates benedicere non reculent, c. 1. b. t.*

Nec obstat, quod qui benedictionem non ha-  
beret, eam dare non possit, *can. Daibertum n. 1. q. 7.*  
quia hanc potestatem in odium Episcopi, sine  
causa denegantis benedictionem, accipiunt à  
jure seu canone: & licet non habeant benedicti-  
onem Abbatialem, habent tamen simplicem  
Monachalem, ut inquit Abbas *ad d. c. 1.*

Quod si verò Prælati Monachis suis, ubi com-  
modè fieri potest, dare Lectorem sacre Scrip-  
turæ omiserint, Episcopi, tanquam in hoc Sedis  
Apostolicæ delegati, eos ad id opportunis reme-  
diis cogere possunt. Concil. Trid. Sess. 5. c. 1. § in  
monasteriis Videatur idem Concil. de Sess. cap. 2. §  
si qua, & rursus Sess. 25. cap. 8. De Regularibus.

### TITULUS XI.

## De temporibus ordinatio- num & qualitate ordi- nandorum.

### §. I.

#### Quid sit Ordo.

1. Ratio nominis.
2. Definitio, Materia, Forma, Effectus.
3. Character quid sit.
4. Minister Ordinis est Episcopus.

**I**N promotione Prælatorum, siue eligantur  
siue postulentur, requiritur certus ordo: ne-  
que enim in Episcopum eligi potest, nisi qui sal-  
tem sit Subdiaconus. Cum verò Ordines cer-  
tis temporibus & cum scrutinio, conferri de-  
beant, atque in his servandis negligentia com-  
mitti: ideo nunc, ne ulla huius rei ignorantia  
præterdi possit, postquam de supplenda negli-

gentia Prælatorum in genere actum est, ordinis  
ratio dicat, ut de temporibus agamus, quibus  
conferri Ordines ab Episcopis debent.

1. Ordo sumitur dupliciter: Primò, pro po-  
testate quadam ac gradu: & hoc modo dici-  
mus in Ecclesia, siue triumphante siue militan-  
te, varios esse ordines ac gradus. Secundo,  
pro ipsa ordinatione seu ritu æterno, quo hu-  
iusmodi potestas seu gradus conferretur, & ita  
hic Ordinem spectamus; non quidem in ea  
impropria ac generali significatione, quâ ordi-  
nari censentur omnes ij, qui quoquo modo de-  
dicantur divinis obsequijs, etiam si non in or-  
dine ad divinum sacrificium (quâ generali si-  
gnificatione subinde in Concilijs fit mentio  
sanctimonialium ac viduarum, ab baptiste-  
rium ordinatarum, pro instructione scilicet  
mulierum baptizandarum, & presbyterarum, in  
*can. penult. & ult. Dist. 32.*) sed in ea, quâ signi-  
ficat ordinationem, quæ certo, sacro ac solem-  
ni ritu, ab Episcopo fit & conferretur, atque ad  
certum ministerium sacrificio divino exhiben-  
dum refertur.

2. Unde definiti potest, quod sit Sacramen-  
tum, à Christo institutum, quo quibusdam cæ-  
remonijs & rebus traditur potestas spiritualis  
ordinato, conficiendi Eucharistiæ Sacramen-  
tum, vel administrandi in ordine ad illud. Na-  
varrus *Manuale cap. 22. n. 17.*

Materia est illud instrumentum, per cuius  
traditionem conferretur ordo: sicut Presbyteratus  
per calicis cum vino, & patenæ cum pane  
porrectionem: Diaconatus per libri Evangelio-  
rum dationem: Subdiaconatus per calicis vacui  
cum patenâ vacuâ superpositâ traditionem: &  
sic de alijs, per rerum ad ministeria sua pertinen-  
tium traditionem.

Forma verò sunt verba, quibus in traditione  
materiæ utitur Ordinatio. Franc. de Victoria *De  
Sacramento Ordinis nu. 229.* ut sacerdotij v. g. *Ac-  
cipite potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia  
pro vivis & mortuis. In nomine Patris, & Filij  
& Spiritus sancti, Amen:* & sic de aliorum Ordini-  
um formis, prout in Pontificali Romano lati-  
us continetur. Debet autem contractus materiæ  
simul moraliter fieri, quando verba formæ pro-  
feruntur.

Effectus est gratia, ejusque augmentum, ut  
quis efficiatur minister Ordinis suscepti, &  
character.



character, qui imprimuntur in anima ordinati. Conc. Trid. Sess. 23. can. 4. De Sacramento Ordinis. 3. Est autem character, ut ex Bonaventura & Angelo tradit Plafec. 1. p. cap. 1. art. 9. m. 1. spiritualis qualitas animæ, signans gratiam gratum facientem, & ad gratiam disponentem & assimilantem: De necessitate supponit characterem baptismi, non item confirmationis: ideoque si quis non baptizatus ordinaretur, ordo non teneret.

4. Minister ordinarius est Episcopus, Victoria loc. cit. Conc. Trid. Sess. 23. c. 4. & 7. Possunt tamen alij minores Ordines conferre, ex concessione vel privilegio, ut postea dicemus.

## § II.

## Quo sunt ordines,

1. Sunt septem numero.

2. Alij Majores & sacri, alij Minores.

3. 4. Ordines novem, secundum Canonistam; & ejus ratio.

Ordines posteriori modo sumpti septem à Theologis numerantur, Ostiarius, Lectoratus, Exorcismus seu Exorcistatus, Acolytatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus seu Sacerdotium: qui numerus probatur ex can. Cleros Distinct. 21. Cōc. Trid. 23. can. 2.

2. Tamen si autem omnes hi ordines, quatenus in se sunt Sacramenta, Sacri dici possint: ita tamen inter se distinguuntur in c. 1. 2. & c. Distinct. 15. h. tit. quod quatuor primi dicantur Minores Ordines, tres verò alij dicantur Superiores. Majores ac Sacri Ordines, ea propria ac peculiari ratione, quod versentur proximè circa materiam consecratam, seu res sacras contingant: nempe Sacerdotium & Diaconatus circa corpus & sanguinem Christi consecratum: Subdiaconatus circa vasa consecrata. Et hinc sumitur ratio, cur tres majores Ordines suscipientes ex lege Ecclesiastica ad perpetuam castitatem obligentur, ut scilicet mundi sint, qui sancta & sacra contrectant; eoque olim Subdiaconatus non fuerit dictus Ordo sacer, ut patet ex c. Amulius 9. inf. De astate & qualitat. c. 1. Miramur 7. inf. De servis non ordinandis, quia olim non fuit concessum Subdiacono tangere vasa sacra, ut patet ex can. Nullus Dist. 24. & alijs. Quatuor verò minores Ordines

non dicuntur sacri, quia non contrectant proximè materiam consecratam seu res sacras.

3. prædictis septem Ordinibus Canonistæ addunt duos alios, nempe Clericalem Ordinem seu primam tonsuram: quam esse Ordinem, & ordine primam, probant c. Cum coniugatur. 1. inf. De astate & qualitat. c. 1. ibi D. D. & can. Servatim 14. distinct. 32. Deinde postremum Episcopatum, ex d. can. clerici can. 1. d. distinct. 32. & similibus Conc. Trid. Sess. 23. can. 6. & 7. Atque ita novem Ordines constituunt quorum Minores sunt quinque primi, quatuor verò reliqui Majores. Ratio diversitatis ex diversa consideratione peti debet: cum enim Theologi considerent Ordines, eorumque distinctionem desumant ex habitudine ad sacrificium divinum seu Eucharistiæ consecrationem & consecrationem, in qua consistit consummatio omnis divini cultus: merito Episcopatum non faciunt distinctum Ordinem à Sacerdotio, quando quidem simplex sacerdos parem prorsus cum Episcopo in ordine ad illam consecrationem & consecrationem habeat potestatem, ut satis indicatur in can. Legimus 24. Dist. 93. Similiter primam tonsuram non ponunt tamquam Ordinem, quia non habet ullum certum officium annexum, nec per eam datur ministerij alicujus Ecclesiastici potestas, sed est solum præparatio aliqua ad Ordines & statum Ecclesiasticum; & inde dici solet janua ad omnes Ordines.

4. Canonistæ verò considerant ordines in primis, ut constituunt Hierarchiam in Ecclesia militante, ac proinde Clericatum & Episcopatum merito à cæteris distinguunt, & tamquam diversos Ordines ponunt: ut, sicut in Ecclesia triumphante sunt novem Ordines, ita etiam sint in militante quæ triumphantem imitatur, tamquam ad illius exemplar ordinata. Deinde considerant ordinem, ut significat seu ut pereum confertur potestas, non solum ordinata ad sacrificium divinum, verum etiam ad conferenda quædam Sacramenta, Ordinis scilicet & confirmationis, atque ad alias quasdam sacras actiones exercendas, veluti ad consecrandum alium in Episcopum, ad consecrandas Ecclesias Moniales benedicendas & similes: qualem potestatem eum accipiat Episcopus in sua consecratione, novem



tiam simplex sacerdos in sua ordinatione, merito Episcopatum tanquam diversum Ordinem à sacerdotio constituunt, licet Sacerdotium in sua ratione seu essentia includat: secus ac Diaconatus respectu Subdiaconatus, aut Sacerdotium respectu Diaconatus aut Subdiaconatus, quem in sua ratione non includit, ut patet ex *c. unico inf. De Clerico per saltum promot.* Ratio diversitatis est, quia hæc Subdiaconatus inquam, Diaconatus & Presbyteratus, significant potestates distinctas & quarum una de sui natura non requirit aliam in eodem subiecto Et licet olim Episcopus & Presbyteratus, ob paucitatem Christi fidelium & Ecclesiarum Præfectorum, concurrerent in eandem personam: post modum tamen, crescente fidelium ac Presbyterorum numero, ad lites & schismata tollenda, Ecclesia alios creavit Presbyteros alios Episcopos; ut sicut Episcopi & Presbyteri potestates erant distinctæ, ita etiam in aliis diversæ personæ constituerentur: idque solum vult *can. Olim Distincti* 95.

## §. III.

## A quo conferantur Ordines.

1. 2. Conferuntur à proprio Episcopo
  3. *Pœna ordinantis aliena diocesis subditum.*
  4. *Quis dicatur proprius Episcopus*
  5. *Summus Pontifex ubique & quemlibet ordinare potest.*
  6. *Abbatibus jus est conferendi minores Ordines.*
- I**us & potestatem ordinandi Clericos esse penes Episcopos, tamquam ordinarios ministros Sacramenti ordinis, ex vi & potestate sui officii, jam antè diximus, & constat ex variis Canonibus, ut *can. 1. §. ad Episcopum distincti* 25. & alius, ac novissimè ex Conc. Trid. *Sess. 23 cap. 4 & 8. De reformat. & can. 7. De Sacram. Ordin.* modò tamen non sint excommunicati, majori excommunicatione, vel suspensi interdicti depositi, congruati, simoniaci, schismatici, vel hæretici: nam à talibus ordinati, quamvis characterem ordinis, quem ipsi non amiserunt, recipiant, dummodo servetur forma Ecclesiæ, non tamen accipiunt Ordinis executionem, quam illi amiserunt, & quam proinde dare non possunt, *arg. s. Quod sedem 10. inf. De offi. io ordinarij, ubi Gloss. in V. gratia, alia jura allegat.* Hoc tamen intelli-

gendum, mo lo sint denunciati esse tales Navar. in *Manuali cap. 27. nu. 24. quem plenius videre licet.*

2. Cavere autem debet Episcopus, ne alienæ diocesis subditum, etiam familiarem suum absque ipsius superioris licentia, ad ordinem Ecclesiasticum, etiam primæ tonsuræ, admittat, nisi triennio simul cum ipso præsens commoratus fuerit, & statim cum ordinibus beneficium illi conferat. Conc. Trid. *Sess. 23. can. 9. De reformat. & sess. 14. c. 2. De reformat.*

3. Alioquin aliter ordinans per annum à colloca- tione Ordinum & ordinatus ab Ordinum susceptorum executione, ipso jure suspenditur, quam diu Ordinario videbitur Conc. Trid. *d. Sess. 23. c. 8. De reformat. c. 2. §. 4. h. t. in 6.* licet antea talis Episcopus deponi deberet, *can. Nullum: x. q. 2.* Hinc tonsuratus ab alieno Episcopo non est habilis ad beneficia, ac si non haberet tonsuram. *c. fin. De Clerico excommunicato ministrante:* quia paria sunt, non habere tonsuram, & habere inutilem, Rebuff. *De formula dimissoriarum* 22.

4. Proprius autem Episcopus seu Prælatus hic, seu quoad effectum susceptionis Ordinum, censetur Episcopus, ex cujus diocesi oriundus est ordinandus, vel in cujus diocesi beneficium Ecclesiasticum obtinet, vel licet alibi natus, domicilium habet, *c. Cum nullus eod. in 6. Concil. Trident. Sess. 2. cap. 2.* Requiritur etiam beneficium sufficiens ad victum honestum, Episcopi vero nomina hic comprehenduntur Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Metropolitanæ, & simplices Episcopi. Sub oriundis in diocesi comprehenduntur etiam a'ibi nati, sed in diocesi baptizati: Pias *p. 1. tit. 1. art. 2. §. 1.* Hinc Præfecti locorum seu Prioratum non exemptorum, eorumque socij possunt ordinari ab Episcopis, in quorum diocesi sunt quamdiu ibi morantur, licet aliunde sint oriundi, *d. c. Cum nullus eod. in 6.* Græci verò à Latinis, vel contra, ubi eorum ritus differunt, ordinari non possunt, ne rituum fiant commixtiones, *c. Cum secundum 9 hoc tit.* Quòd si Græcus, Latino Episcopo subiectus à Græco, sine licentia Latini, ordinetur, interdictur ei executio: sin de Latini licentia, toleratur, nec debet ab executione Ordinum taliter susceptorum impediri, *c. Quod translationem 11. h. t.*

Epis.



Episcopus quoque Italiae Ultramontanum sub condigna poena non debet ordinare; nisi de speciali Papae licentia, vel per patentes literas Episcopi illius, continentis iustam causam, cur nolit aut non possit illum ordinare, eidem permittatur, c. 1. & ibi Gloss. in V. Italia De officio Ordinarii in 6.

5. Summus quoque Pontifex ob summam in universam Ecclesiam, quam habet potestatem est cuiuslibet Christiani superior & Generalis Episcopus totius mundi: potestque cuiuslibet Ecclesiae Clericos ordinare, c. pen. & ult. ix. q. 3. etiam solo verbo Clericum creare, quia ipse introduxit formam primae tonsurae, quam tollere potest. Dico, Clericum; quia licet Rebussus in Praxi tit. De Clerico, & à quibus & quomodo creentur n. 9 secutus Felin & Angel quos citat, existimet etiam solo verbo, ob similem rationem, posse creare Presbyterum, tamen repentinus examinata, id esse contra communem omnium Theologorum sententiam, & formam Presbyteratus iuris esse divini censeo. Ab eo verò significatus ordine aliquo non potest ab alio a sublimiores promoveri, licentiā ipsius non impetrata, c. Dum in distribuendis 12. b. e. non ideo tamen subtrahitur ab Ordinarii potestati, c. per tuas extr. De majoritate.

6. Sed & Abbatibus, non quidem ex vi sui officii, sed iure singulari à sacris Canonibus conceditur potestas conferendi primam tonsuram, Lectoratum Psalmistarum, id est officium cantandi, & Ostiariatum, can. Quoniam Distin. 69. c. Cum contingat inf. De etate & qualitatibus. & c. & alius, sed sui duntaxat Monasterii Monachis, & quidem post professionem, ne exeant postea, licetque fraus, quae praecavenda est, committatur Rebussus d. loc. n. 17. etiam sine examine Episcopi, Navar. Cons. 14. De privilegiis modo tamen ipsi Presbyteri sint, ac manus impositionem ab Episcopo receperint, d. c. Cum contingat, c. Abbatibus De privilegiis in 6. Alios Ordines minores, nempe Acolytatus & Exorcistatus, conferre non possunt, nisi ex speciali privilegio id eis concessum sit, pro ut hodie concessum videtur, secundum Zerolam, 1. parte Praxis Episcopalis in V. Abbas: & ita declarasse sacram Congregat. refert Piaf. 1. p. c. 1. art. 1. n. 7. Quod intelligendum de verbis Abbatibus, ut sunt Benedictini, & alii, non verò de commendatariis, Zerola d. loco.

## § VI.

De litteris dimissorijs, seu reverendis, ut quidem vocant.

1. Quanam dicantur litterae dimissoriae.
2. Sunt vel speciales vel generales.
3. Quis dare eas possit.
4. Non expirant morte dantis.
5. Quando sine iis ab alieno Episcopo Ordines conferri possint.

DE litteris dimissorijs aliquid subjiendum est ideo, quia Episcopus alienae diocesis subditum ordinare non potest, absque superioris eius licentia.

1. Sunt autem litterae dimissoriae, quibus sit alicui potestas suscipiendi Ordinis ab alio, quam à proprio Episcopo.

2. Et haec subinde sunt speciales, veluti quoddam quis ordinari possit à tali vel tali Episcopo: & cum nequit ab alio ordinari quam ab expresso, quia unius expressio est alterius exclusio, c. Nonne 5. Inf. De praesumpt. Et ideo sit nominatus in litteris dimissorijs Episcopus, impeditur nequeat conferre Ordines, curetque in sua diocesi per alium Episcopum eos conferri, talis non poterit ordinare nisi personas subiectas Episcopo, de cuius licentia & in cuius Diocesi ordinabit. Ita intellige c. 5. Sess. 6. Conc. Trid. ne repugnet c. 11. Sess. 7. Zerola p. 1. V. Dimissoria ad 5. vers. Secundum. Aliquando verò sunt generales, veluti quoddam à quolibet Episcopo ordinari quis possit.

Haec litterae continere debent Ordines, qui illarum vigore conferendi sunt: alias per facultatem recipiendi Ordines minores vel Ordines tantum, majores non comprehenduntur, arg. c. 1. b. 1.

3. Dare eas potest imprimis summus Pontifex, & quidem omnibus Christianis, c. 1. eod. in 6. ibi, nisi à nobis & c. quia est generalis Episcopus totius mundi, can. cum sita per mun. um ix. q. 3. & alius. Secundo, proprius Episcopus suis subditis, siue sit Episcopus originis, siue domicilium, siue ratione beneficii, c. Cum nullus eod. in 6. modo tamen sufficientem habere possit informationem de probitate morum, sufficientia & natalibus ordinandi. Episcopi vero superior seu Archiepiscopus iure metropolitano subditis Episcopi dimissorias dare non potest



potest, juxta communem sententiam scribentium ad d. e. Nullus. Similiter nec Prælati Episcopis inferiores, siue sint religiosi, siue sæculares, eas subditis suis dare possunt, circa Sedis Apostolicæ speciale indultum, c. 3. eod. in d. nisi id faciant ex legitima consuetudine. Rebuffus in *Præxi benef. tit. De litteris dimissorias* n. 6. vel nisi speciali mandato Episcopus hanc potestatem dederit suo Vicario, etiam Generali, Piafec. p. 1. c. 1. art. 2. n. 9. ubi alios citat; vel Episcopus ipse longe absit: nam hoc casu dare eas potest ipse in spiritualibus vicarius Generalis, sicut & Sede vacante, mortuo scilicet Prælato, vel ab hostibus capto. Capitulum, d. e. Cum nullus eod. in 6. à quo tamen non nihil per Conc. Trid. recessum est, partim Sess. 7. cap. 10. De reformat partim Sess. 23. cap. 10. prout ibidem videre licet. Sed & ab eodem Concilio, d. Sess. 7. c. 11. statuitur, ne facultates de promovendo à quocunque suffragentur, nisi habentibus legitimam causam, cur à propriis Episcopis ordinari non possint, in litteris exprimentam (qualis est ægrotudo, Conc. Trid. d. Sess. 23. cap. 3. quo nomine venit omne justum & legitimum impedimentum, Zerola d. *V. Dimissoria ad 5. versic. tertium*) quodque tunc non ordinentur, nisi ab Episcopo, in sua diœcesi, residente, aut pro eo Pontificalia exercente, & diligenti prævio examine. Nam sicut non potest ordinare, alienæ diœcesis subditum, ita nec in aliena diœcesi Pontificalia exercere, etiam prætextu cuiusvis privilegii, can. 1. 3. 6. & 7. 12. q. 2. Conc. Trid. Sess. 6. cap. 5. de reformat. nisi de Ordinarii loci expressa licentia, & in personas eidem Ordinario subjectas tantum. Alioquin, si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium; & sic ordinati, ab executione Ordinum sunt ipso jure suspensi, Conc. Trid. d. cap. 8.

Litteræ vero dimissoriæ, siue ab Episcopo, siue ab alio semel legitimæ concessæ, non expirant morte, civili & naturali, vel finita potestate concedentis, nisi per successorem revocentur. Navar. in c. Placuit de penis. Dist. 6. n. 34. & 163. Cardinalis in *Clement. su. q. 5. de electione*. Sic nec concessæ à Capitulo expirant finira Sedis vacatione. Rebuffus *De forma dimissoria* n. 43. Piafec. p. cap. 1. art. 2. n. 10.

Certis tamen casibus ordinari quis potest

ab alieno Episcopo sine his dimissoriis. Primum si proprius Episcopus Clerici fuerit suspensus ab Ordinum collatione, eo quod alienos sine licentia ordinaverit, & suspensio ejus sit manifesta, c. 2. eod. in 6. Secundo, quando quis triennio præfens cohabitavit Episcopo alieno, modo antea dicto. Differunt autem Dimissoriæ à Commendatitiis, quod hæc ad effectum susceptionis Ordinum tantum dentur, illæ verò à jurisdictione etiam dimittant. Piafec. d. cap. 1. art. 2. sub n. 7.

§. V.

Quibus temporibus Ordines conferendi sint.

1. Minores Ordines confert Episcopus quando & ubi ei libet.
2. Majores non nisi in publica ordinatione, & temporibus certis
3. Summus Pont. quolibet tempore.
4. 5. Poena ordinatorum & ordinantium extra præscripta tempora.
6. Debent gradatim conferri Ordines,
7. Et per certa intervalia,
8. De qualitate ordinandorum.

1. **C**ertis & legitimis temporibus conferri ab Episcopis Ordines debent. Et quidem licet minores conferri possint, quando & ubi Episcopo libuerit, c. 3. h. s. can. fin. *Distinct.* 69. & can. quando *Dist.* 75. etiam absque Missa, & à non jejuno Episcopo, Piafec. p. cap. 1. art. 8. n. 5. ubi alios citat. id tamen fieri debet intra diœcesin, Conc. Trid. Sess. 6. c. 5. De reformat & præsertim Dominicis, aliisve festivis diebus; sicut & Virginum consecratio c. 1. & 3. h. s. Excipitur prima tonsura, quæ cum voluntariæ sit jurisdictionis, & in Episcopatu, & extra, conferri potest, secundum Rebuff. in *Præxi tit. De Clericis, & à quibus & Quomodo* & c. n. 12.

2. Majores vero Ordines non nisi in publica ordinatione conferri possunt, d. can. Quando & quidem in Missa, c. Quod sicut sup. *De elect.* de necessitate scilicet præcepti; non de necessitate Sacramenti, Piafec. d. loco & in jejuniis quatuor temporum, nempe in Sabbatho sancto, & in die antecedente Dominicam Passionem non obstante contraria consuetudine, c. 1. 2. 3. & alii h. s. Conc. Trid. Sess. 23. c. 8. De reformat. Exceptis duobus casibus: Primum, si tanta sit ordinandorum multitudo, ut nequeant omnes



mos in Sabbatho ordinari: tunc enim in diem Dominicam sequentē collatio differtur potest. In hoc. in c. *Litteras h. t.* Secundō, sitam ab ordinandis quam ab ordinantibus servetur jejunium usque in sequentem diem Dominicam, *can. Quod à Patribus Distinct.* 57. Consecratur autem potius in Sabbatho, quam aliis diebus, quia dies Sabbathi consecrata est Spiritui sancto ejus dona in Ordinibus recipiuntur.

3. Potest tamen summus Pontifex quolibet tempore ac diebus Dominicis & festivis eos conferre, hancque facultatem etiam aliis Episcopis in favorem ordinandorum concedere, quia hæc prohibitio originem habet à jure positivo, quo solutus est summus Pontifex.

4. Quod si quis extra prædicta tempora ordinatus fuerit, tamen recipiat charactere & Ordinem, quia tempus non est de substantia Ordinis, ut nec jejunium: tamen ex juris positivi dispositione in pœnam non servati temporis suspenditur ab executione Ordinis, quousque pœnitentia ab Episcopo (qui scilicet in culpa non fuit) imposita, & impleta fuerit. *c. Cum quidam 8. c. Consultationi sue 16. & Ambrosius Gloss. h. t.*

5. Quantum verò ad ordinantem extra præscripta tempora attinet, is privatur potestate conferendi Ordines, quos illicite concelebrat, *d. c. Cum quidam c. Sane 2. c. Litteras 13. h. t.*

6. Sed & gradatim conferri Ordines debent, incipiendo à prima tonsura per ordinem. *can. Si officia Distinct.* 59. Nam casum appetit qui ad summi loci fastigia, postpositis gradibus per abrupta quærit ascensum, nec ædificari parietes prius tignorum pondus accipiunt, quam à novitatis suæ humore siccantur, ne si ante pondera quam solidentur, accipiant, cunctam simul fabricam ad terram deponant, *s. ult. Distinct.* 48. Non tamen una eademque die vel duobus continuato jejunio ad duos sacros Ordines admitti quis debet, *d. c. Litteras c. Dilectus eod.* etiam si sit regularis conc. *Trid. sess. 23. c. 13. de reformat.* Idque sub pœna suspensionis ab executione ordinis, illegitimè suscepti; adeo ut si eadem die tres suscepit, suspendatur à duobus ultimis; non à primo, qui legitime susceptus est, ut manifestè colligitur *ex d. c. Litteras.*

7. Præterea ex Conc. *Trid. d. c. 13.* requiritur ut promotus ad Subdiaconatum, nisi per annum in eo versatus fuerit, ad altiore ascendere non permittatur, nisi aliud Episcopo videatur. Similiter c. 14. vetatur promotus ad Diaconatum, antequam per annum integrum in eo ministraverit, ad Sacerdotium ascendere, nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud Episcopo videatur: ubi indicatur, majorem requiri causam dispensandi hoc casu, quam in priori, in quo utilitas sufficit. Possit tamen Episcopum dispensare super hujusmodi interstitiis, patet ex eodem Concilio, cum ad eum quoque, quo ad Regulares promovendos, non ad eorum Superiores, item Regulares, super hujusmodi interstitiis dispensare pertineat, prout declaratum fuisse per sacram Congregat. ex Quaranta refert *Piasce d. sap. l. art. 8. n. 5. requiritur item.* Vbi subjungit, eadem interstitia posse remittere Capitulum, Sede vacante, seu ejus vicarium, in casibus quibus potest dare licentiam ordinandi, *ex declarat. ejusdem Congregat. & nullam pœnam incurrere ordinatum vel ordinatum, non expectatis interstitiis, licet peccet, ex Navar. Concil. 4. c. 6. De temporibus Ordinationum.*

Dixi ante, & ad duos sacros Ordines; quia quamvis olim in minoribus quoque suscipiendis certa interstitia temporis præscripta fuerint, ut patet ex *can. in singulis Distinct.* 77. tamen licet nunc illos omnes etiam eadem die suscipere & conferre, maxime ubi est consuetudo, *c. 2. inf. De eo, qui furtive Ord. suscepit.* Episcopus vero conferens eidem una die plures Ordines sacros, etiam si de mandato Metropolitani hoc faciat, ab ordinandi potestate suspenditur, *d. c. Dilectus hoc t.*

Quantum ad qualitatem attinet ordinandorum, vel etiam ordinatorum (de qua hic quoque agitur, ut patet ex *d. c. Cum quidam, & c. Quod translationem eod.*) ea nihil aliud est, quam accidens aliquod, afficiens personam ordinandi vel ordinati, si bene, seu sit bona, qualitas, ut morum probitas, prudentia, scientia & c. si male, seu sit mala qualitas; ut pravitas morum, illiteratura, excommunicatio, suspensio, infamia & c. Sed quia de illa non minus commodè agitur in *Tit. De etate & qualitat. & ordine præficiendorum*, ideo quæ hic dicenda forent, ad sum *Tit. rejicimus.*



## TITULUS XII.

## De Scrutinio in Ordine faciendo.

1. 2. *Quid sit Scrutinium, & quotuplex*  
 3. *Quid in hac re servetur circa minores aut maiores Ordines.*  
 4. 5. 6. *Primum & secundum scrutinium:*  
 7. *Qui à scrutinio excipiantur.*

Cum nullus debeat ordinari Clericus, nisi qui probatus fuerit vel examine Episcoporum, vel populari testimonio, ut habetur in *can. Nullus Distinct. 24.* ideo adveniente tempore, ordinationi præfixo, examinari debent ordinandi *d. can. Nullus & can. Quando d. Dist. 34.*

1. Scrutinium nihil est aliud, quam examen per eum factum, ad quem spectat. Dictum à scrutando: nam is, qui examinat ordinandos, scrutatur sive interogat, *c. unico h. t.*

2. Ut verò alias Scrutini divisiones (de quibus Hostiensis in *summa h. t. §. quot modis*) omitterem, quod ante ordinationem, & quidem diligenter faciendum est, *Nihil est 44. §. Episcopi sup. De elect.* alterum, quod sit in ipsa ordinatione.

3. Ad minores itaque promovendi Ordines ex decreto Conc. Trid. Sess. 23. c. 5. *De reformat.* tenentur habere & exhibere testimonium à Parocho suo & magistro scholæ, in qua educantur & erudiantur: ad singulos vero Majores assumendi, per mensem ante ordinationem adire Episcopum debent qui ad detegenda, si quæ forte subsint, impedimenta occulta & incognita Parocho aut aliter, cui magis excedere videbitur, committet, ut nominibus ac desiderio eorum, qui volunt promoveri, publice in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus & vitæ fide dignis diligenter inquirat & litteras testimoniales, ipsam inquisitionem continentes, ad Episcopum quamprimum transmittat.

4. Deinde feriâ quartâ ante ordinationem vel quando Episcopo videbitur, una cum Archiepiscopis ad civitatem evocari debent, ipseque Episcopus, adscitis sibi sacerdotibus, & aliis juxta prudentibus, petitis divinæ legis, atque in Ecclesiasticis sanctionibus exercitatis, ordinandorum genus, personam, ætatem, mores, doctrinam fidem diligenter examinare atque investigare, *d. can. Quando, cum duobus seqq. Distinct. 25. c. 4. penult. & ult. inf. De atato & qualis. & ord. præficien. Conc. Trid. Sess. 23. cap. 7. De reformat.* & hoc vocatur primum scrutinium.

5. Sabbatho verò sequenti, qui probati & idonei reperti fuerint, Episcopo ordinandi præsentari debent per Archidiaconum, qui adstiterit Episcopo, & ad quem de jure communi spectat examen & præsentatio ordinandorum ad sacros Ordines, *c. ad hæc 7. c. Vi nostrum 9. inf. De officio Archidiaconi:* ac proinde examinatores quos sibi adsciscere debet Episcopus decreto Conc. Trid. d. c. 7. & quos singulis annis in Synodo diocesana pro examine ad parochiales Ecclesias eligi jubet idem Conc. Sess. 24. cap. 18 accipiendi sunt cum Archidiacono, non autem cum illius exclusione.

6. præsentando verò ordinandos dicit Archidiaconus. *Postulat sancta mater Ecclesia hos Diaconos vel subdiaconos fieri:* & interrogatus, an eos dignos cognoverit, respondet, se nosse & testificari, in quantum humana fragilitas nosse sinit *capite unico h. tit. & hoc vocatur secundum scrutinium.* Eâ autem responsione non peccat Archidiaconus, quamvis ordinandus, revera sit indignus, modo non sciat esse indignum, nec per eum stet, quod minus sciat esse talem: quia non simpliciter asserit, illum esse dignum, sed quantum humana fragilitas nosse sinit: præsertim cum illum, quem indignum esse non novit, dignum debeat æstimare. Simili responsione utuntur Suffraganei, præsentantes Archiepiscopo electum in Episcopum, ut eum consecret, interrogati, num sciant illum esse dignum: hæcque interrogatio & responsio vocatur etiam scrutinium. Imò de eo potissimum hoc Tit. agitur, ut patet ex *dict. cap. ult.*

7. Quod si examinatio prædicta ordinationem non præcedat, vel si inscio Episcopo suo quis.



quis ordinetur, censetur furtivè ordinem suscipere: & qui ordinatus fuerit non examinatus jubetur deponi, *can. ult. dist. 24.*

7. Attamen ab examine illo seu scrutinio excipit Trid. præsentatos, electos seu nominatos ab Universitatibus sive collegijs Generalium Studiorum, *Sess. 23. c. 13 de refor.* Quod tamen vedetur revocare, *Sess. 24. c. 18 de refor.*

## TITULUS XIII.

## De ordinatis ab Episcopo, qui Episcopatu renuntiavit, &amp; ab excommunicato.

1. *Episcopus renuntians loco rectè confert ordines.*
2. *Renuntians loco & dignitati vò nisi minores conferre valet.*
3. *Pœna ordinati ab huiusmodi Episcopo.*

**D**iximus ante, quemlibet ordinandum esse à suo Episcopo vel ab alio, de ejus mandato aut licentia. Quia verò Episcopus, qui renuntiavit Episcopatu, definit esse proprius Episcopus, excommunicatus autem, excommunicatione durante, suspensus est ab executione ordinis Episcopalis: ideo ne quis facillè decipiat in Ordinum susceptione, merito inquirendum nunc est, quid juris sit de eo, qui ab alterutro eorum ordinatus est.

1. Quod ad primum attinet, dicendum est, Episcopum, si renuntiaverit loco dumtaxat, rectè confert Ordines, ab aliquo Episcopo rogatum, sive minores, sive majores, quia manet Episcopus & quoad habitum & quoad exercitium. 2. Si vero renuntiavit loco & dignitati, quia remanet tunc solum Episcopus habitus, & privatur exercitio, ut colligitur ex *c. 1. Panor ibidem h. tit.* Minores quidem conferre potest, quia etiam non Episcopus illos conferre valet, veluti Abbas: & ideo taliter promotus ad majores Ordines ascendere non prohibetur, modo idoneus sit. At vero sacros Ordines

seu Majores Episcopus talis conferre nequit: \* 3. adeo si quis ab eo sacrum Ordinem suscipiat sciens, characterem quidem accipiat, nò tamen in eo ordine ministrare possit, quia indignum se fecit Dixi, sciens, quia si ignoranter cum eodem, ut ministrare valeat, Episcopus rectè dispensat: sicut & cum eo qui ignorans ab Episcopo excommunicato Ordines accepit *c. 1. & 2. h. t.* nisi ipsemet ordinaverit: nam eo casu, ne videatur dispensare super proprio defectu, tumus pontifex ad eundem est

## TITULUS XIV.

## De ætate, &amp; qualitate, &amp; ordine præficiendorum.

## §. I.

## De ætate præficiendorum.

1. *Ætas requisita ad obtinendum beneficium.*
2. 3. *Episcopatum & alias dignitates.*
4. *Ad parochiale beneficium.*
5. *Ad Canonicatus.*
6. *Abbatissa non nisi quadragenaria eligenda:*

**I**nter ordinandos sive ordinatos, de quibus egimus quidam præficiendi sunt dignitatibus, veluti Episcopatibus, de quibus potissimum hoc Tit. tractat Pontifex vel certis Ecclesiis seu beneficiis, ex quibus adscripti militiæ clericali stipendia, quibus sustententur, percipere valeant cum non teneantur propriis stipendiis militare *cap. Exstirpanda § 1 de præbendis, can. Militare xxxii. q. 1.* In præficiendis verò spectanda & requisita est certa ætas, qualitas & ordo; de quibus nunc agendum est.

1. Et quidem quantum ad ætatem præficiendorum attinet, multa hic innovavit Conc. Trid. ex jure antiquo: nam eo jure ad obtinendum beneficium sufficiebat ætas septennii *cap. Nullus sup. de temporibus. ordin.* hodie requiritur ætas xiv. annorum, Trid. *Sess. 2 cap. 6. de reformat.* saltem inceptorum, Riccius in *Praxi decis. 392.* Alias minori facta collatio est nulla: nec potest Episcopus in hac ætate dispensare, *c. Non est compos sup. de temporib. ordinat.*

H 2

Ad



2. Ad Episcopatum idem Concil. requirit ætatem xxx. annorum completorum, *Sess. 7. cap. 2. Sess. 2. cap. 2. Sess. 24. cap. 2. de reformat.* Et ideo ad Cardinalium Episcopalem eadem ætas requiritur; alioquin ad Diaconalem sufficere vicissimum tertium annum in ætatem; ad Presbyteralem xxv. quidam existimant, ut refert Azorius, *1. Instit. Moral. lib. 6. cap. 5. q. 10.*

3. Ad dignitatem, inferiorem Episcopatu, habentem curam animarum requirit Concil. sicut & cap. *Cum in cunctis 7. §. inferiore sup. De el. & ætatem xxv. annorum, saltem inchoatorum (Sess. 24. cap. 12. Ad alias vero dignitates, personatus & officia, quibus cura animarum non incumbit, ibidem requirit ætatem xxii. annorum completorum: cum tamen iure Decretalium ad personatum sufficeret ætas xiv. annorum, c. Indecorum 3. h. t.).*

4. Ad parochiale Beneficium, vel aliud curam animarum habens, licet non sit dignitas, vel in commendam detur, requiritur annus vigesimus quintus inchoatus; adeo quod collatio ei facta, qui non attigit illum annum, sit nulla c. *Licet canon. 14. c. Nemo deinceps 15. De elect. in 6. Eademque ætas requiritur in Vicariis perpetuis Ecclesiarum Parochialium, Clement. unica De officio Vicarij. Et licet Præf. Præf. Episcop. p. 2. c. 5. art. 3. n. 17. existimet, ad parochiale beneficium sufficere ætatem, quâ possit quis infra annum promoveri ad Presbyteratum, per d. c. *Licet*, & Conc. Trid. cap. 12. Sess. 24. tamen & d. c. *Licet* & Conc. expresse contrarium disponit ut ex textu videre licet, cum tam d. c. *Licet*, quàm Conc. requiratur, ut saltem attigerit xxv. annum.*

5. Ad Canonicatus & præbendas vel portiones Ecclesiarum Cathedralium requiritur ætas, quam Canonicatus seu præbenda vel portio ipsa requirit, ratione ordinis, quem annexum habet, juxta distinctionem. Trid. Sess. 24. c. 12. In collegiata verò & cæteris inferioribus requiruntur quatuordecim anni inchoati Trident. Sess. 23. c. 8. De reformat scilicet juxta juris communis dispositionem, in c. *Super innovata 35. junctâ Glof. V. pueri inf. De præbend.* nisi ex fundatione aliter cautum sit, cui Concilium non derogavit, juxta declarationem Card. d. ibi.

6. Denique Abbatissa, Priorissa, & quocumque alio nomine Præfecta vel Præposita, quæ

Caput sit ipsius Conventus, eligi debet non minor annis xl. & quæ octo annis post emissam professionem laudabiliter vixerit, Conc. Trid. Sess. 25. c. 7. Regular. Zerola V. Abbatissa §. 1.

## §. II.

## De qualitate præficiendorum.

1. Qualitates ea dem in præficiendis requisitæ, quæ in ordinandis.
2. Qualitates in Curato requisitæ.
3. 4. 5. In Archidiacono, Penitentiario, Scholastico, &c.
6. Prærogativa graduatorum.

Quantum verò ad qualitates attinet præficiendorum, tales, inquit Pontifex, in can. 4. Dist. 23. ad ministerium eligendi sunt Clerici, qui dignè possint Dominica Sacramenta tractare. Melius est enim Domini sacerdotium paucos habere ministros, qui possint dignè opus Dei exercere, quàm multos inutiles, qui onus grave ordinari adducant.

Igitur eadem qualitates in præficiendis requiruntur, quæ in ordinandis: ac proinde spectanda est primò regula Apostoli, ad Timot. 3. c. ad Tit. 1. quæ his versibus continetur:

*Primum præcipitur, quod sit sine crimine Præf. Monachamus, sobrius prudens, ornatus, & hospes: Casta docens, non percussor, non litigiosus, Non cupidus, bene dispositus, non Neophytus, Talis Apostolicâ quod præf. regula jussit.*

Nam licet Apostolus hanc regulam de Episcopo tradiderit, tamen Augustin. in can. Apostolus distinct. 81. & Ambrosius in can. Cognoscamus distinct. 34. eam ad alios Clericos ordinandos, & consequenter præficiendos, extendunt. Singulorum autem dictæ regulæ capitulorum explicationem videre licet apud Hostiensium in Summa tit. De temporib. ordinat. & apud Gratianum, d. 2. parte Distinct. 25. usq; ad Dist. 50. In summa, promovendi ad unum quodque beneficium, officium, vel dignitatem, tales sint oportet, qui respondere muneri, illudque debite exequi valeant, pro varietate & diversitate beneficiorum, officiorum, vel dignitatum & mu-



& munerum iis incumbendum seu annexorum juxta Innoc. in c. Cum in cunctis sup. De electione.

2. Et ideo beneficia curam animarum habentia, conferri debent personis dignis, & habilibus, & quæ in loco residere, ac per se ipsos eam curam exercere valeant: aliàs collatio est nulla, & conferens penas incurrit, *Gravenimū inf. De præbendis, c. Quia nonnullis inf. De Clericis non resident. c. Licet canon. De elect. in 6. Concil. Trid. sess. 7. c. 3. De reformat. Teneturque Curatus scire Canones præsertim penitentiales, & quæ in administratione Sacramentorum requiruntur.*

3. Archidiaconus in Ecclesia Cathedrali doctrinā ad munus suum necessariā & vitæ integritate commendabilis esse debet, Doctor aut Licentiatus in sacra Theologia vel Jure Canonico, ex decreto Conc. Trid. sess. 24. c. 12. Non comprehendit tamen eo decreto, quo ad qualitatem Doctoratus & Licentiæ, Archidiaconum, qui curā animarum & omni prorsus jurisdictione caret, tradit Piassec. 2. p. 6. §. art. 3. n. 13. ex *Declarat. Cardinal.*

4. Penitentarius in Ecclesia Cathedrali auctorū xl similiter Doctor aut Licentiatus in alterutra illarum facultatum, seu alias qui aprior pro loci qualitate repetitur, Conc. Trid. d. sess. 24. cap. 8. vicarius etiam sede vacante eligendus similiter debet esse Doctor vel Licentiatus, saltem in Jure Canonico, vel alias, quantum fieri poterit, idoneus, Trid. d. sess. 24. cap. 16.

5. Scholasticus Doctor aut Licentiatus in sacra pagina aut Jure Canonico, aut alias idoneus, qui per se id munus explere possit, Trid. sess. 23. cap. 8. De cetero. De qualitatibus in Episcopum eligendi dixi supra. *Titulo De electione.*

6. Insuper sancta synodus Trid. d. sess. 24. c. 12. hortatur, ut in provinciis, ubi id commodè fieri potest dignitates omnes, aut saltem dimidia pars Canonatuum in Cathedralibus Ecclesiis, & Collegiatis insignibus, conferantur dumtaxat Magistris vel Doctoribus, vel etiam Licentiatis in sacra Theologia aut Jure Canonico; & ut Canonatuum Cathedralis Ecclesiæ dimidiæ quoque parti ordo sacerdotum annectatur. Hinc in electione novorum Episcoporum per Belgium novem præbendæ,

tunc primò vacaturæ, affectæ fuerunt: tres quidem Theologiæ, & totidem Juris Doctoribus aut Licentiatis, tres verò aliæ Nobilibus diocesanis, sive Theologiæ sive Juris Doctoribus Licentiatis: ad eas promovendi actu tales esse debent tempore promotionis quia Bullæ loquuntur de promotis in aliqua famosa Universitate, quod actum præteritum importat, *Wamel. Consilio 18. juxta ordinem Decretal. n. 1. & seqq.* In aliis autem beneficiis simplicibus sufficit doctrina mediocris, vel saltem, quod beneficiatus sciat legere, construere, canere, horas Canonicas recitare, *Clement. unius de concess. præbendæ, juncta Glossa in V. reputamus, Navar. de horis canonicis cap. 7. nu. 3. Piassec. 2. p. 5. c. n. 20.*

## §. III.

## De Ordine præficiendorum.

1. Ad simplex beneficium sufficit regulariter prima tonsura.
2. Beneficiis singulis suis Ordo annexus.
3. Adjumendus ad curatum beneficium xxv. annuum attigisse debet.
4. In Episcopum vel Abbatem eligendi.
5. Ordo dupliciter annexus dicitur beneficio.

1. **P**ostremo pars Tit. est de ordine præficiendorum. Ad obtinendum itaque simplex beneficium sufficit prima tonsura. quamvis subinde requiratur, ultra tonsuram, Ordo facit seu major, pro varietate beneficiorum, illud ex consuetudine, statuto, vel fundatione requirentium. 2. Ideoque, cum beneficiorum alia dicantur Sacerdotalia, alia Diaconalia, alia Subdiaconalia, is Ordo requiritur, quem beneficia postulant, vel saltem capacitas ad Ordinem intra annum, à die pacificæ possessionis, vel ex eo tempore, quo per beneficium steterit, quo minus eam, cessante legitimo impedimento, nactus sit: nam intra illud tempus Ordinem requisitum suscipere tenetur c. *Licet canon. 6. Commissa De elect. in 6. Conc. Trid. sess. 22. cap. 4. De reformat. ubi innovavit Clement. Vi ij qui h. 1. & sess. 24. cap. 12. ubi statuit, ut in omnibus Ecclesiis Cathedralibus Canonatus omnes seu portiones habeant annexum Ordinem Presbyterij, Diaconatus vel Subdiaconatus, quodque Episcopus cum consilio capituli (quod tamen sequi non te-*

H3

necur



netur, ut declaratum fuisse à sacra Congregat. refert Zerola, in *suapraxi* p. 2. V. Capitulum, Pia-fec p. 2. c. 3. art. 2. num. 7.) designet & distribuatur, prout vident expedire, quibus Canonicatibus & portionibus quisque Ordo ex sacris annexis in posterum esse debeat, ita tamen, ut saltem dimidia pars Presbyteri sint: nisi fuerit ea loci consuetudo, ut plures vel omnes habeant Presbyteratum annexum, Dixi Canonicatibus; quia iis & non personis, Ordo signari debet, ex dicta Declarat. Card.

3. Ad Parochialem Ecclesiam nemo assumi potest, nisi sit Subdiaconus: potest tamen Episcopus eum constituto in minoribus Ordinibus dispensare, modo alias sit idoneus, & talis, ut infra breve tempus possit in Presbyterum ordinari, c. *Præterea* 5. h. t. id est modo attigerit xxv. annū. Similiter ad dignitates quascunque, quibus cura animarum (quæ rectè in c. penult. h. t. dicitur *ars artium*) subest, nemo promovendus est qui non attigerit xxv. annū, c. *Cum in cunctis* §. *inferiora* sup. De elect. Conc. Trid. Sess. 24. c. 12. Et ad locum *Cum conc. tum c. Cum in cunctis* &c. Licet can. 14. De elect. in 6. plenè & nucleatè in elegantissima sua *Analysi* V. Cl. Steph. Weymsius Collega meus, primo Canonum Ordinarius deinde Legum Antecessor primarius. Ad alias vero dignitates vel personatus, quibus animarum cura nulla incumbit, non minores xxii. annis adsumi debent, Conc. Trid. *ibid.*

4. In Episcopum nemo eligendus, qui non sit Subdiaconus, c. *multis* 8. h. t. in Abbatem, Præpositum, vel Decanum, qui non sit Sacerdos, vel idoneus, ut brevi fiat, c. 1. h. t. Potest tamen ob necessitatem Ecclesiæ, in minoribus constitutus etiam irregularis, in Abbatem dispensativè eligi, c. *Tuam* h. t. Archidiaconum oportet esse Diaconum; Archipresbyter sit Presbyter necesse est, d. c. 1. h. t.

5. Observandum autem hic est, pro pleniori dictorum cognitione, dupliciter posse ordinem esse annexum beneficio, vel dignitati: primò respectu aptitudinis, & tunc requiritur, ut ad illud vel illam promovendus tempore suæ promotionis talis sit ætatis, ut infra annum possit illum ordinem suscipere, non autem requiritur, ut actu habeat: veluti in Parocho, Decano, Archidiacono, c. *Si pro* 8. De *præbendis* in 6. Secundo respectu actus, & tunc necessariò requi-

ritur, ut, qui promovetur ad tale beneficium vel dignitatem tempore promotionis illum ordinem actu habeat: veluti si in fundatione vel statuto habeatur, quod tale beneficium debeat conferri actu Sacerdoti, vel Diacono, vel Subdiacono, vel non debeat conferri nisi Presbytero, Diacono, vel Subdiacono: quia ut dici solet, qualitas adjecta verbo, debet adesse tempore verbi, seu per verbum significato, arg. l. *In dilectis* §. *si extraneus* D. *De noxal: action.* c. 1. l. §. *tutoris* D. *Quod iussu*, D. D. in l. *Ex facto*, in princ. D. *De vulgari. Surt De aliment. tit. 9. q. 13 nu. 5.* Sic quilibet acceptans beneficium debet actu esse Clericus, seu habere primam tonsuram; nec in hoc casu cingendus habetur pro cincto, Riccius. in *praxi benef. decij* 185

## §. IV.

## De ætate ad Ordines requisita.

1. *Ætas requisita ad Ordines ex jure veteri.*
2. *Et jure novo.*
3. *Et jure novissimo seu Conc. Trid.*
4. *Pœna Episc. ordinantis, & ordinatorum, ante legitimam ætatem.*
5. *Super ætate solus Pontifex dispensat.*

Docuimus, quis Ordo in præficiendis exigatur: non abs re fuerit hic subungere, quænam ad quemque Ordinem ætas requiratur.

1. Inprimis igitur, qui ad primam tonsuram, & tres sequentes minores Ordines, promoveri cupit, annos infantia, qui sunt septem, l. *Si infans* C. *De jure deliberandi*, expleverit necesse est: nisi ex devotione parentum inter Religionem cap. fin. *Subi* Gloss. *De temporib. ordinat.* in 6. qui ad Acolytatum, & Subdiaconatum, olim annum decimum quartum excessisse debebat. can. *In singulis* Distinct. 77. & aliquando attingisse vigesimum, can. *Quicumque*, cum seq. ead. distinct. Ante xxv. ætatis annum Diaconi ordinari non poterant. can. *Placuit*, & alii ead. Distinct.

2. At verò de jure novo ad Subdiaconatum xvii. ad Diaconatum xx. ad Presbyteratum xxv. requiruntur, can. *de his, dist.* 28. Clement. fin. h. t.

3. Denique hodie ex Conc. Trid. Sess. 23. c. 12. de *Reformat.* nullus ad Subdiaconatum ante xxii. ad Diaconatum ante xxiii. ad Presbyteratum



rarum ante xxv. annum promoveri debet; hos tamen annos sufficit esse incæptos. Glossa & DD. in d. c. Clement. fin. Minoribus vero Ordinibus nullam certam ætatem præscripsit dictum Concilium, quasi hic attendenda ea sit ætas, quam sacri Canones præscripserunt, juxta declarationem Card. apud Piaf. 1. p. prax. Episc. c. 1. art. 4. n. 1. majorque litterarum & morum, quam ætatis habenda sit ratio: ut proinde arbitrio Episcopis relictum videatur, qua ætate suscipi possint uti satis insinuat ipsum Conc. Trid. d. loco & ead. Sess. c. 5. & 6. dum eorum non meminit. In Episcopo ordinando ætas xxx. annorum exactorum ut minimum spectatur, ex eodem Conc. Sess. 7. c. 1. De reformat. sicut & antea semper spectata fuit c. Cum in cunctis sup. De elect. juxta Gloss. in Clement. Generalem De atate & qualis. &c. Prædicta tamen in singulis Ordinibus non est de necessitate Sacramenti (quia quo ad illud nulla certa ætas requiritur, cum etiam infans, si ordinetur in sacerdotem, recepturus sit characterem; licet possit adultus factus reclamare, nisi ratum habuerit in ætate legitima: sed est de necessitate præcepti Piaf. d. loco in princ.

4. Cæterum Episcopus, ordinans scienter aliquem ante legitimam ætatem; suspendi debet à collatione Ordinum: ordinatus vero ab ipso Ordinis sic suscepti executione suspenditur, usque ad legitimam ætatem, idque in injuriam conferentis, ut, in quo peccavit, puniatur, c. vel non est compos 2. 4. junctio c. Dilatus sup. De temporib. ordinat. Videatur Covar. in Clem. Si furiosus De homicidio p. 1. §. 1. n. 4. ubi docet, non esse suspensum ipso jure, sed suspendendum per sententiam, secundum jus commune. Quod addo, quia hodie per Extravagantem Pii II. incip. Cum ex sacrorum, quam refert Piaf. d. art. 4. n. 2. ipso jure suspensus est (sicut & ordinatus ab alieno Episcopo sine litteris dimissoriis, vel extra tempora) & celebrans efficitur irregularis, à solo Papa absolvendus, beneficiisque privati potest. Vide & Navar. in Manuali Confess. c. 27. n. 155. Quod si vero beneficium conferatur alicui, ætatem ad illud requisitam non habenti, collatio est nulla, quantumvis modicum desit, puta vel dies vel hora, quia in limitatis à iure non licet arbitrari Garz. De benef. p. 7. c. 4. n. 82. & seqq.

5. Porro Episcopum non posse super ætate

dispensare quoad dignitates seu beneficia curata, sed ad hoc adeundum esse summum Pontificem, notat Gloss. in d. Clement. fin. in v. annum & c. 1. h. t. in 6. ad v. non minuit. & ibid. Joan. Andr. n. 2. & quidem verbis expressis, his vel similibus, super qua, de uberioris dono gratia tecum dispensamus, secundum stylum Curie Calder. Conf. 8. de Rescriptis. Verumtamen si Pontifex minori ante iustam ætatem dispensativè concesserit aliquam Ecclesiam, ea ante legitimam ætatem per se non ministrabit, sed per alios idoneos; non quidem laicos, sed Clericos, c. 2. h. t. In materia autem ætatis creditur dicto parentum vel testium. l. De atate D. De minoribus, Rebuff. De litteris prima tonsura n. 13.

## TITULUS XV. De sacra Vnctione.

### §. 1.

#### Quæ dicatur sacra Vnctio.

1. Definitio.
2. Divisio in exteriorem & interiorem.
3. Ad exteriorem adhibetur Oleum benedictum & sacrum Chrisma.
4. Chrismate inungitur Episcopus.
5. 6. Oleo benedicto & Chrismate Sacerdotes, & Reges, & Christiani omnes.

Quia in sacris Ordinibus conferendis & consecrandis Ecclesiæ ministris, usus est sacra Vnctionis, ideo sub tractatu ordinationum rethet hic Tit. positus est.

1. Estque autem sacra Vnctio, juxta Hostien. in Summa h. t. n. 2. sacri olei materialis delibatio seu delibutio, secundum formam Ecclesiæ traditam.

2. Estque duplex exterior, materialis scilicet & visibilis, per quam corpus inungitur: & interior, per quam invisibiliter cor, id est anima inungitur. Ponitur enim hic Cor pro Animasive quia secundum aliquos anima in corde sedem habet; siue quia unctio non fructificat in anima nisi ex corde & voluntate procedat. Hinc si quis invitus & contradicens Baptizetur nec rem nec characterem sacramenti Baptismi recipit, cap. Majores §. fin. inf. De Baptismo.

3. Ad exhibendam exteriorem unctionem, quæ est signum interioris, benedicatur & consecratur oleum ex oleo olivarum, quod dici-



dicatur Catechumenorum & infirmorum.

Item conficitur & consecratur aliud, quod vocatur Chrisma, ex oleo, designante nitorem conscientiae; & balsamo, per quod odor bonae famae exprimitur.

4. Chrismate in primis quilibet Episcopus ungi debet; non tam in corpore, quam in corde: ut & interius nitorem conscientiae, quantum ad Deum, & exterius habeat odorem bonae famae, quo ad proximum, Vngitur verò in capite, & in manibus.

Per caput mens intelligitur; per manus, opera, d. e. in principio Vtriusque unctionis rationem vide in c. unico h. 1. videntur & quae supra diximus Tit. De electis §. 7. De consecrat. Episcopi.

5. Sacerdotes similiter inunguntur in manibus, sed oleo benedicto, quo etiam in veteri Testamento Reges ungebantur in capite: hodie vero post adventum Christi, qui est caput totius Ecclesiae, solum inunguntur brachio, humero vel armamento quia iis proprie designatur Principatus, juxta illud, Factus est Principatus super humerum ejus; tum ut designetur differentia inter auctoritatem Pontificis & Principis potestatem, Pontifex tamē etiam hodie in capite inungitur, quia repraesentat personam capitis scilicet Christum, in Pontificali officio, d. e. unico §. 2. in fine. Quatuor autem Reges de jure inungi ex historiis Regni Neapolitani refert Joannes Honorius in Summa Decret. h. 1. nempe Ierosolymitanum à Patriarcha; Francorum ab Archiepiscopo Remensi; Angelorum à Cantuariensi; Siculorum ab Archiep. Barenfi, summo Pontifice vel alio Episcopo aut Cardinali cui S. Pontifex pro tempore committit: aliis vero non nisi ex privilegio id competere ibid. refert, ex Prob. ad Monach. in c. 2. n. 3. & 4. De prob. in 6.

Et in novo vero Testamento non solum Reges & Sacerdotes inunguntur, sed & Christiani omnes bis ante Baptismum bis oleo benedicto; primum in pectore, deinde inter scapulas: & post Baptismum bis Chrismate sancto, primum in vertice, deum in fronte d. e. unico §. quia vero, ubi ratio harum unctionum, & in dictis partibus fiant, redditur.

Ecclesia quoque, ungitur Chrismate, cum dedicatur, altare cum consecratur, primum oleo, secundo Chrismate: Calix vero, cum benedicitur, sed Chrismate tantum, d. e. unico §. ungitur fin.

## §. II.

## De Confirmatione.

1. Cur necessaria sit Confirmatio.
2. 3. 4. Definitio, Materia & Forma.
5. Minister hujus Sacramenti.
6. Qualitas confirmandorum.
7. De parvulis.
8. Effectus Confirmationis.

QUIA per frontis chrismationem manus impolitio designatur, quae alio nomine dicitur confirmatio, c. unico, §. per frontis h. 1. & quia de extrema quoque unctione incidenter agit Pontifex in d. e. unico; non alienum à re fuerit de utroque hoc Sacramento aliquid subungere.

1. Tamen si verò, ut dicitur in can. 2. De consecrat. Distinct. 5. continuo transitus sufficiant regenerationis beneficia; victuris tamen necessaria sunt confirmationis auxilia ut pote per quam baptizatus armatur & instituitur ad agones & certamina hujus mundi, accepto per ipsam Spiritu Sancto, ad robur & augmentum gratiae, can. 1. & 2. & can. Novissime Distinct. 5. Ut proinde pullatus in Christiano adulto queat à baptismo separari, & unum sine altero ritū confecti non possit, licet aliquando duo sint Sacramenta, can. 3. ead. Distinct.

2. Est autem Confirmatio, unctio chrismatis consecrati in fronte baptizati, facta ab Episcopo, sub praescripta verborum forma, ad audacter constituendum nomen Domini.

3. Materia ejus remota est Chrisma confectum ex oleo & balsamo, per Episcopum benedicto & consecrato d. e. unico hoc sit. proxima vero materia est unctio ex praedicto Chrismate in fronte adhibita, ad formam seu signum crucis. De cujus, aliarumque unctionum significatione, vide d. e. unicum. & d. can. Novissime Distinct. 5.

4. Forma est: Signo te signo Crucis. & confirma te Chrismate salutis, in Nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti d. e. unico §. per frontis, can. Numquid de consecrat. Distinct. 5.

5. Minister ordinarius est Episcopus d. §. per frontis, can. Presbyterus De consecrat. Dist. 4. Conc. Florent. in Instructione Armen. & alijs similibus. Trid. Sess. 7. can. 3. de confirmat. Aliquando tamen, ex causa necessitatis ac dispensatione, illud



Iud concessum fuit presbyteris; *can. pervenit Distinct. 95* sed Postea prohibitum.

6. Debet vero confirmandus esse baptizatus, quia Baptismus est janua omnium Sacramentorum, & septennia seu ejus ætatis, in qua illi pugnandum cum dæmone; quod tamen consilii est non necessitatis, quamvis tutius fuerit expectare septennium, propter periculum reconfirmationis, Piasc. 1 p. cap. 3. ar. 2. circa finem. Insuper jejunium esse oportet, & peccata mortalia, si quæ habuerit, confessum, Navar. 6. 22, n. 9. Si tamen necessitas urgeat veluti infirmitas & mortis periculum, potest non jejunus confirmari, *can. ut Episcopi a Distinct. 65* quia id etiam est consilii tantum. Imo usus obtinuit, ut plerumque à non jejunis conferatur & suscipiatur. Percutitur vero maxilla confirmati, in signum, quod fortis & invictus esse animo debeat ad fortiter pugnam pro fide ipsæque Episcopus, cum pluviali mitra, stola, & baculo pastoralis confirmare debet, *secundum declarat Card. de Piasc. d. l. n. 4.* & diocesanos suos tantum, *id ib.*

7. Ut autem in Baptismo, ita & in confirmatione patini seu matris intervenire debet, quo confirmatum in fide ac militia Christiana plenius instruat: non tamen plures quam unus, sive vir sive mulier, aut ad summum duo, unus & una juxta Conc. Trid. Sess. 24. cap. 2. *De reform. matrim.* Inter quos & confirmatum, confirmatque patrem ac matrem, & non ulterius (licet olim aliter obtinuerit) contrahitur cognatio spiritualis impediens contrahi matrimonium, & dirimens contractum, Trid. d. loco. Patrum vero oportet esse baptizatum & confirmatum. *can. in baptismo De consecrat. Distinct. 4.* alias non contrahit affinitatem Piasc. d. loco ex angelo, quem citat. Neque unus idemque in baptismo ac confirmatione patris esse debet, cessante necessitate, *can. in catechismo De cons. Distinct. 4.* nec item parentes proprium suscipere filium; alioquin separandi sunt, *can. pervenit xxx quæst. 1.* Sed neque Monachis vel Abbatibus, respectu alienorum, licet suscipere filios, *c. 2. inf. De cognat. spirituali can. Non licet 103. cum seq. d. Distinct. 4. can. pervenit xv 11. q. 2. can. placuit xv 1. q. 1.* excepto tempore necessitatis. Nec rursus coniuges sese mutuo suscipere debent, ob cognitionem spirituales quæ inde nascitur, impediens, matrimonium,

8. Proprius effectus Confirmationis est confortatio & corroboratio baptizati in gratia, per baptismum accepta, ad audacter confitendum Christi nomen, fortiterque contra omnes carnis, mundi, & Diaboli impetus pugnandum. Alius effectus est, imprimere characterem indelebilem, ratione cujus reiterari nequit, Piasc. d. loco n. 2. ubi citat. Victor. Angel. Armil.

## §. III.

## De Extrema Unctione.

1. Definitio.
2. Materia.
3. Quæ membra inungenda.
4. forma.
5. Qui inungendi.
6. Effectus hujus Sacramenti.
7. Minister ejusdem.

**H**OC Sacramentum appellatur Extrema Unctio, quia datur agentibus in extremis & præter alias unctiones.

1. Est autem Sacramentum quo ægroti oleo consecrato à Presbytero in certis partibus, sub certa verborum forma, inunguntur, & à morbi molestijs relevantur, ut facilius ex hoc mundo migrent, & corpora etiam, si ita expediat, sanitati restituantur.

2. Duplex in hoc Sacramento est unctio interior, spiritualis scilicet & invisibilis, qua cor, id est anima inungitur: & exterior, materialis & visibilis, qua corpus ungitur, *c. unio in princ. h. 1.*

3. Materia ex institutione divina est oleum olivarum, per Episcopum consecratum, *d. c. unico.* Non negandum tamen, quin oleum non consecratum possit consecrato, priusquam deficiat, adhiberi.

4. Inunguntur autem eo oleo in administratione hujus Sacramenti, de necessitate oculi, aures, nares, manus, labia. Si quis vero careat prædictis membris, unctio fit in locis vicinis veluti si cæcus fuerit, in organo visus; aut, si organum careat, in loco organi. Ratio, cur ita Christus instituerit, est, quia hoc Sacramentum applicatur infirmo per modum perfectæ medicinæ, ad sanandum omnia vulnera animæ & ideo congruenter applicatur omnibus sensibus externis, tanquam radicibus omnium vulnerum.



vulnerum animæ, seu fenestris & portis, per quas peccata ingrediuntur. Unde & ex more quarundam Ecclesiarum inunguntur etiam res: ut in quibus sit sedes concupiscentiæ; & pedes, ob vim progressivam & executionem. Ratio tamen pudoris & honestatis postulat, ne fœminæ in renibus inungantur.

5. Forma Sacramenti est hæc: *Per istam unctionem, sanctam, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid per visum deliquisti*: & sic in aliis membris. Si tamen necessitas urgeat, necesse non est ad singulas unctiones repetere *Per istam unctionem*, sed satis est semel dixisse, & loca necessaria inungendo, addere, *Indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum, per auditum, per oratum, per gustum, per locutionem & per tactum*, omittis aliis solemnitatibus & precibus, antecedere solitis: quæ postea suppleri possunt, cum precibus subsequenter, habet autem forma vim ex opere operato, & non ex fide vel devotione recipientis.

Adhibetur verò hoc Sacramentum baptizatis dumtaxat, quia baptismum dixi esse ianuam omnium aliorum Sacramentorum, & quidem adultis ac gravi & periculoso morbo laborantibus, ita ut de vita dubitetur, uti colligitur satis ex illis verbis Jacobi. *Infirmatur quis, alleviabit, exultabit*, &c. quia adhibetur tanquam remedium supernaturale ad recuperandam sanitatem corporis, si ita expediat. Non est autem recurrendum ad remedia supernaturalia, dum suppetunt naturalia. Hinc non potest dari ultimo supplicio afficiendis, quia non sunt infirmi: nisi forte in infirmitate existentes vel vulnere ultimo supplicio afficiendi sint: quibus etiam non sit profuturum ad sanitatem corporis, prodesse tamen potest ad salutem animæ. Debet insuper is, cui datur, esse ita adultus, ut usum rationis habeat, vel habuerit. Hinc non est dandum pueris vel amentibus à natiuitate, quia nullas habent peccatorum reliquias: si vero amentes usum rationis aliquando habuerint, & hoc Sacramentum implicite ac virtualiter petierint aut desiderarint, illis esse conferendum, dummodo probabile fuerit, non incidisse eos in amentiam, dum in peccato essent mortali, nam in peccato mortali existentibus, non est dandum, uti nec impoenitentibus, *can. illud superfluum Dist. 95.* Quod si

dubitetur, an aliquis sit mortuus, administrari potest sub conditione, *Si non es mortuus*.

6. Effectus hujus Sacramenti in primis est, remissio peccatorum, non tantum venialium, ut quidam volunt, sed etiam mortalium: tum quia venialia sine Sacramento deleri possunt, nec ad ea tollenda requiritur infusio novæ gratiæ, quæ tamen est effectus omnium Sacramentorum: tum quia Jacobus absolute & generatim dicit, *& si in peccatis fuerit remittentur ei*: tum quia in forma dicitur, *quidquid reliquisti* &c. tum denique, quia non solum venialia, sed etiam mortalia, dici possunt reliquiæ peccatorum, quas dicitur hoc Sacramentum abstergere. Nam fieri potest, ut quis confessionem ac communionem non ritè peregerit, & hoc ipsum nunc invisibiliter ignoret, vel ut potest confessionem ac communionem legitime peractam incidat in peccatum mortale, idque etiam ignoret, ac proinde, cum non possit illud delere per confessionem expiabitur, & gratiam consequetur per hoc Sacramentum, dummodo sit attritus. Imò ad eum effectum, nempe ad peccatorum remissionem, quæ Sacramentum Pœnitentiæ non sunt expiata, peculiariter à Christo est institutum. Ex quo aperte sequitur, posse fieri, ut re ipsa salvetur aliquis per Extremæ Vnctionis Sacramentum, qui sine eo damnationem incurrisset. Navar. in manuali c. 22. nu. 13. Alius effectus est, alleviare infirmum ab ægitudine, si ita expediat.

Minister denique est solus Sacerdos, ritè ab Episcopo ordinatus, Conc. Trid. Sess. 14. can. 4. de hoc sacramento. Colligitur satis ex verbis Jacobi *Infirmatur quis ex vobis, inducat Presbyteros* &c. Nam licet vox illa, Presbyter, sit ambigua, & significet tam ætate quam dignitate majorem, tamen in illis verbis Jacobi, per Presbyterum intelligi solum Sacerdotem ab Episcopo ordinatum, desinit Trid. d. loco can. 4. Vltus autem est ibi Jacobus numero plurali, pro singulari, eo modo, quo dicimus, confitendum esse Sacerdotibus, cum sufficiat uni confiteri. Vetitum tamen est Religiosis administrare hoc Sacramentum Clericis aut Laicis, absque speciali licentia Presbyteri parochialis, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, cujus absolutio summo Pontifici reservata est, *Clement. 1. in prime juncto 6. fin. De privilegiis*: quod intellige, extra necessitatem.

TITU.



## TITULUS XVI.

De Sacramentis non reiteran-  
dis.

## §. I.

## Quid sit Sacramentum.

1. *Varia acceptiones nominis Sacramenti.*
2. *Definitio Sacramenti.*
3. *Signum quid & quod duplex.*
4. *Quid nomine signi & gratia in definitione intel-  
ligatur.*

Um antea egerimus de Sacramento Ordinis, Confirmationis & Extremæ Unionis, & inter Sacramenta quædam reiterari seu iterum conferri possint, quædam non: ideo nunc dispi-  
ciendum, quænam sint iterabilia, & quæ non, præsertim ut sciatur, quænam sacra Unctio, de qua Titulo præcedenti, quæ in Sacramentis re-  
peritur, sit iterabilis, vel non.

1. Pro faciliiori intelligentia sciendum, Sacramentum dici à Sacro, variisque modis accipi. Primo, ut significat pignus à litigantibus in loco sacro depositum. Varro 1. *de Lingua Lat* Secundo, ut significat iuramentum, divino testimonio aut invocatione alicujus rei sacræ confirmatum. Sic frequenter usurpatur in Jure, non modo Canonico, sed etiam Civili, ut in *Auth. Sacramenta  
puerum Cod. si adversus venditionem*, l. Miles §. *ignominiosa D. de re militari*: & apud scriptores tam gentiles quam Christianos. Tertio, ut significat idem, quod sacrum arcanum sic 1. *ad Timoth.* 3. Incarnatio vocatur *magnum pietatis Sacramentum*. Quarto, extenditur ad designanda occulta mysteria, licet non sint sacra sic *Apocalyp.* 17. res illæ occultæ, significatæ per bestiam & mulierem, vocantur *Sacramentum bestia & mulieris*. Quinto, ut significat signum rei sacræ: in qua significatione hic accipitur: non quidem ita generaliter, sed prout significat signum rei sacræ, perfectè sacramentis ac initiatis hominem.

2. Unde definiti solet, esse invisibilis gratiæ  
visibilis forma, *can. Sacrificium* 32. *De consecrat.*

*Distinct.* 2. vel explicatiùs, esse invisibilis gratiæ visibile signum, ad nostram justificationem institutum, *Catechismus Rom. De Sacramentis*, in genere, cap. 1. nu. 3. in fine. Videatur *Canon. multis* 84. circa medium 1. q. 1.

Pro cuius definitionibus intellectu faciliiori norandum, quod signum sit res, præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid à se faciens in cognitionem venire, *can. Signum de consecrat.* *dist.* 2. Sic ex vestigio alicujus, terræ aut nivis impresso, cognoscimus aliquem transivisse.

3. Est autem signum duplex, scilicet Naturale, quale est fumus respectu ignis; & Ex institutione, eaq; vel humana, ut hedera respectu vini; vel divina: & hoc rursus est duplex, aliud Speculativum, aliud Practicum. Speculativum dicitur, quod tantum significat, & nihil efficit, hoc patet serpens æneus erat signum Christi, in crucem erigendi: & multa alia in lege Mosaica erant signa futurorum. Practicum dicitur, quod non solum significat, sed etiam efficit & operatur. Hujusmodi est ablutio in Baptismo, quæ significat & efficit abluitionem internam animæ à peccato.

4. In assignata igitur definitione intelligitur signum divinitus institutum practicum, sensibile aliquo sensu. Nomine autem Gratia intelligitur gratia sanctificans animam, & quidem perfectè, ut excludantur sanctificationes; quæ solum sunt dispositiones ad perfectam sanctitatem, quales sunt sanctificationes vasorum, consecrationes altarium, aquæ benedictæ, & similia.

## §. II.

## Quod sint Sacramenta.

1. *Sacramenta septem.*
2. *Eorum quædam necessaria ad salutem.*
3. *Quædam voluntaria.*

1. Sacramenta novæ legis sunt septem, à Christo instituta, nempe Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium Conc. Trid. Sess. 7. *can. 1. de Sacramentis*. Conc. Florent. in *Instructione Armeniorum*: quæ omnia crucis signaculo perficiuntur, *can. Numquid De consec. distinct.* 5. Et licet omnia necessaria sint ad statum universalem Ecclesiæ,



eorum tamen quædam necessaria sunt ad salutem, alia verò non sed voluntaria, id est pro cuiusque arbitrio & voluntate suscipiuntur, Conc. Trid. d. loco *can. 4. c. Veniens 8 inf. De transact. can. Remissionem 29. § Sed notandum 1. q. 1.*

Necessaria sunt Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, & Extrema Unctio, quia sine periculo salutis prætermitti, aut certe temerè negligi non possunt. Nam per baptismum grandinas in numerum credentium seu regeneraturæ vitam, & in eo Spiritus sanctus nos abluat, ac plenitudinem tribuit ad innocentiam, *can. 2. de consecrat. dist. 5.* absque eo verò nulla salus promittitur, *can. Nulla cum seq. de consecrat. dist. 4. can. 1. cum seq. De consecrat. dist. 5.* per confirmationem augemur in gratia, roboramurque in fide, *can. Spiritus sanctus de consecrat. dist. 5. can. Nullus ministrorum De consecrat. dist. 4. c. unico § per frontis De sacra unct. re-nati verò & roborati nutrimur divinæ Eucharistia alimoniam, can. Omnis Christianus de consecrat. dist. 1. can. Qui recedunt, & can. De his xxvi. q. 6.* Et dum per peccatum incurrimus ægritudinem animæ, per Pœnitentiam spiritualiter sanamur; quemadmodum & simul corporaliter, si animæ expedit, per Extremam Unctionem, *can. Non potest de pœnit. dist. 1. & similibus.*

3. Voluntaria sunt Ordo, *can. Vbi ista dist. 74. can. fin. § fin. xxii. q. 4. & Matrimonium, can. Vbi non est xxx. q. 2. c. Præterea, c. Cum locum inf. de sponsalib.* Per Ordinem Ecclesiæ gubernatus & spiritualiter multiplicatur; per Matrimonium verò corporaliter augetur. Conc. Flor. d. loco.

## §. III.

Quæ Sacramenta reiterari possint, & quæ non.

1. Iterari non possunt characterem imprimantia, Baptismus, Confirmatio, & Ordo.
2. Cetera possunt.

1. **E**X prædictis septem Sacramentis quædam imprimunt characterem in animo indelebilem, hoc est, signum quoddam spirituale & indelebile: ideoque ne illis fiat injuria per reiterationem, quasi talem characterem non impressissent, sine sacrilegio reiterari non possunt, ut Baptismus, Confirmatio, & Ordo, Conc. Trid. d. loco *can. Sacrosanctæ, can. Major 1. q. 1. & Alijs,*

& tit. Cod. Ne sanctum baptismus reiteretur: adeo ut si quid in his administrandis incautè omis-sum fuerit, illud sine reiteratione reliquorum debite & caute supplendum sit, c. 1. & ult. h. tit. Sin dubitetur, an ejusmodi Sacramentum non reiterabile collatum sit, non dicitur iteratum, si conferatur, *can. Si nulla de consecrat. dist. 4.*

2. Alia vero Sacramenta characterem non imprimunt, quæ proinde reiterari possunt, uti de Extrema Unctione patet ex Conc. Trident. Sess. 14. *can. 3. de Eucharistia ex can. Quotidie, can. Si non frequenter de consecrat. dist. 2. de Pœnitentia (privata scilicet) ex c. Omnis inf. de pœnit. & remiss.* nam secus de publica, *can. In capite dist. 50. de Matrimonio* denique ex toto tit. decretal. de secundis nuptiis. Hinc itaque patet, sacram unctionem, quæ in administratione Sacramentorum Baptismi, confirmationis & Ordinis adhibetur, non esse reiterabilem; eam verò, quæ adhibetur in Extrema Unctione, esse iterabilem.

## TITULUS XVII.

## De filijs Presbyterorum ordinandis vel non ordinandis.

1. 2. Illegitimè nati arcantur ab Ordinibus & beneficijs Ecclesiasticis.
3. Possunt tamen ingredi monasteria & ordinari.
4. Quoad Ordines majores solus Pont. cum ijs dispensare potest.
5. Quousque se extendat dispensatio illa.
6. Filius patri in beneficio succedere nequit.
7. Pœna ejus, qui sine dispensatione est promotus ad Ordines.

**E**Gimus antea de ætate & qualitate ordinandorum ac præficiendorum. Quidam verò ordinari & præfieri prohibentur atque impediuntur, & in primis natalium vitio. Quemadmodum enim apud Ethnicos sanctum observatumque fuit, ut illegitimè nati, quam-



quantumlibet sine sua culpa hanc labem contraxissent honoribus & dignitatibus indigni judicarentur, ut latè tradit Tiraquel *de Nobilitate* cap. 15. \* 1. Ita jure optimo & quidem potiori à sacris Canonibus constitutum fuit, ut ab Ordinibus sacris arceantur filij Presbyterorum, alijque illegitimè nati, *e. 2. & c. Adhuc 12. & c. fin. h. t. & c. Cum in cunctis 7. sup. De elect. c. Consilio 5. inf. de serv. non ordinandis* Addidit, alijque illegitimè nati, quia etiam de ijs in Tit. agitur Unde idem Tiraquel in 6. habet. *De filiis Presbyterorum & aliis illegitimè natis*. \* 2. Arceantur autem hi omnes ab Ordinibus & beneficijs Ecclesiasticis, tribus potissimum de causis: primò, ob excellentiam hujus Sacramenti dignitatisque Clericalis, quæ non solum personæ meritum, sed etiam originis honestatem exposcit, nec infamibus aut turpibus committi debet. *c. Inter dictos inf. de excessib. Prælator.* Secundò, in detestationem patrum criminis *can. Proposuisse distinct. 82.* quod jus plerumque etiam in filiis detestatur, *c. Vergentis 10. inf. de hæreticis*, Tertiò, ob timorem incontinentiæ paternæ, cujus futuri imitatores præsumuntur, *can. Priusquam distinct. 28. can. Si gens Angelorum Dist. 56.* juxta tritum illud.

*Sape soles similis filius esse patri.*

3. Si tamen tales ingrediantur monasteria, vel Canonici fiant Regulares, poterunt omnibus Ordinibus insigniri, *d. c. 1. & fin. & ibid. DD. h. t. & can. Nisi distinct. 56.* A Prælatūra verò abstineant necesse est, *d. c. 1.* nisi cum ipsis dispenseretur per Pontificem. Et licet Sixtus V. quadam sua Constitutione prohibuerit illegitimos recipi ad Religionem; illam tamen prohibitionem Gregorius XIV. alia sua Constitutione sustulit. Similiter Monialis illegitima nequit creati Abbatis absque dispensatione Sedis Apostolicæ, *c. Indemnitate 9. §. sanè & ibi Gl. in V. Canonica de elect. in 6.*

4. Quid si natos illegitimè morum honestas fecerit commendabiles, poterit etiam Episcopus cum eis dispensare quoad minores Ordines, & quoad beneficia simplicia, *c. 1. eod. in 6. Piafec 1. p. c. 1. art. 10. n. 13 Garz. De benef. p. 7. c. 2. n. 47. & seqq. Gonzal. ad Reg. viii. Cancell. Gloss. 5. n. 98. & seqq.* non tamen accessorie curata. Burtius in *c. 1. h. t. in 6.* aut quibus annexus est ordo facit ex statuto vel consuetudine, *Panor. in c. fin. n. 2. versic. quandoque h. t. Garz.*

*d. locum 66. unum, non plura, Francus in c. fin. n. 4 & ibid. Gemin. n. 8, h. t. in 6.* non vero quoad Ordines majores, nequidem virtute decreti Conc. Trid. Sess. 14. cap. 6. *de reformat.* quia hæc irregularitas non oritur ex proprio delicto. Ideoque ad majores Ordines, & ad majora beneficia, veluti dignitatem, personatum, aut beneficium curatum, dispensare valet solus Pontifex, *d. c. 1. eod. in 6. juncto c. ult. h. t. prout & ad Canonicatus in Cathedrali Ecclesia, Panor. d. c. fin. 2. ubi fusè distinguit.* Idque subinde fieri debere varijs tum exemplis tum auctoritatibus ostendit Gratianus, *100. distinct. 56.* quia nullum patris delictum filio innocenti imputari aut nocere debet, & undecumque homines nascantur, si parentum vitia non sectentur & Deum colant, honesti & salvi erunt, *c. Undecumque d. dist. 56.*

5. Et quamvis plenissima alias in beneficijs interpretatio sit facienda, tamen in hujusmodi dispensatione, per illegitimum à Pontifice obteuta, non venit Cathedralis Ecclesia, nisi hæc specialiter exprimat, *c. Quamvis 4. de præbendis in 6. & ibi Gloss. & DD. Rotæ decis. h. t. in antiq. & decis. 2. eod. t. in novis.* multo minus Episcopus, Archid. in *c. 1. h. t. in 6.* Quamvis extendat se ad beneficia Juris Patronatus, quia per eam non præjudicatur patrono, sed inhabilis ad beneficium fit habilis Joan. Honor. in *Summa h. tit.* Insuper ista dispensatio cum exorbitet à jure communi odiosa est & strictè intelligenda, ejusque prætextu potest dispensatus unicuique tantum beneficium obtinere, *c. 1. §. fin. h. t. in 6.* & si illud dimittat, non potest aliud ejus loco recipere, quia adeptus primo beneficio dispensatio sortita est effectum, *c. Non potest in 2. responsio de præben. in 6. & ibi Gloss. in v. primis Rotæ decis. 1. h. t. in novis.* Dispensatus vero ad minores seu sacros ordines, non videtur per hoc habilitatus ad beneficium nisi id in dispensatione fuerit expresse, *d. c. fin. h. t. in 6. Garz. de benef. p. 1. cap. 6. n. 7. & pluribus seqq.*

6. Cæterum licet cum filio Presbyteri dispenseretur, ut ad Ordines promoveatur, nequit tamen beneficium Ecclesiasticum in ea habere Ecclesia, in qua pater aliquod habet; id enim est indecorum. Imo ne quidem illi Ecclesiæ inservire potest, cui pater immediatè tamquam Rector aut Vicarius perpetuus præfuit, quia



quia videretur filius veluti jure hæreditario succedere patri, quod in beneficiis Ecclesiasticis enixè est prohibitum, *c. Prasentium &c Extramissa* 7. *h. t. c. 1. & alijs inf. de præbendis*, Trident. *Sess. 25 cap. 7. de reformat.* ubi plenius vide prout & apud Garz. *de benef. p. 7 c. 3. n. 66. & seqq.* Idque procedit etiam in filijs eorum, qui in minoribus sunt constituti: potest tamen, & quidem solus, in hoc Pontifex dispensare. Dixi, immediate; quia mediatè potest filius Presbyteri succedere patri, quia tunc ob interjectam personam non potest videri ei jure hæreditario succedere: uti nec quando pater tantum ministrasset in aliqua Ecclesia sine titulo quo casu etiam non prohibetur filius ad eandem Ecclesiam immediate promoveri, *c. Constitutus h. t.* Quod si Episcopus scienter contulerit sacerdotis filio paternam Ecclesiam, exinde eum remove non poterit; prout nec si ignoranter, donec in alia Ecclesia ei provideat unde honestè valeat sustentari, *c. Veniens* 5. *h. t.* Cæterum si Episcopus filium Presbyteri ordinaverit, non debet beneficij Ecclesiastici provisione carere, *c. proposuit* 6. *h. t.*

7. Quod si illegitimè natus sine dispensatione promoveatur ad Ordines, characterem quidem recipiet, non tamen Ordinis sic suscepti executionem. Similiter & à beneficijs, ad quæ indispensatus fuerit promotus, amoveretur *d. c. Constitutus*: nisi cum eo postea dispenseretur à summo Pontifice, *c. 2. 4. 5 & ibi Glossa h. t.*

## TITULUS XVIII.

### De servis non ordinandis.

1. 2. Cur servi ordinari prohibeantur: & pœna ordinatorum.

3. Pœna Episcopi servum ordinantis.

1. **P**ost impedimentum originis, sequitur secundo loco de servitute, quæ est impedimentum conditionis. Servi enim absque consensu dominorum suorum, nisi prius ab illis fuerint manumissi & directam libertatem consecuti, ordinari prohibentur, *cap. 1. & 5. h. t. tota penè Distinct. 54.* Hoc ideo, ne quando voluerint eorum domini, fiant ex Clericis servi, ut

dicatur in *can. Quicumque* 1. *ad Distinct. 54.* & quia immunis esse debet ab alijs qui divinæ militiæ est aggregandus, ut à castis Dominicis, quibus nomen ejus adscribitur, nullis necessitatibus vinculis abstrahatur. Cæterum de servis ordinandis, videatur insignis distinctio *Glossæ ad c. 2. h. t.*

2. Quod si servus de facto, qualibet c. lli litate aut fraude, ad sacros Ordines intrepserit, deponitur, & domino restituitur, *c. 1. h. t.* & postquam de gradu ceciderit, ejus conditionis sit, ejus erat ante gradum, *can. Nulli* 2. *d. dist. 54.* Pari ratione remonentur ab Ordinibus originarij (id est nati ex adscriptitijs, nempe ijs, qui colendo agro perpetuò addicti sunt) *can. Generalis* 12. & *can. admittuntur* 21. *d. distinct. 54.* Item Curiales, id est, qui senatui adscripti sunt aut simili conditioni obnoxij, sine dominorum voluntate, *can. Præcipimus* 10. *distinct. 34.* Sed nec libertati sine consensu patronorum ordinari possunt, *d. can. Quicumque &c. fin. Dist. 54.* Natus verò ex patre servo & libera matre, cum talis non sit servus sed ingenuus, *Institut. De Ingenuis*, ordinari non prohibetur, *c. fin. h. t.*

3. Episcopus in scio domino servum scienter ordinans tenetur eum domino, cum duplici satisfactione, compensare seu reddere: si verò ne scierit servum esse, tum qui testimonium perhibuerit, aut supplicarint eum ordinari, simili redditioni tenentur obnoxij, *can. Si servus* 19. *d. distinct. 54.* Si tamen servus, sciente & non contradicente domino, ordinatus fuerit, hoc ipso liber & ingenuus ac ritè ordinatus intelligitur, *c. Si servus* seq. *ibid.* Si verò domino ignorante, licebit eidem intra annum & servilem fortunam probare, & servum suum accipere, ut *ibid. habetur.*

## TITULUS XIX.

### De Obligatis ad ratiocinia, ordinandis, vel non.

1. 2. Cur ordinari vetentur obligati rationibus publicis reddendis.

3. Non etiam debitores Reipubl. ex alia causa.

4. Qui excipere possit de hoc impedimento.

Ter-



**T**ertium impedimentum est obligatio ad rationcinia siue quod provenit ex ejusmodi obligatione. Vnde Syndici Universitatum aut Collegiorum, tutores, curatores, actores; executores sententiarum aut testamentorum, procuratores, & id genus hominum, qui reddendis rationibus publicis, quæ hic ratio cinia appellantur, obnoxii sunt, ante officium suum, & rationes redditas, ordinari prohibentur, *c. unico h. t. can. Legem Distinct. 13.* tum quia cuius ac negotiis ita distrahuntur atque involvuntur, in Ordinum ministerio vacare nequeant; tum quia ex talium promotione nota aliqua infamiae redundare posset in Ecclesiam: veluti si contingat eos doli in rationibus reddendis argui, aut præmoniti, ad fugendam laicorum jurisdictionem, se eurent in præjudicium creditorum ordinari *d. c. unico & can. Legem dist. 53.*

Dixi Qui reddendis rationibus publicis (obligati scilicet administrationem) obligati sunt; quia privata administratio non impedit ordinationem: nisi vel ex dolo in administratione commisso nota sit, vel in procinctu moveanda tunc enim ante litis exitum tales promoveri non possunt; & si de facto promoveantur digni erunt depositione, licet postea in causa vincant *Glos & Archidiaconus in can. Tantus Dist. 81.*

2. Verum tamen ordinari non prohibentur debitoribus Reipublicæ ex alia causa, quam administratione publica, veluti ex mutuo, locatione, conductione, emptione, & similibus, etiam obligatione adhuc penes se, *Glossa & Archidiaconus in can. Prætorum 3. Distinct. 5.* Uti nec administrationem rerum Ecclesiasticarum, vel miserabilium personarum, aut cujuslibet alterius piæ causæ, publicæ vel privæ, etiam administratione pendente.

3. De hoc autem impedimento Ordinum ad exemplum popularis actionis, quælibet Ecclesiastica persona excipere potest; & multo magis is, cui reddendæ sunt rationes, aut sua interesse putat. Abbas *in d. cap. unico* Finitur autem finitæ administratione ac rationibus redditis *DD. communiter in d. c. unico.*

## TITULUS XX.

## De corpore vitiatis non ordinandis.

1. *Exemplo presbyterorum sacerdotum corpore vitiati vetantur ordinari.*
2. 3. *Dummodo visum sit impediens Ordinis executionem.*
4. *De eo, qui sibi membrum aliquod sponte absciderit.*
5. *De eo, qui non culpa sua abscissionem patitur.*
6. *Modicus defectus impedimento non est.*
7. *Pœna sic ordinari.*

**Q**uartum impedimentum est corporis vitium, siue quod ex eo vitio provenit, de quo *totæ Dist. 49. & c. 55.*

1. Ut igitur olim apud Ethnicos sacerdotes integri corpore esse debent; & à ministerio Dei, ex præcepto legis veteris *Leviticus 12.* arcebat; habens maculam item cæcus, claudus, grandi vel parvo aut torto nalo, fracto pede, mancus, lipus, & similes (quorum defectus mysticè de vitiis animi intelligi pulchre explicat *D. Gregorius in can. Hinc etenim d. distinct. 49.*) ita merito sacri Canones corpore vitiatores ab Ordinibus repellunt: imò promoti aliquando deiciuntur, *c. Exposuisti 6. h. t.* sicut & à beneficio jam adepti, *ut inf. tit. De clerico agrotante vel debilitato*; eo quod in compositio corporis inæqualitatem indicet mentis, *can. ult. Distinct. 41.* Abbas *in c. Quia diversitatem Notab. 1. inf. De Consec. præb.* & natura membra componat, prout moribus animæ convenit: ita ut, cuius deformis facies est, vix queat prædictus esse bonis moribus, & foeda facies malos mores significet, juxta *Rhasium Medicum.*

2. Veruntamen non quodlibet corporis vitium, quod in antiqua lege à ministerio Dei repellerebat, hodie impedit susceptionem ordinum: sed illud in primis, quod Ordinis impedit executionem aut insignem inducit deformitatem, & consequenter indecentiam, quæ in scandalum publicum vergere possit, *cap. 2. & per tot. hoc tit. Nec distinguendum, sponte, an-*



an alieno facto vel casu, deformitas acciderit: nam a Gelasio Papa rescriptum fuit, in *can. fin. Distinct.* 55. ne is, cui per vim oculus ab alio excussus fuerit, ad sacerdotij gradum evehatur.

Dixi ante, Corporis vitio Ordinis impediri executionem, quia quoad ordines ante susceptos tantum inducitur irregularitas in illo actu Ordinis, qui ob insignem deformitatem, vel ob defectum ineditur vitio corporis, *Cov. 1. parte relect.* *Clement. si furiosus De homicidio in princ. cum alijs quos citat.* Hac ratione qui patitur vitium corporis, impediens celebrationem, nempe in ijs digitis, qui ad consecrationem & elevationem sunt necessarii, a Missatum dumtaxat celebratione abstinere, non a Diaconatus, vel Subdiaconatus ministerio: sicut nec a concionibus habendis, confessionibus audiendis, & alijs Clericalibus officiis exercendis. Poteft enim quis esse irregularis, ne promoveatur ad superiores Ordines, quia tamen non sit irregularis ad ministrandum in susceptis, ut ex Innoc. in *c. ad audientiam inf. De homicidio* tradit Piasec. p. 1. cap. 1. art. 6. n. 4.

3. Quod si quis sibi membrum seu membri partem aliquam propria culpa & voluntate absciderit, licet ea abscissio ipsum Ordinis non impediat, nec gravem inducat deformitatem, tamen ordinari talis nequit, *can. si quis absciderit, & similibus Dist.* 33. etiam si membrum abscissum sit oculum: veluti in eo, qui sibi vipilia præscidit, etiam se dandæ libidinis causa, *d. can. si quis absciderit cum seq. c. 4. & 5. h. tit.* cum enim nemo membrorum suorum sit dominus, ne quidem causa castitatis aut religionis sibi ipsi licet manus injicere ad occasionem vel mutilationem alicujus membri. Hinc si quis, cum Clericus esset, sibi membrum absciderit, deponitur tamquam sui homicida & Dei conditioni inimicus, *d. can. si abscidit.* Videatur *Covar. d. loco n. 6. & l. 1. variar. Resol. c. 2. n. 8. & lib. 2. c. 1. n. 11.*

4. Similiter ordinari prohibentur, qui ab alijs talem abscissionem passi sunt, culpa tamen sua: veluti quia jusserint aut rogaverint, aut quia rei illicitæ operam dantes tale membrum casu perdididerint, *arg. c. Dilatus, c. ex litteris & similibus. inf. De homicidio.* Videatur & *Navar. in Manuali. c. 27. n. 198. Garz. de Benef. p. 7. cap. 12. n. 8. & segg.* Aliud dicendum, si a Medicis, vel a barbaris, a dominis aut parenti-

bus suis, sine propria culpa, talem excisionem quis patiat, nec hoc casu necessum est, cum virilia sua arefacta, vel in pulverem redacta, secum gestare, ut possit, si sit sacerdos, celebrare, ut ridiculè fabulantur quædam mulierculæ, *Navar. in Manuali. c. 27. n. 20.* Cur fortuito, dum operi rustico alterive licito curam impenderet, vel etiam alieno facto digitum v. g. amiserit, si modo membri abscissio non impediat Ordinis executionem, *can. si quis a medicis, cum tribus seqq. dist. 55. c. 3. & fin. h. tit.* Vi enim in illis perversa voluntas iuste vindicatur, ita in his casus vel alienum factum veniam merito tribuit & meretur, *can. qui partem & can. Lator d. Distinct. 55.*

5. Modicus tamen defectus aut modica deformitas non impedit susceptionem Ordinum veluti macula in oculo, non privans visum, nec notabilem deformitatem inducens, *c. 2. h. tit.* vel carentia unguis in pollice: item claudicatio ejus, cui seipso in altari non sit necessarius, *can. Si quis junctæ Glos. distinct. 15. & lippitudo* talis, ex qua non oriatur notabilis deformitas, *Piasec. d. loco n. 2.* Quis autem defectus aut quæ deformitas sit notabilis, determinabit Episcopus, quandoquidem nulla certa regula in hoc constitui possit.

6. Quod si corpore vitiatus, qui jure ordinari non potest, de facto ordinetur, vere recipiet Ordinis characterem, sed non ejus executionem, ex communi Theologorum & canonistarum sententia. In hac vero irregularitate solus Pontifex dispensare potest. Nec obstat *c. Significavit h. tit.* quia potest intelligi de dispensatione Episcopi, auctoritate Apostolica præstita ac sibi delegata, ut docet *Covar. ad. d. Clem. si furiosus in princ. n. 7. Piaf. p. 1. c. 1. art. 10. n. 12.* Post *Navar. in Man. c. 27. n. 201.*

## TITULUS XXI.

### De Bigamis non ordinandis.

1. 2. 3. Bigamia triplex, vera, interpretativa, & Similitudinaria.

4. 84.



4. Ratio, cur Bigami ab Ordinibus sacris arceantur.

5. Pœna Bigami absque dispensatione ordinati, & Episcopi ordinantis.

Quinto loco inter impedimenta ordinando. Cum non modica reputatur Bigamia seu Digamia, c. 1. & 2. h. t. can. 1. Dist. 32. can. 16. Apostol. & seq. de qua nunc videndum.

Ut autem Monogamus à iuris & quos, quasi unius mulieris seu uxoris vir, ita etiam Bigamus, quasi duarum mulierum vir nuncupatur.

1. Bigamia ex Glof. in c. 2. h. t. triplex constituitur. Vera, scilicet, Interpretativa seu ex interpretatione iuris, & Similitudinaria seu per analogiam quandam.

Vera, eaque juxta proprietatem nominis dicitur, cum quis successivè plures legitimas habuit uxores, & cum eis copulam. Quod addo, quia si duas habuerit, & altera ante copulam fuerit mortua, non censetur bigamus, arg. c. Debitum h. t.

2. Interpretativa est, quando non intercessit verè duplex matrimonium, sed virtualiter sive ex intentione: uti quando quis contraxit cum una sola, sed vidua vel repudiata, can. Si quis viduam dist. 50. quæ tamen prius suum matrimonium consummaverat: nam aliàs non esset defectus significationis: aut cum corrupta ab alio per fornicationem, can. Maritum Distinct. 33. vel cum virgine, quam post commissum ab ea adulterium cognovit, can. Si cujus & can. Silatici Distinct. 34. & ibidem Glossa; etiam si per ignorantiam id contigerit: vel si cum una validum matrimonium contrahat, cum alia invalidum, sive antecesserit validum sive invalidum, Sanchez. De Matrim. Disput. 49. sect. 2. in 3. illat. aut si cum duabus de facto, & non de jure contrahat, ob aliquod impedimentum: aut cum una, mortuâ alterâ, idque scienter vel ignoranter; securâ scilicet copulâ: hoc enim in omni bigamia est necessarium. Si quis verò contrahat cum ea, quam ipse prius cognovit, non censetur bigamus, Glossa communiter recepta in cap. fin. h. t. & ibi Abbas ac communiter DD. Navar. in Manuali cap. 27. n. 195. neque is, qui duxit uxorem alterius non cognitam, d. c. Debitum h. t.

3. Similitudinaria est, quam incurrit Ordine

sacro insignitus, vel voto solemnè adstrictus, cum aliqua contrahens & consummans, can. Quotquot xxvii. q. 1. c. A nobis h. t. licet illa sit virgo: quia licet neque de jure, neque de facto contrahat cum duabus vel una corrupta validè, tamen affectum habet contrahendi cum opere subsecuto, postquam per ordinem sacrum vel votum solemnè spiritualiter & similitudinariè contraxit cum Christo, c. fin. h. t. Quæ ratio Bigamix cum cesset in eo, qui minoribus tantum initiatus est, contrahente invalidè matrimonium propter impedimentum aliquod, non mirum, si is non efficiatur irregularis, nec censetur Bigamus, Navar. d. loco. Unde & Innoc. Pontif. in d. c. fin. loquitur de Subdiacono, qui tenetur solemnè voto castitatis, c. Amulius sup. De aetate & qualis. & c. & in c. Nuper h. t. de Presbytero.

4. Arcentur autem bigami ab Ordinibus sacris, non ob peccatum; nam nuptiæ, etiam secundæ, tertiæ, vel ultiores non sunt peccatum, can. Acutius & similibus dist. 26. sed ob aliam, eamque duplicem potissimum rationem, unam mysticam & primariam, alteram moralem & secundariam. Primaria & mystica est defectus perfectæ significationis Sacramenti, quæ est conjunctio Christi cum Ecclesia, ex Paulo ad Ephes. 5. estque unius viri cum unica sponsa. Næ licet matrimonium cum corrupta contractum sit verum Sacramentum, per mutuum consensum representans conjunctionem Christi & animæ justæ; tamen quia in secundo matrimonio non est amplius unica unicus, nec unus unius, d. c. Debitum hoc tit. ideo quoad significationem non est omninò perfectum Sacramentum, quia non significat conjunctionem Christi cum unica & immaculata sponsa Ecclesia, d. can. Acutius & d. c. Debitum. Et ideo talis remouetur à Sacramento Ordinis, quia non debet pati defectum in Sacramento, qui Sacramenta administraturus est, prout patitur Bigamus qui divisit carnem suam, d. can. Acutius & d. c. Debitum.

Secundaratio, & moralis est, quod Clericus debeat esse hortator continentix & viduitatis; non possit autem esse hortator continentix & viduitatis, qui ipse conjugia frequentavit, can. Una & can. Qui sine crimine distinct. 26. quia de incontinentia ejus præsumitur, c. Præposuisti dist. 82. Hanc verò rationem

K

800



non esse primariam, constar ex eo quod bigamus censetur etiam ille, qui unam uxorem habuit, sed viduam, vel alio modo corruptam, ut patet ex dictis. Non obstat, quod concubinarus sit longè turpior, quam bigamia, & ille tamen non removeat ab Ordinibus: quia nihilominus bigamia ex natura signum est incontinentiæ magis diuturnæ, firmiusque in hærentis.

§. Quid si verò bigamus ordinetur absque dispensatione, recipiet quidem characterem, non tamen poterit absque dispensatione in eo Ordine ministrare. Dispensare autem Episcopus nequit cum bigamis, veris vel interpretativis: non solum quoad sacros Ordines, *2. ibi Glos. & Abbas h. 1.* sed nec quoad minores, aut primam tonsuram, aut beneficium etiam simplex, ut patet ex *c. unico eod. in 6. ibique. Anchar. Franc. Cone. Trid. Sess. 23. c. 17. De reformat.* nec etiam quoad usum minorum Ordinum, contra Navar. quia communior sententia est in contrarium. Abbas *in c. 1. h. 1. Suarez De censur. disput. 49. Sess. 6.* & ira declarasse sacram Congreg. refert Piassec. *1. p. cap. 1. art. 10. n. 11.* ubi tenet, posse Episcopum dispensare in bigamia similitudinaria, citans Abb. in *c. 1. Qui Clerici vel vocantes, & c.* Potiùs si Episcopus ordines bigamum absque dispensatione, privandus est potestate conferendi Ordines, *d. c. 2. h. 1.* non autem ipso jure suspensus est à collatione Ordinis, quem contulit Garzias *De benef. p. 7. c. 6. n. 6. & seqq.*

## TITULUS XXII.

### De Clericis peregrinis non ordinandis.

#### §. I.

Cur tales ordinari prohibeantur,

1. Qui dicantur Clerici peregrini.
2. Illi non creditur, asserentibus se à suo Episcopo promotos.
3. Nec admitti debent, ut celebrent publice.
4. Ratio horum.

Inter eos, qui ordinari non debent, vel non facile, vel ab executione Ordinum repellit,

sunt & Clerici peregrini id est, qui non subsunt jurisdictioni ordinantis *tota Dist. 71.* Idemque dicendum de Laicis respectu Episcopi ordinantis, cui non subsunt, ut probat *c. ult. De temporibus ordinat. in 6.* ubi ait Pontifex: Nullus Episcopus absque superioris licentia homini aliena diœcesi clericalem præsumat conferre consuevit. Censetur autem Laicus esse sub jurisdictione illius Episcopi à quo Chrismate unctus est atque confirmatus Quibus vero modis quis subiciatur Episcopo ante dictum est.

2. Clerico autem peregrino, jure jurando asserent se à suo Episcopo aliquos Ordines accepisse, & desiderare ad superiores promoveri, non creditur, *c. 2. h. 1.* Nec potest ordinari à non suo Episcopo, nisi litteras commendatitias & dimissorias adferat à suis, quarum exemplar descriptum est *Dist. 73.*

3. Pari modo peregrinus Sacerdos, qui omnino ignotus est, admitti non debet ab Episcopo, ut publicè rem divinam faciat & celebret, nisi per litteras vel testes probet se ab Episcopo suo ad Ordines promotum esse *cap. 3. h. 1. c. 2. & 3. De temporibus ordinat. in 6. conc. Trid. Sess. 23. c. 16. in fine.* Inferiores vero Episcopo non possunt Clericum peregrinum in suas Ecclesias recipere, absque Episcopi licentia, *c. ult. h. 1.* Imò ex valde longinqua regione Clerici probare Ordines debent per litteras, quinque Episcoporum sigillis munitas, *c. 1. h. 1.*

4. Ratio horum omnium est in primis, quod Episcopus non debeat immittere falcem in messem alienam quia inde nasci solent discordiæ, *can. Illud Distinct. 71.* Deinde, quia Ecclesia suspectos habet Clericos peregrinos: solent esse criminosi, infames, excommunicati, fugitivi aut in exilium missi, vel aliis similibus obnoxii, affirmantes mentientesque se ordinatos à suis Episcopis, *can. Afros & can. seq. dist. 98. c. 1. De temp. ordin. in 6.*

Differt autem hic Titulus à Tit. De clericis peregrinantibus lib. 2. Decret. quod hic agat de Clericis peregrinis, respectu Ordinum suscipiendorum: ille vero respectu litium, quatenus ratione peregrinationis gaudent vel non gaudeat aliquibus litigantium privilegiis.

#### §. II. De



## §. II.

## De aliis ordinari prohibitis.

1. 2. 3. Ordinari prohibentur non baptizati &c.
4. Non confirmati.
5. 6. Mulieres & Hermaphroditi.
7. 8. Illiterati, & pœna sic ordinatorum.
9. Crimine aliquo infames.
10. Non habentes titulum.
11. Tituli nomine quid intelligatur.

**S**unt & alii, præter enumeratos qui ordinari prohibentur: ut in primis non baptizatus, quia baptizatus est omnium aliorum sacramentorum janua & fundamentum c. 1. & 2. De cognat. spirituali in 6. Hostiens. in Summa hujus Tit. Navar. in manuali cap. 27. n. 207. Placet. 1. p. c. 1. art. 3. n. 3. 2. Secundò, baptizatus in argitudine, can. unico Dist. 57. Non enim fides illius voluntaria, sed ex necessitate est: nisi forte postea studium & fides ejusdem probabilis fuerit, aut hominum raritas exegerit, d. can. unico. Item, baptizatus apud hæreticos, can. Qui in qualibet 1. q. 7. si modo aduleus fuerit, non infans: nã huic parentũ error nihil efficit, can. Placuit cum seq. 1. q. 4. 3. Similiter nec rebaptizatus vel rebaptizans, can. Confirmandis Dist. 50. junctis c. 2. inf. De Apostatis. Idque obtinet etiam in ignorantibus rebaptizatis ac rebaptizantibus can. Qui bis, & ibi Glos. quam vide, de consecrat. Dist. 4. Nec solum hanc irregularitatem rebaptizatus in principio contrahit, sed & qui, postea quam scit se rebaptizatum, id ratum habet: imò is quoque, qui metu cadente in constantem virum, rebaptizatus fuit; secus, si per vim coactivam. Sed & qui rebaptizanti ministrant, Acolyti, Subdiaconi vel Diaconi officio fungentes, eadem irregularitate afficiuntur, c. 2. inf. De Apostatis. Et horum omnium dispensatio ad solum spectat Pontificem, qui vix illis dispensabit; ut religionem ingrediantur. d. c. 2. Licet videatur Episcopus posse dispensare cum rebaptizato ignorantia probabilis; vel metu cadente in constantem virum, ut tenet Placet. d. art. 3. n. 4.

4. Similiter ordinari nequit non confirmatus, Conc. Trident. Sess. 23. c. 4. de reformat. Si tamen ordinetur, modo non ex contempnu faciat, nullam censuram incurrit Victoria De Sacramento Ordinis n. 232. Imò in tali casu nec ordi-

natum, nec ordinantem peccare mortaliter, tradit Navar. in manuali cap. 22. n. 9.

5. Item mulier, tamquam Ordinis profus incapax c. Nova 10. inf. De Pœnis. & remiss. Archidiacon. in can. Diaconissam xxvii. q. 1. Hostiens. in Summa h. i. §. sed & præter; tenentque Theologi & Canonisti omnes. Nec obstat, quod legamus in Ecclesia fuisse Prebyteras, Diaconas, & Episcopas, can. Mulieres, can. Presbyter Dist. 32. l. Generali Cod. De sacros. Eccles. quia eam appellationem non sunt sortitæ ab Ordine aliquo sacramentali, sed eo quod fuerint uxores eorum, qui Diaconi, Subdiaconi, Prebyteri vel Episcopi factierant; & separatim vitam coelibem agebant: vel eam appellationem acceperunt à dignitate aut cura, sibi inter mulieres concessa & commissa: hoc enim pacto olim Presbyteræ dicebantur viduæ seniores; & Diaconarum munus erat præesse foribus Ecclesiæ, per quas mulieres ingrediebantur.

6. Idem docent Theologi & communiter Interpretes, in can. Si testes §. Hermaphroditi iv. q. 1. de Hermaphroditis, æque vel magis Participantiibus sexum fœminem quia tales non sunt absolute & simpliciter viri. Qui vero magis declinant ad sexum virilem, capaces quidem erunt Ordinis, tamquam qui simpliciter censentur esse viri, juxta l. quaritur D. De statu hominum: tamen ob indecentiam & monstrositatem repelli debent, can. 1. Dist. 36.

7. sed & ab Ordinibus arcantur illiterati id est qui vel nullam omnino litterarum habent scientiam, vel non eam, quæ ad Ordinis ejusque susceptionem & executionem requiritur, c. Congregatio 53. sup. De elect. idque id. o quia Clericorum ac Præfulum est, lucem sapientiæ ac scientiæ aliis infundere, ac populum in viâ Domini erudire, quod præstare nequeunt illiterati. Aded ut penitus illiterato ne quidem prima tonsura conferri queat, c. fin. de temporib. ordinat in 6. Conc. Trid. Sess. 21. cap. 4. de reformat. frustra in hoc dispensante Episcopo. Quæ autem scientia sit sufficiens, Judicis seu Episcopi arbitrio relictum est: nisi quod hodie Conc. Trident. exactius & melius declarat, quæ & quanta litterarum cognitio in singulis Ordinibus requiratur: de prima tonsura, Sess. 27. cap. 4. quoad minores Ordines, cap. 11. quoad Subdiaconatum ac Dia-



conatum, *cap. 13.* quoad prebyteratum *cap. 14.* quoad Episcopatum *Sess. 7. c. 1. & Sess. 22. c. 2.*

8. Quod si prorsus illiteratus ordinetur, recipiet quidem characterem, quia litterarum scientia, licet sit de præcepto, non est tamen de substantia Ordinis: & conveniens pœna esse videtur, ut talis ab Ordinibus suspendatur, donec scientiam ad Ordinem sufficientem sibi comparaverit. Tollitur vero hoc impedimentum, primo, si scientia ad Ordinem requisita comparetur: adeo ut tunc non sit opus aliquâ dispensatione, cum cessante causa cessare debeat effectus. Secundo, per dispensationem, quam tamen impetiri nequit Episcopus, eo quod hæc irregularitas sit juris Pontificis, nec in iure repeñatur talis potestas Episcopo data.

9. Præterea ordinati prohibentur graviore aliquo crimine irretiti, ut Apostatæ, Hæretici, Schismatici, Simoniaci, Idololatæ, Adulteri, Incestuosi, Fornicarii, Raptores virginum, Sodomitæ, Perjuri, Homicidæ, voluntarii, aut culpabiles, *c. Continebasur 8. c. De cætero 11. inf. De homicidio communiter DD.* Sub homicidio autem hic continetur non solum homicidium, ex quo mors sequitur, sed etiam abscissio membri, ut scilicet abscidens membrum aliquod corporis humani hanc irregularitatem contrahat, *Piasec. p. 1. cap. 1. art. 5. n. 5. post Abb. in cap. Tuas nos 19. §: ad ultimum inf. De homicidio.* Item Falsarii, Usurarii, Fures, Sactileggi, similes, *cap. fin. sup. De temporib. ordin.* Item Scutæ, Scenici, Ludicti, Seditiosi, Injuriarum renaces, Ultiores, Adulatores, Alex, atque ebrietati debiti, *can. 3. cum seq. Distinct. 46. a. liique similes, de quibus vide can. Infames vi. q. 7. & 1. q. 7. per tot.* Qui quidem omnes ordinati verantur, modo notorii sint, aut per sententiam, aut per confessionem in iure, id est, in iudicio factam, per evidentiam facti, quæ tergiversatione aliquâ elidi non possit, *cap. fin. inf. de cohabit. Cler. & mulier.*

10. Insuper solemniter & publicè pœnitentes, excommunicati majori excommunicatione Navar. *in manual cap. 27. n. 12. & 24.* suspensi ab Ordine interdicti sub pœna suspensionis ab Ordine sic suscepti executione, aut dispositionis in perpetuum: & durante excommunicatione, suspensione, vel interdicto, nequeunt

ad superiorem Ordinem ascendere, Navar. *d. c. 27. n. 244.*

Denique nullus sine titulo ordinandus est, Conc. Trid. *Sess. 21. cap. 2. de reformat.* adeo ut si abque titulo Episcopus aliquem scienter ordinet, vel det licentiam accipiendi Ordines ab alio, teneatur providere ordinato de alimentis, donec beneficium sufficiens eidem contulerit, *c. 2. 4. & 6. inf. De præbendis.*

11. Tituli vero nomine hodie intelligi debet, in Regularibus quidem professio, Zerola 1. p. V. *Dimissoria versic. ad quintum;* in Sæcularibus autem beneficium sufficiens ad vivendum honestè, vel sufficiens patrimonium aut pensio *c. Tuis questionibus inf. De præbendis.* Concil. Trid. *Sess. 21. cap. 2. De reformat.* ubi statuit, ne quis deinceps Clericus Sæcularis, quamvis alias si idoneus moribus, scientiâ & ætate ad sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, cum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat, pacificè possideretur nec resignari ejusmodi beneficium queat, nisi facta ejus rei mentione, nempe quod ad illud titulum sit promotus, nec admitti resignatio, nisi constet, quod aliud de vivere commodè possit: vel nisi constet, cum vere patrimonium vel pensionem habere talem, quæ ad vitam sustentandam satis sit: ut denique nec patrimonium saltem non reservato usufructu, nec pensio, sine licentia Episcopi, alienari, extinguui, vel remitti ullatenus possit, donec beneficium Ecclesiasticum sufficiens sit adeptus, vel aliunde habeat, quo vitam commodè ducet. Ratio huius est ne Clerici in opprobrium & cum dedecore Ordinis mendicare cogantur, Conc. Trid. *d. loc.* Hinc non potest promoveri quis ad sacros Ordines sub titulo Capellanæ vel Vicariæ, ad nutum amovibilis, vel alterius beneficii manualis,

Garzias *de benef. p. 1. n. 83.* aut Commendæ, nisi sit perpetua.

(\*)



## TITULUS XXIII.

## De officio Archidiaconi.

1. *Quis dicatur Diaconus: & munus illius.*  
 2. 3. *Quis Archidiaconus: & munus illius: in quibus consistat.*

**A**bsolute tractatu ordinationem seu ordinandorum & præficiendorum, siue explicatis modis, quibus ad dignitates Ecclesiasticas promoveri contingit: nunc agendum est de dignitatum officiis, ut sciat, quo pacto quisque in dignitate constitutus, officio seu munere suo fungi debeat. Quia verò Archidiaconus post Episcopum in Ecclesia Cathedrali dignitate major est, *ad hac 7. h. t.* atque etiam potestate, cum secundum Card. in *Clem. 2. De prabendis*, plura ex jurisdictione seu fori contentioso competant Archidiacono, quam Archiepiscopo, cui cura exercitumque fori poenitentialis potissimum incumbit, ut patet ex *l. 1. c. 2. h. t. & can. perlectus 6. Archiepiscopus Distinct. 25.* id eo de illo videndum est primo loco.

1. Ubi notandum in primis est, Diaconi nomen esse generale, posseque etiam personis non Ecclesiasticis accommodari, ob generalem significationem verbi, à quo deducitur. Nam dicitur Diaconus à Græco verbo *διακονία* quod Ministro seu famulo significat, & ad diversa ministeria referri potest. Unde & Diaconi Latine Ministri dicuntur, *can. Cleros distinct. 2.* & eorum alij Sæculares, alij Sacri dici possunt. Sumitur tamen hic nomen illud specialiter pro sacro, diciturque comparatione Presbyteri, cui ministrare, subservire & subijci debet, *can. Legitimus distinct. 93.* in ijs, quæ traduntur in *can. Perlectus 6. ad Diaconum Dist. 25.* sicut in veteri Testamento Levitæ, in quorum locum Diaconi successerunt, sacerdoti legis antiquæ ministrabant. Diaconus dum ordinatur, inquit Gregorius, solus Episcopus, qui eum benedicit, manus super caput illius ponit, quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur, *can. Diaconus dist. 23.* & sub certis verbis ei traditur stola & codex Evangelij: stola quidem, quia

Evangelium, quod per Christi jugum figuratur, lectus est.

2. Inter Diaconos sunt, qui inserviunt Presbyteris simplicibus, quibus & subijciuntur, locumque digniorem cedere debent, *can. Pervenit, & similibus Dist. 93.* Alij verò inserviunt Episcopo, qui proinde Archidiaconi, quasi Principes seu primi Diaconorum dicuntur: sicut Archiepiscopus dicitur Princeps seu primus Episcoporum, *d. can. Cleros Dist. 21.* Aliterque Archidiaconus etiam oculus Episcopi vocatur, & vicarius ejus reperitur, *c. 7. h. t. Conc. Trid. Sess. 24. c. 12. de reformat.* tamquam qui velut in specula & statione positus prospicere debeat actus totius Ecclesiæ & ad Episcopum referre *can. Diaconi Ecclesiæ 6. ibi Glossa, & alij, Dist. 93.* Atque ratione Episcopi, cui inservit, dignior est Presbytero & Archiepiscopo, non fungente eo officio, *c. 1. inf. de officio Archiepiscopi.* Rique jure communi adhæret dignitas, quæ major censetur Monasterijs ipsis & Præpositis eorum.

3. Quantum vero ad officium seu munus Archidiaconi attinet, prævalent ea in re constitutiones & consuetudines Ecclesiarum, sicut & in alijs officiis, *juxta c. Cum olim sup. De consuetudine:* & ex penè tot sunt in officiis Archiepiscopi, Præpositi, & Decani, quot sunt Ecclesiæ: ijque standum est, & maxime attendi debent.


Cessantibus verò consuetudinis locum habent, quæ tum in *d. can. Perlectus distinct. 25.* tum in hoc Titulo nostro, tum alibi passim habentur: veluti quod ipso jure vicarius sit Episcopi in omnibus, omnisque cura in Clero, tam in urbe quam extra per parochias habitante, ad eum pertineat, *c. 1. h. t. quod & curam habet animatum, c. Cum in cunctis 7. 6. inferiora sup. De elect.* & Diaconis, Archiepiscopi, Presbyteris, alijsque Clericis sibi subiectis imperet: quod tertio quoque anno circumire & visitare teneatur diocesium, si Episcopus hoc munus per se obire non possit, *d. c. 1. h. t. & singulis annis propriam Ecclesiam, c. Mandamus 6. hoc tit. juxta modum præscriptum à Conc. Trid. d. Sess. 24. cap. 2.* Ejusdem est audire jurgia singulorum, & cuncta, quæ correctione & emendatione indigent, corrigere atque emendare: nisi ardua sint negotia & excessus sit gravis, ita ut majoris necessaria sit præsentia & major



autoritas, d. e. *Ad hac d. tit.* Insuper curare debet, ut Ecclesiarum sacra recta maneat & sollicitè custodiantur, e. 3. *hoc t.* officium divinum ritè fiat, e. 2. *h. t.* ut vacante Ecclesia parochiali per substitutum aliquem cultus divinus peragatur. Choppinus lib. 1. *De sacra Politia* t. 8. n. 19. Item examinare & sistere Episcopo ordinandos, de mandato tamen Episcopi; quoad examen scilicet, quandoquidem illud hodie ad Episcopum spectat ex Conc. Trident. Ad hæc examinare promovendos ad beneficia, eosdemque instituere in beneficiis: mittere in possessionem Abbates & Abbatillas, cap. *De nostrum* 9. *h. t.* Aliaque similia sui muneris exequi debet: quæ quia varia sunt, siue jus commune siue consuetudo, cujusque Ecclesiarum Cathedralis spectetur, sit, ut interdum in una Ecclesia plures Archidiaconi constituantur, prout in Cathedrali Leodiensi cernere licet.

Nemini tamen sine mandato & licentia Episcopi curam animarum, obtentu alicujus consuetudinis, committere debet, e. 4. *h. t.* Similiter nec de jure communi potest excommunicare, suspendere, vel interdicere, e. 5. *h. t. juncto e. Licet inf. De penis*: licet de consuetudine id aliquando permittatur, e. *Dudum* 54. *vers. Sed cum in jure sup. De electione.* Non potest etiam dare commendatitias seu dimissorias ad suscipiendos alibi Ordines, e. *Significasti* 8. *h. t.* Conc. Trid. Sess. 23. cap. 11. *De reformat.* Non item potest visitare monasteria, nisi in quantum consuetudo permittit, e. *ult. hoc tit.* Similiter non cognoscit hodie causas matrimoniales, & criminales, ex Concil. Trident. Sess. 24. cap. 20. nec causas concubinitus, *idem* Conc. Sess. 25. cap. 14. *De reformat.* Fructus & jura vacantium Ecclesiarum parochialium subinde ex consuetudine vel privilegio habet, sic tamen ut interim onera adimplerit alium curet.

Ad Archidiaconatum promovendi xxv annis nati sunt oportet, ac digni, qui saltem Diaconi sint, & ex Conc. Trid. d. Sess. 24. cap. 12. *de reformat.* Licentiat in Theologia vel Jure Canonico.



## TITULUS XXIV.

## De officio Archipresbyteri.

1. *Quis Presbyter.*
2. *Qui Sacerdotes dicantur.*
3. 4. *Eorum munus & distinctio.*
5. *Quis Archipresbyter.*
6. *Alius Urbanus, alius Ruralis.*

1. **A**rchidiacono proximus dignitate & gradu in Ecclesia Cathedrali est Archipresbyter: de cujus proinde officio sequitur.

Quod ut melius intelligitur, sciendum, Presbyterum Græcè, Latine Seniore dici, Et quia cum olim, tum etiam hodie in Republ. bene constituta dignitates & honores majores deferri senioribus solent, *Id. gradatim D. De munerib.* ideo hoc nomen Presbyter, non solum ætatis nomen est, verum etiam dignitatis; & qui Sacerdotes vocantur, dicuntur Presbyteri, non modo ob ætatem vel decrepitam senectutem, sed ob dignitatem & honorem, quem acceperunt, *can. Cleros* §. *Presbyter Dist. 21.* Est enim venerabilis senectus & gloria senum est canities, quæ sapientiam designat *can. Porro Dist. 94.*

2. Sacerdotes verò dicuntur, quasi factum dantes, nomine veluti composito ex Græco & Latino, d. *can. Cleros* §. *Sacerdos, juncta Glof. ibid.* Atque ita Sacerdotis, sicut & Presbyteri, nomen generali notâ potest latius sumi quam pro eo, qui initiatus est sacro ordine scilicet pro omni eo, qui quodlibet offert sacrificium: quo pacto Conc. Laodicenum in *can. ult. Distinct. 32.* ostendit eas mulieres, quæ apud Græcos Presbyteræ appellantur, apud Latinos dici viduas seniores, univiras, & matricarias, & in Ecclesia tamquam ordinatas constitui non debere. Gentilium porro sacerdotes dicebantur Flamines, d. *can. Cleros* §. *Sacerdotes autem*, ubi redditur ratio istius appellationis.

3. Ordinantur propriè Sacerdotes ad sacrificium; eorumque præcipuum munus & officium in ordinatione statuitur, conficere scilicet



et in Altari Sacramentum, vel, ut alias legitur, Sacrificium Corporis & Sanguinis Domini, *can. Perleſtu Diſtinct. 25. & aliis*. Qualiter vero ordinetur Sacerdos seu Presbyter, traditur in *can. Presbyter Diſtinct. 23. & c. ſin. ſup. de Sacramentis non reiterandis*.

4. Sacerdotum autem alii ſimpliciter Sacerdotes appellantur, alii Archipreſbyteri alii Chori epiſcopi (quorum inſtitutio & poteſtas non tantum in Romana, ſed & in aliis totius orbis Eccleſiis tanquam improba & ſupervacanea interdicta & ſublata eſt, *can. Quamvis & can. Quod Epiſcopi Diſt. 68*) alii Epiſcopi, alii Archiepiſcopi ſeu Metropolitani, alii Primates, alii Patriarchæ, alii ſummi Pontifices. Gratianus in *prim. 21. Diſt. 5. inter eos ubi eam diſcretionem tradit introductam eſſe maxime à gentilibus, qui inter ſuos Flamines alios ſimpliciter Flamines, alios Archiflamines, alios Protoflamines appellabant*.

5. Dicitur verò Archipreſbyter, quaſi primus ſeu princeps Preſbyterorum vel ſacerdotum, & à plebique Decanus appellatur, *c. Ad hac ſup. De officio Archidiaconi*. Et quamquam Archidiacono major ſit ordine, quando iſtantum eſt Diaconus, tamen eo minor eſt iurisdictione & dignitate, ſpectatque iure communi, *c. 1. ubi Gloſ. h. t.*

6. Archipreſbyterorum alius eſt Vibanus, qui videlicet in civitate Epiſcopali omnibus preſbyteris præſt, & vicem Epiſcopi, quando ſibi ipſe deſuerit, ſuſtinet, *c. officium h. t.* Alius Foraneus, quem aliàs communius appellant Decanum Ruralem, quaſi qui ruri, id eſt, extra civitatem Epiſcopalem plebis ac Preſbyterorum, reliquorumque Clericorum ſibi ſubjeſtorum, curam habeat, *cap. ult. hoc t. & Decanum Chriſtianitatis Officium Vibanum optime declaratur in c. 2. & 3. h. t. Ruralis verò in d. c. ult.*

## TITULUS XXV.

## De Primicærio, ejusque officio.

1. Nominatio.

2. Primicæri munus & officium.

Tertio loco eſt Primicærius, primus in choro vel cantu, abſente Archipreſbytero. Pa-normit. *ad h. rubric.* & in aliquibus Eccleſiis eſt nomen dignitatis, ut patet ex *c. Cum acceſſiſſent ſup. De conſtitutionib.* & ex iurisdictione facultateque animadvertendi in Clericos delinquentes, ei annexa *can. Perleſtu § ad Primicarium Diſt. 25.* quam non modo in ſacerdotes inferiores ſed & in Canonicos & ipſos dignitate Eccleſiaſtica præſtantes exercet, ut ex Gloſſa *Pragmat. ſanct. ſin. tit. quomodo divini officii ſit celebr.* refert Chopin. *lib. 1. De ſacrapolit. tit. 1. n. 10.*

1. Deducitur autem Primicærii nomen à Cereo: cum enim ante chartæ & membranæ inventionem in pugillaribus, cetatis arborum li-lis & foliis, aliave materia, ſcriberetur, factum fuit, ut quæ in ejuſmodi ceratis libellis, & per translationem etiam in aliis, ſcriberentur, in ceris ſcripta dicerentur; & quod in primo loco ſcriptum erat, in prima cera; quod in ſecundo, in ſecunda; quod in tertio, in tertia; & quod in poſtremo, in ima cera ſcriptum diceretur. Hinc etiam, quia is, qui primus erat ſeu dignior, primus in albo ſcribebatur, *l. 1. D. De albo ſcribendo*: Primicærius dictus eſt, quaſi primus in ordine ceræ ſeu ſcripturæ, & in omnibus ordinibus dignior: ſic enim ſæpius legimus in Novella 8. *Notariorum Primicarium*, id eſt primum ſeu in matricula Notariorum primum ſcriptum, & in Cod. lib. 12. *Primicarium menſorum*, id eſt, inter menſores primum, *Primicarium ex corpore Decanorum*, *Primicarium fabricæ proteſtorum domeſticorum*, *equitum*. Sic Auguſtinus vocat Stephanum *Primicarium Martyrum*. Is verò qui Primicarium in quocumque ordine ſequabatur, Secundicærius, & ſic deinceps, dicebatur.

2. Hinc igitur factum quoque eſt, ut qui Eccleſiis præſtetur Diaconis & aliis Clericis ac cantoribus inſtruedis atque docendis, ad cantum in choro deſtinantis, ( & Græcis *χοροδιδάσκαλος* vel *χοροδιδάκων* dicitur, id eſt, Chori magiſter. Ariſtot. 3. *Polit. cap. 9.* & Plato *De legibus* Primicærius dici cœperit, veluti primus in choro, & primus ratione cantus: alioquin non eſt primus ſimpliciter, cum ſubſit Archidiacono *c. unico h. t.* Aliet dicitur Cantor ſive Præcentor: ſub quo etiam Succentor eſt, Hoſtien. in *ſumma h. t.* cō quod officium cantandi



cantandi Lectiones, Laudes, aliaque, seu eorum distributio ad canendum illi incumbat, & similiter ordo ac modus cantandi, pro tempore & solemnitate, præeatque in cantu. Ad eundem spectat determinatio delationis cereorum seu luminum: leves præterea castigationes Clericorum, aliaque similia, de quibus in *d. can. Perlestin*, §. *ad Primicarium Dist. 25. & in d. c. unico h. t.*

## TITULUS XXVI.

## De officio Sacristæ.

1. 2. *Sacrista quis, & officium illius.*
3. *Videri eundem cum Thesaurario.*

1. Sequitur quarto loco de officio Sacristæ, Sacrista dicitur à rerum sacratarum custodia, quasi sacristans; & idem est, qui Sacriarius: ut enim locus, in quo res sacræ reponuntur & aservantur, dicitur Sacriarium, *l. Sacra §. sacriarium D. De rerum depof.* ita qui rebus sacris præficiatur, vocatur Sacrista, *c. unico h. t.*

2. Videaturque idem cum eo, quem in Ecclesiis quibusdam Thesaurarium vocant: aliter Cimeteria dicitur, *l. fin. in fine Cod. De bonis auctor. l. ad possiden.* & utriusque videtur idem esse munus atque officium, ut colligi videtur ex *can. Perlestin*, §. *ad thesaurarium in fine Dist. 25. & d. c. unico h. t.* ubi Sacrista dicitur subiectus esse Archidiacono.

3. Et ad ejus curam pertinere custodiam sacrorum vasorum, vestimentorum Ecclesiasticorum, seu totius thesauri Ecclesiastici (qui magis in vasis sacris & instrumentis Ecclesiasticis, quam in pecunia numerata consistit) nec non quæ ad luminaria pertinent, Et in *d. can. Perlestin*, dicitur ad Thesaurarium pertinere basilicarum & ostiarii ordinationem, incensi & luminariorum præparationem, curam baptisterii ordinandi. Ex quo loco, ut ex ante dictis patet. Sacristam nudum habere officium, absque ulla jurisdictione aut præeminentia, *Rota tit. de præb. Decis. 9. alias 353. in novis.* Potest tamen eidem per consuetudinem vel privilegium attributa jurisdictione accedere dignitas, *Rota ibid.* Idque ostendunt delegationes Pontificiæ Thesaurario, Turonens. in *c. Ex tenore 11. inf. De foro, comp.*

Linconensis, in *c. signif. 18. inf. De convers. conjugat.* & Nivernensis, in *c. Cum olim 32. inf. De officio & potest. lud. deleg.*

## TITULUS XXVII.

## De officio Custodis.

Denique Custos quasi minister est Sacristæ secundum *Glos. & Pan. ad rubr. hoc tit.* ideoque de ejus quoque officio aliquid subiiciendum est. Illud autem consistit in his, ut non tantum ad horas Canonicas pulset iussu Archidiaconi, sed & pallia vel linteamina altaris, candelæque utensilia Ecclesiæ indefinenter custodiat, in lampadibus & lucernis diligenter accendendis & extinguendis privileg. existat *c. 1. h. t.* panem, & vinum omni tempore ad Missam præparatum habeat; oblationes seu elemosynas Clericis singulis distribuat, *d. c. 1. & 2. h. t.* Et hic vix unquam videtur habere jurisdictionem, aut dignitatis vel minimam partem.

Cæterum non est magna vis faciendi in hoc, vel ante dictis nominibus, eorumque officiis de jure statutis, sed omnia referri debent ad consuetudines Ecclesiarum, pro quarum diversitate nomina ista variantur, & pariter eorum officia.

## TITULUS XXVIII.

## De officio &amp; potestate Vicarii.

## §. I.

Vicarius quis, & quotuplex.

1. 2. *Vicarius alius Perpetuus, alius Temporalis.*
3. *Perpetuus habet se adinstar beneficiarii.*
4. 5. *Non etiam Temporalis.*

Consideratis eorum officiis, qui deserviunt Ecclesiæ nomine proprio: sequitur de iis, qui deserviunt nomine alieno; eujusmodi sunt Vicarii. Dicitur enim Vicarius à Vice, quod



quodd vicem alicujus gerat: cum enim quis rebus suis interesse vel superesse non potest, Vicarium sibi in iis constituit, per quem quaecumque gesta fuerint, perinde habeatur, ac si per ipsum constituentem expedita fuissent, *juxta c. Quis sit de reg. jur. in 6.* Quamquam hoc loco non tam late accipitur nomen vicarii, ut denoret eos omnes, qui quoquomodo vices alienas obtinent in functionibus Ecclesiasticis (ut cum Archidiaconus dicitur esse Vicarius Episcopi *c. 1. sup. De officio Archid.*) sed strictius pro eo scilicet qui officium Ecclesiasticum, quod alteri Ordinario jure competit, ipse nomine exercet.

1. Duplicis autem Vicarii in jure Canonico potissimum sit mentio: unius perpetui, ut in *c. Ex parte h. t. c. extirpanda 30. § qui vero inf. De prebendis, c. G. perpetuus inf. De fide instrum.* alterius Temporalis, ut in *c. Peruenit inf. De appellat.*

Perpetuus dicitur, qui Canonice, id est auctoritate Episcopi constituitur in aliqua Ecclesia parochiali, cum certa & congrua portione annua, tanquam laboris & operæ mercede ex proventibus ipsius Ecclesiæ. Sic a sacris Canonibus permittitur habenti parochialem Ecclesiam, suæ vel dignitati vel præbendæ annexam, substituere sibi Vicarium idoneum & perpetuum, auctoritate Episcopi, *d. c. Extirpanda § qui vero, & c. De monachis inf. De prebendis, & similibus.* Vide Conc. Trid. Sess. 7. cap. 6 & 7. Sess. 25. cap. 16. de reformat. ubi idem permittitur Cathedralibus Collegiatis seu aliis Ecclesiis vel Monasteriis seu Collegiis, aut piis locis quibuscumque, quæ beneficia Ecclesiastica curata perpetuo sibi unita & annexa habent.

2. Cæterum Vicarius ejusmodi, semel Canonice, ut dixi, id est auctoritate superioris constitutus, non potest per proprium Ecclesiæ Rectorem, aut ejus successorem, removeri, aut portione sibi assignata fraudari, *d. c. Extirpanda § qui vero Clement. unica h. t.* licet alias mandatum revocari possit pro arbitrio mandantis. Imo nec Episcopo permittitur eidem administrationem auferre, nisi iustis de causis, ut colligi videtur ex *c. Ad hac h. t.* quia scilicet Vicarius perpetuus non habet se ad instar simplicis mandati, sed ad instar beneficii, & Vicarius perpetuus ipso jure censetur beneficiatus, *c. Perpetuus inf. De fide instrum.* Glos.

in *c. 1. in 7. in diversis h. t. c. Michael inf. De filiis Presbyterorum*: ejusque officium refertur inter beneficia in *c. Postulasti 27. sup. De rescriptis*; & penes eundem est cura animarum Abbas in *d. c. Extirpanda § qui vero*. ideoque curatus primitivus, ut aliqui vocant, non potest nec debet Sacramenta conferre. Hinc quoque fit, quod Vicarius sicut & quilibet alius in beneficio, auctoritate Episcopi sibi collato, institui debeat, *c. ex frequentibus inf. De institut.* semelque institutus, temere & sine causa ac præter juris ordinem non sit amovendus, ut neque quisquam beneficio privandus est: quodque quis nequeat esse Vicarius in diversis Ecclesiis, *c. 1. & 2. h. tit.* aut sibi alium Vicarium perpetuum substituere, juxta communem sententiam, sed per se ipsum deservire compellendus sit, per substitutionem fructuum vel ipsarum Vicariarum, *c. ult. h. t.* Non obstante regula, *in c. Qui facit. 72. De reg. juris in 6.* quia non habet locum, quando indultia personæ spectatur, ut in Vicario attenditur. Possit tamen ad tempus aliquod ex justa aliqua causa alium substitui, docet Abbas in *c. Clericos h. t.* Hinc etiam in Vicario perpetuo Jura, de Rectore parochialis Ecclesiæ constituta locum obtinent: veluti quod intra annum a Vicaria obtenta ordinari Presbyter debeat sicut obtinens parochialem, *Clement. unica h. t.*

3. Vicarius Temporalis est, qui in locum alicujus ad tempus substituitur, juxta subsistente causa, puta quia pluribus Ecclesiis, quas obtinet simul deservire nequeat, *cap. Et temporis xxvi q. 1.* aut pluribus negotiatione sui muneris & officii distineatur, vel quia ob peregrinationem, ægritudinem aut justam absentiam, ab Episcopo cognita & approbatam vel ob aliam aliquam causam veluti necessitatem aut utilitatem Ecclesiæ, deservire suæ Ecclesiæ non possit.

4. Cum autem ad tempus dumtaxat hic Vicarius constituatur, non habet se ad instar beneficiarii, Glossa in Extravag. Joan. xxii. *Execrabilis de prebendis*: sed jure penes Rectorem principalem manente, penes Vicarium solummodo est functio & administratio, quam exercet nomine alterius, & quæ expirat morte Rectoris principalis; ad cujus etiam nutum revocari potest. Abbas in *d. c. Extirpanda*.



§. II.  
De Vicario Episcopi.

1. Vicarius Episcopi quomodo ab aliis distinguatur.
2. Dicitur & officialis.
3. Usque necessario constitui debet.

**C**um Episcopus plurimis negotiis involutus, nequeat per se sufficere omnibus, ac spiritualibus potissimum intendere debeat, Vicarium sibi constituat oportet, vel unum vel plures, *can. in nova xvi. q. 7. Quoniam 14. inf. De officio jud. ord. Anchar. in Clement. 2. De re scriptis.*

1. Qui proinde Vicarius Episcopi, & quidem, more loquendi recepto, simpliciter Vicarius appellatur: de quo potissimum hoc Tit. agitur, non etiam de aliis, qui licet revera Vicarii sint Episcopi, ut Archidiaconus, *c. 1. e. Ad hac sup. de officio Archidiacon. Archipresbyter, c. 1. e. Officium sup. de off. Archipres.* tamen non solent appellari Vicarii, quia nomen proprium, & administrationem habent, ex præscripto ipsorum Canonum; nec sunt Vicarii constituti ab Episcopo, sed ab ipso iuratione dignitatis & officii, quo funguntur.

2. Aliter autem Vicarius Episcopi, si generalis sit, appellari solet Officialis Episcopi, & e contra, ut constat ex *d. Clem. 2. de re scriptis juncta Gloss. ibid. in v. Officialis, & in c. ult. h. t. in 6. c. 1. & 2. eod. in 6.* ubi textus vocat eundem Officialem, & statim *d. c. fin.* dicitur disjunctivè Officialis aut Vicarius generalis Episcopi.

3. Ad eò verò necessum est, ut Episcopus sibi Vicarium constituat, ut si ea in re fuerit negligens, ad Metropolitanum seu Archiepiscopum devolvatur hujusmodi deputatio: eoque deficiente antiquior Episcopus ex Suffraganeis eundem cogere possit. *Conc. Trid. Sess. 24. cap. 16. de reformat.* Tamen si autem Capitulum, vivente Episcopo, eoque vel absente, vel negligente, non possit vicarium constituere; potest tamen, eo mortuo, vel electum ab Episcopo confirmare, vel alium.

§. III.  
Qualis debeat constitui Vicarius.

1. Debet esse probata vita ac doctrina.
2. Clericus, non laicus, nisi ex causa.

**Q**uoniam ex facto Vicarii tenetur Episcopus, sibi que imputare debet, si malum e-

legerit, *c. Ad hac sup. De officio Archidiacon. Rebuffus in forma Vicariatus n. 188.* ideo etiam videndum, qualis eligi debeat.

1. Eligitur & constitui debet Vicarius probatis moribus, ætate xxv. annorum, *arg. c. Cum in curiis 7 §. inferiora sup. electi. rerum & causarum forensium peritus, l. penult. Cod. de judiciis, n. 1. Rempub. D. de munerib.* Doctor vel Licentiat, saltem in jure Canonico, vel alias, quantum fieri potest, idoneus, *Conc. Trid. Sess. 24. c. 16. De reformat.*

2. Clericus item, saltem primæ tonsuræ, non conjugatus, *Franc. in c. h. t. in 6.* nisi certis casibus: veluti si Episcopus jurisdictionem habeat temporalem, cujus capax est laicus, non etiam spiritualis, *c. 2. de judiciis*; aut ad sit licentia Papæ, vel necessitas urgeat. Assessorum tamen laicorum Episcopus habere potest. Abbas, Felin. & alii in *c. de his & c. Decernimus inf. de judiciis*; quia officium assessoris est consulere, quod etiam in Ecclesiasticis facere potest laicus: licet honestius fuerit adhibere Clericum, si reperiatur idoneus, *Felin. in d. c. decernimus.*

§. IV.  
Quod modis constituatur.

1. Constitui potest vel in spiritualibus, vel in temporalibus, vel in utriusque.
2. Unus, vel plures.
3. Unus item Generalis & aliter Foraneus.

**T**ripliciter constitui potest: vel in spiritualibus tantum, cujus est officium excommunicare, suspendere, interdicere, Sacramenta conferre, beneficia visitare, corrigere, aliaque similia exercere; & talis Vicarii in spiritualibus fit mentio in *cap. 3. de temporib. ordinat. in 6. & in cap. 4. inf. De officio Ordinarii.* Vel in temporalibus tantum, cujus administratio consistit in judicio, vel extra judicium. Vel denique Vicarius est in spiritualibus & temporalibus simul: & hic Vicarius Generalis Episcopi appellatur in *c. fin. eod. in 6.* Creatique debet cum expressione spiritualium & temporalium simul: alioquin non esset generalis, si vel in spiritualibus duntaxat, vel in temporalibus crearetur, *c. Si Episcopus & c. Ecclesia de supplenda neglig. Pralat. in 6.* aut si simpliciter concederetur potestas administrandi. Videatur *Rebuff. in Praxi benef. tit. de forma Vicarii. Archiepiscopi.* Sic nec Generalis diceretur, si

cod-



constitueretur in aliqua speciali parte diœcesis, etiam in ipsa parte, in qua residet Episcopus; sed diceretur foraneus & delegatus.

2. Secundò, potest Episcopus unum vel plures Vicarios constituere, si id consuetudine receptum fuerit, aut si expresse agatur, plures constituantur, prout plures constitui expedit, quando Episcopus ad diversa territoria diœcesis suam extensionem habet. Alioquin per simplicem constitutionem secundi censetur prior revocatus, D. D. in c. Clericos h. t.

3. Tertiò, potest constituere unum Generalem, qui vices Ordinarii constituentis gerat in tota diœcesi; & jus dicat in loco actibuali, in quo consuevit ipse Ordinarius jus dicere, Sanchez De matrim lib. 3. disputat. 29. q. 1. n. 11. & talis est principalis, & dignitatem habere dicitur, licet non eam, quæ sit beneficium Ecclesiasticum vel incompatibilis cum alia dignitate, Rebuff. in d. Praxi tit. De Vicariis Episcoporum. Alium verò constituere potest in certa aliqua parte diœcesis, extra civitatem Episcopalem, quæ proinde vocatur Foraneus, nec dignitatem habere censetur.

## §. V.

## De potestate &amp; jurisdictione Vicarij.

1. Rationes, quibus asseritur Vicarium Episcopi esse delegatum.

2. Probatur, esse Ordinarium.

3. Satisfit rationibus contrariis.

1. **T**amet si non desint, qui velint Vicarium Episcopi, licet principalis sit, non esse ordinarium, sed delegatum, Gotoffredus in Summa h. tit. q. 1. eò quod ejus iurisdictio morte extinguitur Episcopi, sicut iurisdictio delegati re integra finitur morte delegantis, c. Gratum, c. Licet undique inf. De officio delegati; quodque vices Episcopi gerat, c. Romana in princ. De appellat. in 6. sicut delegatus fungitur vice delegantis, l. 1. §. qui mandatum D. de officio ejus & c. l. Solet D. De iurisdict. omnium iudicum: cum tamen ordinaria iurisdictio, mortuo concedente, adhuc remaneat, nec possit ab Episcopo concedi, ut patet ex can. Aludicibus 2. q. 6 l. Et quia D. de iurisdict. Glossa in cap. 2. V. statuitur inf. Ne Prælati vices suas vel Eccles. sub an. censu conced.

2. Nihilominus verius videretur. Vicarium

Episcopi, si sit principalis, habere ordinariam jurisdictionem, sicut habet Episcopus, cuius vices gerit, prout docet Sanchez De Matrim lib. 3. disputat. 29. Glossa in c. Licet in V. Officiale eod. in 6. c. Perlevis distinct. 25 in V. iure, D. D. in c. Quoniam in plerisque inf. De officio Ordinarii, & c. 2. De consuet. in 6. quia licet constituator seu nominetur & designetur ab Episcopo, non tamen ab eo, sed ab ipso canone & iure jurisdictionem accipit, c. 1. eod. in 6. ac proinde ordinariam, d. can. Aludicibus. Confirmatur ex eo, quòd idem tribunal & eadem jurisdictione sit Episcopi & Vicarij, d. c. Romana & d. c. 2. & ibi Interpp. De consuet. in 6. Et propterea, licet à delegato appelletur ad delegantem, c. Super questionum §. porro inf. de officio delegati: tamen à Vicario seu Officiali Episcopi in iis, in quibus est ordinarius, non ad Episcopum, sed ad Archiepiscopum appellatur, d. c. Romana, d. c. 2. de consuet. in 6. ne ab eodem ad eundem aut seipsum interponi appellatio videatur. Idem dicendum de Vicario Capituli, Sede vacante & Vicario generali habente jurisdictionem Episcopalem ut tradit Sanchez d. loco. Et hinc fit, quod Episcopus non possit revocare aut impugnare, quod legitime & canonicè Vicarius gessit, Rebuff. in Praxi tit. de Vicar. Episc. n. 40.

3. Non obstant in contrarium allata: quia ideo jurisdictione Vicarij extinguitur morte Episcopi, quia illius jurisdictioni tamquam accessoria coheret, & sic gerit vicem Episcopi: ut tamen non ab eo, sed à iure jurisdictionem accipiat idemque cum Episcopo tribunal constituat, non diversum: prout delegatus diversum constituit à delegante, à quo suam jurisdictionem habet. Et ideo rectè à delegato ad delegantem provocatur; sicut & ab Archidiacono, alijsque Prælati & inferioribus ad Episcopum, non autem Archiepiscopum Rectè etiam à Vicario Episcopi ad Episcopum appellatur, quoad ea, in quibus illius est delegatus: veluti quando illi divisim & seorsim ab institutione committit aliquos casus qua de re videatur Sanchez d. Disputat. 29.

quasi. 1.

—(†)—



## §. VI.

Quibus modis finiatur potestas Vicarii.

1. Finitur morte Vicarii, item morte constituentis, &c.
2. Item Episcopo Ecclesiam deserente.
3. Et revocatione.

1. Finitur primo, ipsius Vicarii morte. Secundo per mortem, vel etiam excommunicationem constituentis, *e. l. h. t. in 6. Glossa in Clementi ult. De procuratoribus v. contestata*: ita ut ne quidem ante mortem vel excommunicationem Episcopi constituentis causas coeptas, eo mortuo vel excommunicato perficere queat Speculator *De offic. Ordinarii §. 1. in v. Auditores Gloss. in d. Clementi ult. c. 1. de officio Vicarii in 6.* quia idem prorsus est tribunal utriusque, eademque utriusque persona reputatur, *e. 2. de consuet. in 6. c. Romana de appellat. in 6.* Ideoque cessante tribunali Episcopi per ejus mortem, vel suspensionem jurisdictione per excommunicationem (quod evenit, quando est denunciatus, excommunicatus, aut notorius Clerici percussor) cessat quoque vel suspenditur tribunal seu jurisdictionis Vicarii. et in hoc differt Vicarius à Legato, cujus potestas non expirat, quoad incepta, morte delegantis, sicut nec per excommunicationem ejusdem. Ratio est, quia non idem delegantis & delegati est tribunal. Idem dicendum, Episcopo interdicto vel suspensio; ob eandem rationem, quando scilicet est denunciatus; idque post Conc. Constantiense; nam antè reverteretur jurisdictionem.

2. Tertio finitur, si Episcopus Ecclesiam suam resignet, aut ad aliam transferatur aut suam priveretur, vel ab ea removeatur, vel Religionem ingrediatur.

3. Quarto revocatur ejus commissio ab Episcopo constituyente, vel ejus successore: etiam sine consensu Capituli, quemadmodum absque ejus consensu constitui potest, Abbas *in cap. Suanobis hoc tit. & ibid. Joan. Andr. num. 6. idem Abbas in cap. penult. sup. num. 4. h. tit.* Debet tamen revocatio insinuari Vicario: alioquin si revocationem ignoret, interim per eum gesta valent, donec ei innoscant. Garz. *De beneficio par. 5. cap. 8. num. 174. & seq.* Quin etiam, si ad sit error com-

munis revocationis, gesta per illum, etiam revocationis consensum, valebunt, *arg. l. Barbarus D. De officio Prætoris*: in qua non attenditur ignorantia privata, ut gesta, valeant, sed communis.

## §. VII.

De officio Coadjutoris.

1. Coadjutor quis.
2. Datur Episcopo, & aliis inferioribus.
3. Cum futura successione, nisi ex causa, dari non potest.

Datur subinde Episcopo Coadjutor; de cujus munere Vicarii officio explicato, operæ pretium est, ut aliquid hic subiciatur.

1. Dicitur Coadjutor qui alteri in subsidium, officii causa, adjungitur. Quibus autem ex causis, & quâ formâ detur Episcopis & aliis superioribus, explicatur *in c. unico D. Clerico agrote in 6.*

2. Neque enim Episcopo dumtaxat, sed etiam aliis inferioribus datur, si res exigat: veluti si morbo impediti superesse muneri suo non possint; ut de Rectore Ecclesiæ, leprâ, de Archidiacono, paralyti laborantibus, rescriptum est *in c. 3. & fin ubi laud. Abbas inf. D. Clerico agrotante*. Cum occupatus infirmitate vel ægitudine aliquâ submoveri loco non debeat, ne afflictio addatur afflictio.

3. Coadjutorem tamen cum futura successione dari Prohibet Conc. Trid. *Sess. 25. cap. 7. de reformat.* ne sic inducatur votum captandæ mortis alienius: præterquam si Ecclesiæ Cathedralis vel Monasterii urgens necessitas, aut evidens utilitas postulet, Prælato dari Coadjutorem; qui tamen non aliter cum futura successione dabitur, quàm causâ prius à summo Pontifice diligenter cognitâ, & concurrentibus qualitatibus, quæ à jure & decretis dicti Conc. in Episcopo & Prælato requiruntur: alias concessio Coadjutoris subreptitia censetur,

¶ (f) ¶

TITU.



## TITULUS XXIX.

De officio & potestate judicis  
Delegati.

## §. I.

Quis sit delegatus &amp; quis delegare possit.

1. Quis dicatur iudex delegatus.
2. Delegare potest summus Pontifex.
3. Et ab hoc delegatus subdelegare.
4. Ampliatio.
5. Item quilibet Ordinarius ratiōe delegat.

**D**iximus de iis, qui vices alienas gerunt in divinis officiis & jurisdictione voluntaria: superest agere de iis, qui vices alienas gerunt in judiciis & jurisdictione contentiosa, idque vel in una tantum, vel in certis causis; quales imprimis sunt Iudices delegati, qui magnam affinitatem habent cum Vicariis potissimum foraneis: item Legati & iudices ordinarii. Atque ita deinceps ab hoc Tit. usque ad finem libri traduntur *rationes*, id est præparatoria iudicium. Quorum prima inspectio est de Iudice, si forte Reus, priusquam respondeat Actori seu adversario suo, habeat aliquid, quod opponat adversus personam Iudicis.

1. Iudex autem delegatus est, qui jurisdictionem contentiosam, non suo iure aut suo nomine, sed ab alio sibi mandatam & alterius nomine exercet: ejus scilicet, qui causas, ad forum suum spectantes vel devolutas, cognoscere & dirimere non vult, aut non potest. Atque ideo in Digestis appellatur Iudex, cui mandata est juris dictio, ut patet ex toto tit. *D. De officio ejus cui mandata est jurisdictio*: diciturque proprium nihil habere, nec sua uti jurisdictione, sed ejus, qui mandavit aut delegavit, *l. 1. §. qui mandatum D. d. tit. l. Solet 16. D. De jurisdict. omnium iudicum*.

2. Delegare verò potest in primis supremus Princeps, ac summus Pontifex, prout frequentissimè facit: tum quia, cum sit iudex omnium Christianorum in causis Ecclesiasticis, unus

omnibus audiendis non sufficiat: tum quia nimis sumtuosum foret illis qui in remotioribus degunt regionibus. Romæ ad causas suas ibidem agendas, proficisci.

3. Secundò delegare potest ille ipse, qui à summo Principe vel summo Pontifice delegatus est, si forte causâ sibi delegatâ per debilitatem vel occupationes cognoscere nequeat, *e. Si pro debilitate 3. & alius h. t. l. à iudice Cod. De iudiciis*: & quidem vel suo conjudici, id est sibi adjuncto delegato vel alteri & extraneo vices suas committere potest, *e. Quamvis h. t. 6* idque delegando, seu, ut vocât, subdelegando vel principum vel mediû vel finem causâ sibi commissâ, sive conjunctim sive divisim, hoc est unam partem causâ uni, & alii aliam, *e. Super questionum 27. in princ. versic. Quod si delegatus h. t. quia hanc potestatem habet à jure e. Pastoralis 28. eod. e. Si duo eod. in 6. text. in l. unica in fine Cod. Qui pro sua jurisdict. &c. Vide Marantam Spec. auri p. 4. Dist. 5. nu. 26. Quinimo si subdelegatus in iuncto munere fungi detrectet, compellere eum ad hoc poterit, dummodo ipse exonerare seipsum malitiosè non studeat: licet alias, extra causâ delegatam, subdelegatus major esset delegato: veluti si delegatus summi Pont. subdelegaverit sibi Episcopum suum, prout potest, etiam invitum, *d. e. Pastoralis 28. in princ. & ibi Abbas pen. not. & cap. Sanè n. eod.* quia in ea causâ major est Episcopo suo, tamquam repræsentans personâ summi Pontificis delegantis. Habere tamen debet in eo compellendo gradus ac dignitatis & personæ rationem, *d. e. Pastoralis eod. e. Sanè*.*

4. Sed quid si delegato suo mandaverit Pontifex, ut personaliter negotium exequatur? Nichilominus sub delegare poterit, dummodo partes consentiant: præterquam si mandaverit inquisitionem fieri, vel Ecclesiis de Prælatibus aliisve ministris provideri, quia istis casibus industria & fides personæ electa videtur, *e. fin. §. is autem h. t. e. Is cui 12. eod. in 6.* vel si nudum ministerium commiserit, veluti ut excommunicet, absolvat, dispense, pœnitentiam injungat, in possessionem inducat, aut aliud quid simile agat: nam tali casu, excepto legato Sedis Apostolicæ, non potest alteri vices suas committere: quia non jurisdictione, sed potius certum ministerium ei committitur, *d. cap. fin. r.*

L 3

Non.



Non potest tamen delegatus Principis subdelegare, cum potestate subdelegandi; quia tamen in iure reperitur ei concessa potestas subdelegandi, tamen non repetitur concessa potestas dandi facultatē subdelegandi. In eoque distinguitur ab Orbitorio qui licet sit minimus, cū habeat potestatem universalem & ordinariā, potest tamen delegare cum potestate subdelegandi. Posset nihilominus subdelegatus a delegato, sicut & delegatus Episcopi, committere aliquē actum causæ abique iurisdictione, *Pia. 2. p. 6. 4. aut 1. sub n. 26. vers. Subdelegatus.*

5. Tertiū quilibet Iudex ordinarius, cum iure proprio & in seipso iurisdictionem radicatam habeat, delegare potest, *c. Cum Episcopus De officio Ordinarii 6. l. Mora majorum D. De iurisd. om. iudic. l. Cognitio. §. cum propriam D. de officio eius cui mand.*

## §. II.

## Qua forma fiat delegatio.

1. Est delegatio vel ad universitatem, causarum vel ad certum genus.
2. Item ad unam aliquam causam, vel plures.

1. Delegare quis alium potest vel ad universitatem, id est ad universas causas cognoscendas, cuiusmodi est delegatus Officialis Episcopi; vel ad certum genus causarum v. g. quæ tali anno occurrent, quæ centum florenos non excedunt, quæ in tali territorio ventilantur, vel quæ oriuntur ratione mutui, depositi, &c.

2. Potest insuper quis delegare alium vel ad unam aliquam causam, vel ad plures, verum certo numero definitas, veluti ad quinque vel sex Rursus non tantum unus ad unam aliquam causam delegare potest, sed & plures idque trifariam, aut simpliciter, aut adiectā hac clausulā, *Quod si non omnes interesse possint, alii nihilominus in causis procedant. c. Prudentiam 21. h. 2. aut denique hac formula. Ut omnes, aut duo, aut unus procedat. c. Cum plures 8. h. 1. in 6.* Quæ forma hodie est frequentissima, Vide de his formulis delegandi tradita inferius *h. 1. §. 4. n. 5.*

Facta autem causæ delegatione simpliciter, ea omnia, quæ ad expeditionem causæ pertinent, tacite commissā videntur, *c. Præterea 5. h. 1. D. de iurisd. om. iud.* quia explorati

iuris est, ut delegatis iudicibus, quibus principale committitur, & accessorium committatur, *c. Prudentiam 2. §. penult. in fin. h. 1.*

Potest juxta Canones qualibet causæ delegari possunt, etiam quæ sunt meri imperii, secundum communiorē Canonistarum sententiam, *c. Licet de off. Vicarii in 6. c. fin. Ne Clerici vel Monachi in 6. c. Quod eadem 10. de off. iud. ord. ib. Abbas n. 4. covar. lib. 3. Var. resol. ult. vide tamen aliter sentientem Fachin. Controvers. iur. lib. 9. c. 99. & lib. 12. c. 39.*

## §. III.

## Quinam delegari possint, vel non.

1. Delegari nequit minor 20. annis, nisi ex causa.
2. Delegandus a summo Pontifice debet esse in dignitate constitutus.
3. Ab Episcopo non utique; Ratio diversitatis.
4. Iudices Synodales.

1. Delegari autem nemo potest, nisi annum ætatis vigesimum peregerit: vel decimū octavū, si partes litigantes in eum scienter consenserint. Minori verò annis xx facta delegatio ab alio, quam a principe, non ignorante, quod minor sit, non tenet *c. Cum vigesimum 41. h. 1.* Nam hoc ipso, quo Princeps aut Pontifex quem minorem sciens, dat Iudicem, intelligitur habere eum idoneum, qui iudicet, *l. Quidem consulebas 57 D. De re iudicata.*

2. Ut tamen delegato a summo Pontifice, vel ejus Legato, valeat præter ætatem, oportet iudicem delegatum non solum esse iusipsum, & non suspectum, *c. Cum R. Canonicus 35. h. 1.* verum etiam in aliqua dignitate vel personatu constitutum (licet non referat, an sit titularis an Commendatarius, Chassan. ad Consuet. Burgund. tit. de success. superior. n. 58.) vel saltē Canonicū alicujus Ecclesiæ Cathedralis, *c. Statutum 11. in princ. De rescriptis in 6* vel Priorem Conventualem, qui ad eum Prioratum nō consueverit per electionem assumi: vel Officialem Episcopi, seu ejus Vicarium Generalem. Nam Foraneus delegari non potest, sicut nec Religiosus, vel monasterij Priōr claustralis, *Clem. 2. de Rescriptis & d. c. Statutum.*

3. Episcopus verò causam aliquam delegare potest etiam simplici Clerico suæ diocesis, *c. Cum Episcopus 7 de off. Ordin. in 6.* Ratio diversitatis



veritatis est, quia Episcopus melius nosse potest suorum Clericorum industriam, & an idonei sint, quam summus Pontifex, vel eius Legatus: fierique potest, ut simplicem aliquem Clericum Episcopus noverit multo doctiorem & magis idoneum, quam sit alius quilibet in dignitate vel personatu constitutus: & ideo d. c. Statutum non concurret nec tangit episcopos aut alios inferiores. secundum Archid. post Innoc. & Hostien. *ibid.* At vero summus Pontifex, cum longe absit: non potest nosse singulorum Clericorum conditiones, deque idoneitate cujusque judicare debet ex præsumptione, præsunt autem ad dignitatem aliquam promotos, uti dignitate, ita etiam moribus & scientia præstare cæteris.

4. Quia tamen ob malitiosam petentium suggestionem, & quandoque ob locorum disjunctionem, personarum, quibus causæ mandantur, notitia usque ad eam haberi non potest, indeque subinde fit, ut Judicibus non undequaque idoneis causæ in partibus delegentur: statuit Conc. Trid. Sess. 25. cap. 10. De reformat. ut in singulis Synodis Provincialibus, aut Diocesanis, personæ aliquot, saltem quatuor, quæ qualitates in d. c. Statutum requiruntur, habeant, & alioquin ad id idoneæ designentur, quibus, præter locorum ordinarios, posthac causæ Ecclesiasticæ ad spirituales, & ad forum Ecclesiasticum pertinentes, in partibus à Sede Apostolica & ejus Legato delegari possint. Videatur fufius dictum Conc. & Steph. Weyms in *Analyfi d. c. Statutum, innovati per Conc. Trid.*

Poriò actor Judicem habere recusans in civitate vel diocesi rei conventi, potest alium non in sua, sed alia civitate vel diocesi liberè impetrare, dummodo & actor & reus diversarum sint provinciarum, & non ultra unam diætam unius sive diei iter vocetur reus, d. c. Statutum §. cum autem. Quamvis alioquin quis ad duas diætas sive duorum dierum iter extra suam diæcesin per litteras Apostolicas trahi poterint. c. Nonnulli 28. sup. De re scriptis

••• ( : † ) •••

## §. IV.

## De officio Judicis delegati.

1. Officium & potestas differunt.
2. Judicis delegati officium est primo, ne procedat ante præsentationem re scripti delegatorii.
3. Secundo, ut diligenter servet formam mandati.
4. Ad connexa tamen sit extensio.
5. Dummodo sic non contraveniatur intentioni mandantis.
6. Tercio, ut admittat exceptiones: & quæ illa sint.
7. Quarto, ut intra annu exequatur sententiam.
8. Differentia inter delegatum ab ordinario & S. Pontifice.

1. Videamus nunc de officio & potestate Judicis delegati. Differunt hæc duo Officium & Potestas, quia potestas latius patet. Licet enim quidquid officii est judicis, etiam potestati ejus subiciatur: non tamen è diverso, quidquid Judicis potestati permittitur, id etiam subiciatur Juris necessitati, l. Non quidquid 40 D. De judiciis: nam sæpe unum facere potest, & nihilominus alterum facere tenetur. Quia tamen pleraque, quæ facere Judex potest, & quæ ab eo fieri in causâ admodum expedit, etiam facere tenetur, ideo hic Tit. in Decretis, inscribitur, De officio & potestate Judicis delegati.

2. Consistit autem officium & potestas Judicis, Primo in eo ne procedat ante præsentationem re scripti delegatorii, licet sciat se constitutum esse Judicem delegatum, & ut procedat post datam re scripti, quia ante præsentationem re scripti delegatorii non habet exercitium jurisdictionis, c. Super eo 12 inf. De appellat. Gubi Philip in ult. Norab. Felinus c. Sciscitatur 13. col. 8. sup. de re scriptis Rota Decis. 19. de præbend. in novis, latè Flamin. De resig. benef. l. 7 q. 51 n. 16. Navar. De renunt. conf. 6. n. 1. adeo ut, quamvis superveniat postea re scriptum, nō valideret processus ante factus: quia censetur factus à privato: dummodo tamen opponat & excipiat pars de re scripto nō præsentato: alias valeret processus, Marant p. 4. Spec. auri Dist. 4. n. 8.

3. Secundo, ut diligenter servet formam & tenorem suæ delegationis seu mandati: quia nō datum delegatorium cum sit stricti juris atque extraordinariæ jurisdictionis, extendi non debet ultra



ultra personas vel causas in eo expressas, c. p. & G. 40. h. s. & d. c. Super eo. De appellat. Adeoque constare de eo oportet, in lecto tenore suae delegationis: neque alias parere quis tenetur, nisi ostenso & probato mandato, nec sufficit simplex copia, cap. cum in iure 31. & ibi Abbas in Felin. h. s. & in cap. Præerea 2. inf. De dilationibus Bartol. in l. 2. D. Si quis in ius vocatus & c. Marantad. p. 4. Dist. 5. num. 59. eritque nulum, si quid contra tenorem egerit recepti, cap. Cum dilectis, sup. De rescriptis tanquam à non habente jurisdictionem, sed à privato gestum cap. Cum olim. 32. h. s. & in hoc distinguitur delegatus ab Ordinario: hic enim mandato non tenetur inserere suam jurisdictionem, quia semper pro ea præsumitur Abbas in d. c. Cui iure col. penult. Ideoque sufficit, quod mandet nuntio, ut aliquem citet, sive verbo, sive litteris textus in c. Cum dilectis 6. ibi unica voce inf. De dolo & contumacia. Marantad. num. 59.

4. Ad connexa tamen & accessoria rectè sit extensio, quamvis in rescripto nulla eorum fiat mentio, quia connexorum, ut dicitur, idem est iudicium, c. Translato sup. de Constit. & data alicui jurisdictione, ea quoque concessa intelligitur, sine quibus explicari jurisdictio nequit, lib. 2. D. De jurisd. omnium iudic. Ideoque; si cui causa specialiter delegetur, poterit nihilominus delegatus citare partes, punire contumaces, eligere nuntium, eundemque, si falsam relationem fecerit punire; sicut & quemlibet alium impedire, quod minus causa exitum aut progressum habeat, c. i. & c. Præerea 5. h. s. & alia pieraque perficere, quæ ad expeditionem causæ pertinent, quandoquidem hæc omnia delegatione contineantur d. c. Præerea. c. Prudentiam 21. h. s. Quamquam non minus rectè omnes actus iudiciales expresse demandari possint, sive conjunctim sive sigillatim, c. Super questionem 17. c. Pastoralis 28. h. s. sicut & ipsa rei iudicata, executio d. c. Pastoralis §. qui vero.

5. Cæterum formam mandati Iudex delegatus ita servare debet, ut intentionem potius mandantis, quatenus fieri potest, sequatur, quam verborum superficiem, c. Super eo 15. h. s. quia actus non debet extendi ad incognita seu non cogitata, Vnde si tribus v. g. simpliciter delegatio causæ alicujus facta sit, unus delegatorum,

vel etiam plures, uno absente aut mortuo, nihil agere possunt d. c. Prudentiam, l. Vno ex tribus D. De re iudicat. quia jurisdictionem non habent nisi omnes simul, c. Cum causa 22. & c. Vno delegatorum 42. h. s. Secus si adjecta sit hæc clausula, Quod si non omnes interesse possint, alii nihilominus in causa procedant; nam tunc procedere poterunt, ubi de impedimento tertiis, sive illud sit juris sive facti, vel quod requisitus, cum possit, interesse nolit, legitimè constituit, d. c. Prudentiam, & ibi late Abbas & Felin. Alias si procedant, antequam collega notificaverit eis suum impedimentum, processus erit nullus. Sin formula delegationis concepta fuerit hoc modo, Ut omnes aut duo, vel unus procedat, cum singulis intelligitur concessa facultas procedendi in solidum, c. Super 23. h. s. ita ut præventioni sit locus, & alii coepta ab eo, qui prævenit, causæ se ulterius immiscere nequeant, nisi forte is infirmitate vel aliâ iustâ causâ impediatur, quo minus causam finiat, aut malitiosè prosequi detestetur, c. Cum plures eod. in 6.

Quod si delegationi forma cerra præscripta non fuerit; servanda erit forma præscripta à jure communi, cui in dubio non intelligitur Pontifex velle derogare, c. Ex parte 13. h. s.

6. Tertio, consistit officium Iudicis delegati in admittendis exceptionibus rationabilibus, procedendoque juxta juris præscriptum & æquitatem, nisi in litteris delegationis (quod tamen quoad exceptiones vel raro vel nunquam fit) aliter caveatur, d. c. Ex parte c. Causam qua 18. sup. De rescriptis. Variè autem potest adversus delegatum excipi: veluti quod non sit delegatus, neque enim creditur talis, nisi suam delegationem probet, d. c. Cum in iure vel quod sit delegatus ab eo, qui delegare non potuit: vel quod ipse delegari non potuerit: vel denique, quod expiraverit ejus jurisdictio; & sic de similibus. Quod si verò delegationis diversa rescripta simul præsententur, ut sciatur, quid agendum, videantur quæ supra diximus, Tit. de Rescriptis §. 5. de præferentia unius præ altero.

Denique consistit officium delegati in exequenda intra annum sententia, à se lata, si sit delegatus Principis vel summi Pontificis, c. Quaranti 26. h. s. aut ab alio Iudice, cum universitate causarum, Eamque executionem potest,



potest delegatus summi Pontificis etiam ordinatio Judici demandare. *c. Significasti 7. c. Sane 12. h. 1.* Imò & cogere ad exequendum, licet is sciatur sententiam esse injustam; nisi efficere apud delegatum valeat, ut liberetur ab hoc onere quia non cognitio, sed executio tantum mandatur. *c. Pastoralis 28. §. quia vero h. 1. & notat in d. c. Sane. c. Significasti.*

8. Dixi, Aut ab alio. Judice cum universitate causarum; quia delegatus ab Ordinario aliquo, inferiori summo Pontifice, v. g. Episcopo vel Archiepiscopo, absque universitate causarum, sententiam suam exequi nequit; quandoquidem officium ejus sententia lata expirat, & executio in delegantem rejiciatur. *l. a. d. v. d. Pio 15. D. De iudic. c. 4. & ibi DD. inf. De foro compet. Et hoc de jure civili, quo ea, quæ sunt mixti imperii, delegari nequeunt. l. i. ubi de caveri 4. D. De iurisdic. om. iudic. l. 1. D. De officio ejus. & c. Secus de jure Canonico, si potestatem exequendi habeat, prout hoc jure habere potest, quo ea, quæ sunt mixti imperii, qualis est executio, delegari possunt, secundum Glossam in *c. Quod sedem 10. De officio iud. ordin. Maranta p. 4. Distinct. 5. principalem. 4. §. in fine, Abbas in c. Si quis 4. De foro compet. col. ult.* Et hoc casu, quo, inquam, habet executionem suæ sententiæ, potest, sicut & Ordinarius, ex causâ ampliare vel minuire tempus, quod datur iudicari seu condemnari. *secundum Abb. in c. Quod ad consultationem 15. De re iudicata*; alias id non potest, quia hoc esset imponere legem superiori seu deleganti, ad quem spectat executio. *c. Ex insinuatione 50. inf. De appellat. Maranta d. loco n. 46. & seq.**

Differt insuper delegatus summi Pontificis vel Principis à delegato ab alio Ordinario. Judice, quod, ut ante diximus, ille subdelegare possit, hic verò non aliter, quàm si universa iurisdictio ei mandata sit, *l. 1. & 2. §. is quoque D. De iudicis.*

§. V.

### Quibus modis finiatur Jurisdictio iudicis delegati.

1. 2. Finitur morte delegantis & delegati
3. Revocatione.
4. Lapsu diei.
5. Finito negotio.

1. Finitur autem iurisdictio iudicis delegati multis modis. Primò morte delegantis, re inte-

gra, *c. Relatum 19. c. Gratum 20. c. Licet undique 30. h. 1. l. Et quas D. De iurisd. om. iud.* Re autem non integra nequaquam expirat, ut si coram delegato contestata sit lis, vivo adhuc delegante, *d. c. Relatum*; imò si delegatus coeperit uti iurisdictione, partem citando dumtaxat, quia etiam per solum mandatum de citando desinit res esse integra, & perpetuatur iurisdictio delegati. *d. c. Gratum. & ibi Glossa in V. quasi ceptum*; utique respectu iudicis delegantis, ut per mortem huius ea non revocetur, non etiam quo ad partem ut hæc cogatur coram iudice delegato litigare, nisi decreta & executio citatione, *arg. l. si quis postea D. De iudic. Rota in antiq. De dolo & cont. Decis 9. n. 2.*

2. Secundo, morte delegati, quando scilicet delegatio facta est personæ, expressio proprio nomine delegati. Glossa in *c. Quoniam Abbas 14. h. 1. & ibi DD. Panorm. n. 3. & 4.* Alioquin si facta sit dignitati, vel sub nomine dignitatis perpetuatur, v. g. Rectori talis Universitatis, Decano vel Præposito talis Ecclesiæ, morte delegati non extinguitur, sed transit ad successorem, *d. c. Quoniam Felin. in c. Eam De rescriptis n. 17.* sed & morte unius expirat officium siue potestas plurium delegatorum nisi aliud in delegatione fuerit expressum, *c. Unico penult. h. 1.*

3. Tertio, revocatione, re integra scilicet, quia regulariter mandatum omne revocari re integra potest, *c. Venerabili 37. h. 1.*

4. Quarto, lapsu termini seu diei, ad causam decidendam præstitutæ: nisi ante dies consensu partium fuerit prorogata, id est in longius tempus producta, *c. De causis 4. & c. Consuluit 24. h. 1.* Nam licet consensus privatorum nequeat facere iudicem, *l. Privatorum 3. l. De iurisd. om. iud.* potest tamen veri iudicis iurisdictionem priusquam ea expiraverit, prorogare, *l. 2. §. sed si iudex D. De iudicis.*

5. Quinto finito negotio, seu postquam delegatus functus est officio suo. Hostien. *h. 1. l. 1.* sententia scilicet iudicis delegati mandata executioni, quando eam executioni mandare potest, juxta prædicta *c. in litteris 9. h. 1.* aut sententia lata, quando eam executioni mandare acquirit.



## §. VI.

## De Delegatis à iure ipso.

**D**elegati vel sunt ab homine, de quibus dictum est, vel sunt delegati iuris, id est, qui à iure delegatum jurisdictionem habent, Sic enim Episcopi quibusdam in casibus, alias Sedi Apostolicæ reservatis, præsertim circa Ecclesias & Monasteria exempta, eorumque personas, auctoritate iuris sine alio mandato procedunt, tamquam delegati Sedis Apostolicæ, ut videre licet in *cap. Irrfragabili* 13. §. *ceterum inf. De off. iud. Ordin. in cap. Ad abolendam in fine inf. De hereticis, cap. unico De Clerico agrotante in 6. ac variis Conc. Trid. locis ut Sess. 5. cap. 1. & 2. Sess. 6. c. 2. & 3. De reformat. Sess. 13. cap. 5. De reformat. Sess. 14. cap. 4. De reformat. Sess. 21. cap. 3. 5. 6. & 8. De reformat. Sess. 24. cap. 9. 10. 11. & 14. Sess. 25. in decreto De observandis & evitandis in celebratione Missæ, & cap. 3. 6. 8. 10. De reformat. Sess. 25. cap. 5. 8. & 9. De regularibus, & cap. 9. & 14. De reformat. Videatur Azorius 2 p. Moral. institut. lib. 3. cap. 54.*

## TITULUS XXX.

## De officio Legati.

## §. I.

## Legati qui, &amp; quotuplices.

1. Quis dicatur Legatus.
2. Alii sunt Legati à Latere.
3. Alii Missi.
4. Alii Nati.

**Q**uemadmodum Iudex delegatus vice ac munere fungitur delegantis, ita legatus gerit vices summi Pontificis in provincia vel regno sibi commissio: nam cum summus Pont. non possit adesse omnibus, qui in provinciis eū præsentem requirunt, Legatos suo nomine mittit, c. 1. & 4. b. 1.

2. Legatorum autem tria sunt genera, ut colligitur ex c. penult. b. 1. & c. 1. eod. in 6. & utrobique Glossa. Alii dicuntur Legati Laterales seu à Latere: alii Nuntii Apostolici seu Legati missi vel constituti; alii denique Legati Nati.

Legati à Latere, ex usu Romanæ Curiae di-

cuantur soli Cardinales, ab ipso summo Pontifice ex Urbe & Curia Romana missi, ad certam provinciam administrandam, vel ad negotia cum Regibus, Principibus, aut aliqua Repub. tractanda. Ideo verò dicuntur Legati à Latere, quia quasi à latere Pontificis, cui adfuerunt in consiliis & arduis, & veluti ex eius Senatu mitti solent c. *Venerabiles* 8. cum c. *seq. hoc tit.* Nam Cardinales, pars corporis Papæ censentur & in locum Senatorum successerunt, eam. *Ecclesia* xvi. qu. 1.

3. Legati Missi dicuntur, qui non mittuntur de latere Pontificis, nec è numero sunt Cardinalium, sed à summo Pontifice speciatim constituuntur, de consilio tamen Cardinalium; quamvis etiam abique eo possit Pontifex Legationis officium alicui committere, c. *Novit* 7. & ibi Abbas b. 1. Et quamquam constitui possint Clerici quicumque; solet tamen Pont. Prælatos tantum huic muneri deputare.

4. Legati Nati dicuntur, qui dignitati suæ Ecclesiasticæ officium & munus Legati Apostolici annexum habent. Ideo Nati dicuntur, quia simulatque ad talem dignitatem eliguntur, eiq; præficiuntur, una etiam veluti nascuntur Legati. Talis in Anglia est Archiepiscopus Cantuariensis, de quo *cap. ibi* tit. item Archiepiscopus Eboracensis, cap. 1. inf. *De appellationibus*; in Francia Archiepiscopus Remensis, cujus est Regem Franciæ ungere, de quo in *cap. Per venerabilem* §. *verum inf. Qui filii sunt legitimi*: Aquitania superiori Archiepiscopus Bituricensis, de quo in *cap. ult. inf. De majorat. & obed.* & alii quos recenset Azorius 2 p. Moral. institut. lib. 5. cap. 27.

## §. II.

## In quo conveniant hi Legati.

1. Conveniunt, quod egressi Urbem accipiant, singule legationis insignia.
2. Quod ornatuariam jurisdictionem habeant.
3. Quod valeant statuta condere, perpetuo duratura.
4. Quod ex tenore litterarum pendeat potestas legationis.
5. 6. Legati benigne recipiendi ac tractandi; & pauperum non admittendum.

**Q**uod verò horum Legatorum sit officium

ex



ex duobus capitibus, in quibus scilicet conveniant & in quibus differant Legati, colligere licebit.

Conveniunt itaque in primis, quod omnes, cujuscunque generis sint, simpliciter appellatione Legati veniant intelligendi, Glossa in c. Statutum De rescriptis in 6. c. Privilegium, De verb. signif. eod. quia omnibus vox Legati communis est.

1. Secundò, quod mox atque egressi sunt urbem accipiant Legationis insignia (quæ sunt equus albus, vestes rubræ, stratum & calcarea aurata, Hostiens. in c. Antiqua inf. De privilegiis) eisque uti valeant, dum ab urbe intrantur, sicut olim Proconsules, quibus æquiparantur, c. 2. eod. in 6. urbem egressi insignibus Proconsularibus uti poterant, & exercere jurisdictionem non contentiosam, sed voluntariam, l. 2. D. De officio Proconsulis) & rursus eadem ingressi urbem deponant.

2. Tertiò, quod idem possint in provinciis sibi demandatis, quod in sua diocesi Episcopus habeatque ordinariam jurisdictionem, quam exercent jure suo, ut patet ex c. 1. eod. in 6. ubi vocantur Ordinarii, & reputantur ad instar Proconsulum ac Præsidentum, quibus olim certæ provinciæ moderandæ decernebantur, erantque ordinarii. Eorum autem officium est vice summi Pontificis noxia evellere & dissipare; salutaria inducere & promoveri, d. e. 1. causas Provinciarum quæ per appellationem aut simplicem querimoniam ad eos deferuntur, tanquam ad iudices ordinarios, audire & cognoscere, c. 1. h. t.

3. Quarto, quod in provinciis sibi commissis circa ea, quæ ad jurisdictionem eorum pertinent, veluti ad mores componendos & vitia corrigenda, valeant statuta condere, perpetuo duratura, ac vim habentia etiam post depositum Legationis officium, c. ult. h. t. Quinimo si expediens videatur, licet eis leges prædecessorum suorum revocare: insuperque causas ad se pertinentes aliis delegare; ita tamen, ut hujusmodi delegati jurisdictio unà cum Legati officio extinguatur, nisi præmissa citatione sit perpetua, d. c. ult. & ibi Abbas cum Glossa, Quod si quis Legatus fuerit in diversis provinciis, potest negotia utriusque expedire in una s. Novit. 7. h. t. siue voluntariæ sint jurisditionis (cujusmodi olim extra provinciam tractare

poterat Proconsul d. l. 2. D. de officio Procons. siue contentiosæ, juxta c. ult. inf. De judiciis &c. Olim inf. de injuriis. Villadiegus De Legato q. 5. Nam licet alias quis invitus extra provinciam ad iudicium trahi nequeat, can. Neminem 11. q. 6. tamen eo ipso, quo summus Pontifex, qui iuri communi derogare potest, Legatum ad plures provincias mittit, censetur etiam concedere, ut negotia unius in altera explicare possit.

4. Quinto, in eo conveniunt quod potestas Legatorum potissimum ex tenore litterarum suæ commissionis pendeat: ita tamen, ut Legato constituto non credatur, nisi eas ostenderit, can. fin. dist. 97. Legato vero à latere, etiam non ostensis litteris, credatur: nisi forte asserat, se à summo Pontifice potestatem habere maiorem solita & maiorem ea, quæ ex iure communi competit Legato, vel eam, quæ alteri præiudicet, Azorius 2 p. Instit. Moral. lib. 5 cap. 27. ubi statatur de communi.

5. Posteaquam vero constitutis de Legatione & adventu Legati, is benigne recipiendus, tractandus, & honorandus erit, sicut ipse Pontifex, cuius vicem gerit, c. Cum venerabilis sup. de consuet. eique necessaria in sua Legatione subministranda sunt, prout in consecratione se facturos iurant Episcopi, c. Ego inf. De iur. iurando: nec ulla eis circa hoc potest suffragari præscriptio, c. Accedentes inf. de præscriptionibus.

6. Quod si quis Legatos Apostolicos non admisit, vel fuerit impedimento in officio Legationis, ipso facto excommunicationem incurrit, & loca ei subiecta incurrunt interdictum; cui tam diu subiacent, quamdiu in ea contumacia perseverat, c. 1. De consuet. in Extravag. communibus.

### §. III.

In quibus prædicti Legati differant.

1. Primò differunt potestate, præsentia Legato à latere.
2. 3. Secundò, quoad beneficiorum collationem & reservationem.
4. 5. Exceptio.
6. Quæstio.
7. Limitatio circa prædicta.
8. Potest Legatus à latere in sua provincia, quod Episc. in sua diocesi.

Vidimus, in quibus conveniant Legati: M 2 viden-



videndum nunc, in quibus differant.

1. In primis Legatus à latere ex sua dignitate quædã supra alios competunt, ac majus imperiũ habet in provincia sibi commissa, quam alii, *e. Si Abbatem* 10 §. *huiusmodi de elect. in 6.* Ideoque, præsentem eo, Legatus missus aut natus executionem suæ Legationis non habet, nec insignibus Legationis utitur, *e. Volentes* 8. *h. t.* sicut nec Legatus natus jurisdictionem exercere valet, præsentem Legato constituto, qui majoris est potestatis.

Insuper differunt quoad beneficiorum collationem, cognitionem causarum exemptarum, confirmationem electorum, Episcoporum & Prælatorum exemptorum, *d. e. Si Abbatem*, absolutionem excommunicatorum ob Clerici percellionem, in quibusdam casibus *e. penult. h. t.* & ibi Glossa.

2. Et quidem quoad beneficiorum collationem differunt, quia Legatus à latere potest conferre beneficia propriè dicta, in provincia sibi delegata, tempore Legationis suæ vacantia, *e. 1. & 2. eod. in 6. e. Si à sede de præbendis in 6.* etiam ad Papam devoluti, secundum Ioan. Andr. Gloss. Innoc. Spec. & alios quos citat. & sequitur, Azor. 2. p. Moral. Instit. l. 5. c. 23. q. 14. etiam Canonici in Cathedralibus Ecclesiis; & cætera beneficia, quæ dignitates minores vocantur, nec per electionem conferuntur, & quidem absque consensu, imò & inconsulto patrono, ad quem spectat præsentatio, modò is sit Ecclesiasticus, *e. Dilectus* 6. *h. t.* & *e. Cum dilectus inf. de iure patronatus*; tamen si collatio eorum spectet ad Clericos, extra suam provinciam existentes, quia in collationibus locus beneficii attenditur, Clem. 1. *de supplenda negligentia Prælat.* Si tamen habenti unum beneficium conferat aliud, illius mentionem facere debet, alias nullius momenti erit collatio, *e. fin. eod. in 6.* quamquam diversum sit in aliis collatoribus inferioribus, Clem. 2. *de officio Ordinarii.* Unde neque Legatus natus seu constitutus potest conferre beneficia suæ legationis, nisi hoc ei specialiter fuerit indultum à summo Pont. *d. cap. 1. eod. in 6.*

3. Præterea Legatus à latere potest reservare collationi suæ beneficia non vacantia, etiam in favorem & gratiam centralicijus Clerici: licet tribuere non possit jus ad beneficium vacatum juxta Glossa in *c. 1. h. t.*

4. Atque ideo potest quidem non obstante

talire reservatione, voluntatem mutare, & alteri conferre: non verò potest promittere vel conferre beneficium vacaturum, *cap. 2. in fine de consensu præbenda.*

5. Similiter non potest conferre aut sibi reservare beneficium juris patronatus laici, patrono invito, quando jus patronatus competitione donationis, fundationis, extrinsecis, *d. 4. Cum dilectus inf. de iure patronatus.* Idque propterea ne laici ab extrinsecis, donandis ac fundandis Ecclesiis averrantur. Aliud proinde juris erit, si comperat jus illud ex præscriptione, consuetudine vel privilegio: tunc enim cessat ratio. Ant. Butrius & alii in *d. e. Cum dilectus Gambatus de officio Legati lib. 3. n. 242. & seq.*

6. An verò beneficia, quæ sunt juris patronatus Clericorum & laicorum simul, iis invitis conferre vel reservare valeat, dubitatur. Quidam affirmant: ea ratione, quod talia beneficia censentur Ecclesiastica eo quod dignius trahat ad se minus dignum, *e. Quod in dubio inf. de consecrat. Ecclesia*; quodque ex societate Clerici cum laico tota causa judicetur. Ecclesiastica; Bartol. in l. 1. D. De appell. Frider. & alii, quos citat, Azor. 2. p. Moral. Instit. lib. 3. q. 2. dubio 1. ubi refertur ita ab in fuisse judicatum. Alii verò negant, arg. eorum, quæ notantur in *c. 2. de iure patronatus in 6. & in l. Communem D. Quomodo servitium amittitur.*

Abstineret etiam debet à Prælaturis Cathedralium, Regularium, & Collegiarum Ecclesiarum: similiter à dignitatibus Cathedralium majoribus, quæ per electionem conferuntur, *e. De liberatione h. t. in 6.*

7. Cæterum una reservatione in Ecclesia aliqua, vel de beneficio, ad alieius collationem, spectante, facta, & adhuc pendente, non potest interim aliam facere in eadem Ecclesia, vel de beneficio, ad collationem ejusdem spectante, *e. Præsenti & d. e. Deliberatione in 6.* At finita seu sortita effectum prima reservatione, potest aliam facere facta mentione primæ; alias enim non subsisteret. Ubi verò effectum sortita non fuerit reservatio à Legato facta, expirat ea: expirante Legatione. Aliis autem Legatis hæc non sunt permissa, absque speciali Pontificis mandato, *e. eod. in 6.*

8. Denique, ut alia omittam, Legatus à latere potest in provincia sibi commissa, quidquid Ordini



Ordinarius in sua diocesi, & concurret cum eo in collatione beneficiorum, c. 1. 2. eod. in 6. c. Si à Sede de prabend. in 6. omniaque exsequitur: ijs exceptis, quæ specialiter sunt reservata summo Pontifici, quia hæc non comprehenduntur in generali illius mandato. Ideoque nec Episcopos de Ecclesia in Ecclesiam transferre, nec unam Ecclesiam Cathedralem alicui subijcere, nec Episcopatus unire vel dividere potest, absque speciali mandato, c. 3. & 4. h. t. Non etiam potest causam, specialiter à S. Pontifice alteri demandatam, ad suam cognitionem trahere, vel sententiam, ab eo secundum formam mandati latam, irritare, c. 2. h. t. cum speciale mandatum deroget generali: neque de ea cognoscere, quam remisit ad summum Pont. c. 5. h. t. quia ex quo causam retulit ad Pontificem, desit esse iudex illius.

Illud quoque notandum ex Conc. Trid. interdicti Legatis quibuscunque, ne Episcopos in causis; ad eorum forum spectantibus, impedire aut turbare præsumant, neve contra Clericos vel alias personas Ecclesiasticas, nisi requisito prius Episcopo, eoque negligente procedant, Sess. 24. c. 20. de reformat. Idemque Conc. Sess. 22. c. 7. Legatis certam formam in appellationibus, ad eos interpositis, admitendis, & in concedendis inhibitionibus præscripsit, idque potissimum ex c. Romana 3. De appellat. in 6.

## §. IV.

## Quibus modis finiat officium Legati.

1. Finitur morte.
2. Revocatione.
3. Tempore.
4. Causâ.

**R**eliquum est, ut videamus, quibus modis finiat Legatorum potestas.

1. Finitur in primis morte Legati; quando ejus personæ nominatim, sive expresso nomine proprio Legati, munus Legationis est commissum, tunc enim commissio censetur personalis, & morte Legati extinguitur, nisi aliud ex subjecta materia vel verbis commissionis colligatur, aut inutilis reddatur commissio. Quod si commissio fiat sub nomine dignitatis vel officii perpetui censetur realis, & morte Legati non extinguitur, sed

transit ad successorem in ea dignitate, vel officio, quo non meretur, c. Quoniam Abbas 14. sup. De officio delegati. Quid si fiat, expressis simul nominibus & personæ & dignitatis? Censent quidam tunc attendendum esse, quod prius est expressum: contra alii, eo casu commissionem semper esse personalem, ac proinde semper extingui morte Legati. Videatur Sanchez lib. 8. de matrim. quest. 2. numero 20.

Dixi, Legationem finiri morte ipsius Legati, non etiam morte ejus, qui constituit; quia cum habeat jurisdictionem ordinariam, quoad ea, quæ sibi jure suæ Legationis competunt, consequens est, morte Papæ non extingui ejus officium, c. Legatos 2. eod. in 6. nisi missus sit ad Papæ beneplacitum, quod ejus morte extinguitur, cap. Si gratia de Rescriptis in 6. Multo minus extinguitur morte Papæ, si non ab eo, sed à Sede Apostolica, quæ numquam moritur, missus fuerit, d. c. Legatos vel si Legatio ei competat ratione dignitatis, c. 1. h. t.

2. Secundo, finitur revocatione, si ab eo fiat, à quo missus est, c. Novus. Cui fin. h. t. Si tamen ante egressum è provincia, causas aliquas delegaverit, aut delegatus iudicium inchoaverit, poterit hic procedere; & ab eo appellabitur ad Papam vel successorem ipsius Legati. Causam vero, à se vel Auditore curiæ suæ inchoatam, non finiet ipse post egressum suum, sed successor ejus, vel Papa, si alium non constituerit. Sede autem vacante Collegium Cardinalium non potest Legatum revocare, nisi ex gravi causâ.

An & eo ipso revocatus censetur, quo summus Pontifex alium Legatum ad ejus provinciam mittit, quæ situm fuit. Affirmant quidam: alii negant, & quidem communius ac verius; tum quia non repugnat juri, in eadem provincia duos esse Judices ordinarios, tum quia primus tutor non censetur eo ipso revocatus, quo datus est secundus, l. 2. C. de testament. tutela. Valent autem gesta à Legato revocato, antequam revocatio ad notitiam ejus pervenerit, c. 1. De concess. prabend. in 6. Nec revocatus deponit officium legationis, nisi velit, priusquam substitutus provinciam ingrediatur, l. Memisse D. de officio Procons.

Tertio, lapsu temporis, quod Legationi præfinitum est, c. De causis 4. sup. De officio delegat.

M 2

Quarto



4. Quartò, expletà causa, ad quam specialiter fuerit constitutus Legatus. Verum tamen è provincia sibi decreta discedere, sine venia Pont. non potest, nisi hoc ipsum in commissione ejus contineatur: sicut nec è contra revocatus à Papa, & è Provincia egressus, ad illam redire potest sine novo mandato.

## TITULUS XXXI.

### De officio judicis ordinarii.

#### §. I.

Quis dicatur Judex ordinarius, & à quo jurisdictio ea detur.

1. Definitio seu descriptio judicis ordinarii.
2. Jurisdictio ordinaria à quo detur.

Cum Tit. præcedenti egerimus de uno genere Ordinariorum Judicum, nimirum de Legato & antea etiam de Vicario Episcopi: proximum est, ut de officio Ordinariorum in genere tractemus.

1. Ubi observandum est, Judicem ordinarium dici ab ordine, eò quod talis Judex constitutus sit juxta ordinem communiter receptum & observatum in distinguendis, distribuendis, & pro unoquoque loco assignandis jurisditionibus, ut satis colligere est ex *can. xii. q. 1. Conc. Trid. sess. 14. c. 9. De reformat. & alibi*. Qui quidem ordo hoc habet, quod Princeps alicujus Reipub. (qualis in Ecclesia Catholica est summus Pont.) omnem potestatem & jurisditionem penes se unum non retineat, sed aliis inferioribus magistratibus & judicibus variè communit, ut ipsius magistratus competentem & officio coherentem.

Hinc igitur Judex Ordinarius dicitur, qui propriam jurisditionem habet, id est quam jure suo seu jure Ecclesiasticæ suæ Prælatuæ, vel magistratus, quo fungitur, non autem alieno nomine exercet, *More majorum D. de jurisdict. om. iud. l. 1. D. de off. ejus & c.* Eoq. pactò differt à delegato & vicario foraneo, qui jurisditionem alieno, non suo nomine, exercent.

2. Jurisdictionem ordinariam tribuit in pri-

mis canon seu lex, *c. Duo simul 9. h. t. & l. 1. D. de officio ejus qui mand. est jurisd.* Secundo summus Pont. & Princeps sæcularis, *can. à iudicibus 2. q. 6. can. Omnes Basilica xvi. q. 7.* & populus, habens supremam potestatem. Terriò, consuetudo legitime præscripta, *d. c. 9. h. t. & ult. eod. in 6. & c. Cum contingat inf. de foro compet.* Quomodo universitates, etiam Studiorum, & Collegia licita, quæ leges & statuta concedere possunt, et approbata consuetudine, Judicem sibi deligunt Ordinarium. Octav. Velutius in praxi sua lib. 3. c. 3. n. 2. Quartò privilegium, *c. Novis. vers. non enim inf. de iudiciis.*

Ipsi verò Judices Ordinarii vel magistratus, summo Pont. aut Principe inferiores, jurisditionem quidem suam alijs mandare ac delegare possunt, ut ante diximus: non tamen tribuere ulli jurisditionem ordinariam, *d. can. à iudicibus*; nisi fortè tamquam legis ministri: qui pacto jurisditionem ordinariam dare dici potest Episcopus, creando Officiale generalem, seu Vicarium perpetuum instituendo, vel confirmando, vel conferendo beneficium, cui annexa sit jurisdictio de jure vel consuetudine.

#### §. II.

Qui jurisdictionem ordinariam habeant.

1. Jurisdictionem Ordinarium habet inprimis summus Pontifex.
2. Item Patriarcha, Archiep. Episcopi & c.
3. 4. 5. 6. Jurisdictione Episcopi quatenus se extendit.
7. Item Ecclesiarum Collegiarum Præsides.
8. 9. Abbates & Priores in monachos, Abbatissas moniales.
10. Quinam prohibeantur esse judices ordinarii.

1. Jurisdictionem Ecclesiasticam ordinariam habent omnes Ecclesiarum Prælati, vel ex lege & Constitutione aliqua, vel ex consuetudine aut privilegio, *c. Duo simul 9. hoc tit. & ult. eod. in 6. c. Cum contingat 13. inf. De foro compet. Glof. in c. 2. inf. de iudiciis*. Atque inprimis summus Pontifex, qui omnium Christi fidelium judex est ordinarius, *can. Aliorum, & plurimorum alius, ix. quest. 3.* Ita ut pro diocesi propria universum habeat orbem Christianum, *Felin. in Gratia numer. 2. vers. & de hoc alias inf. eodem per can. Cuncta per munus d. q. 3. Gonz. ad Reg. viii.*



viii. *Cancell. in præmio §. 1. n. 8.*

2. Secundò Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, in sua quisque provincia vel diocesi, *c. 1. h. t. e. Non minus inf. D. immunit. Eccl. a-* deoque Ordinatorum nomine simpliciter pro-  
lato soli ferè Episcopi denotari solent.

3. Item Episcopus in sua diocesi Iudex est ordinatus omnium causarum, ad forum Ecclesiasticum de jure spectantium, *c. Conquerente 16. h. t.* In spiritualibus quidem jurisdictione habet tam in laicos, quam in Clericos, *c. Novit. versu. cum enim inf. De judic.* atque etiam in causis criminalibus Ecclesiasticis, cum ipsi fuerint causæ hæresis, Simonie, adulterii, quando agitur ad totam separationem, *c. 1. h. t. e. Tunc §. inf. De procurat.* Potestq; ubi opus fuerit, in vindicandis criminibus, ad forum suum spectantibus, implorare brachium sæculare, id est auxilium iudicis laici, si ve auxilium publicum, ut dicitur in *d. c. 1. h. t.* ut, si quæ crimina non possit ipse sufficenter punire censuris Ecclesiasticis, vel aliis pœnis, ea per Iudicem laicum sæviori pœna ad corporalem animadversionem, vel etiam gladio castigentur. Nam vetitum est Clericis, ad sacros Ordines promotis, de pœna sanguinis aut membrorum mutilatione iudicare, vel consilium iudicantibus dare, vel sententiæ eorū subscribere, aut eiusmodi pœnam infligere, ut patet ex *c. Potestati 1. inf. De homicidio, c. Sententiam sanguinis inf. Ne Clerici vel Monachi &c. & similibus.*

4. In Clericos verò suæ diocesis jurisdictionem habet ordinariam in omnibus causis, si ve criminalibus si ve civilibus: licet quidam Clerici alios etiam inferiores iudices habeant, veluti Decanos, Præpositos, aut Capitula, quibus immediate subsunt: necesse per hoc eximuntur à jurisdictione Episcopi, ne quidem in prima instantia *arg. l. ult. Cod. De iurisd. om. iudic.* ubi qui de collegio sunt alicuius professionis vel negotiationis, nihilominus subiecti manent Prædicti vel alii superiori Iudici.

5. Et hinc patet notabile discrimen inter Archiepiscopos & Episcopos, quia Archiepiscopi non habent jurisdictionem ordinariam in subditos Episcoporum, uti nec Patriarchæ in subditos Archiepiscoporum; nisi certis casibus, ut cum per appellationem causa ad eos devoluta est, vel nisi ex consuetudine aut privilegio jurisdictionem in illos acceperint, ut ante di-

cum fuit. Ratio hujus est, quod Archiepiscopus non sit Iudex totius provincie suæ, nisi quoad jurisdictionem Archiepiscopalem, *can. per singulas x. q. 3.* jurisdictionem verò Episcopalem habeat tantum in sibi subditos. Hinc est, quod Archiepiscopus non possit Suffraganei sui subditum cogere, ut delegationem Archiepiscopi in-  
vitus suscipiat, *c. Pastoralis 11. in prin. h. t.* Quod si inferiores Iudices, subiecti Episcopo, sententiam aliquam, veluti excommunicationis vel interdicti, in sibi subiectos protulerint, eam Episcopus usque ad dignam satisfactionem in-  
violabiliter, servare tenetur *c. Cum ab Ecclesia- rum 3. c. ad reprimendam §. h. t.*

6. Planè cum dicimus, permissum esse Episcopo in sua diocesi de adulteris, aliisque criminibus (ubi scilicet fama est de iis perpetratis iusticiens, quæ moveat ad inquisitionem de veritate) inquirere, iudicare, & ulcisci, secundum Canones, *d. c. 1. h. t.* etiam omni appellatione remota, & consuetudine non obstante *c. irrefragabili 13. h. t.* atque etiam, ubi opus fuerit, brachium invocare sæculare, *d. c. 1. c. Quoniam 14. in fine h. t.* hoc ita limitandum est, nisi Canonici excipiant, se Capitulo, non Episcopo, immediate iubesse, ex privilegio aut longa consuetudine: quo casu Episcopus præscribit Capitulo certum diem, intra quem de Canonicorum excessibus cognoscatur, cosque puniat: quod nisi fecerit, lapsus termino ad Episcopum spectabit cognitio. Alioquin in exemptos suæ diocesis jurisdictionem exercere nequit, licet rescripto summi Pontificis mandatum illi esset, ut omnes suæ diocesis Clericos corrigere possit, *c. Grave 19. h. t.* quia in mandato generali non veniunt ea, quæ verisimile est mandantem non fuisse concessurum, *can. in generali Dereg. iur. in 6.* ideoq; ad hoc opus esset speciali mandato. De aliis ad officium Episcopi spectantibus vide *Canil. lib. 1. c. 16.*

7. Insuper jurisdictionem ordinariam habent Ecclesiarum Collegiarum Prædicti, ut Præpositi, Decani, Plebani, alique Prælati inferiores Episcopo, in sibi subditos, *c. 3. h. t. c. 2. inf. De iudiciis &c. Dilatus 53. inf. De appel.*

8. Veluti Abbates & Priores in sibi subiectos Monachos, *c. Illorum inf. De sent. excom.* Neque enim Episcopus in Monachos, sed Monasteriorum Prælati jurisdictionem exercent, etiam in criminalibus, *c. Ea qua inf. De statu Mona- rum :*



4. Quartò, expletà causà, ad quam specialiter fuerit constitutus Legatus. Verum tamen è provincia sibi decreta discedere, sine venia Pont. non potest, nisi hoc ipsum in commissione ejus contineatur: sicut nec è contra revocatus à Papa, & è Provincia egressus, ad illam redire potest sine novo mandato.

## TITULUS XXXI.

### De officio judicis ordinarii.

#### §. I.

Quis dicatur Judex ordinarius, & à quo jurisdictio ea detur.

1. Definitio seu descriptio Judicis ordinarii.
2. Jurisdictio ordinaria à quo detur.

Cum Tit. præcedenti egerimus de uno genere Ordinariorum Judicum, nimirum de Legato & antea etiam de Vicario Episcopi: proximum est, ut de officio Ordinariorum in genere tractemus.

1. Ubi observandum est, Judicem ordinarium dici ab ordine, eò quod talis Judex constitutus sit juxta ordinem communiter receptum & observatum in distinguendis, distribuendis, & pro unoquoque loco assignandis jurisditionibus, ut satis colligere est ex *can. xii. q. 1. Conc. Trid. sess. 14. c. 9. De reformat. & alibi*. Qui quidem ordo hoc habet, quod Princeps alicujus Reipub. (qualis in Ecclesia Catholica est summus Pont.) omnem potestatem & jurisditionem penes se unum non retineat, sed aliis inferioribus magistratibus & judicibus variè communicet, jure ipsius magistratus competentem & officio coherentem.

Hinc igitur Judex Ordinarius dicitur, qui propriam jurisditionem habet, id est quam jure suo seu jure Ecclesiasticæ suæ Prælatuæ, vel magistratus, quo fungitur, non autem alieno nomine exercet, *More majorum D. de jurisdict. om. iud. l. 1. D. de off. ejus &c.* Eoq. pactò differt à delegato & vicario foraneo, qui jurisditionem alieno, non suo nomine, exercent.

2. Jurisdictionem ordinariam tribuit in pri-

mis canon seu lex, *c. Duo simul 9. h. t. & l. 1. D. de officio ejus qui mand. est jurisd.* Secundo summus Pont. & Princeps sæcularis, *can. à iudicibus 2. q. 6. can. Omnes Basilica xvi. q. 7.* & populus, habens supremam potestatem. Terriò, consuetudo legitime præscripta, *d. c. 9. h. t. & ult. eod. in 6. & c. Cum contingat inf. de foro compet.* Quomodo universitates, etiam Studiorum, & Collegia licita, quæ leges & statuta concedere possunt, et approbata consuetudine, Judicem sibi deligunt Ordinarium. Octav. Velutius in praxi sua lib. 3. c. 3. n. 2. Quartò privilegium, *c. Novit. vers. non enim inf. de iudicis.*

Ipsi verò Judices Ordinarii vel magistratus, summo Pont. aut Principe inferiores, jurisditionem quidem suam alijs mandare ac delegare possunt, ut ante diximus: non tamen tribuere ulli jurisditionem ordinariam, *d. can. à iudicibus*; nisi fortè tamquam legis ministri: qui pacto jurisditionem ordinariam dare dici potest Episcopus, creando Officiale generalem, seu Vicarium perpetuum instituendo, vel confirmando, vel conferendo beneficium, cui annexa sit jurisdictio de jure vel consuetudine.

#### §. II.

Qui jurisdictionem ordinariam habeant.

1. Jurisdictionem Ordinarium habet inprimis summus Pontifex.
2. Item Patriarcha, Archiep. Episcopi &c.
3. 4. 5. 6. Jurisdictione Episcopi quatenus se extendit.
7. Item Ecclesiarum Collegiarum Præsides.
8. 9. Abbates & Priores in monachos, Abbatissas moniales.
10. Quinam prohibeantur esse judices ordinarii.

1. Jurisdictionem Ecclesiasticam ordinariam habent omnes Ecclesiarum Prælati, vel ex lege & Constitutione aliqua, vel ex consuetudine aut privilegio, *c. Duo simul 9. hoc tit. & ult. eod. in 6. c. Cum contingat 13. inf. De foro compet. Glof. in c. 2. inf. de iudicis.* Atque inprimis summus Pontifex, qui omnium Christi fidelium judex est ordinarius, *can. Aliorum, & plurimorum alius, ix. quest. 3.* Ita ut pro diocesi propria universum habeat orbem Christianum, *Felin. in Gratia numer. 2. vers. & de hoc alias inf. eodem per can. Cuncta per munus d. q. 3. Gonz. ad Reg.*



viii. *Cancell. in præmio §. 1. n. 8.*

2. Secundò Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, in sua quisque provincia vel diocesi, *c. 1. h. t. e. Non minus inf. D. immunit. Eccl. a-* deoque Ordinatorum nomine simpliciter pro-  
lato soli ferè Episcopi denotari solent.

3. Item Episcopus in sua diocesi Iudex est ordinatus omnium causarum, ad forum Ecclesiasticum de jure spectantium, *c. Conquerente 16. h. t.* In spiritualibus quidem jurisdictione habet tam in laicos, quam in Clericos, *c. Novit. versu. cum enim inf. De judic.* atque etiam in causis criminalibus Ecclesiasticis, cum ipsi sunt causæ hæresis, Simonie, adulterii, quando agitur ad totam separationem, *c. 1. h. t. e. Tunc §. inf. De procurat.* Potestq; ubi opus fuerit, in vindicandis criminibus, ad forum suum spectantibus, implorare brachium sæculare, id est auxilium iudicis laici, si ve auxilium publicum, ut dicitur in *d. c. 1. h. t.* ut, si quæ crimina non possit ipse sufficenter punire censuris Ecclesiasticis, vel aliis pœnis, ea per Iudicem laicum sæviori pœna ac corporali animadversione, vel etiam gladio castigentur. Nam vetitum est Clericis, ad sacros Ordines promeritis, de pœna sanguinis aut membrorum mutilatione iudicare, vel consilium iudicantibus dare, vel sententiæ eorū subscribere, aut eiusmodi pœnam infligere, ut patet ex *c. Potestati 1. inf. De homicidio, c. Sententiam sanguinis inf. Ne Clerici vel Monachi &c. & similibus.*

4. In Clericos verò suæ diocesis jurisdictionem habet ordinariam in omnibus causis, si ve criminalibus si ve civilibus: licet quidam Clerici alios etiam inferiores iudices habeant, veluti Decanos, Præpositos, aut Capitula, quibus immediate subsunt: necesse per hoc eximuntur à jurisdictione Episcopi, ne quidem in prima instantia *arg. l. ult. Cod. De jurisd. om. judic.* ubi qui de collegio sunt alicuius professionis vel negotiationis, nihilominus subiecti manent Prædicti vel alii superiori Iudici.

5. Et hinc patet notabile discrimen inter Archiepiscopos & Episcopos, quia Archiepiscopi non habent jurisdictionem ordinariam in subditos Episcoporum, uti nec Patriarchæ in subditos Archiepiscoporum; nisi certis casibus, ut cum per appellationem causa ad eos devoluta est, vel nisi ex consuetudine aut privilegio jurisdictionem in illos acceperint, ut ante di-

cum fuit. Ratio hujus est, quod Archiepiscopus non sit Iudex totius provincie suæ, nisi quoad jurisdictionem Archiepiscopalem, *can. per singulas x. q. 3.* jurisdictionem verò Episcopalem habeat tantum in sibi subditos. Hinc est, quod Archiepiscopus non possit Suffraganei sui subditum cogere, ut delegationem Archiepiscopi invitus suscipiat, *c. Pastoralis 11. in prin. h. t.* Quod si inferiores Iudices, subiecti Episcopo, sententiam aliquam, veluti excommunicationis vel interdicti, in sibi subiectos protulerint, eam Episcopus usque ad dignam satisfactionem inviolabiliter, servare tenetur *c. Cum ab Ecclesiis 3. c. ad reprimendam §. h. t.*

6. Planè cum dicimus, permissum esse Episcopo in sua diocesi de adulteris, aliisque criminibus (ubi scilicet fama est de iis perpetratis iusticiens, quæ moveat ad inquisitionem de veritate) inquirere, iudicare, & ulcisci, secundum Canones, *d. c. 1. h. t.* etiam omni appellatione remota, & consuetudine non obstante *c. irrefragabili 13. h. t.* atque etiam, ubi opus fuerit, brachium invocare sæculare, *d. c. 1. c. Quoniam 14. in fine h. t.* hoc ita limitandum est, nisi Canonici excipiant, se Capitulo, non Episcopo, immediate iubelle, ex privilegio aut longa consuetudine: quo casu Episcopus præscribit Capitulo certum diem, intra quem de Canonicorum excessibus cognoscatur, cosque puniat: quod nisi fecerit, lapsus termino ad Episcopum spectabit cognitio. Alioquin in exemptos suæ diocesis jurisdictionem exercere nequit, licet rescripto summi Pontificis mandatum illi esset, ut omnes suæ diocesis Clericos corrigere possit, *c. Grave 19. h. t.* quia in mandato generali non veniunt ea, quæ verisimile est mandantem non fuisse concessurum, *can. in generali Dereg. jur. in 6.* ideoq; ad hoc opus esset speciali mandato. De aliis ad officium Episcopi spectantibus vide Can. lib. 1. c. 16.

7. Insuper jurisdictionem ordinariam habent Ecclesiarum Collegiarum Prædicti, ut Præpositi, Decani, Plebani, alique Prælati inferiores Episcopo, in sibi subditos, *c. 3. h. t. c. 2. inf. De judic. c. h. t. Dilatus 53. inf. De appel.*

8. Veluti Abbates & Priores in sibi subiectos Monachos, *c. Illorum inf. De sent. excom.* Neque enim Episcopus in Monachos, sed Monasteriorum Prælati jurisdictionem exercent, etiam in criminalibus, *c. Ea qua inf. De statu Mona. horum :*



rum: nisi forte extra Monasterium degentes deliquit: quo casu Conc. Trid. Ordinariis Judicibus diocesis jurisdictione in eos delegavit, *Sess. 6. c. 5. Sess. 7. c. 14. Sess. 14. c. 4. De reform.* sicut & quando degentes in monasterio extra Monasterium notorie & cum scandalo delinquunt, *Sess. 25. c. 4. De reformat.*

9. Præterea Abbatis in Moniales & Subjectos sibi Clericos, *cap. Dilecti 1. inf. De majorit. & obed.* quos tamen excommunicare nequit, uti nec absolvere à peccatis, aut suspendere ab actu Ordinum, vel alia in eos exercere, quæ pendet à potestate clavium, cujus ipsa est incapax, *cap. 9. inf. De penit. & remiss.* Potest tamen ad hæc implorare officium Episcopi, *d. cap. Dilecti 1.*

10. Vbi verò Monasteriorum Prælati in suis subditis corrigendis negligentes fuerint, licebit Episcopis eorum negligentiam supplere, *cap. Quanto 7. b. 1.* prout etiam supplere malitiam vel negligentiam delegati à summo Pontifice, *c. Significavit 6 b. 1.* quantumvis delegatus alias major sit Episcopis *cap. Pastoralis 11 b. 1.*

Denique Archidiaconi, Archipresbyterorum, Archipresbyteri, Presbyterorum sunt judices ordinarii.

Prohibeantur fieri Judices Ordinarii, servi, famuli, nisi sint Regiæ, Principis, Comitissæ, vel habeant administrationem, ut Abbatis. Item minor viginti annis, nisi fiat à Principe: ignari & improvidi: & denique qui famam laborant, ut excommunicati, Schismatici, hæretici, & similes.

## TITULUS XXXII.

### De officio Judicis.

#### §. I.

#### Quid sit Iudex?

1. 2. *Quis dicatur Iudex, & unde.*

3. *Qui, & ex qua causa, potestatem judicandi non habeant.*

**R**ecte deinceps sequitur de officio Judicis in genere, prout est commune Judi-

cibus, Delegato, Legato, & Ordinario.

1. Dicitur autem Iudex, qui publicam habet de causis & criminalibus cognoscendi & judicandi potestatem, quam jurisdictionem appellat. Dico, publicam, ad excludendum arbitrium, qui non est Iudex, nec potestatem judicandi publicam habet, sed privatam, nempe ex consensu privatorum, qui judicem facere nequeunt, *l. Privatorum C. De jurisd. omnium judic.*

2. Dicitur verò Iudex, quasi jus dicens populo, siue quod jure disceptet, Jure autem disceptare est iuste judicare. Non est ergo Iudex, si non est in eo justitia, *c. Fortis §. In omni inf. De verb. significat.*

3. Potestatem judicandi habent quilibet non prohibiti. Prohibentur alii ex defectu aliquo naturali, ut furiosus non habens lucida intervalia, surdus, mutus, impubes, quia judicio caret. Et talis defectus potest quandoque obijci, etiam postquam sententia transiit in rem judicatam, & quandoque obijcitur, redditur judicium retro nullum. Maranta, *4 p. Spec. auri Dist. 16. n. 3.* Alii ex accidentali, & inducto per jus positivum, ut quia Iudex sit infamis, servus, excommunicatus, Senatu motus, *cun. Infamis §. tria sunt 111 q. 7. l. cum Prætor §. non autem omnes D. De judiciis, & ibi Glossa.* Et tum, si defectus sint notorii ac manifesti, possunt quandoque opponi ad invalidandum judicium, quando scilicet sunt tales, qui ipso jure judicium, invalidum reddunt: ut si Iudex sit servus vel excommunicatus, *c. Ad probandam inf. De re judicata c. 1. §. 1. De except. in d. c. Sciscitatus 13 sup. De re scriptis.* Secus statuendum de defectu infamiae, qui si non opponatur ante litem contestatam, valet processus & judicium, Maranta *d. loco.* Sin defectus sint occulti, tunc distinguendum, ut per Abb. & Felinum, *in d. c. Sciscitatus.*

#### §. II.

#### Quod sit officium Iudicis?

1. *Iudicis est providere litiganti, de advocato.*

2. *Oportet esse virum bonum & probat a vita.*

3. *Legisperitum, & judicare secundum leges.*

**O**fficium Judicis latissime patere, ait Jurisconsultus in *l. 1. D. De jurisd. om. judicium.* id est: tam extra judicium, quam in judicio: quod



hic nimis longum foret singularem explicare; & pleraque ex antedictis intelligi possunt.

1. Quibus addi potest, *ex c. i. h. t.* eò quoque pertinere, ut si alter litigantium careat advocato iudex ei de advocato prospiciat, *l. Nec quidquam §. advocatus D. De officio Procons.* Sic etiam ad iudicem spectat providere, ut æqua fiat partium & advocatorum distributio, *can. infames §. si vero d. ii. c. 7.* & ut sit aliquis ordo postulationum, prout præscribitur in *l. Nec quidquam §. observare.* Ad eundem spectat subvenire oppresso, iudicare pupillo egeno, defendere viduas, humilem & pauperem iustificare.

2. Præterea virum bonum esse oportet, ne fiat iudex alienarum culparum, qui gravatur pondere suarum. Durum enim esset, ut, qui nescit revere moderamina vitæ suæ, is iudex fiat alienæ. Debet etiam esse semper ab omni favore & odio, nec acceptor personarum vel munerum.

3. Debet insuper esse legisperitus, & secundum leges, consuetudines ac statuta, & secundum allegata ac probata, non autem secundum privatam sententiam, iudicare, *can. Iudices i. c. 7.* ubi eleganter D. Ambrosius. *Bonus Iudex nihil ex arbitrio suo facit, & domestica proposito voluntatis; sed juxta leges & statuta pronuntiat, statuta juris obtemperat, non indulget propria voluntati, nihil paratum & meditatum domo deferit: sed sicut audit, ita iudicat, & sicut se habet negotii natura, determinat, &c.* Cæterum qualiter iudex ex actis ius dicere debeat, adversus ea, quæ privatim cognoverit, tractat pulchre Covarr. *lib. 1. Var. res. c. 1.* & ibi in notis Vssellius.

## §. III.

## Quotuplex sit officium Iudicis.

1. Officium Iudicis aliud nobile.
2. Aliud mercenarium.
3. Discrimen utriusque.

1. Officium Iudicis dividunt vulgò Interpretes in officium Iudicis Nobile & Mercenarium. Nobile vocant, quod non subservit ulli actioni institutæ, sed per se imploratur, & à iudice exercetur auctoritate iuris, sive motu proprio, vel ad petitionem partis, licet nulla proponatur, vel etiam competat ordinaria actio: veluti quando minor vel Ecclesia læsa con-

tractu aliquo implorat officium Iudicis, ut in integrum restitatur, vel contractus rescindatur *solo iit. D. De minorib. c. 2. inf. De in integrum restitut.* vel cum quis petit, ut vicinus caveat de damno infecto. Hoc autem Iudicis nobile officium subinde, textus Juris appellant. *auxilium Prætoris, Instituit. De noxal. action. inter c. m. Prætoris officium, l. Stipulationum §. D. De verb. obligat.*

2. Mercenarium Iudicis officium vocant, quod juri & actioni institutæ subservit, ut scilicet actio instituta melius procedat, & exitum habere possit: adeo ut cessante actione cesset officium illud: veluti cum iudex volentem agere alieno nomine jubet satisfacere, id est promittere, datis etiam fidejussoribus, dominum rei in iudicio controversæ ratum habiturum, quidquid in iudicio ejus nomine egerit *t. D. Rem ratam haberi: aut jubet reum satisfacere iudicatum solvi.* Hoc Iudicis officium mercenarium Juris textus appellant *merum Iudicis officium, ut instituit De divif. stipulat.* Interpretes tamen illud appellant *mercenarium*, quod in eo iudex non sit liber, sed sequi debeat naturam actionis propositæ; cui proinde officium mercenarium subservire dicitur. Et hinc fit, quod, cum actionum diversæ sint naturæ, diversimodè etiam se habet hoc Iudicis officium: nam in aliquibus, veluti in bonæ fidei actionibus, latissimè patet; in aliis verò, veluti stricti iuris actionibus, strictim concluditur, *§. actionum autem Instit. De actionibus.*

3. Sed & hoc discriminis est inter officium nobile & mercenarium, quod in iis, quæ petuntur officio Iudicis mercenario, non sit opus litis contestatione, in iis vero quæ petuntur officio Iudicis nobili, interdum opus sit litis contestatione, nempe quando officium nobile principaliter imploratur. Exempli causa quando restitutio in integrum imploratur, opus est litis contestatione, quia tunc officium nobile pro actione proponitur, seu habet se instar actionis, in qua opus est litis contestatione. *cap. 1. h. t.* Dixi, quando principaliter imploratur; quia secus est, si incidenter, puta ratione alicuius actionis institutæ.

☞ (†) ☞

N

TITU-



## TITULUS XXXIII.

## De Majoritate &amp; Obedientia.

1. *Quid sit Majoritas.*2. *Majoritatem quem esse alio contingit quinque modis.*3. *Et majoritate oritur obedientia, eaque in tribus consistit.*

Quemadmodum in coelesti Hierarchia seu ecclesia triumphante non omnes sunt pares potestate, & dignitate, & ordine, sed differentes; ita & in ecclesia, personarum ecclesiasticarum, seu ministrorum & judicum ecclesiasticorum, de quibus antè egimus, diversi ac distincti sunt ordines, & alii majores, & alii minores; eaque diversitas necessaria est ad ecclesiam militantis debentem gubernationem, ut explicatur in *can. Ad hoc Dist. 89.* Eoque hic Tit. spectat, ut intelligatur, quid pro totius ecclesiastica disciplinae conservatione minores seu inferiores ecclesiasticae personae debeant majoribus & superioribus, & e contra.

1. Ubi Majoritas nihil est aliud, quam excellentia unius personae prae altera, vel etiam unius rei prae alia.

2. Potest autem aliquis esse maior alio variis modis. Primò, ratione Ordinis: quo pacto Diaconus maior est Subdiacono, Sacerdos Diacono, *c. Statutus 13 h. t.* & Episcopus Presbytero, *c. 2. & c. Omnes 4. eod.* licet olim Presbyteri, qui in singulis civitatibus constituebantur, simul essent Episcopi, eoque sensu appellatio eorum aliquando in antiquis Canonibus confundatur.

Secundò, ratione Benedictionis aut consecrationis, ut Abbas & Abbatisa Monachis & monialibus, *cap. Dilecta filia 12. c. Cum inferior. 16. & c. penult. h. t.* Sic Episcopus consecratus maior electo, & ecclesia consecrata maior benedicta.

Tertiò, ratione Administrationis, Jurisdictionis & Dignitatis: ut Archidiaconus maior est Archipresbytero, *c. Ad hac 8. sup. De officio*

*Archidiaconi.* Similiter Cardinalis major dignitate est Presbyteris & ceteris Clericis Capellarum, titulo sui Cardinalatus subiectarum, etiam si non sit Presbyter vel Episcopus, sed Diaconus dumtaxat, *c. Huic qua 11. h. t.* Sic quoque Canonista maior est Legista.

Quartò, ratione Antiquitatis seu temporis. Ita prior & maior habetur, qui prius fuerit ordinatus, *c. 1. h. t.*

Quinto, ratione excellentiae seu prerogativae ipsius ordinantis. Quà ratione ordinatis à summo Pontifice aliquid deferendum est prae ceteris: licet per hoc non eximantur à jurisdictione sui Episcopi, *cap. Per tuas 7. & ibi Glos. h. t.*

3. Ex eo autem, quod quis sit maior alio, oritur Obedientia, quam minor majori debet, quae, juxta Glossam in *can. 1. Dist. 93. in v. Obedientia*, in tribus consistit. Primò, in reverentia exhibenda. Sic in *can. Non oportet ead. Dist. 8.* praecipitur, ne Diaconus, nisi ex jussione Presbyteri, sedeat, & similiter honoretur Diaconus à sequentibus, id est Subdiaconis, & aliis inferioribus Clericis, Secundo in judicio obeundo: reverentiam enim & observare debet minor majorem, ejusque parere judicio, *c. 2. c. Sollicita 6. & similibus h. t.* nisi forte minor ordine, vel tempore sit major jurisdictione & dignitate: hoc enim patet, ut ante diximus, Archipresbyter & Presbyter, quamvis ordine major fuerit Archidiacono, tamen eidem debet reverentiam, ratione majoris administrationis, ipsi commissae *can. 1. Dist. 25.* Tertiò, in mandato majoris suscipiendo; dummodo minor jurisdictioni majoris subiectus sit, *cap. Pastoralis sup. De officio ordinarii*; & major, intra fines suae jurisdictionis se contineat, *c. Legabatur 3. & c. 13. Dilecti h. t.* modo etiam honesta & licita imperet: nam si quid adversus juris divini aut naturalis, aut scandalum pariens, praecipiat, juste non obtemperatur; & habet locum regula, *ex Ad. cap. 4.* Oportere Deo magis obedire quam hominibus, *can. Si Dominus 11. q. 3. & similibus*: licet alias quod praecipitur, justum esset, si tamen pariat scandalum: hoc enim ratio vitandi scandalii operatur, ut tum celsa lex, distans superiori obtemperandum, probatur, *ex cap. Cum teneamur inf. De praebedis Vi. de Covar. 1. p. Relicta cap. peccatum De reg. juris in 6. v. 7.* Praedictis limitationibus addit, Glos. sub



*sub finem can. 1. Dist. 93.* nisi inferior absolvatur ab obedientia superiori debita, vel per appellationem, aut reculationem, aut moveat superiori controversiam, aut denique superior deponatur.

## TITULUS XXXIV.

## De Treuga &amp; Pace.

1. Treuga quid sit.
2. Induciarum & Treuga discrimen.
3. Treuga vel Conventionalis vel Canonica, & hac Perpetua vel Temporalis.
4. Definitio Pacis.

**I**udicium Ecclesiasticorum & majorum, quibus obediendum esse diximus, est, subditos discordantes ad concordiam, quatenus fieri potest, revocare, *can. 1. & tota Dist. 90.* ad concordiam vero per treugam & pacem devenitur, *can. Studendum d. Dist. 90.*

1. Treuga, secundum Hostiens. in Summa h. t. est securitas, personis & rebus ad tempus præstata, discordia nondum finita. Et in legibus dicitur Fœdus vel Inducia, *l. Postliminium §. Inducia D. de captivis & postlim. reversis.*

2. Et quamquam inter Indicias & Treugam ita distinguant Interpretes, quod Indicia sint ad modicum tempus, Treuga verò in longum tempus extendatur, tamen quia utraque conditio ad tempus fit, non alia videtur esse distinctio, quam quod induciarum vocabulum sit Latinum, Treugæ vero Gallicum.

3. Treuga autem duplex est, alia Conventionalis, quæ scilicet ab hominibus fit, & ex conventionione formam recipit, sicut & quilibet contractus, *l. 1. §. si conveniat D. de positi.* Et hæc quoque hosti Romani imperii servanda est, *can. Noli xxxiii. q. 1.* si utique & is ex sua parte fidem servet, *c. Pervenit 3. inf. de iurejurando, can. Si infidelis xxvi. q. 1.* Altera est Canonica seu Legalis, à Canone seu Lege introducta. Et hæc vel perpetua est, vel temporalis. Perpetuam habent Presbyteri, Clerici, Monachi, conversi, peregrini, & rustici cum animalibus, quibus arant, quædiu fuerint in agricultura, sicut milites, dum militant, *c. 2. h. t.* Temporalem

habent omnes à feria quarta post occasum Solis usque ad feriam secundam ante ortum Solis, ab adventu Domini, usque ad octavam Epiphaniæ, & à septuagesima usque ad octavam Paschæ, *c. 1. h. t.* illis enim temporibus abstinendum ab armis & præliis: nisi inevitabilis hostium urgeat importunitas, eoque casu pro defensione tam sua, quam patriæ, seu legum paternarum non pugnare, esset quodammodo Deum tentare, *can. Si nulla xxiii. q. 8.*

Cæterum neque Cap. primum hujus Tit. quod tempora induciarum præscribit, neque Cap. 2. quod recenset personas, quæ tempore belli plena securitate gaudere debent, usus observat. Alioquin pœna violentis inducias, *in d. c. 1.* est excommunicatio, si post tertiam monitionem non satisfecerit damno, ob violationem illato. Violantis verò pacem publicam in Imperio est bannum, de quo ejusque effectibus vide Tract. And. Gail. de pace publica. lib. 2.

4. Pax verò est vinculum charitatis seu amicitiae & concordiae, *c. Novit. inf. de iudicio;* vel ut alii volunt, est finis discordiæ.

## TITULUS XXXV.

## De Pactis.

## §. I.

## Quid sit Pactum.

1. Pactum in genere quo modo à contractu & transactione differat.
2. In quo à pollicitatione differat.
3. Pactum specialiter sumptum.

**P**ER Pacta & Transactiones plerumque treuga & pax inducitur ac firmatur. Pacisque nomen à Pacto seu Pactiōne appellatum est, *l. 1. D. de pactis.* Ratio propterea ordinis postulat, ut de Pactis & Transactionibus agamus: eoque magis, quod vocati in iudicium, priusquam litem ingrediantur, ob dubium litis eventum, sæpius paciscantur aut transigant.

1. Differt autem Pactum in genere à Contractu & Transactione, sicut genus à specie; unde



unde & de Pactis primo loco tractatus instituitur. Nam contractus proprie eas tantum conventiones complectitur, quæ synallagma, id est ultro citroque obligationem continent, ut sunt emptio-venditio, locatio-conductio, & similes. Transactio dumtaxat eas conventiones continet, quibus res dubiæ terminantur finemque accipiunt, & quidem aliquo dato, vel retento, vel promisso, vel remisso. At verò Pactum continet omnes contractus & transactiones; atque adeo promissiones & conventiones qualescunque, siue contineant synallagma, siue non, siue rem transigant, siue non, siue pariant actionem, siue non.

2. Ita ut nihil aliud sit pactum in genera acceptum, quam ut Ulpian. J. C. ait, in d. l. 1. *D. eod.* duorum plurumve in idem placitum consensus. Unde differt à Testamento, Codicillis, & omni alia ultima voluntate, quæ tantum unius voluntate constat.

3. Item à Pollicitatione, quæ tantum est offerentis promissum, l. 3. *D. de Pollicit.* Unde & cum absente Pollicitatio esse potest, Pactum verò non, nisi quis sit præsens, qui nomine absentis acceptet seu consentiat: licet interdum Pollicitatio pro pacto sumatur l. 1. *Cod. de contrahenda & committ. stipulat.* Dicitur, in idem placitum, id est in eandem conventionem. Nam Placitum idem significat quod Conventio, l. *Vix certis* § 3. *D. de iudiciis, in verbis,* contra placiti fidem, & l. 4. *D. de servitutibus.* Ut proinde non sit necesse addere expressè, ad idem placitum dando, vel accipiendo, vel promittendo, vel remittendo, quia hæc in vocabulo, Placitum, includitur, sicut in conventionem.

4. Aliàs specialiter sumitur Pactum, prout à transactione & contractibus, tam nominatis quam innominatis, distinguitur: & tum sumitur pro conventionem, quæ sit super re certa & gratuito, id est animo donandi. Nam licet pactum etiam fieri possit ob causam, tamen naturâ suâ, quæ magis spectari debet, est gratuitum; licet de facto & actu possit esse non gratuitum. At vero transactio semper sit ob causam, & de re incerta, ut postea dicetur. Hinc ille versus,

*Incerta de re transactio dicitur esse.  
Sed fiunt certa pacta favore rei.*

## §. II.

## Divisio &amp; effectus Pactorum.

1. *Pactorum alia publica, alia privata; Item alia expressa, alia tacita.*
2. *Privatorum alia in rem alia in personam.*
3. *Alia nuda, alia non nuda seu vestita.*
4. *Ex nudo pacto iure civili non dari actionem.*
5. *An detur Canonico.*

1. **P**ACTORUM alia sunt publica, alia Privata. Rursus alia expressa, alia Tacita. Expressa sunt, quæ vel re, id est inter præsentem habito tractatu, vel per epistolam, aut per nuntium fiunt, l. 2. *D. h. t.* Tacita sunt, quæ nec re, nec per epistolam, nec per nuntium fiunt. Et ideo si debitori reddiderim cautionem, id est chirographum, videor cum illo convenisse, ne petam, profuturamque ei conventionis, id est taciti pacti, exceptionem placuit, inquit Iurisc. in d. l. 1. Sic item in vecta & illata in prædium urbanum, censetur ex racito pacto pignori obligata locatori, pro mercede habitationis.

2. Rursus Privatorum pactorum alia sunt in rem, alia in personam. Pactum in rem est, quando generaliter paciscor, ne petam. In personam, quando paciscor, ne à persona, v. g. Titio petam, l. *Iurisc. gent.* § 8. *D. eod.*

3. Alia item sunt Nuda, alia Non nuda, seu vestita, ut vocant. Nuda sunt, quæ solâ conventionem paciscentium consistunt, ita ut nec in proprium nomen contractus transeant, neque causam habeant, id est dationem vel factum, ob quod oporteat alterum alteri præstare, quod promissit: veluti v. g. Si inter nos placuerit, ut mutemus libros, & ego tuum accipiam; tu verò meum, nudum erit pactum, quamdiu nec ego tibi meum tradidero, nec tu mihi tradideris tuum. Pacta non nuda sunt, quæ vel transeunt in proprium nomen contractus, ut emptio-venditio, locatio-conductio; vel, si proprio nomine destituatur, subest causa, id est datum vel factum aliquod ab altero, propter quod alteri dare quoque vel facere, quod promissit quis, tenetur; ut si in antè dato exemplo, ego, conventionem secutus, tibi meum librum tradiderim, est pactum non nudum, sed vestitum, quia iam subest causa, cur tu quoque tuum mihi tradere debeas.

4. Ex nudo pacto non nascitur actio iure civili, seq.



habet tantum exceptio, d. l. *juris gentium*, §. 4. Ex pacto non nudo oritur & obligatio & actio utroque jure, d. l. 7. & *totum* d. de *praescriptis verbis*. Ratio, cur ex nudo pacto jure civili non detur actio, est, quia quando quis nudo pacto promittit aliquid, eo jure intelligitur leviter & inconsiderate promississe; & ideo jus illud non cogit eam stare promissis, sed hoc ejus liberalitati & honestati relinquit. Deinde, quia si ex nudo pacto daretur actio, infinitae inde lites facile nascerentur, cum nihil sit in communi vita frequentius, quam civiles illae nudis pactis promissiones.

5. Ceterum an jure Pontificio ex nudo pacto oriatur obligatio & actio: admodum controvertunt interpretes. Communior & receptior sententia est, oriri, ex c. 1. h. t. Nam, quod ibi vult Pontifex, ut inita pacta suam obtineant firmitatem, illud videtur etiam de nudis pactis accipiendum: & ex c. 3. eod. ubi jubet Pont. quae promittuntur, opere compleri. Ratio differentiae, quia grave est fidem fallere, cum inter simplicem promissionem & jusjurandum apud Deum nihil intersit. *can. iuramenti* xx. l. 9. §. 5. Jus autem Pontificium maxime periculum animae spectat: non ita civile, quod magis inspicit externam & politicam, quam internam iustitiam. Unde etiam tollat qualdam usuras. l. *Eos qui Cod. de usuris*; & concubinatum *totum* d. de concubinis.

## § III.

Quis, cui, & de quibus possit pacisci.

1. *Pacisci omnes possunt, qui consentire.*
2. *Alteri nemo paciscitur.*
3. *De omnibus, ad rem familiarem spectantibus pacisci licet.*
4. *Non valet pactum, bonis moribus aut juri contrarium.*

Quid quidem pacta fiant consensu, l. 1. *D. de pactis* live expresso live tacito, pacisci omnes possunt, qui consentire: & e contra, pacisci non possunt, qui nequeunt consentire, ut infans, pupillus infantiae proximus, furiosus extra lucida intervalla, mente captus, ebrius, prodigus, cui bonis interdictum est, nisi paciscendo faciat conditionem suam meliorem, ut si paciscatur, ne a se petatur, & similes.

2. Unusquisque autem sibi recte paciscitur, non alteri, nisi eius iuri subiectus sit, l. *Si decem § si pactum sim. D. eod.*

3. Deque omnibus rebus pacisci licet, quae ad privatum paciscentium jus spectant: de publicis non item, l. *juris gentium* §. 4. *si paciscitur. l. 4. cum seqq. D. eod.*

4. Cavendum verò, ne, quod in pactum deducitur, bonis moribus aut juri adversetur. *cap. fin. h. t.* Hinc non valet pactum, ne dolus praestetur, ne furti vel injuriarum agi possit, si fortum vel injuria fiat, d. l. 7. §. 15. & 16. & l. *Si unus* 27. §. 4. *D. eod.* Sicut nec pactum valet de rebus spiritualibus, vel quae spiritualibus sunt annexae, si non sit gratuitum: veluti si quis, re aliquâ temporali datâ, paciscitur cum alio, ut ab eo beneficium aliquod Ecclesiasticum obtineat. c. *Cum pridem* 4. c. *Cum Clerici* 6 & c. ult. h. t. Sed neque momenti alicujus est pactum licet beneficium pro beneficio detur, c. *Quasitum inf. de rerum permutat.* quia omne hujusmodi pactum est simoniacum, d. c. *Cum pridem*: nisi quis paciscatur, ut beneficium vel pensionem pro beneficio accipiat, sub beneplacito superioris. Similiter non potest quis pacisci, ut post mortem alicujus succedat ei in beneficio, c. *Acceptimus* §. h. t.

## TITULUS XXXVI.

## De Transactionibus.

## §. I.

Quid sit Transactio.

1. *Transactio & generaliter & specialiter sumitur.*
2. *Definitio transactionis specialiter sumpta explicata.*

Transactio est species pacti generaliter sumpta; ut vel hinc constat ordinis ratio.

1. Sumitur quidem etiam Transactio subinde late pro omni actu, quo ab obligatione receditur, & negotium aliquod inter aliquos componitur, live litis causâ, live non, c. 2. h. t. ubi fit Transactio super decimis extra litem: & ita etiam sumitur verbum, Transigere in l. 1. §. 1. *De pactis*. At verò hic specialiter sumitur.

N 3

2. Pro-



2. Prout est rei dubiæ & litis incerti non gratuita remissio, l. 1. *D. eod.*

Dicitur, rei dubiæ, ut distinguatur à Pacto, quod est de re certa; & quia de re certa & indubitata, v. g. de re iudicata, si appellatum non sit transactio regulariter est nulla, l. *Postrem* 11. *D. eod.* l. *Si causa* 32. *C. eod.* l. *Eleganter* § *post rem D.* De condit. indebiti, quamvis res iudicata pacto remitti possit, d. l. *Si causa C. eod.*

Additur, & litis incerti; quia Transactio propriè accepta non fit de qualibet re dubia, sed de re dubia propter litem susceptam aut suscipiendam, seu quæ timetur, cap. *Constitutus* 4. *Et alii, h. t. d. l. Eleganter* § *post rem* *Et l. Fratris Cod. eod.* etiam si alias in se sit certa, quia nihilominus dicitur dubia, propter litis eventum incertum, l. *in summa in princ. D. de condit. indebiti.*

Additur denique, non gratuita; quia nullo dato, vel retento, vel promisso, aut remisso, non procedit transactio; in eoque differt à pacto specialiter sumpto. Et idè super spiritualibus, & iis, quæ spiritualibus annexa sunt v. g. super beneficio Ecclesiastico, vel jure patronatus, non potest fieri transactio, cap. 4. 7. *Et cap. Præterea* 9. *h. t.* si, quod datur, vel remittitur aut promittitur, si quid temporalis, quia id incidit in crimen Simonie.

## §. II.

## Quis transigere possit.

1. Transigere possunt, qui consentire, & sana mente sunt.
2. Quatenus procurator transigere possit.
3. Quatenus tutor & procurator.
4. Quatenus Prælati Ecclesiæ.

1. **T**ransigere potest, quicumque pacisci, id est, qui consentire, & mente sanus est, quamvis æger sit corpore, l. *Sanum Cod. eod.* atque ita rectè etiam transigit murus, surdus: similiter pupillus major infans, ac minor sine tutoris vel curatoris auctoritate, modò rem suam meliorem faciat: quamvis verius sit, locum fore restitutioni, si minor postmodum se læsum tali transactione, etiam juratâ, intra legitima tempora probaverit; præterquam si transegerit super injuriis aut morte patris, & modo ex tali transactione manifestum dedecus minori aut familiæ non inferatur, vide

Treutler. *Select. disput. volum. 1. disput. 7. Thesi, ad lit. B.*

2. Nec solum dominus, sed etiam procurator transigere potest, si modò ad transigendum speciale habeat mandatum, vel sit procurator cum administratione libera, c. *Quia ad agendum ver. sic procurator eod. in 6. l. Procurator cui generaliter* 58. *D. de procuratoribus*; aut in rem suam datus sit, l. *jur. jurandum* § *fin cum l. seq. D. de iurejurando*: quia talis alienare potest, ac proinde etiam transigere, d. l. *Procurator cui D. De procurat.* alias verò transigere nequit, etiam si esset omnium bonorum procurator constitutus, l. *Mandatum generali* 60. *D. de procurat.* quia talis alienare nequit, & transigere est alienare, l. *Procurator tutorum* 63. *D. eod.* licet contrarium nonnulli sentiant.

3. Tutores verò & curatores, quamvis transigere possint, non possunt tamen transigendo donare vel alienare res, alienari prohibitas, l. 4. *Cod. De pradiis minorum, l. Nulli Cod. h. t.* Idemque in patre, bona liberorum administrante, obtinere verius est, l. *Pupillorum* § *si pater D. de rebus eorum*, &c. atque in administratore civitatis, qui similiter transigere possit super jure dubio, tamen transigendo alienare vel donare, seu, quod idem est, rem liquidam sine superioris aut publico omnium, aut majoris partis civium consensu, remittere prohibetur, quia remissio certi juris in donationem incidit, l. *Si quis delegaverit, D. de novat.*

4. Ex eo tamen, quòd transigere sit alienare non potest Prælati Ecclesiæ, v. g. Episcopus, Abbas, & similes, de rebus Ecclesiæ suæ, sine consensu Capituli aut superioris transigere, c. 34. *Veneris* 8. *h. t.* etiam si liberam earum habeat administrationem, c. *Cum nobis in fine sup. de elect.* quia Prælati habet liberam potestatem rei duntaxat benè gerendæ, non autem perdendæ vel dissipandæ, cap. *Episcopus* x. q. 2. Et ideo ubi agitur de re, in perpetuum præjudicium Ecclesiæ vergente, præter consensum Capituli, requiritur consensus superioris & ceteros. *Et d. c. Veneris h. t.* In sui tamen solius præjudicium transigere potest, ut scilicet transactio valeat, quamdiu Ecclesiam restitutus est, non ulterius, d. c. *De cetero*.

## §. III.



## §. III.

## De quibus transigi possit.

1. Transigere licet de qualibet re dubia.
2. De crimine etiam capitali, excepto adulterio.
3. Non verò de crimine non capitali, excepto crimine falsi.
4. Non etiam de spiritualibus, interveniente aliquo temporalis.
5. Non de matrimonio.
6. Non de relictis testamento.
7. Non de alimentis futuris.

1. **T**ransigi potest de qualibet re dubia & litigiosa, l. 1. D. eod. de qua vel lis est, vel esse potest, l. 2. Cod. eod. etiam post conclusionem in causa, quia tunc quoque dubius litis est eventus. Non tamen post rem judicatam, vel jurejurando decisam, nisi interposita sit appellatio, aut interponi possit, l. 7. D. eod. aut negetur, ignoreturve judicatum esse, l. Post rem 11. D. eod. aut alio modo res judicata adhuc dubia esse possit, l. Cum is 32. §. 1. D. De condit. indebiti: nam alias, cum per sententiam definita & determinata sit, amplius transactio finiri non potest; nec expedit, ut, quæ publico judicio semel definita sunt, rursus pro privatorum arbitratu, tanquam indefinita & incerta, transactione definiantur.

2. De crimine quoque capitali tam auctori seu accusatori, quam reo, transigere permittitur, l. transigere 18. Cod. eod. quia unicuique sanguinem suum quovis modo licet redimere, l. 1. D. De bonis eorum &c. Nec pro confessio transigens haberi debet, quia magis declinandi gravissimi periculi causa, quam conscientia facinoris transigere censetur, l. fin. D. De pravaricatoribus. Excipitur tamen in d. l. Transigere adulterium, quod licet ex lege Julia capitale non fuerit l. Clodius D. De his, quibus ut indignis, &c. sed postmodum esse coepit, l. Quamvis Cod. de adulteriis: tamen de eo nominatim lex Julia pacisci vetuit, quia talis conventio in lenocinium incidit; & sufficit, quod postea coeperit capitale esse, ut constat, ex d. l. Transigere & d. l. Quamvis.

3. De aliis autem criminibus, quæ pœnam sanguinis non ingerunt, transigere non licet, citra falsi accusationem, d. l. Transigere: quia tamen si crimine falsi certa pœna scilicet deportationis, statuta sit, l. 1. §. fin. D. De falsis: cœ-

pit tamen postea esse arbitraria, l. Qui duobus & penult. D. De falsis; ut ad mortem deveniri possit: & proinde ob metum mortis, etiam in hoc crimine, ut in capitali, transigere litigatoribus permittitur.

4. De spiritualibus verò, vel his annexis, non licet transigere, interveniente aliquo temporali, e. Constitutus, 4. c. super eo 7. c. Præterea 9. h. t. sed gratis & amicabilem componere, d. c. super eo.

5. At in matrimonio nec transactio, nec compositio amicabilis admittitur, e. fin. h. t. quia si semel legitime contractum sit, amplius dissolvi non potest: si verò illegitimè id est contra sacros Canones, reconciliari non potest partium transactione vel compositione.

6. De eo quoque, quod in testamento relictum est transigere non licet, non inspectis verbis testamenti, quia talis transactio captiosa est, ideoque improba, l. 5. D. eod.

7. Similiter nec de futuris alimentis, quamvis ultima voluntate relictis, sine auctore Prætoris & causæ cognitione, l. Cum hi 8. D. eod. ne contenti modico præsentis, facile sibi relictæ, repudient homines, & inde contra testatoris voluntatem fame luborent: de præteritis verò, quia in iis hoc periculum cessat, transigere licet, l. 8. Cod. eod.

## §. IV.

## De effectu transactionis.

1. Finem controversiæ imponere.
2. Retractari ex post facto nequit.

1. **E**ffectus transactionis est, finem litibus motis & movendis, aut quæ timentur, imponere, l. Fratri Cod. & similibus.

2. Præterea quod semel inita nullo prætextu retractari possit, ne quidem rescripto principis, l. Cum proponas 17. Cod. eod. nec sub prætextu specierum vel instrumentorum postea retractorum, l. sub prætextu 19. & 29. Cod. eod. quia qui super principali transigit, etiam super accessoriis, & iis servientibus, transigit: & cum transactio fiat libero & mutuo consensu, firma manere debet, e. Statuimus, e. Contingit. h. t. quod enim semel placuit, amplius displicere non potest. Atque ita licet pristina actio non sit extincta, quia transactio non est modus tollendæ obligationis à Jure civili introdu-

ctus,



ductus, *Instituit. Quibus modis toll. obligatio*: tamen agenti semper obstat exceptio transactio-  
nis, quæ vocatur exceptio litis finitæ, *cap. 1. De  
litis contest. in 6.* quia transactio non habet mino-  
rem vim ad litem dirimendam & finiendam,  
quam res iudicata, *l. Non minorem Cod. eod.*  
Steph. Gratian. 2. p. *Disputat. Forens. Discept.*  
400. n. 27 ubi subiungit, quod facta super for-  
te, extendat se ad fructus & accessoria, imò ad  
pœnam.

## TITULUS XXXVII.

### De Postulando.

1. Verbum Postulandi quid significet hoc loco.
2. Qui postulare possint.
3. Quidam edicto prohibentur.
4. Quidam lege.
5. Quidam sententia.

**V**ocari ad iudicium ut non paciscuntur vel  
transigunt, sed malunt iudicio contendere,  
ideoque querendi sunt advocati vel procurato-  
res ad causam instituendam vel agendam. Quod  
spectant sequentes Tit. & imprimis hic *De Po-  
stulando*: quia postulare est unum ex præparato-  
riis iudiciorum, de quibus sequitur agendum.

1. Omittā verò eā verbi significatione, quā  
Postulare significat exposcere in Prælatū, illum,  
qui propter aliquod impedimentum Canonicū  
eligi seu promoveri non potest, nisi cum eo dis-  
pensetur, de qua significatione antè egimus; &  
rursus eā, quā significat idem, quod accusare, ut  
cum dicimus, Postulare aliquem criminis: hic  
nihil est aliud, quam desiderium suum vel amici  
sui apud eum, qui iurisdictioni præest, in iure  
id est iudicio exponere (quod ad actorem perti-  
net) vel alterius desiderio contradicere (quod ad  
reum spectat) *juxta l. 1. §. 2. D. h. r.* Atque ita etiā  
ii, qui advocati non sunt, dum per se suas ratio-  
nes coram Iudice allegant, & suam causā agunt,  
postulare dicuntur; etiam si Postulandi  
verbum pro advocacione usurpari certum  
in *d. l. 1. §. 1. & ceteris. Cod. eod.* Ex eo verò

quod dicitur, in Jure; sequitur eum, qui con-  
sulit in cubiculo suo, non dici postulare, seu ad-  
vocatū agere.

2. Postulare possunt omnes, qui nominatim  
non prohibentur, Prohibentur quidam Edicto  
Prætoris, quidam lege, quidā sententiā Judi-  
cis.

3. Eorum, qui edicto prohibentur, quidam in  
totum prohibentur, ut minor XVII annis, alio-  
quin, complera eā ætate, postulare minori per-  
mittitur, *d. l. 1.* Item omnino surdus. Alii pro aliis  
tantum postulare verantur, pro se possunt, quia  
Edictum de postulando est prohibitorium: veluti  
mulier, tum ne contra pudicitiam, sexui suo con-  
gruentem, alienis causis se immisceat: tum quia  
pattocinari munus est virile, civile, & quodam-  
modo publicum. Item cæcus quia insignia Ma-  
gistratus videre & revereri non potest. Ideoque  
non obstat, quod possit esse Judex, *l. Cæcus Cod.  
de iudicio*, quia judicia olim etiam privatis à  
Prætoribus mandabantur, & in Judice Privato ni-  
hil nisi judicium, prudentia & doctrina requiritur.  
Insuper insigni turpitudine notati, ut dānati de  
calumniā, de capitali crimine, passi muliebria, &  
qui operas suas locarunt ad depugnandum cum  
bestiis. Alii denique & pro se & pro aliis postula-  
re possunt; non tamen promiscue pro omnibus,  
sed pro certis tantum personis; ut ille, qui ex Ed-  
icto tamquam infamis notatur. Postulare autē  
hi possunt pro conjunctis personis, puta paren-  
tibus, libris, fratribus, sororibus, uxoribus, & al-  
iis, Edicto comprehensis. Atque hæc quidem  
personæ omnes ita postulare prohibentur, ut ne  
consensu quidem partium, aut adversario volē-  
te, admitti possunt, quia licet iudiciorum partes  
illæ, quæ potissimum ad litigatores spectant,  
pactis eorundem mutari possint: non tamen ex,  
quæ præcipue ob dignitatem publicam magi-  
stratus conservandam institutæ sunt, uti est hæc  
postulationis prohibitio, *d. l. 1. in prime.*

4. Lege interdicitur quibusdam, etiam pro ali-  
is, postulare: veluti iudicibus & arbitris, in ea  
caussa, in qua iudicaturi sunt, *l. Quisquis Cod. de  
Isem non Christiano*, sub pœna exilii, *l. ult. Cod.  
eod.* Clericis quoque interdictum est à Canoni-  
bus, ne coram laico Iudice postulent, si ve maio-  
ribus Ordinibus sint initiati, ut Sacerdotes,  
Diaconi, Subdiaconi, si ve in minoribus,  
adhuc versentur, modò stipendius susten-  
tea.



stentur Ecclesiasticis; nisi propriam causam, vel Ecclesiæ suæ, aut miserabilium personarum, ut orphanorum & viduarum, quæ proprias causas administrare nequeunt, prosequantur. *l. 1. ult. h. t.* Quod si Clericus contra Ecclesiam, à qua beneficium obtinet, coram Iudice laico advocatus vel procurator esse præsumptus sit, spoliari eiusmodi beneficio tamquam ingratus potest, *d. e. ult.* Sic nec Monachi nec Religiosi licet Clerici non sint, advocacy officio rectè funguntur. *l. 2. h. t.* aded ut ne Monasterii quidem sui causas agere valeant, nisi Abbas id ipsis mandaverit & impetaverit; idque si agatur coram Iudice Ecclesiastico, si ve laico.

Et in hoc differunt Religiosi à Clericis non Religiosis, quod hi coram Iudice Ecclesiastico advocatum agere possint. Imo si in minoribus stipendium ex officio Ecclesiastico, unde commodè alantur, licet in utroque foro advocati officium exercere, *arg. d. c. 1. à contrario sensu*, quod valet, quando contrarium nusquam in Iure est expressum, Panormit. *ibidem*. Vide Steph. Gratian. *Disceptat. forens. romo. l. c. 57. num. 22. & seqq.* ubi multos casus refert, quibus Clericus postulare potest.

Denique sententiâ Iudicis quidam postulare prohibentur: ut si Advocatis & procuratoribus postulandi officium, ob contumaciam vel delictum, aut aliam causam, ad certum aliquod tempus vel in perpetuum Iudex interdicit, prout potest, *l. 1. in fine D. De officio Prasecti urbi, Maritima p. 6. in prime in materia inquisitionis*: veluti quia iussi ab eo patrocinari alicui, absque iusta causa id reculaverint, *l. 7. Cod. eod.* vel quia cum cliente convenerint, ut rem, de qua litigatur, aut ejus partem, loco honorarii accipiant, *l. 5. Cod. eod.* Nam licet advocatus possit de iusto salario pacisci, *l. 1. §. si cui cautum cum seq. D. De variis extraord. cognit.* tamen huiusmodi pactiones de futuro litis emolumento prohibentur, ne ex iis occasione arripiant calumniosè litigandi, & variis artibus veritatem oppugnandi.

*l. Sumptus D. De pacis.*

## TITULUS XXXVIII.

## De Procuratoribus.

§. 1.

Quis dicatur Procurator.

1. 2. Ratio ordinis, & nominis.
3. Definitio Procuratoris enucleata.
4. Iure Canonico accipi latius nomen Procuratoris.

1. Inter eos, qui alieno nomine postulant seu causas agunt, primas obtinent Advocati qui alias Patroni & causidici appellantur, quique per allegationes ac rationes juris exponunt iudicii jura & causas suorum clientum, tamquam iustitiæ administratores, quod sanè magnæ est artis & doctrinæ. Unde & munus eorum est publicum, honorificum, laudabile, *l. Laudabile Cod. de Advocatis diversor. Iudic.* multis gaudens privilegiis *supra passim videri licet d. cit. Cod.* Secundum verò locum obtinent Procuratores, qui munus magis privatum obeunt, alterum negotia gerentes, si ve in iudicio, si ve extra iudicium, in litibus sollicitandis ac prosequendis, in quibus proinde non tam opus est arte & ingenio, quam diligentia & quorum proinde munus est vile & onerosum, *l. §. quis procuratorem 34. C. De decurion. lib. 10. Imò vilissimum Joan. de Platea ibid.*

2. Dicitur autem Procurator quasi pro alio curator, nempe pro domino rerum & negotiorum, cuius nomine res & negotia gerit. Introductus enim necessariò usus fuit procuratorum, ut, qui rebus suis ipsi interesse non possunt, vel non volunt, saltem per alium possint agere & conveniri, *l. 1. §. usus. D. h. t.*

3. Procurator itaque est, qui aliena negotia mandato domini gerit seu administrat, *d. l. 1. D. h. t.* Genus definiti hic omisum subaudiendum est, Gestor, Administrator, seu Curator. Materia verò indicatur in verbis, *aliena negotia* nam uti res sua nemini servire dicitur, *l. in re cõmuni D. De servit. urban. præd.* ita nec in proprio negotio quisquam sibi est procurator.

Per hoc quod dicitur, *mandato domini*, distinguitur Procurator à Defensore & Negotiorum gestore, qui sine mandato defendit & nego-



negotiat, § *igitur Inst. De obligat. qua ex qua-*  
*si contractu nasci* quavis variis in legibus is quo-  
 que, qui sine mandato negotiis alienis sese offert  
 & quialiquid negotii nostro nomine gerit. Pro-  
 curator vocetur qui verius Negotiorum gestor  
 dicitur, l. *Qui hominem* 34. § *si gener & l. Si quis* 8  
 D. *De solutionib. & aliis* Quoties tamen additur  
 nomen, verus intelligitur is dumtaxat, qui man-  
 datum habet, vel cui id ipsum, de quo agitur, aut  
 totorum negotiorum commissa & credita est ad-  
 ministratio, l. *Pomponius* 40. § *1. D. h. t.*

Per eandem partem distinguitur Procurator à  
 Tutore, Curatore, & similibus aliis, qui non  
 mandato domini, sed publica auctoritate, vel le-  
 gis, vel Magistratus, vel gestoris, administrant.

Verbum, *gerit*, seu *administrat*, distinguit Pro-  
 curatorem ab Advocato, quia Advocatus non ge-  
 rit privatim negotia aliena mandato domini, sed  
 pro alterius causa dicit & advocat, seu jus partis  
 explicat & merita causae allegat. Similiter à  
 Nuntio, penes quem non est jus administrandi  
 seu gerendi negotium alterius alieno nomine,  
 sed nudum dumtaxat factum exequendi.

4. Porro jure Canonico latius patet nomen Pro-  
 curatoris: edque venit etiam is qui à non domi-  
 no constituitur, veluti à Prælato, vel aliis Clericis  
 in causis Ecclesiasticis. c. 1. § *passim h. t. c.*  
*Olim inf. De restitut. spoliat.* Sic quoque Universi-  
 tas vel Collegium rectè procuratorem constitu-  
 it, qui tamen proprio nomine Syndicus vel actor  
 appellari solet: Ideoque ut data definitione tales  
 etiam procuratores comprehendantur, addi po-  
 test, *vel quasi dominus.*

## §. II.

## Divisio Procuratorum.

1. Procuratorum alii Extrajudiciales, alii Judi-  
 ciales.
2. Virique vel Generalis vel Specialis.
3. Et differentia eorum.
4. Item procurator alius verus alius Fal-

1. Procuratorum alii sunt extrajudiciales,  
 nempe qui ad negotia extra judicium tra-  
 ctanda & explicanda constituuntur, de quibus  
 in Tit. D. & C. *De mandatoribus*: alii Judiciales,  
 qui in judiciis versantur, & lites prosequun-

tur alieno nomine vocanturque Procura-  
 tores ad lites, de quibus passim h. t. & Cod. eod.  
 et constituuntur utrique tam praesentes & coram  
 apud acta scilicet praedictis vel magistratus, quam  
 absentes per epistolam vel nuntium, l. 1. 2. 3. 6. D.  
 h. t. l. 1. D. *Mandati* l. *Eum* § *Julianus de constitu-*  
*ta pecunia*. Paulus 1. *Sent.* 10. §. 1. modo consen-  
 tiant seu ratum habeant, si ve expresse si ve tacite.  
 Et vel purè, vel sub conditione aliqua: vel in  
 praesens tempus, nimirum ut statim negotia ge-  
 rere incipiant seu lites prosequantur; vel in di-  
 em, v. g. post Kalendas talis vel talis mensis, &  
 non ante l. *Item & ad litem* 3. D. h. t. vel ad diem,  
 v. g. usque ad annum d. l. *Item & ad litem*. Et tum  
 si expiret tempus, puta quia Judex impeditus  
 fuerit, non potest ultra diem agere, etiam lite  
 contestata. Calvo'us, in *praxi* §. *procurator cons.*  
 1. n. 4 ubi tamen n. 5. § *seqq.* ex Aretino distin-  
 guit, ut, si constitutus fuerit generaliter ad om-  
 nes causas, possit etiam finito tempore causam  
 prosequi: si ad unam litem tantum, & quidem ex  
 parte actoris, ut tum adveniente die expiret ejus  
 officium, si verò ex parte rei ut cum actori liceat  
 ab initio litis eum repellere: quia videtur reus  
 velle actorem distrahere in plures adversarios,  
 quod facere nequit.

Rursus constituuntur aut cum clausula, *cum*  
*libera*, hoc est cum potestate plena & libera agen-  
 di, faciendi vel administrandi omnia, & quic-  
 unque ipse dominus agere & facere in causa seu  
 negotio coram posset: vel sine tali clausula.

2. Extrajudicialis quoque duplex est, aut uni-  
 versorum bonorum seu negotiorum, l. *Procurat.*  
 63. D. eod. aut unius alicujus vel alterius rei seu  
 negotii, l. §. D. eod. Similiter Judicialis vel est  
 Generalis; ad omnes scilicet lites; vel Specialis  
 ad unam aliquam litem prosequendam consti-  
 tutus d. l. 1. §. 1. D. eod. Mandatum tamen ge-  
 nerale ad negotia, etiam ad judicialia se exten-  
 dit, c. *qui generaliter eod.* in 6.

3. in eo autem distinguitur Procurator Ex-  
 trajudicialis à Judiciali, quod ille dari possit  
 major xvi. annis: ad lites vero non nisi major  
 xxv. annis, saltem de jure Canonico, d. c. *Qui*  
*generaliter* §. *fin. eod.* in 6. tum propter benefi-  
 cium restitutionis, quod minori competit l. *Minor*  
 25. D. eod. tum quia non censetur idoneus ad  
 alienas lites peragendas, quippe qui legiti-



## §. III.

## Quis constituere Procuratorem possit.

1. Procuratorem constituere potest dominus rei idoneus ad obligandum se.
2. Dare Procuratorem nemo cogitur.
3. Prohibetur dare minor.
4. Excommunicatus.
5. Bannitus.
6. Captus ab hostibus.
7. Syndicus Universitatis, ante litem contestatam, &c.

1. **P**rocuratorem propriè dictum, constituere potest quilibet ad se obligandum idoneus & rei, de qua agitur, dominus, Glossa in l. Neque Cod. eod. idque in causis tam civilibus, quam criminalibus, nisi lege expresse prohibeatur. Ideoque minores, cum auctoritate tutorum & curatorum suorum, si eos habeant non verò ipsi tutores aut curatores, procuratorem rectè constituunt, d. l. Neque: nisi tutor, curatorve per litem contestationem fuerit antea ejus factus dominus, d. l. Neque l. Quod quis 8. §. l. Nulla 23. Cod. eod. Dixi, dominum rei de qua agitur, posse procuratorem propriè dictum, constituere, quia latius accepto eo vocabulo etiam Universitatis scholarum procuratorem constituit, c. Quia in causis 7. §. 6: ult. h. r. item Collegium & Monasterium. c. Cum causam inf. De jurament. calumnie. Murus autem & surdus dant procuratorem eo modo, quo possunt, nempe nutu vel scriptura.

2. Procuratorem verò nemo dare cogitur regulariter, nisi velit, idque in causis gravioribus, c. 2. h. r. Plac. q. 2. c. 4. tit. 2. n. 7. Si tamen persona, quæ de causa pecuniaria litem instituit, sit illustris, quæque terrori possit esse Judici & adversario, tum & ad agendum & ad defendendum procuratorem constituere cogitur. Sicut & excommunicatus ad defendendum, de quo mox dicitur: itemque Monasterium, quando contra illud agatur, c. 2. inf. De in integrum restitut.

3. Prohibetur autem dare procuratorem ad lites, in primis Minor, tutorem vel curatorem non habens, exceptis quibusdam casibus, ut in actione injuriarum, l. Filius-familias 8. D. eod. Ratio est, quia cum ipse personam legitimam standi in judicio non habeat, alium ad

O 2

hoc

proximam personam standi in judicio non habeat l. 2. Cod. Qui legit. personam &c. Quinimò in causis propriis agere per procuratorem cogitur, l. fin. Cod. legit. iudicibus: excepto, quod in beneficiis & aliis causis spiritualibus, & dependentibus ab iisdem, possit major xiv. annis per se, vel per procuratorem, agere & defendere, nullâ patriæ potestatis vel voluntatis habitâ ratione. Alioquin si minor sit xiv. annis, in hujusmodi causis nec agere nec defendere quæ se potest: sed per Episcopum vel ejus Officialem ad hujusmodi lites ei curator dandus erit, c. fin. de iudiciis in 6. Sicutiam Delegatus Sedis Apostolicæ in causis, quæ coram se agitantur, minori xiv. annis potest curatorem, vel auctoritatem constituendi, dare, d. c. fin. §. delegatus.

Secundò, differunt, quod procurator ad negotia liberè quodcumque alium substituere possit, d. c. 1. §. fin. eod. in 6. non item procurator ad iudicia: nisi vel per litem contestationem factus fuerit lites dominus, l. Neque l. Quod quis l. Nulla Cod. eod. vel à domino, substituendi potestatem habeat, vel in rem suam datus sit, d. c. 1. eod. in 6. Dicitur autem in rem suam constitui, qui constituitur quidem ad alienum negotium mandato domini gerendum, sed ad suum emolumentum, l. Servum §. fin. D. eod. Talis est, cui dominus actiones suas quoquo modo cedit, l. Si quis §. l. procurator D. eod. l. 8. §. ult. D. mandati, qui cum mandatis & cessas sibi ab alio actiones exerceat, Procurator quidem dicitur: quia tamen non in alienam, sed in suam rem & utilitatem, actiones cessas sunt, & omne commodum eum respicit, dicitur datus in rem suam, c. 4. C. eod.

4. Denique Procurator alius dicitur Verus, qui legitimo mandato munitus est: alius Falsus, l. Licet Cod. eod. l. Falsus Cod. De furtis, l. Licet D. De iudiciis, qui mandatum non habet, vel habet quidem, sed ab eo, qui dare non potuit, vel habet insufficiens, aut ad negotium de quo agitur, impertinens: ut si proferat mandatum generale in causa exigente speciale mandatum, vel revocatum, aut alio modo extinctum; & sic de similibus.



hoc reddere legitimum nequit: quamvis si constituerit procuratorem, & pro ea pronuntiatum fuerit, favore ætatis talis constitutio rata habeatur, arg. l. Non eo minus Cod. eod. quod ipsum à fortiori obtinet in pupillo.

4. Secundò, Excommunicatus constituere non potest procuratorem ad agendum, c. ult. h. tit. quia talis iurisdictione pro mortuo habetur, can. Nemo Episcoporum X. q. 3. Dixi, ad agendum quia ad se defendendum potest & cogitur dare, c. Intelleximus inf. De iudiciis, quia absurdum & iniquissimum foret, excommunicationem, quæ pœna est, & quæ proinde nocere debet excommunicato, ei prodesse in præjudicium alterius, cui non teneretur in iudicio respondere, nec per se, nec per procuratorem, l. Evidenter D. de except. res iudicata.

Tertiò Bannitus, quia is quoque, amissis bonis omnibus, civiliter mortuus censetur, Gall. lib. 2. De pace publica. c. 12. per tot.

Quartò, Captus ab hostibus non procuratorem, sed actorem constituit, quia quamdiu in potestate est hostium, sui juris non est, nec rerum suarum dominus, l. Ab hostibus D. Ex quibus causis majores, &c.

Quintò Syndicus univestitatis, tutor, curator, ante litem contestatam non constituunt procuratorem, quia antea non sunt litis domini.

## § IV.

## Quis constitui possit Procurator.

1. Dari potest quilibet non prohibitus modo consentiat.
2. Etiam filius-familias.
3. Unus, vel duo pluresve.
4. Prohibentur dari minor 25. annis, famina, miles, &c.
5. Non verò infames.
6. Prohibetur & fiscus.

1. **C**onstitui autem potest Procurator quicumque certa aliqua lege non prohibetur, Hostiens. in Summa h. t. c. 1. eod. in § 1. Mutus 43. D. eod. præsens sive absens, modò consentiat seu ratum habeat, l. 1. § fin. & l. 2. D. eod. c. Licet. 7. eod. in 6. c. Cum dilecta inf. De confirmat. nulli: & quidem solo consensu; sive expressio, veluti per pactum, nuntium, litteras, ratihabi-

tionem; sive tacito, ut cum dominus præsens permittit alteri causam suam agere, vel procurator constitutus mandatum recipit, nec contra dicit, Clement. 1. eod. t. etiam solo nutu, dummodò Notarius, qui conficit instrumentum, exprimat signum, quod tunc habetur loco vocis. Calvol. ex Baldo in praxi §. Procurat. Concl. 1. n. Requiritur tamen utriusque consensus, & constitutum & constituentis, quia ut nemo regulariter constituere procuratorem cogitur, ita neque invitatus quis procuratoris officium subire compellitur, d. c. Licet eod. in 6. l. Filius-fam. §. invitatus D. eod. ubi dicitur, invitum dici non tantum eum, qui contradicit: sed eum quoque, qui consensisse non probatur.

2. potest igitur procurator constitui, non solum paterfamilias, qui est sui juris, sed & filiusfam. c. Non in iusd. 14. h. tit. etiam sine patris consensu, modò legitimam habeat ætatem, & non sit minor xxv. annis, l. Exigendi Cod. eod. tit.

3. Insuper constitui potest vel unus tantum, vel duo, aut plures, c. Si duo eod. in 6. & hi vel simul vel conjunctim; quo casu unus sine alio admitti non debet, d. c. Si duo; nisi quod in causis beneficialibus usa receptum sit in Curia ut valeat processus cum uno, de qua praxi testatur Veltii. in Praxi l. 4. c. 5. n. 18. Piafec. 2. p. c. 4. art. 1. n. 8. vel in solidum; quo casu præventioni locus est, potiorque conditio occupantis negotium per litem contestationem: nisi in constitutione contrarium caveatur, nempe quod non fiat, vel non fiet melior conditio occupantis, l. Pluribus 32. D. eod. d. c. Si duo: exceptis causis electionum, postulationum, provisionum, & aliorum negotiorum Ecclesiasticorum, in quibus, quia celeriore expeditionem exigunt, pluribus in solidum constitutis, potest Index, ne propter eorum concursum negotia intricari contingat, magis idoneum eligere, aliis exclusis, d. cap. Si duo.

4. Prohibentur dari procuratores, in Primis Minor xxv. annis ut antea diximus, Secundò, Mulier, quia officium procuratoris est virile, & à pudore sexus femineæ alienum: nisi vel in rem suam aut proprium luerum mandentur illi actiones, vel causa cognita pro parentibus agitudine ætateve impediitis, eidem agere ob defectum aliorum, permittatur, l. Neque famina l. Famina D. eod. Tertiò, Miles in aliena cau-



na causa, etiam volente adversario, ne ea occali-  
one à militia avocetur, l. *Militem* 7. l. *Qui stipen-*  
*sia* 9. *Cod. eod.* nisi in rem suam aut suæ co-  
hortis nomine agat, l. *Filius* fam. 6. *veterani* D.  
*eod.* Quartò, Decuriones, & digniores aliis,  
quia procuratoris vile est officium, l. *Si quis* 16.  
l. *Si quis* 34. *Cod. de decurionibus* lib. 10. Quintò,  
Medici & Professores Item Servus, quia legiti-  
mam personam standi in iudicio non habet, l.  
1. & *totò tit.* C. *Qui legit. person. standi in iud. non*  
*habent*: Furiolus, qui consensu caret, l. 2. §. *fu-*  
*riolus* D. *eod.* Similiter mutus & surdus, licet ad  
negotia procuratores dari possint, non tamen ad  
litem prosequendam l. *Mutis* 43. *in princ.* D. *eod.*  
§. Infames olim procuratores nec dare nec  
dari poterant Paul lib. 1. *Sent. tit. 2.* at jure civi-  
li procurare possunt, §. *fin. Inst. De exceptionibus*;  
quia procuratoris officium non est dignitas, à  
qua removeri debeant, sed onus & quidem vile  
reputatum. Jure verò Pontificio tales pro Ec-  
clesiasticis non admittuntur, sed tantum pro lai-  
cis & secularibus. Panormit, *in c. Imperatorem*  
*u. 9. inf. De juramento calump. & Prohibetur et-*  
*iam reus criminis capitalis, l. Reus* C. *eod.* Re-  
demptor alienæ litis, l. *Litem* 15. C. *eod.* Excom-  
municatus, c. *Intelleximus inf. De iudiciis.* \* 6.  
Præterea Fiscus, Universitas vel Civitas, ne po-  
tentia vel gratia in re privata causam alteri s.  
partis reddat deteriore, c. 3. & *totò tit. Cod. Ne*  
*fisc. vel privat. & c. Fiscus* quidem, prout repræ-  
sentat totam universitatem, procurator ef-  
fectusque secus, si interveniat, ut procurator p.  
i. vati nisi aliunde ejus gratia aut potentia ost.  
ndatur formidolosa, *totò tit. Cod. Ne liceat potenti-*  
*oribus & c.* Denique qui Reipublicæ causa at fu-  
turus est, aut iuratus Magistratum, aut perperuo  
morbo tenetur, aut invitus iudicium pati non  
potest, idoneus procurator ac defensor non in-  
telligitur, l. *Neque* 34. D. *eod.*

§. V.

In quibus causis constitui possit.

1. Admittitur in omnibus non prohibitis specia-  
liter.
2. Prohibetur in publicis iudiciis alieno no-  
mine.
3. Item in criminalibus; & quatenus.
4. In privatis iudiciis quatenus.
5. Et in popularibus causis.

1. Ceterum in omnibus causis & negotiis  
constitui potest, in quibus non repe-  
tur prohibitum constitui procuratorem. Cum  
enim hoc edictum sit prohibitorium, quid-  
quid non invenitur prohibitum nominatim de-  
bet intelligi concessum, l. *Cum Prator* D. *de ju-*  
*diis.*

2. Non admittitur autem Procurator, neque  
ad agendum neque ad defendendum alieno no-  
mine, in publicis iudiciis. l. *penult. §. fin. D. De*  
*publicis iudiciis* l. 2. 3. & 5. *Cod. De his qui accusa-*  
*re possunt*; nisi quis ita de publico agat, ut &  
privatum commodum defendat: nam hoc casu,  
causa cognita, permittitur procuratorem dare;  
& postea aliud agens exceptione repellitur l. *Non*  
*cogendum* 45. §. 1. D. *eod.*

3. Præterea in non publicis, sed in crimina-  
libus, & ejusmodi, ut pœna supra relegatio-  
nem damnato imponi possit, d. l. *penult. §. ad cri-*  
*men* D. *de publ. iudic.* & ibi Bartol. & D. D. præ-  
terquam ad allegandam absentiam causam, l. *Ab-*  
*sens* 1. D. *h. r. Maranta* p. 4. *Spec. aurei dist. 1. nu 3.*  
& seq. nisi de crimine agatur civiliter ad pec-  
uniariam, prout de omnibus agi potest  
l. *unica* *Cod. Quando civilis actio præjuvaret cri-*  
*minali*, aut nisi de adulterio agatur coram Judi-  
ce Ecclesiastico ad thori separationem, c. *Tua h.*  
*tit.* Vide Marantam p. 4. n. 51. & seq.

4. An autem in privatis iudiciis admittatur  
procurator, controvertitur: & dici potest, ad-  
mittendum, ubi pœna præstituta est aut certa  
petitur, quæ sit minor relegatione, l. *Licet* D. *eod.*  
Si autem pœna sit arbitraria, uti quando agitur  
de suspecto tutore, non admittendum, quia  
tum pro ratione circumstantiarum augeri po-  
test, etiam usque ad mortem; & illa pœna pro-  
curatori imponi non potest.

5. In popularibus causis distingui solet, ut  
actor procuratorem dare non possit, nisi suam  
injuriam principaliter prosequatur, quia alias  
publica non sua causa est: pro reo autem alius  
rectè interveniat: quia privatam causam, hoc  
est pecuniariam, quæ istis actionibus peti solet,  
ructus, d. l. *Licet in princ.* Vide Wesenb.

in Parat. D. h. r. num. 5.

§. f. 30

O 3

§. VI.



## §. VI.

## De mandato Procuratorio.

1. Regulariter nemo admittitur sine mandato.
2. etiam cum generaliter ad negotia & iudicia constitutus intelligitur.
3. Defensionem tamen rei suscipere sine mandato quilibet potest.
4. Fines mandati à procuratore diligenter servandi.

**Q**uamquam conjunctæ personæ, quales sunt parentes, fratres, affines, liberi, liberi, & n. niles, usque ad quartum gradum, secundum Host in Summa h. t. n. 13. inter quos etiam est bastardus, juxta Peckii. De jure sistendi c. 3. Reyger in Thesaur. Iura V. Procurator n. 71 pro consanguineis; item maritus pro uxore, absque mandato procuratores esse possint dummodo caveant de rato, l. Pomponius § fin ff. eod. c. nonnulli § fin sup. De rescript. Glof. in c. 1. h. t. l. Marius C. eod. tamen non solet alias admitti in iudicio, tãquam procurator alterius ad agendum, nisi de mandato suo legitimè & plenè docuerit, d. c. 1. h. t. l. Non solum § qui alieno D. eod. & ibi DD. ut ex eo appareat, quã potestatem habeat. Nam constituitur is ad agendum in una causa, hoc ipso idoneus non est ad agendum in alia c. Constitutus 12. h. t. Ut neque constitutus ad acceptandum beneficium vigore gratiæ alterius, Joseph. Ludov. Conclus. 45. n. 29. Frustraque se defenderet reus in iudicio abversus actorem, cum non cogatur dominus ratum habere, quàm quod cum eo, cui dedit mandatum, reus egerit, resque inter alios acta præjudicare aliis non possit aut debeat, l. Cod. Quib. res judic. non noceat.

2. Similiter licet procurator, constitutus generaliter ad negotia, etiam ad iudicia datus, intelligatur, ut antè diximus: non tamen ad ea, quæ speciale mandatum exigunt: qualia sunt juramentum deferre adversario vel recipere, Mynsent 4. Obs. 99. in fine; vel cum eo transigere aut pacisci, contrahere sponsalia vel matrimonium, & similia, de quibus latissimè Joseph. Ludov. vic. Conc. 30. n. 7. ubi enumerat nonaginta tres casus requirentes speciale mandatum. a. dedò ut, licet constitutus ad agendum & defendendum, ac generaliter ad omnia ( quantumvis mandatum exigant speciale ) nihilominus ex vi generalitatis huiusmodi ad articulum aliquem in quo exigitur mādātum speciale, admitti non

debeat, nisi specificato aliquo vel aliquibus articulis, speciale mandatum exigentibus, adjecta sit clausula generalis, quia tum etiam nō expressa continerentur, c. 4. & 5. eod. in l. l. Procurator § 8 cum seq. D. eod. dummodo tamen hæc non sint graviora expressis, ut sunt matrimonii contractus, & exceptiones, quæ in electi, ve lejus, cui provisio faciendâ, vel facta est, personam obijciuntur: hæc enim propter sui momentum desiderant expressum mandatum, c. fin. junctâ Glof. eod. in 6. Clement 2. eod. tit.

3. Dixi antè, non admitti aliquem alieno nomine ad agendum absque mandato, id est ut agat partes actoris; quia pot. st. quilibet, etiam absque mandato, defensionem rei in se suscipere, etiam invito actore modò iustidat, id est, si de iustitiis satis promittat, iudicatum solvi, § fin. Insti. de satisfact. l. Qui proprios § 2. h. t. & personam legitimam standi in iudicio habeat: qui naturalitèrioni conveniens est, alterius conditionem per alium posse fieri meliorem, præsertim cum alterius non interest, l. Solvendo 39. D. De negot. gesti. publicèque expedit, absentes omnes, etiam ignorantes, per quemcumque defendi, l. Servum 33. §. publicè D. h. t. neignari damnum sentiant, nemine eos defendente, l. 1. §. fin. D. Quod cuiusque universi. nomine, & c. diciturque, qui alium sine mandato defendit, non procurator, sed defensor, in textibus iuri nostri, l. de quare 74. §. cum absentem D. de iudiciis & alibi.

4. Debet autem procurator diligenter servare fines mandati, alioquin in eo, in quo excedit, non præjudicat domino, l. Diligenter D. Mandati, & non tam constituti, quam sibi nocet, l. Si Procurator Cod. Mandati c. 9. inf. de arbitrio.

## §. VII.

## Quo pacto finiatur Procuratoris officium.

1. Finitur mutuo consensu.
2. Revocatione domini, re adhuc integra.
3. Finita instantia.
4. Morte domini.
5. Et procuratoris.
6. Item mutatione procuratoris.

**F**initur procuratoria potestas non uno modo. Et quidè primò, sicut mutuo consensu revocatur, l. Mutari 24. C. h. t. juxta vulgatam juris regulam, unumquodque eo modo dissolvi, quo colligatum est.

2. Secun-



2. Secundò, finitur per revocationem domini: si integra, id est, nondum contestata, *l. Ante litem 16. D. eod.* & ut Glossa ait, ad *Clement. 2. eod.* aut præparamenta in negotiis extra iudicium post litem verò contestatam, cum iam dominus sit factus litis, *l. Procuratoribus 22. Cod. eod.* non potest in ius revocari, nisi iusta causa subit, *e. 2. eod. in 6. l. Post litem 7. D. eod.* veluti si fuerit effectus inimicus domini, Calvoius in *Praxi §. Procurator conclus. 17. num. 2.* si suspectus, affinis vel hæres adversarii, vel ejus ætatis aut valetudinis, ut minus aptus sit litibus prosequendis aut negotiis gerendis, & sic de similibus, *del. Post litem, tum aliquo. seq. D. eod. c. 2. eod. in 6.* Sed ne quidem volens post litem contestatam revocari potest, si adversarius nolit, Suarez in *Thesaur. recept. sent. V. Procurator n. 192.* Ex iisdem causis potest petere procurator, ut etiam invito domino liberetur ab hoc onere, *l. Eiusfamilias 8. §. fin. cum sequenti. D. eod.*

Ut tamen locus sit revocationi, dominus eam non solum ipsi procuratori, sed & adversario suo vel iudici insinuare debet, *c. Ex insinuatione 3. §. seq. h. t.* alias, quod his ignorantibus fuerit gestum etiam post revocationem, ratum habendū erit *c. Mandato 13. h. t.* si utique vergat in præjudicium principalis: imputet enim sibi dominus quod iudicium vel adversarium revocationis suæ non fecerit certiorum.

Quod verò dictum est, revocari ante litem contestatam procuratorem, id fallit in procuratore substituto, nam hic, suscepto semel mandato, licet eo nondum fuerit usus, non potest à substituentem revocari: Nisi is habuerit potestatem revocandi ab ipso domino, à quo constitutus intelligitur, ita ut principalis procurator substituendo sibi alium censeatur officio suo functus, *c. 3. eod. in 6.*

3. Tertiò, finitur finita instantia, id est, lata sententia definitiva: Nec enim cogitur procurator iudicium appellationis prosequi, *l. In ius, Cod. eod.* neque gravandus est ultra finito per sententiam negotio. Secus dicendum, si constitutus esset generaliter ad omnes causas, & lites, moras & movendas quia tum non solum appellare, sed & prosequi appellationem tenetur.

4. Quartò per mortem domini constituentis, scilicet a adhuc *l. Nulla 23. Cod. eod. l. Si defun-*

*ctus 15. D. eod.* Sed & interdum re non integra, verum contestata & contra litem, per mortem constituentis potest quis desinere esse procurator, ut in *c. fu.* quo Prælati vel quilibet alius pro Ecclesia vel beneficio procuratorem constituit juxta *Clem. fin. eod. c.* quia nihil agi debet Sede vacante, & si quid fiat, perperam fieri dicitur, *c. 1. fin. inf. Ne Sede vacante. & c.*

5. Quartò per mortem ipsius procuratoris, non solum re integra, sed & defuncta esse integra, *l. Tam ex contractu 57. D. De iudic. l. Si quis 27. §. mortis D. Mandati.* Etenim non transit ad hæres hoc officium, cum videatur electa industria personæ, *l. unica §. ubi autem Cod. Decad. tellenau.*

6. Sextò, mutatione procuratoris, seu alio in locum ejus substituto: veluti quando diversis temporibus pro eodem negotio constituuntur plures procuratores, per constitutionem posterioris censetur revocatus prior, *l. Si quis cum procuratorio §. fin. De eod.* nisi exprimat quod in secunda constitutione priorem non revocare intendat, *arg. c. Si quem eod. in 6.* vel prior jam litem contestatus fuerit aut ad certam causam constitutus, & posterior generaliter ad omnia negotia quia per genus non derogatur speciei. Cabedo *Decis. 14 n. 15. cum seq. lib. 1.*

7. Septimò si ipse dominus sive ante sive post litem contestatam, ad causam suam veniat, non ut assistat procuratori suo, prout potest, *c. 2. eod. in 6.* sed ut eandem causam per se tractet: nam eam per se tractando, cesserit tacite procuratorem revocare, nisi ex protestatione, aut aliis conjecturis contrarium apparet, *d. c. Si quem.*

#### §. VIII.

De exceptionibus, quæ personæ Procuratoris objici possunt.

1. Exceptiones illa desumenda partim ex persona domini constituentis, partim ex parte procuratoris.
2. Sed cum distinctione.
3. Falsi procuratoris gesta, opposito defectu mandati, rata non sunt.
4. De habentis mandatum dubium.
5. De excommunicato.

1. **E**X prædictis pater, quænam exceptiones in iudicio adversus procuratorem vel actoris vel rei objici possunt, sive ex parte ejus a quo



quo constitutus est; veluti quod constitutus sit à non habente potestatem constituendi, uti à non domino, vel eo, ad quem causa non pertinet, & sic de similibus (nam omnia, quæ adversus principalem opponi possunt, etiam procuratori ejus possunt objici;) sive ex parte procuratoris, veluti quod is procurator esse nequeat, quia sit minor, excommunicatus, reus criminis &c. \* 2. Hac tamen servata distinctione, quod tamen quis ideo procurator esse nequeat, quia legitimam personam standi in iudicio non habeat, idque in quacumque parte litis objici, & probari possit (cum paria sint, non esse, & non legitimo modo esse, *l. Quoties D. qui satisfacere cogantur*; totiesque judicium reddatur nullum quoties una persona ex tribus, ad judicium requisitis, deest, sive is actor sit, sive reus sive iudex, *c. Forus inf. De verb. significat. l. iudicium D. De iudiciis*;) tamen si jus standi in iudicio habeat aliunde, puta ratione militiæ, dignitatis, aut alterius similis causæ ab officio procuratorio repelli possit: quodque si principio nihil contra personam eius exceptum fuerit, valeat iudicium, nec quicquid post litē contestatam posset objici *l. Ita demum 13. Cod. eod. l. Qui procuratorem 57. C. eod.* excepto impedimento, excommunicationis, sive exceptio oriatur ex defectu materiæ controversæ, quia ea non admittat procuratorem, ut quia actio sit criminalis, in qua regulariter non admittitur procurator, quæ de re cum limitationibus vide Ant. Gabriel. *l. 7. de malefic. conclus. 9.* Quævis si plura sint crimina, & inter ea aliqua capitalia, aliqua pecuniaria, admitti possit pro pecuniariis, non pro capitalibus, Jos. Ludovic. *conclus. 46. n. 33.* vel quia sit popularis actio, vel quia exigit speciale mandatum, cum exhibeatur tantum generale. Sive denique ex parte mandati, ut quia non sit sufficiens, non debita forma conceptum, aut transfusum ad iudicem vel adversarium, aut revocatum, vel aliqua in parte sit mutatum, & sic de similibus.

3. Falsi autem procuratoris gesta, post defectum mandati oppositum, non possunt rata haberi: antea verò & quæ damno & quæ usui domino sunt, recte confirmat dominus Suarez *in Thes. recept. sentent. V. Procurator n. 319. & 320.* Falsique procuratoris exceptio est peremptoria, & opponi potest etiam post sententiam, *l. Licet 42. D. De*

*procuratorib.* Et similiter exceptio, *Tu non es procurator*, semper opponi potest: sed exceptio, *Tu non potes esse procurator*, tantum ante litis contestationem, Reiger *in Thes. suo juris V. procurator. num. 85.*

4. Habens verò mandatum dubium, admitti potest cum cautione de rato, nisi causa requiratur speciale mandatum; aut sit causa matrimonialis, in qua; quia arduum vertitur negotium, non admittitur cum cautione, si de mandato illius dubitetur, Velsius, *in Praxi l. 4. c. 5. num. 19. & 21. annos.*

5. Denique quia dixi, excipi impedimentum excommunicationis, Notandum est, ita distinguendum videri, ut si fuerit excommunicatus tempore constitutionis, quia tunc non subsistit constitutio, maneat falsus procurator, & processus non valeat: si vero post mandatum supervenerit excommunicatio, tum, si non opponatur, valeant acta: quemadmodum alias, ubi quis contra legem prohibetur esse procurator, processus nihilominus cum eo factus, est validus, nisi contra eundem excipiatur ante prolationem sententiæ, Felius *in c. Post sessionem n. 22. inf. De probationibus.* Ante mandatum verò non valent acta ipso jure, sive opponatur, sive non, Maranta *4. p. Dist. 16. n. 42.* ubi plenius vide.

## TITULUS XXXIX.

## De Syndico.

1. Syndicus in quo distinguatur à Procuratori.
2. Ab actore.
3. Ab Administratore Universitatis.
4. Ab Oeconomo.
5. Constitui necessario debet ab Universitate.
6. 7. Quis & qualis constituendus.
8. Satisfacere non tenetur.

1. **P**ROCURATORES Universitatum & Collegiorum, qui propriè Syndici vocantur, à procuratoribus privatorum propriè dictis distincti sunt: quod hi à dominis, Syndici verò ab Universitate, Collegio, vel alterius communione corpore constituentur, ad negotia illius tractanda, ac potissimum ad causas & lites in iudicio prosequendas, *l. 1. §. quibus*



*permisum D. Quod cuiusque Universi nomine &c.*  
*1. Quia in causis sup. De procuratoribus.* Nam  
 Syndicus dicitur à *syn*, id est, causa quæ in iudi-  
 cio agitur: Unde & in Decretalibus diversi ex-  
 stant Tituli, *De Procuratoribus & Syndico*; & di-  
 versis nominibus appellantur, quod arguit esse  
 diversos, arg. l. *Si item codicillis Cod. De codicillis*,  
 licet magnam inter se habeant affinitatem. Ac-  
 quæ ideo, ubi dicitur, causam universitatis agi  
 per procuratorem, ut in *d. c. Quia in causis c. Pe-  
 titio 9 sup. De procurat. c. Cum causam inf. De ju-  
 ramento calumnia*, id accipi debet de Syndico,  
 quia ubi constat de voluntate constituentis,  
 non est facienda vis in nomine, arg. §. *si quidem  
 in nomine Inst. De legatis*.

2. Tamen si autem in eo quidam distinguant  
 Syndicum ab Actore, quod Syndicus generali-  
 ter constituatur ab Universitate vel Collegio,  
 aut alio corpore, ad omnes causas etiam crimi-  
 nales, tam præsentis quam futuras tractandas,  
 sine decreto; Actor vero specialiter, ad unam ali-  
 quam causam, vel plures præsentis cum decre-  
 to, l. *item eorum §. si Decuriones D. Quod cuiusque  
 universi nomine &c.* tamen in hac materia pro-  
 curatorem universitatis vel alterius communi-  
 tatis Actorem pro Syndico, & è diverso, sumi,  
 patet ex l. *1 in p. c. a Borem sive Syndicum, d. c. & d.  
 c. Petitis sup. De procurat.*

3. Differt verò Syndicus ab Administratore  
 Universitatis, quod hic in administratione pec-  
 uniarum, aliorumque negotiorum, eodem perti-  
 nentium, versetur; Syndicus in litibus pro-  
 sequendis, in quo etiam differt à Curatore civita-  
 tis, qui alia negotia civitatis extrajudicialia pro-  
 sequitur.

4. Differt ab Oeconomo, quod is sit dispen-  
 sator Ecclesiæ seu defensor, cui res Ecclesiæ gu-  
 bernandæ mandantur.

5. Necessè autem est, ut Universitas, sive alia  
 communitas, constituatur Syndicum, quia absque  
 constitutione nec agere quidquam, nec cum ea  
 quidpiam agi rectè potest, l. *Sicut §. 1 D. Quod  
 cuiusque universi sit. &c.*

Ad constituendum verò convocandi seu ci-  
 tandi sunt omnes, qui sunt de communitate,  
 quique ius suffragii habeat, secundum morem  
 consuetum, quia quod omnes tangit, ab omni-  
 bus approbari debet. Si tamen aliqui vocati se  
 absint, possunt præsentès Syndicum

constituere, modo sint duæ partes, vel major  
 pars Universitatis, juxta l. 3. *D. d. r.*

Non est tamen necessarium, ut instrumento  
 Syndicatus exprimantur omnium constituti-  
 um nomina, modò sigillo Universitatis munia-  
 tur, ut docet Panorm. in *c. unico h. 1 Mynf. Cent.  
 1. Observ. 76. post Oldradum Conf. 100* Alii di-  
 stinguunt, ut innumerosa Universitate ob diffi-  
 cultatem exprimi non debeant, nisi eo casu, quo  
 ad alienandum Syndicus constituitur, juxta *c.  
 fin sup. De procurat. c. l. fin. Cod. De vendendis re-  
 bus civitatis lib. 10.* in parva verò necesse sit ex-  
 primi, ut appareat duas partes fuisse præsentès,  
 & nullum constituentium excommunicatum.  
 Crediturque instrumento Syndicatus, modo  
 appensum habeat sigillum Universitatis, tam-  
 quam factum de consensu eiusdem Universita-  
 tis, *c. Tertio loco 5. inf. De probat.*

6. Constitui verò Syndicus potest, sive ex ip-  
 sa Universitate, si in ea reperitur idoneus, sive  
 extraneus: quamvis satius fuerit adsumi ex ipsa  
 Universitate, quando in ea reperitur idoneus,  
 quia præsumitur talis majori fide & diligentia  
 causas suæ communitatis acturus quàm extraneus.

Suadet tamen Pontifex Religiosis, ut causas  
 suas extraneo alicui, non Religioso, demandent,  
 constituto etiam salario aliquo, quia expedit  
 servos Dei, vel cum aliquo suo incommodo, à  
 strepitu abstinere forensi, ne hoc pacto à divinis  
 avocentur officiis, *c. unico h. 1 c. 1. inf. No Cle-  
 rici vel Monachi &c.* Nec obstat, quod Monachi  
 possint esse procuratores Superioris licentia,  
*can. Monachi v. 1. q. 1.* quia id verum est necessita-  
 te cogente: ut si ob paupertatem non possint  
 alicui extraneo salarium constituere.

7. Sed & laicus potest esse Syndicus Univer-  
 sitatis Ecclesiæ, etiam in spiritualibus, quia non  
 exercet aliquam spirituales, ut patet ex *c. 1. De  
 procurat. in 6.* Et ideo non obstat *can. judicatum  
 Distinct. 89 c. 1. In nona actione xvi q. 7.* ubi  
 videtur requiri, quod sit Clericus, quia illa iura  
 loquuntur de Oeconomo seu administratore  
 rerum Ecclesiasticarum, cum scilicet commit-  
 titur cura rerum Ecclesiasticarum, tam spi-  
 ritualium quàm temporalium, ut ibidem indi-  
 catur: nam ob admixtionem spiritualium tale  
 officium non cadit in laicum, secus; ubi agitur  
 de cura temporalium tantum. Panorm. in *c.  
 unico h. 1.*

p

8. Sicut



8. Sicut autem tutor non cogitur satisficere, quia auctoritate publica constituitur, *l. Tutoris Cod. de administrat. tutor.* ita nec Syndicus caver de iudicatum solvendo, sed tantum de iudicio fisci cum sit persona publica, vicemque Universitatis sustineat, quæ præsumitur semper esse solvendo: nisi quando de syndicatu & mandato probabiliter dubitari potest, *Glossa l. item § fin. D. Quod cuiusque universit. &c.* Ex eadem causa Syndicus jurat de calumnia in animam propriam, non verò Collegii constituentis, *e. In pertra. Bandus 3 cum e seq. inf. De juram. calumnia.*

## TITULUS XL.

## De his, quæ vi metusve causa fiunt.

1. 2. Ratio ordinis.
3. Quid sit vis, & quotuplex.
4. Quid Metus.
5. Metus gesta ipso jure valent & obligant.
6. Exceptio.
7. Succurritur metum passio per restitutionem in integrum.
8. Dummodo metus sit cadens in censuram virum.
9. Metus reverentia non prodest.
10. Communicans cum excommunicato per metum peccat.
11. Oportet etiam ut praesens sit metus.
12. Et ab extrinseco illatus.
13. Quod si iusto metui iuramentum accesserit, illud servandum erit.

**P**ostquam egit Pont. de exceptionibus, quæ desumuntur ex personis eorum, qui alieno nomine in iudicio versantur, quas actor vel reus, priusquam litem ingrediatur, adversario suo obicere potest; & de iis, quæ sponte agimus in iudicio, vel extra iudicium, quæque valent & irrefragabiliter servata sunt, *l. 1. D. De pactis*: merito nunc & recto ordine subiicit de iis exceptionibus, quæ desumuntur ex personis, vel actoris vel rei, ad quas res contra versa pertinet, si quid vi aut metu factum sit, sive contractum, sive aliena-

tum: ut sciatur, an ea quoque valeant, & quo casu valeant, an verò retractari possint & debeant.

2. Vis est maioris rei imperus, qui repellere non potest, *l. 2. D. Quod metus causa gest. erit.* Vim namque accipimus atroce, & quæ adversus homines mores sit, non eam, quam magistratus infert jure licito, & jure honoris, quem sustinet, *l. 3. D. eod.* non alium etiam minorem imperum, qui, quatenus minor, vim inferre non potest.

3. Vis proinde, quemadmodum sumitur hoc loco, alia est Præcisa; veluti si violentia inevitabili eripiam alicui librum, pileum, vel quid aliud, vel deiciam aliquem in flumen, quo casu magis pati quam agere quis dicitur, *e. Sarrus §. h. 2.* Alia est Cautiva sive Conditionalis, quæ non absolute cogit, sed sub conditione; ut si quem cogam mihi tradere equum suum, vel solvere centum. Rursus alia est Publica, quæ cum armis fit, & vis armata dicitur: alia Privata, quæ fit sine armis, & simpliciter, Vis aut Vis non armata dicitur: unde & in Digestis existat Titulus De vi, & vi armata. Alia insuper impulsiva, qua quis impellitur ad faciendum, quod alias non faceret: alia Ablativa, qua quid mobile ab aliquo aufertur: alia Expulsiva, qua quis e possessione sua eiicitur: alia Turbativa, qua quis turbatur in sua possessione: alia denique inquietativa, qua quis inquietatur in usu rei suæ. Et omnibus his casibus dantur interdicta vim patientibus adversus eam inferentes. Abbas in c. 2. n. 4. h. l. Jalon in l. Si quando Cod. Unde vi.

4. Metus in genere dicitur, instantis periculi vel futuri causa mentis trepidatio, *l. 1. D. eod.*

5. Quantum igitur ad ea attinet, quæ vi metusve gesta esse dicuntur, ea valida sunt & obligant ipso jure, ut constat ex l. Simuliter 24 §. 5. D. eod. l. Si metus causa 185. D. De acquir. heredit. & l. 1. D. h. 2. ubi ait Prætor. Quod metus causa gestum erit, ratum non habeo: nam verbum futuri temporis significat non ipso jure esse nullum & irritum, sed irritandum. Constat item ex c. 2. h. 2. in verbis quæ metus & vis sunt, de jure debent in irritum revocari. Item ex Tit. Instituit. De exceptionibus in prime. ibi, Si metu coactus Titio stipulanti promissisti, quod non debueris promittere, palam est jure te obligatum esse. Præterea ex l. fin. Cod. h. 2. ubi venditiones, donationes, transactiones per potentiam extortæ, præcipiuntur.



piontur infirmari : nam inde sequitur, ipso jure valere, ut juris remedio infirmandas, *d. cap. 2.* Confirmatur ex eo, quod Prætor promittat actionem & exceptionem *Quod metus causa*, ad hoc, ut gesta metu rescindantur, *l. Metum 9. §. 3. & 4. D. eod.* atque exceptio non solet competere, nisi ut elidatur actio, quæ ipso jure competit, *2. D. de exceptionib.* Ratio autem, cur quicquid per metum gestit, obligetur regulariter, est, qui coactus consensus est consensus, & coacta voluntas est voluntas, *d. l. Si mulier* : nam qui per metum vel metu coactus consensus suum præbet, verè & absolute consentit, atque ex duobus malis eligit minus, v. g. male contrahere, quam interfici, vel aliud gravius malum pati, *can. Non solum xxxi. q. 4. Wesenb. ad D. h. tit. n. 1.* atque ita elicit actum ipsius consensus, cujus consensus principium est voluntas, quæ licet quoad actus imperatos simpliciter cogi possit, non tamen quoad elictos, sed conditionaliter dumtaxat, quia scilicet, secluso metu, voluntas nollit nec eligeret illud minus malum.

6. Exciipiuntur tamen casus aliquot, in quibus metus viriat ipso facto, ut notatur in *c. Abbas 2. h. tit.* ut in causa matrimonii per metum contracti, in causa dotis per metum promissæ vel solutæ, in causa jurisdictionis per metum extortæ, voti per metum emissi, sententiæ per metum latæ, & aliis, de quibus Abbas in *d. c. 2. num. 8. & seqq. hoc* potissimum verò in causis spiritualibus, in quibus ea subtilitas, non attenditur, sed simpliciter vi metus gesta pro nullis habentur, *Wesenb. ad D. h. tit. in princ. post Abb. in c. De muliere, c. Cum locum n. 2. & 6. c. Veniens inf. De sponsalib.*

7. Cæterum licet regulariter gesta per metum summo jure teneant & obligent : tamen ob injuriam illatam metum passio, merito rescindi petuntur per in integrum restitutionem ; competitque reo adversus agentem, virtute contractus metu iniri, exceptio *Quod metus causa* : sive ipse, in cujus favorem contractus celebratus est, metum fecerit, sive alius quia res metu acquisita, transit affecta eo vitio ad quemcumque possessorem, *Glossa in c. 2. hoc t. l. item si 1. 4. §. in hac actione D. eod.* nisi quis sua culpa in metum incidat, *d. l. Si mulier in princ. D. eod.* & metus justè inferatur : veluti si mari-

tus minetur uxori accusationem de adulterio : cessat enim tunc ratio injuriæ, intuitu cujus contractus metu iniectus rescindi petitur. Quod si injustè & non juridice metus inferatur, veluti si maritus uxori adulteræ minetur mortem privata auctoritate, subvenitur metum culpâ suâ patienti, *c. Veniens inf. De sponsal. l. Nec timorem 7. h. t.*

2. Non quilibet autem metus metetur restitutionem, sed metus cadens in constantem virum ; qui dicitur justus metus, *cap. fin. inf. de appellat.* item probabilis & gravis : ut & qui in virum cadit inconstantem seu pusillanimum & formidolosum, qui etiam non timenda timeat, vocatur metus injustus, improbabilis, levis & vanus, juxta regulam Juris, Vani timoris justa exculatio non est, *l. Vani D. de R. l.* Dicitur autem metus cadens in constantem virum, qui respectivè ad personam patientis, spectatis etiam aliis circumstantiis (veluti, an causa minoris justa sit) & qualitate ac robore personæ, metum patientis, atque etiam infereatis (idque arbitrio judicis, ubi ex jure constat) meritò gravis & timor gravis mali censetur, *juxta l. 3. D. Ex quibus causis majores &c.* quippe qui illatus cogeret etiam quemlibet prudentem virum eligere potius, quod electum est, quam incurrere gravius aliquid, quod intentabatur : prudentis enim est ex duobus malis eligere minus.

Dico, respectivè ad personam patientis : quia metus, qui respectu unius dici potest cadens in constantem virum, non potest dici talis respectu alterius, fortioris & robustioris ac majoris animi. Et minor metus requiritur in femina, quæ suapte natura est imbecillis, ut latè Tiraquel. *lib. 1. Connub. n. 71. & seqq.* quam in viro arg. *can. Indignantur xxxii. q. 6. ibi, cum tanto gravius. &c. Sicut inf. De homicidio, in princ.* ideoque considerata ætas, fragilitas ac magnitudo animi ejus, cui incutitur metus.

Gravis igitur seu in constantem virum cadens metus censetur in jure metus mortis, *cap. Cum dilectus 6. h. t. d. l. Nec timorem 7. D. eod. l. Si per vim Cod. Quod metus causa* : metus mutilationis, quia hæc est quædam mors partialis membri, *can. Si quis absciderit dist. 55.* item metus amissionis vel universi patrimonii vel majoris partis, *c. 2. h. t. & sic de similibus.*



9. Dubitatur de metu reverentia. At verior opinio est, non cadere eum metum in constantem virum, nec venire in Edictum. *Quod metus causa*, &c. l. ult. h. t. & l. Ad invidiam 6. C. eod. nisi minæ aut verbera, aut alius gravis metus accedat, ex c. Ex litteris inf. De desponsat, impub. rum, in verbis, nolens &c. quæ sententiam latè deducit Sanchez De matrim lib. 4. Disp. 6. d. num. 7. Similiter dicendum, solas minas per se non esse iustam causam metuendi, nisi procedant ab eo, qui solitus sit eas exequi, juxta l. Metum 9. Cod. h. t. ibi, non jactationibus & protestationibus.

10. Ex dictis intelligi potest, cur is, qui metu mortis inductus communicat eum excommunicato in iis, quibus Canones vetant communicare, in divinis scilicet, non excusetur à peccato, nec teneatur excommunicatione, c. Saceris 5. h. tit. Nimirum quia talis metus quo quis peccat, non potest esse iustus; quandoquidem quilibet, quemlibet metum potius perpeti debeat, quam semel mortale peccatum incurrere. Aliud dicendum, si absolute fuerit coactus, d. c. Saceris: quamvis etiam metus iustus hoc faciat, ut peccatum sit levius, d. c. Saceris.

11. Secundò, requiritur ad restitutionem in integrum metus præsens & iusta illius causa, veluti præceptum aut preces Principis, & similia, de quibus Sfort. Oddus l. p. q. 7. art. 9. d. n. 84. & non tantum suspicio ejus inferendi, l. Metum D. eod. Quamquam si talis suspicio sit quoque iusta & probabilis, sufficiat ad rescindendum contractum, quia tunc habetur pro metu, per l. Novissime 7. D. Quod falso tutore aut. &c. ibi, quid si compulsus, aut metu, ne compelleretur &c.

12. Tertiò, debet esse metus ab aliquo extrinsecus illatus, & quidem eo fine, ut res talis fiat. Hinc si quis aliquid promittat vel voveat, ægrotus, aut in periculo naufragii, ob metum mortis, vel res suas vendat, ne fame pereat, tamen tenetur, & stare debet suæ promissioni & venditioni, perinde ac si absque metu promississet vel vendidisset, c. Sicut nobis 17. inf. De Regularibus; quia hic metus non est ab aliquo extrinsecus illatus, sed suapte natura & fortuitò accidit. Similiter si quis mihi metum inferat ad matrimonium contrahendum, & eo metu percussus res meas vendam, non retractabitur venditio.

13. Quid si quis iusto aliquo metu inductus promiserit aliquid, vel juri alicui renuntiaverit, puta electioni de se factæ, & juramento promissionem vel renuntiationem firmaverit, an non poterit uti exceptione hac, quod metus causa promiserit vel renuntiaverit, & contravenire juramento? Dicendum, licet Jure civili juramentum ejusmodi per vim & metum extortum sit nullum. *Auth. Sacramenta puberum* Cod. Si adversus venditionem; Jure tamen Pontificio, quod plus deferit religioni juramenti, si tale juramentum non vergat in dispendium salutis æternæ, omnino servandum esse, nec competere exceptionem, c. Ad aures c. Cum dilectus h. t. c. Si verò aliquis inf. de jurejurando. At verò si quod juratum est, sit turpe & contra bonos mores, tum juramentum est nullum, cum juxta regulam Juris, non sit obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum, c. Non est de R. l. in 6 & teste Ambros. in can. Vnusquisque xxii. q. 4. tolerabilis sit juramentum non servat, quam quod turpe est facere.

Notandum denique hic est, ei qui metum passus est, competere duo remedia, adversus ea, quæ metu gessit, scilicet actionem. *Quod metus causa*, quam intentare potest, dum vult contractum rescindere; & exceptionem, *Quod metus causa*, quâ, uti potest adversus agentem, virtute contractus metu initi, & qua probata, repellit agentem.

## TITULUS XLI.

### De in integrum restitutione.

#### §. I.

Quid sit Restitutio, & quibus detur.

1. 2. Restituere & Restitutio quid sit.

3. Datur minoribus 25. annis.

4. 5. Dummodo probent & artem & lationem & quanta ea esse debeat.

6. 7. 8. Datur præterea Reip. Ecclesia, & aliis p. locis.

9. Item majoribus 25. annis ex justa causa.

10. Deque eo, quo in minori aetate gestum est. Inlet.



Inscribitur hic Tit. *De in integrum Restitutione* generaliter, quia præter metum, ex aliis quoque causis specialibus competit restitutio in integrum, veluti minoribus, & Ecclesiis vel aliis lapsis seu circumscriptis, siue metu, siue caliditate, siue ætate, siue absentia inciderint in captionem, siue per mutationem status, aut justum errorem, l. 1. & 2. D. h. t.

1. Restituere duo significat; reddere, & rem in pristinum statum reducere, ut perinde sit ac si nihil adversus eam evenisset, l. *Restituere* D. de verb. sig. l. 2. §. *restituas* D. Ne quid in loco publico &c. & ita hic sumitur.

2. Definitorque Restitutio. In integrum in pristinum statum repositio seu reductio, *can. fin. in fine* 2. q. 3. siue pristini juris rei integratio: ita ut unusquisque jus suum integrum recipiat, perinde ac si nullum negotium gestum esset, l. *Quod si minor* §. *restitutio* D. de minoribus, l. *unica* Cod. de reputationibus, quæ sunt &c. l. 1. C. De sententiam passis, Glossa in c. *Audistis* h. t. in v. contra reliquam.

Datur verò non statim quibusvis, sed certis personis, & iustis de causis, cognitis & probatis, eamque infra præscriptum à jure tempus peti necesse est.

3. In primis igitur datur hoc beneficium minoribus xxv. annis, si vel ipsi vel eorum tutores, curatores aut procuratores ex sententia Judicis, siue interlocutoria siue definitiva, vel aliò actu judiciali læsi sint, l. 1. & 2. totò tit. C. Si adversus rem judicatam &c. vel alias contrahendo aut omittendo læsos se probent, *Constitutus* §. h. t.

4. Ut autem minor restituatur, duo probare debet: primo minorem ætatem, in qua quid gessit, d. c. *Constitutus*; quia regulariter ætatem probare debet: qui in ea se fundat siue agendo siue excipiendo; siue sit minor, siue major, l. *Nam postea* §. *Si minor* D. De jurejurando.

5. Secundo probare debet læsionem ex tali actu, vel dolo adversarii, vel ætatis facilitate: non tamen modicam, l. 4. D. eod. quæ scilicet tam levis atque exigua, quam judex merito contemnat. Neque enim facile ob rem minimam rescindi debet id quod jure subsistit, l. *Si ex causa* D. de minoribus, cum, ut dici vulgo solet de minimis non curet Prætor, à quo hoc restitutionis beneficium proficiscitur, ut videre licet

larè apud Sfort. Oddum 1 f. 94. 4. art. 12. Sed neque maximam læsionem esse oportet, vel quæ tanta sit, ut dimidium excedat justipretii, quia cum tunc minor sit tutus ipso jure, & communi auxilio munitus juxta l. 2. C. De rescind. vendit. illi necessarium non est hoc extraordinarium remedium, l. *In causa* cognitione 16. in princ. D. de minoribus.

Dico, non esse necessarium; quia licet regulariter cesset restitutio in integrum, quando remedium competit ordinarium, vel latè tradit Sfort. 1. p. q. 17. art. 2. tamen potest cum eo concurrere, quando pinguius & plenius providetur per extraordinarium, quam per ordinarium, Sfort. d. q. 17. art. 2. v. 33. Uti in casu proposito locupletius est remedium hoc extraordinarium: & minorum interest, posse pluribus actionibus jus suum prosequi & remittere.

6. Secundo, exemplo minorum, competit Reip. ac civitati, l. 4. Cod. *Quibus ex causis majores* &c. l. 3. C. de jure Reip. lib. 11. item castro ac villæ, l. *Si hæres* jussus 73. §. *vici* D. de legat. 1. & ibid. *Jafon. idem* Jaf. ad l. fin. in princ. C. De sacros. Eccles. Quamvis privatorum loco habeantur, l. *Eum qui* 16. D. de verb. signif.

7. Similiter Ecclesiæ, quoquo modo læsa sit, siue contrahendo, siue alienando c. 1. h. t. siue in judicio, siue extra judicium, per Episcopum vel alium Prælatum, aut per procuratorem aut syndicum, c. 2. 3. & 7. h. t. atque aliis piis locis: quia Ecclesiæ læsæ minori comparatur, d. c. 2. & 3. in verbis, *jure minoris*: adeo ut etiam adversus aliam Ecclesiæ petere possit hanc restitutionem, d. c. 3. & c. *Suscitata* 6. h. t. Imo & adversus sententiam Papæ, c. *Ex litteris* 4. cum seq. h. t. can. *Sententiam* & can. *Veniam* xxxvi. q. 9. sicut & minor adversus sententiam Principis, l. *Minor* 18. D. de minoribus. Nec obstat, quod dici solet, privilegiatum non posse uti suo privilegio in privilegiatum: quia id verum est in pari utriusque causæ, puta, si uterque læsus sit, & uterque æque ceteris de damno vitando, quia cum possidentis melior est conditio, c. *In pari de R. Lin.* C. Secus, si unus læsus sit, alter non, vel si unus ceteris de damno vitando, alter de lucro capiendo.

Quarto, competit etiam majoribus xxv. annis, si iusta causa sit, cur restitui mereantur, d. c. *Ex litteris* h. t. præsertim ob absentiam Reip. causa



caussa, vel etiam ob aliam, l. 1. §. 2. C. Ex quibus  
caussis majores &c. l. Nec non D. eod. tit. ut iusti et  
rotis, l. 2. D. eod. vel iustæ ignorantia; de quibus  
latè Sfort. Oddus 1. p. q. 8 per tot. juxta illam  
Prætoris generalem clausulam, Si qua alia iusta  
caussa mihi videbitur, in integrum restituum, l. 1.  
D. Ex quibus causis majores, &c. Ad quam clau-  
sulam toties recurendum erit, quoties æquitas  
suggeret, l. Sed et si §. fin. D. d. t.

Sed & majoribus competit de gestis in mino-  
re ætate, intra quadriennium ab ingressu ætatis  
majoris, l. ult. C. De temporib. in integrum restitut.

## §. II.

Intra quod tempus, & coram quo peti re-  
stitutio debeat.

1. Peti debet intra quadriennium continuum à  
tempore læsionis.
2. Coram iudice rei.
3. Adversus sententiam inferioris vel qui æqualis  
sit jurisdictionis.

**P**eti & peragi restitutio in integrum debet  
intra quadriennium continuum à tempore  
seu dielætionis, c. 1. §. 2. eod. in 6. Idque cognita  
caussa, ob quam petitur, & præsentè adversario,  
ut causas restitutionis allegari ab impetrante  
audiat, d. c. Ex litteris l. 3. D. eod. quia quod quem  
tangit, peragi non potest, nisi is ejus sit certior  
factus, c. Quod omnes De R. l. n. 6. aut per contu-  
maciam ablit, l. In caussa 13. in princ. versie. caussa  
D. De minorib. Si tamen aut prævaricationis aut  
fraudis manifestè probetur intervenisse com-  
mentum, aut alia iusta causa subsit, poterit Ju-  
dex tempus hoc quadriennii in danda restitu-  
tione excedere, d. c. 1. §. 2. eod. in 6. Proponitur  
autem hæc petitio, non jure actionis sed implo-  
rato iudicis officio, l. Quod si minor 24. §. ult. D.  
eod. & est communis.

2. Peti verò restitutio debet coram Iudice  
rei contra quem petitur, d. l. In caussa 13. §. fin.  
cum l. seq. c. Caussa h. t. quia actor sequi debet  
forum rei. Oportet tamen hunc Iudicem habere  
administrationem jurisdictioni suæ conjunctā;  
vel esse delegatum ab eo ad universitatem causæ  
suarum, qualis est Officialis Episcopi vel specia-  
liter ad hoc iudicium exercendum: nam Ordina-  
rius, qui administrationem non habet, sed tām-  
quam iudicandi facultatem, & delegatus ab eo, de

caussa restitutionis cognoscere non potest, uti  
nec arbiter compromissarius; nisi coram eis mo-  
ta incidenter fuerit causa V. G. Si Juxta sen-  
tentia sua interlocutoria alterum læserit, resti-  
tuere potest adversus hanc suam sententiam d. t.  
Caussa h. t. l. fin. Cod. ubi & apud quem & c. l. Quo-  
ties c. De iudiciis Sfort. 1. p. q. 31. art. 6. & seq. At  
verò delegatus à summo Pont. etiam ad unam  
aliquam causam, quia multò pinguius habet,  
quam delegatus ab Ordinario, ut dictum est  
sup. De officio & potest. iud. deleg. restituere indi-  
stinctè potest.

3. Minor magistratus adversus sententiam  
majoris non restituit, l. Minor 18. in princ. D. de  
minorib. Adversus sententiam definitivam ip-  
sius Principis, vel Procuratoris, vel Vicarii, aut  
delegati illius, solus restituit Princeps, d. l. Mi-  
nor, l. 3. C. Si adversus rem judicatam &c. Sfort.  
1. p. q. 51. art. 3. n. 33.

Potro Juxta in concedenda restitutione in  
integrum adversus contractum, n. iure vali-  
dum, prospicere debet, ne is, adversus quem re-  
stitutionem concedit, fraudetur pretio vel  
sumptibus seu melioramentis necessariis & uti-  
libus, quæ fecit, c. 1. h. t.

## §. III.

Effectus restitutionis in integrum.

1. Pendente restitutione nihil innovandum.
2. Ea obrepta redintegratur pristinum ius.
3. Transit eadem in heredem, non in successorem.

**E**ffectus restitutionis in integrum pro sub-  
jecta materia varius est. In primis penden-  
te restitutionis iudicio regulariter nihil est in-  
novandum ab una vel altera parte, sed omnia in  
statu suo manere debent, donec res finita sit, l.  
unica Cod. restitut. in integr. postulata ne quidem  
novi fiat: nisi contra eum, qui petit restitui in  
integrum militet vehemens præsumptio mali-  
tiæ, quod scilicet causa differendi & protrahen-  
di executionem sententiæ hoc perat; quia hoc  
casu sit executio, præstita idonea cautione de re-  
stituendo, quod medio tempore, occasione sen-  
tentiæ, percipiet adversarius, si petens restituti-  
onem prævaluerit, c. Suscitata h. t.

2. Obrepta vero restitutionis effectus est,  
quod, data restitutione adversus sententiam, et  
integro agi debeat, adversus contractum vero  
vel alium actum, res retractetur, & in pristinum  
statum repopatur.

3. Per.



3. Præterea is effectus est restitutionis, quod, licet remedium sit extraordinarium personale, l. 3. §. *sed utrum* 4. D. De minorib. tamen, quia est in rem, & juri familiæ inhæret, d. l. In causa 13. §. *interdum*, ideo ad hæredem & ad universalem succellorem transeat l. 2. §. 4. c. De temporibus in integrum restit. accedi possit, l. Quod si minor 24. in prin. D. eod. non tamen transit in fidejussorem vel socium d. l. In causa, l. 1. §. 2. c. De fidejussor. minor. quia iniquum & injurium foret subvenire fidejussori in necem creditoris, qui in securitatem obligationis fidejussorem recepit, d. l. In causa. Secundò, quia fidejussor habet recursum adversus minorem, ut indemnitas maneat: ideoque eum ordinarium habeat remedium, non debet ei concedi extraordinarium. Denique, quia minor restituitur, eò quod fragile & infirmum sit ejus iudicium: ejusmodi non est fidejussoris, qui cum sit major, cautius prospicere sibi debuit, nec tam facile spondere, cum, ut dici solet, *Sponde præsto noxa est.*

## TITULUS XLII.

## De alienatione judicii mutandi causa facta.

1. 2. Ratio hujus restitutionis: ad quid detur & adversus quem.

3. Quid nomine alienationis intelligatur.

4. Datur illis, quorum interest.

1. Contingit nonnunquam, ut adversarius dum intelligit litem adversus se parari, malignè rem, de qua futura est controversia alienet, ut hoc modo eludat intentionem agentis, ei duriorem ac molestiorem adversarium in suum locum obiciendo. Quare merito providendum fuit de remedio aliquo illis, in quorum præjudicium rei in iudicium deductæ sit alienatio, judicii mutandi causa, præsertim cum ex ejusmodi alienatione comperat quædam species restitutionis in integrum, de qua proximè actum est, quæ jure actionis Prætoris in factum intra annum utilem obinetur, adversus eum, qui sic rem alienavit, ad id, quanti nostra interest, alium ad-

versarium non habere, aut potius (in quo præcipua vis hujus restitutionis consistit) ut patiatur secum pristina actione utiliter agi, perinde ac si non alienasset, sed adhuc possideret.

2. Dixi, adversus eum, qui sic alienavit; id est mutandi judicii causa & fraudulenter seu dolo nam utrumque ad hanc actionem restitutoriam requiritur, l. 4. D. eod. Atque ideo, si quis sine dolo possidere deherit, veluti, si rem ipsam, quæ petitur, obligatus Titio solverit, aut venditori reddiderit, vel alienaverit, ut litis molestias subreteret, adversus eum non dabitur hæc actio Welsenb. in Parat. D. h. t. Sicut nec adversus eum, qui dolo quidem possidere desit non tamen judicii mutandi causa.

3. Nomine alienationis intelligitur hic omnis actus, per quem dominium in alium transfertur, l. 1. Cod. De fundo dotali: sive sit conventio, ut venditio, permutatio, donatio; sive permissio ut dum quis permittit rem suam usucapi, l. Alienationis D. De verb. significat. sive non usus, ut dum quis non utendo servitute, illam amittit, d. l. Alienationis.

4. Addidi, ad id, quod nostra interest, quia ei, cujus nihil interest, non competit hæc actio restitutoria, ut patet ex l. 3. §. *per ult. & ult.* D. eod. Si quis igitur rei alienæ detentor, metuens ne iudicio conveniatur, quia intelligit forte rescriptum adversus se à summo Pontifice impetratum esse, transferat eam rem in alium, eo animo, ut frustretur adversarius, & rescriptum eludat, quod ultra expressa non extenditur, nec adversus alium, quam qui in rescripto nominatim continetur, vim habet, ut dictum est ad Tit. De rescriptis: tamen impetrans eodem rescripto uti poterit etiam adversus eum, in quem res est translata, licet in rescripto non sit nominatus, l. 1. h. t. Similiter si Clericus actionem vel æs alienū alicujus laici in se transferri curaverit, eo animo, ut adversarium suum, cogat causam suam agere vel defendere coram Judice Ecclesiastico, datur adversus Clericum hæc exceptio, quod cessio illa actionis, vel æris alieni, sit facta mutandi judicii causa, cap. 2. h. t. quia non debet alteri per alterius factum & dolum præjudicari vel iniqua conditio adferri, l. 1.

D. eod. l. Non debet 74. D. De reg. juris

cap. Mutare 3. De R. l.

in 6.

TITU.



## TITULUS XLIII.

## De Arbitris.

## §. I.

## Qui dicantur Arbitri.

1. 2. Ratio ordinis & nominis.
3. Arbitri alii sunt iuris, alii sponte adsumuntur.
4. Et horum alii sunt Arbitratores, alii Recepti (seu compromissarii).
5. Differentia inter Arbitros & Iudices.

**T**Ractatum fuit antea de officiis Judicum, tam ordinariorum, quam delegatorum, deque præparatoriis iudiciorum. Pergendum nunc esset ad ipsa iudicia: verum quia & Arbitri sunt quodammodo Iudices, ad quos recurrere solent homines, priusquam ad iudicia perveniant, ut per eos controversiæ absque strepitu fiant, & breviori tempore, si fieri possit, terminentur & sopiantur, atque hoc modo, impediatur litis ingressus, evitenturque iudiciorum moræ & sumptus, aliaque incommoda: ideo merito nunc permittitur de Arbitris.

2. Dicitur Arbitrator ab Arbitrando, id est æstimando. Est enim Arbitrator vir bonus, ad aliquod negotium æstimandum & terminandum electus.

3. Arbitrium duplex est Necessarium, & Voluntarium. Solent enim Arbitri adsumi, vel ex necessitate iuris, aut statuti, vel sponte. Ex necessitate iuris, ut in causa suspecti Iudicis: in qua adsumuntur arbitri iuris, qui de causa suspicionis cognoscant, *c. Suspicionis sup. De officio delegati, l. Apertissimi & l. fin. & ibi Bart. & DD. Cod. De iudiciis*: sicut & quando statutum habet, quod causæ inter coniunctos compromittantur. Abbas in *c. Cum dilectus 9. col. 7. h. t.* Item quando est questio de revocatione rescripti, *c. Pastoralis 14. sup. de rescriptis*; aliisque casibus à iure expressis. Et hi appellantur Arbitri iuris.

4. Rursus sponte dupliciter adsumuntur, nempe vel simpliciter & sine aliquo iudicii ordine, ut si in aliquem fiat compromissum, qui de re arbitretur & statuat, prout æquum sibi videbitur, sine aliquo iuris or-

dine. Et talis vulgo Arbitrator seu Amicabilis compositor vocari solet; cuiusque arbitrium semper referri debet ad arbitrium boni viri, *Scietatem §. arbitratorum D. Pro socio*. Vel sic adsumuntur, ut de controversia sibi commissâ, servato juris ordine, pronuntient. Et hi proprie Arbitri dicuntur, & in *D. & Cod.* vocantur *Arbitri recepti*, quia ex recepto; id est, ex compromisso (ut interpretatur Justinianus in *l. Reman novam Cod. de iudiciis*) ad dirimendam controversiam eliguntur. Unde etiam Arbitri Compromissarii appellantur; & tales in dubio potius videntur electi, quam arbitratores. Deque horum arbitris dicitur, quod sint reata ad similitudinem iudiciorum, *l. D. eod.* nam citant coram se partes: libellum petitionis sibi edicunt, testes examinant, & ut summatim dicam, causam secundum iudicii ordinem per sententiam non secus quam Iudices terminant.

5. Licet non pari potestate, quia arbitrorum potestas est privata, & ab ipsis compromittentibus competit, quorum, ut privatorum, consensus iudicem facere non potest cum, qui nulli præest iudicio, *l. 3. Cod. De iurisdic. om. iudic.* Neque iurisdictionem habent, sed tantum cognitionem. At verò iudicum potestas est publica & iurisdictionem habent, ac proinde possunt molare partem, eidemque ob contumaciam denegare audientiam, compellere testem, & falsa deponentem punire, quia id potest habere iurisdictionem. Magnam tamen affinitatem habent cum Iudicibus, maioremque cum delegatis, quam eum ordinariis, ut patet *d. l. Apertissimi & eod. ibi, quasi arbitri fuerint &c.*

## §. II.

## Quo pacto fiat compromissum.

1. Fit vel adiecta pœna.
2. Vel nulla pœna adiecta.
3. Ex sententia arbitri iure *D. & Cod.* quando datur actio.
4. Iure Canonico semper standum esse compromisso.

**C**ompromissum vero in arbitros fit tribus potissimum modis, vel adiecta pœna, vel simpliciter non adiecta pœna, vel cum iureiurando. Et quidem primo fit pœnali stipulatione adiecta, ut saltem metui pœnæ stetur compromisso



missio. Nec refert, qualis sit pœna, an certa aut incerta summa compromissa sit, an verò aliud quid. *l. Non autem 28 D. eod.* dummodò utrimque promittatur, *l. Litigatores 11 §. 4. D. eod.* Et hoc casu is, qui compromisso vel sententiæ arbitri non steterit, pœnam solvere tenetur, eaque soluta à compromisso & sententiâ arbitri liberatur, non solum jure civili, *l. 1. §. Auth. Decernit juri novum Cod. eod.* sed & Canonico, *c. Dilecti 4. §. c. Per tuas 9. h. t.* etiam si taciturnitas decem dierum intervenerit, *juxta DD. in l. Cum antea C. eod.* nisi unâ cum pœna adjecta sit clausula, *Mannente compromisso*; secundum *Glosin d. c. Dilecti in fine*: quia cum in effectu sunt duo compromissa, unum pœnale, alterum purum, ex quo etiam soluta pœna agi potest.

2. Interdum verò nulla pœna adijcitur: & tunc contra non stantem compromissi competit actio ad interesse, *d. cap. Per tuas*, ibi, *at si nulla*.

3. Ubi observandum est discrimen inter jus D. Cod. & Canonicum: nam jure D. ex sententiâ arbitri, nisi pœna per stipulationem adjecta esset, aut compromissum fuisset stipulatione confirmatum, non nascebatur actio vel exceptio, quoquomodo fuisset compromissum, *l. 2. D. eod.* eò quod jure civili ex nudo pacto non detur actio. Secus obtinuit in sententiâ Judicis, ex qua nascebatur actori actio: & reo exceptio, *l. Injudicati D. de re judicata §. tot. ut. D. De except. rejudicata*. Jure Codicis ex sententiâ arbitri homologata, id est expressim approbata, veluti per subscriptionem, vel saltem tacite, nimirum per silentium decem dierum, nasceitur actio & exceptio, siue pœna fuerit adjecta, siue non, *d. l. Cum antea 5. C. eod.* Quod si juratum sit compromissum, tunc etiam statim nasceitur & actio & exceptio, *l. Ne in arbitrio 4. Cod. eod.* Sin juratum non sit, tunc intra decem dies ab arbitrio resilire licet, ac proinde utile erat stipulari eo jure pœnam. Ceterum Justinianus postea vetuit compromissum fieri sub juramento, *d. Auth. decernit juri novum*.

4. At jure Canonico semper & indistinctè standum est compromisso, siue fuerit homologatum, siue non; siue adjecta fuerit pœna vel per stipulationem vel per nudum pactum, secundum sententiam eorum, qui existimant

jure Pontificio ex nudo pacto dari actionem; siue non fuerit adjecta pœna, quia hoc casu, si arbitrio non stetur, competit actio ad interesse, *c. 1. §. d. c. Per tuas h. t.* Quod si compromissum sit utrimque juramento corroboratum, omnino servandum est, nec solutione ejus quod interest contingit liberatio, ex eoque nasceitur actio, *secundum Panormit. in d. c. Per tuas*: nisi compromissum contineat peccatum, veluti si arbiter fuerit arbitratus, ut pro beneficio detur pecunia; quo casu etiam jurato arbitrio acquiescendum non est, *c. 2. h. t. juxta c. Non est obligatorum De R. l. in 6.*

## §. III

In quos & quales compromitti possit seu debeat.

1. *Compromitti non potest in servos, neque in mulieres regulariter.*
2. *Non in excommunicatos.*
3. *Non in laicum, utique in re spirituali.*
4. 5. *In alios potest, & in ipsum quoque judicem.*

1. **C**um arbitraria redacta sint ad formam judiciorum, *l. 1. D. eod.* sicut non omnes sunt idonei ad suscipiendum judicium, ita neque omnes ad recipiendum arbitrium. Ideoque personarum delectus habendus est, eligendique, qui Canonibus aut Legibus non improbantur: prout in primis improbantur servi & mulieres, *l. Padum 7. D. eod. §. l. fin. Cod. eod.* nisi tamen mulier de jure communi vel consuetudine jurisdictionem ordinariam in subditos suos habeat, uti Abbatisa v. g. *c. Dilecti h. tit.* vel ex privilegio Principis, *juxta notata in cap. Super quibusdam inf. De verb. significat. l. Hoc jure §. ductus aqua D. De aqua quotid. & estiva. Marcus Ant. Peregrin. De compromissis. q. 2. num. 38.* quod majus est, quam esse arbitrum.

2. Secundò, Furiosi, surdi, muti, *l. Sed si §. 1. D. eod.* Tertiò, Minores xx. annis, *l. Cum lege 41. D. eod.*

Quarto, Excommunicati, quia tales à communione fidelium excluduntur, *c. penult. inf. De sent. excommunicat.* servata tamen moderatione de qua postea ex Conc. Constantiensi, de duobus tantum generibus excommunicatorum hodie vitandis.

3. Similiter Laicus non potest adsumi in re spirituali, *c. Contingit 8. hoc tit.* nec principaliter nec



nec incidenter, *cap. Decernimus inf. De iudiciis*. Marc. Ant. d. q. 2. n. 62. nisi adsumatur iunctim cum Clerico, ex auctoritate Iudicis Ecclesiastici, *e. Per tuas h. t. de cuius intellectu late Covar. Præd. q. 34. n. 1*. Alioquin in causa quoque civili potest in laicum etiam à Clericis compromitti, *d. c. Dilecti h. t.*

4. Ceteri vero in arbitros eligi non prohibentur: & parvi refert, ingenuus quis, an libertinus sit: integræ famæ sit arbitri, an ignominiosus, *d. l. Padus 7. in princ. D. eod. patet familiaritas, an filius familiaris, etiam in re patris; Clericus, an laicus, modo antea dicto.*

5. An autem in ipsum quoque Iudicem compromitti possit, dubitari potest, propter *l. Sed si 9 §. 2. D. eod.* Sed verius est posse, si delegato, si de ordinario Iudice agatur, *per text. in c. Cum tempore 5. c. cum olim 7. c. ex parte 10. h. t. c. Litteras 14. inf. De præsumpt. c. Nisi 21. inf. De præb. modo id fiat à partibus sponte, non autem iubente Iudice; quo sensu accipi debet, d. §. 2. l. sed si.*

#### §. IV.

In quot compromitti possit, & quæ Arbitrorum sit potestas.

1. Compromitti potest in unum vel plures, pari vel impari numero.
2. 3. Non ita tamen, ut in casu discordia ipsi tertium adsumant.
4. In sententia ferenda oportet omnes esse præsentem.
5. Exceptio.

**R**Estè compromittitur in unum vel plures, pari vel impari numero; quamvis consultus fuerit, ut impari numero adsumantur, *cap. 1 h. t. ut si non omnes, saltem major pars consentiat, cuius arbitrio stetur, ne ob mutuam dissensionem utrimque parem facile contingat arbitrium impediri, cap. 1. h. t. l. Item si unus 17 §. 6. D. eod.* Hinc si ex tribus arbitris duo condemnent in decem, & tertius in quinque, prævalebit sententia duorum, concurrentium in decem. Si vero omnes discordent, v. g. si unus condemnet in quindecim, secundus in decem, tertius in quinque, tenebit sententia de summa minori, quæ majori inest, *cap. eod. in 6. Dixi, consultus esse, ut, arbitri adsumantur, unus, tres, vel plures, sed impari numero; hoc enim consilium potius est, quam præceptum*

nam & in duos, quatuor, vel plures, ac pari numero, compromittere licet, *e. l. 3. hoc t.*

2. Nullum tamen compromissum valet, quod ita compromittitur in duos vel plures, ut in casu discordia ipsi met arbitri eligant tertium aliquem, vel plures, nemine nominato, *cap. Innotuit 12. & ibi laicius Glossa h. t.* tum quia, ut dicitur in *d. l. Item si unus 17 §. si in duos D. eod.* dissentirent fortè in illo tertio adsumendo: tum quia eligerent fortè talem, quem si prævidissent litigantes electum iri, eligi nolissent. Verum si ita fuerit in duos compromissum, ut, si dissentirent ipsi tertium adsumerent, Sempronium v. g. valet compromissum, quia in adsumendo tertio dissentire non possunt, *d. §. Si in duos.*

Nec obstat, *c. Cum à nobis 13. h. t.* ubi contrarium statui videtur, nempe valere compromissum, in unum vel plures factum, ut ipsi vel per se causam definiant, vel per alios, quos ad hoc elegerint: tum quia in casu illius *Cap. Legatus, in quem compromissum erat, à se ipso in eligendo dissentire non poterat.* Deinde non eligerat arbitros, sed arbitratores, in quos etiam incertos compromitti potest: neque enim arbitratorum sententia ita præjudicat litigantibus, atque arbitratorum. Nam si arbitratorum sententia sit iniqua, non tenentur compromittentes ei stare, sed reducitur sententia eorum ad arbitrium boni viri: arbitratorum vero sententia omnino acquiescendum est, si æquum sit, si iniquum, quod arbitrati fuerint, *l. Societatem 76. D. pro socio.*

4. Porro pluribus adsumptis arbitris, omni in sententia ferenda præsentem sint oportet: alioquin uno absente, licet alii consentiant, arbitrium non valebit, quia in omnes fuit compromissum, & potest præsentia unius ceteros trahere in aliam sententiam, *per text. & ibi Glossa in l. Item si unus 17 §. 2. & §. ult. al. l. Si in tri D. eod. 5.* Nisi adjectum esset, ut, uno vel altero absente, reliqui nihilominus procedere valeant, *l. non distinguemus 32 §. cum in plures 13. D. eod.* aut si absens legitime requisitus, cessante legitimo impedimento, nolit interesse causæ cognitioni aut definitioni: nam tunc ex juris canonici dispositione, *in c. 2. eod. in 6.* contra Iuris civilis dispositionem, *in d. §. Si in tres, ceteri præsentem potest examinare negotium & libere definire, non minus, quam eo præsentem, nec vo-*



lente cum eis in unam sententiam convenire; ut sic absentia illius, præsentia repletur divinâ, cum faciat reputari pro præsentem, d. c. 2. Secus constitutum in tribus iudicibus simpliciter delegatis, quia majori maturitate dantur, d. c. 2. *Sibi Gloss. c. De d.*

## §. V.

Super quibus compromitti possit, vel non.

1. Non potest compromitti super causa matrimonii.
2. Non super rebus spiritualibus.
3. Non ab exemptis in præjudicium exemptionis.

**C**ompromitti in arbitros potest super qualibet causa, Canonibus aut legibus non prohibita, ne super ea compromittatur. In primis igitur, sicut non potest transigi in causa matrimonii, ita nec compromitti, c. *Ex parte ult. sup. De transact.* ob magnum animæ periculum, quod in ea causa vertitur.

2. Secundò, non potest compromitti super translatione Episcopi, vel aliis rebus spiritualibus, veluti beneficiis Ecclesiasticis, nisi id fiat auctoritate superioris, cap. *Ex parte 10. h. t.* ne viriosus ad beneficia, quæ non nisi Canonica institutione acquiri possunt, detur ingressus.

3. Tertiò, exempti & immediatè subjecti summo Pontifici, absque ejus auctoritate seu licentia compromittere nequeunt, in præjudicium exemptionis, cap. *Cum tempore 5. hoc tit.* quia id vergeret in præjudicium ejusdem Pontificis, ejus potius agitur jus, quod sibi in exemptos reservavit, quàm ipsorum exemptorum. Deinde etiam jure civili non potest fieri compromissum in arbitros, ubi agitur causa libertatis, quia, ut inquit Paulus J. C. d. l. *Non distinguimus 32. §. De liberali 7. D. eod.* favor libertatis est, ut majores judices habere debeat: atqui causa exemptionis magnam affinitatem habere videtur cum causa libertatis, d. cap. *Cum tempore*, in verbis, *contra libertatem ipsius Monasterii*, & in verbis, *privilegiis vel indulgentiis libertatis*.

An verò Prælatus Ecclesiæ possit compromittere super rebus Ecclesiæ, & an tale compromissum transeat ad successorem, vide remissive apud Marantam, p. 4. *Distinct. 14.* & Marcum Antonium *De compromissis q. 4. in V. Res prohibita alienari.*

## §. VI.

De effectu compromissi & sententiæ Arbitrorum.

1. Pendente arbitrio coram judice agi non potest parte invita.
2. Arbitri à suscepto semel arbitrio resilire non possunt.
3. Sententiæ arbitrorum standum est.
4. Neque ab ea appellatur.

**A**rbitri potestas omnis ex ipso compromisso dependet. Non ergò quodlibet statuere arbitri poterit, nec in qualibet, nisi de qua compromissum est, & quatenus compromissum est, l. *Non distinguimus 32. §. de officio 15. D. h. tit.*

1. Semelq; in arbitros facto compromissio non potest, pendente arbitrio, causa amplius coram Judice discuti altero invito; & agere volens, exceptione pendens arbitri repellitur, l. *Si quis rem 30. D. eod.*

2. Quod si verò ipsi arbitri, semel electi & suscepto arbitrio, postea causam cognoscere & definire detrectent, potest iudex eos cogere: quia liberum quidem est ab initio arbitrium recipere, cum hæc res sit libera & soluta, & extra necessitatem iurisdictionis posita, sed ubi semel receptum fuerit arbitrium, iam officium susceptum arbitri implere tenentur, & ab hoc cogi à iudice possunt, quia ad iudicem spectat, studere, ut lites finiantur nec decipi eo oportet, qui aliquem, quasi virum bonum deceptorem inter se elegerint, l. *Labao 3 §. tametsi D. eod.*

3. Quantum ad sententiam attinet arbitrorum, cum illi ex mutuo consensum partium assumantur, hodie standum est arbitrio, siue æquum sit siue iniquum, c. l. c. *Persuas e. Exposita h. t.* sibi que partes imputent necesse est, quod in eadem vel tales compromiserint, l. *Diem proferre 27 §. stari D. eod. l. Societatem §. fin. D. pro socio.* Et iure Codicis siue ex Constitutionibus Imp. dixi antea competere actionem & exceptionem ex sententiâ arbitri, expresso aut tacito decem dierum consensu à litigatoribus semel approbata, l. 4. l. *penult. Cod. eodem.* Nisi fortè arbitri formam compromissi excesserint, cap. *Cum dilectus hoc tit.* aut sordibus vel gratiâ ducti sententiam tulerint, l. *ita de muni D. eod.* aut non observato iudicii ordine



dine processerint arbitria enim ad iudiciorum similitudinem redacta esse diximus, l. 1. & 2. & ibi Glossa & DD. De eod.

4. Præterea à sententia arbitrii non appellatur d. l. 1. Cod. eod. nisi sit arbiter iuris, id est ex necessitate iuris adsumptus: nam abhuius sententia recte appellatur, c. Arbitris sup. De officio delegati. Et insuper locus est petitioni pœnæ si quæ fuerit adiecta, c. 4. & 9. h. t.

## § VII.

Quo pacto Arbitrorum & Arbitratorum finiatur potestas.

**F**initur denique potestas arbitrorum & arbitratorum morte eorum, vel alterutro litigantium, c. Ex parte 10. h. t. quia compromissum pendet ex compromittentium voluntate, quæ voluntas morte extinguitur: nisi in compromisso utrimque hæredum facta sit mentio, c. fin. h. t. l. Diem proferre 27. §. 1. D. eod. Secus est in iudicio, quod mortuo altero litigantium transfertur in hæredem, l. Si is qui Roma 34. D. De re iudic.

Secundo, re semel per arbitrum seu arbi-

tros definita, c. Exposita 11. h. t. Et hoc casu, si contingat alterum compromittentium mori, succedit in emolumentum ac damnum, quod ex sententia provenit, eius hæres, arg. l. item 17 in princ. D. eod. Ita tamen sententiæ prolatione finitur compromissum, si de omnibus causis compromisso comprehensus arbiter vel arbitri pronuntiaverint l. Dicere al. Qualem 19. §. 1. D. h. t. nisi plures inferantur controversiæ, nihil sibi commune habentes: tunc enim illud actum videtur, ut possit pronunciari separatim, quasi plura sint compromissa, l. Quid tamen 21. in princ. & ibi Glossa ac Bart. D. eod.

Tertio lapsu termini, id est dici in compromisso expressi, l. Si cum dies, alias, l. Quarta men 11 §. 5. D. eod.

Quarto, semel commissa pœna, nisi adiecta fuerit clausula. Rato manente compromisso, l. Si duo 34. in fine D. eod. Denique transactione iudicio facto seu accepto, & aliis similibus

modis, & de quibus Honorius ad h. t. sub n. 34.

Finis Libri primi.

PARATITLA  
SIVE  
SUMMARIA  
ET METHODICA EXPLICATIO  
LIBRI SECUNDI  
DECRETALIVM.

## PRÆFATIO.

1. Ratio ordinis. 2. Obiectum huius libri.  
3. Methodus & Oeconomia eiusdem.

**P**OST QUAM libro superiori expositum est de fundamento totius juris Canonici, eiusdemque divisione, & in partes suas distributione ac personatum Eccle-

siaficarum (à quibus iudicia dependent, & quæ in iudiciis Ecclesiasticis intervenire debent, & l. inf. de accusat) qualitatibus, officiis, officiorumque distinctionibus, atque aliis eodem pertinentibus, & peculiaribus rei controversæ, amicæ magis, quàm per gravissimas dissensiones vel iudiciales molestias, definiendæ ac terminandæ modis, tamquam præparatum quibusdam ad negotia Christianorū peragenda, & ad



Ad iudicia constituenda vel evitanda: sequitur, ut in ipsa iudicia gradum faciamus, & universum ordinis iudicarii rationem ac modum, in causis tam civilibus quam criminalibus, summarie explicemus. Nam licet diversus sit instituendi ordinandive iudicii in utroque causarum genere modus, & de criminali agatur libro V. Decretalium tamen probandi ac finiendi pæne idem reperitur.

2. Itaque pro obiecto huius libri statui potest ordo iudicarius, seu causarum cuiuslibet, præsertim civilis, in iudiciis peragenda modus.

3. Cum verò, secundum *Glos. in §. igitur in l. eadem in Proæm. Inst. Justin.* divisio in scientiis animum legentis incitet, mentem intelligentis præparet, & memoriam artificiosè reformet: dividi potest ordo iudicarius in tria potissimum principalia membra, quorum primum est de causis qualibet in iudiciis, præsertim civilibus, instituenda seu ordinanda, inchoandave, ad quod pertinent primi XVII. Tituli: secundum de eadem deinceps instruenda, ad quod spectant subsequentes Tituli usque ad XXVII. qui est de sententia & re iudicata exclusivè: tertium denique de eadem dirimenda & sine debito terminanda, ad quod pertinet dictus Tit. XXVII. & reliqui usque ad finem.

## TITULUS I.

## De Iudiciis.

1. Quid sit hoc loco Iudicium.
2. Ex quibus constet.
3. Ex persona Iudicis, Iudicium aliud est Ecclesiasticum, aliud Sæculare.
4. Item aliud Civile, aliud Criminale, aliud mixtum.
5. Et Criminale aliud Capitale, aliud non Capitale.
6. A forma, aliud Ordinarium, aliud Extraordinarium.
7. A materia, aliud Petitorium, aliud Possessorium.

**D**e ordine iudicario, ut diximus, hoc secundo libro disceptatur, quo pacto scilicet atque ordine in iudicio seu coram Iudice causa, potissimum civilis, peragenda sit: & ideo summus Pontifex hunc librum auspiciatur à generali Tit. De Iudiciis.

1. Omissis autem variis Iudiciorum in iure: significationibus, quas tradit Maranta 1. p. *Spec. sui auri*, & quindecim proponit *Glossa, ad cap. in iudiciis 12. De R. lris in 6.* In præsentem Iudicium sumitur pro causarum discussione, quæ coram Iudice pro tribunali sedente fit. Et dicitur Iudicium, quasi iurisdicatio, quod in eo ius dicatur: & Iudex, quasi ius dicens populo, sive quod iure disceptet, *c. Form. inf. De verb. significat.*

2. Ad iudicium hoc modo sumptum quatuor potissimum requiruntur, Iudex, Actor, Reus & Causa, tanquam origo negotii & materia Iudicii: adeoque & in iudicio inquisitionis, vel alio simili, hæc quatuor, verè vel fictè saltem, interveniunt, quia fama præcedēs repræsentat actorem, *c. Qualiter 17. inf. De accusat. c. Licet Heli 31. inf. De Simonia in verbis, sed quasi fama deferente, vel de iurante clamore.*

3. Iudiciorum variaz sunt divisiones, desumptæ cum à causa efficiente sive Iudice, tum à materia, forma, & fine. A causa efficiente sive persona iudicantium aliud est Ecclesiasticum, quod coram Iudice Ecclesiastico, inter personas Ecclesiasticas, & de rebus Ecclesiasticis, agitur, potissimum spiritualibus ut de matrimonio beneficiis & his annexo iure patronatus, de crimine hæresis, Simonia, & aliis similibus: aliud Sæculare, quod coram Iudice laico inter personas sæculares exercetur.

4. A materia, seu fine, circa quem iudicia versantur, aliud est Civile, quo vel in rem vel in personam agitur, civiliter, & principaliter ad commodum privatum, etiam cum ex delicto agitur: nisi forte agatur civiliter ex crimine infamante, nam tunc dicitur causa criminalis. *Foller. ad Marantam 4. p. Spec. Diss. 1. n. 3. ubi alios citat.* Et hoc vel est Spirituale, quo agitur de re spirituali vel ei annexa *c. 2. 3. & aliis h. t.* vel Temporale seu Profanum, *c. ult. h. t.* Aliud est Iudicium Criminale, quo agitur de crimine principaliter ad commodum publicum seu vindictam, publicam: ut si in Ecclesiastico



fiastico foro agatur ad degradationem, ad officii dignitatis, vel beneficii privationem, aut ad perpetuos carceres, tamquam ad poenam, *cap. Et si Clerici* 4. c. *Cum non ab homine* 10. h. t. in seculari vero ad poenam capitalem vel membri mutilationem, aut etiam ad poenam pecuniariam, si co, non parti, applicandam. Bart. Curt. & alii in l. *Prætor ait*. D. *De sepulchro violato*.

5. Unde subdividi potest hoc iudicium in Capitale, & non capitale. Capitale est, in quo agitur de crimine capitali, seu in quo venit irroganda poena capitalis; veluti dum damnatur quis ad mortem naturalem, quia perditur caput naturale: vel dum quis redigitur in servitutem, aut damnatur in metallum, quia amittitur caput civile, quod est libertas: vel dum deportatur, quia tunc caput exprimitur de civitate. Non capitale, in quo non venit imponenda aliqua ex tribus prædictis poenis, Maranta d. 4. p. Dist. 2.

6. Mixtum verò iudicium est, in quo & civiliter & criminaliter agitur: ut dum de crimine aliquo, v. g. furto vel injuria agitur ad interesse parti, & simul ad vindictam publicam c. *Tua* 5. sup. *De procuratoribus*.

A forma seu modo procedendi iudicium aliud dicitur Summarium seu Extraordinarium, in quo proceditur simpliciter & de plano, sine strepitu & forma iudicii, id est non observatis ad amissim solemnitatibus & terminis judicialibus, veluti in causis electionum, postulacionum, & similibus, prout optimè explicatur in *Clement. Sape De verb. significat.* & exemplum habemus in c. *Novit*. 13. h. t. ubi extra ordinem agitur per viam denuntiationis Evangelicæ seu judicialis contra quemlibet peccatorem. Quibus adde causam hæresis & læsæ Majestatis, in quibus etiam ordo solemnitis iudicii non servatur, *cap. fin. De hæret. in 6. & Extravag. Henrici VII. Quomodo in læsa Majest. &c.* Ejusmodi quoque sunt iudicia possessoria, l. 1. C. *Si de moment. possess. l. momentanea Cod. Unde vi, l. ult. D. De appellat. recip. & similibus*, Ita tamen in hoc iudicio remittuntur solemnitates iudicii, & sollemnis ordo procedendi, ut probationes necessariæ & defensiones legitimæ, citatio, præstatio iuramenti de calumnia vel malicia, si de veritate dicenda, non excludantur, & sententia definitiva feratur in

scriptis, a iudice, sive sedente sive stante: quamquam in levioribus & parvi momenti negotiis, ubi non sit præjudicium veritati vel causæ principali, sufficiat rem semiplenè & summarie probari, ut in casibus recensitis à Glossa 3. §. *secundum D. Ad exhibendum*. Aliud vero dicitur Plenarium seu Ordinarium, in quo servato iudicii ordine & solemniter de causâ cognoscitur: puta cum reo citato libellus seu actoris intentio scripto editur, & litis sit contestatio; cum præstatur iuramentum calumniæ; probationes res docetur & excutitur, sententiaque in scriptis fertur à iudice sedente; & postremo executioni mandatur: nisi ea per appellationem vel restitutionem in integrum vel supplicationem suspendatur aut rescindatur vel nulla declaretur. Ita Canisius in *Summa lib. 4. h. t. 1. §. Denique per l. Prolatam & ibi D. D. C. De sentent. & interloc. t. In causis 19. inf. De sententia & re iudicata*.

7. Aliter iudicium Extraordinarium dicitur illud, quod coram delegato iudice instituitur Glossa in c. *Quoniam contra in Extraordinarium inf. De probat.* & de hoc loquitur totus Tit. sup. *De officio delegati, & D. De officio ejus cui mand. est iuris d.* Ordinarium verò illud, quod coram iudice ordinario instituitur, de quo loquitur totus Tit. sup. *De officio ordinarii*. Quis autem sit ordinarius, quis delegatus, diximus lib. 1.

8. Rursus iudicium aliud est Petitorium aliud Possessorium. Petitorium dicitur, in quo de proprietate vel alio jure agitur, extra possessionem vel quasi possessionem: ut si res vindicetur, hæreditas petatur, actio empti, depositi, commodati, vel alia similis intenteretur. Possessorium est, in quo possessione vel quasi contenditur, sive adipiscenda, sive retinenda, sive recuperanda. Possessio proprie est rerum corporalium, l. 4. in princ. D. *De acquir. vel amittend. possess.* quasi possessio incorporalium, l. *Si quis dicitur no D. Si servit. vindicetur*; equejmodi sunt servitutes, & similia alia jura.

Alias iudiciorum divisiones tradit Maranta in *Speculo* 4. p. prima principalis quasi.





## TITULUS II.

## De foro competenti.

## §. I.

Quod sit Forum competens, & quibus modis constituatur.

1. Quid Fori nomine intelligatur.
2. Et quid Forum competens.
3. Sortitur quis forum Ratione domicilii.
4. Ratione rei sita.
5. Ratione contractus.
6. Delicti.
7. Privilegii.
8. Ratione Collegii vel universitatis, in quam adsumptus est.
9. Ratione consensus & prorogationis.
10. 11. Clericus tamen consentire in iudicem laicum non potest regulariter.
12. Laicus quibus casibus subiciatur Iudici Ecclesiastico.

**I**urisdiclio seu fori competente totius iudicii contentiosi est fundamentum, ita ut ea deficiente ne quidem sit iudicium & nullitas ex eius defectu proveniens, irreparabilis atque insanabilis reputari consuevit. Ideoque summopere præcavendum est actori, ne coram Iudice incompetente reum conveniat: ac proinde etiam post tractatum de Iudiciis in genere, priusquam veniamus ad reliquos iudicii actus, dispici debet, quis dicatur Iudex alienius competens, & quod Forum competens: item quot modis quis forum sortiatur. Ubi præmittendū, quid Fori nomine hic intelligatur.

1. Forus igitur seu Forum, omisiss aliis significationibus, dicitur tum locus ipse exercendarum litium, in quo quis conveniri potest, *c. Forus inf. De verborum significatione l. In hac 30. l. Secundum divi 32. Cod. De donat. l. fin. Cod. Vbi in rem actio*, &c. tum territorium, in quo quisque Iudex habet iurisdictionem: quo patet tota diocesis dicitur territorium Episcopi, *can. Omnis XVI. q. 7.* Aliter dicitur tribunal & sedes ipsius iurisdictionis, *l. 1. D. De iudiciis, l. 14. Cod. eod. vel auditorium, l. 1. 4. §. 5. D. De re iudicata.*

2. Unde Forum competens vocatur hic tri-

bunal, cuius iurisdictioni reus subicitur: nam regulariter actor sequi debet forum rei, *c. Si Clericus 4. c. Cum sit generale 8. h. t. l. iuris ordinem Cod. De iurisdic. om. iud. & similiter Index competens dicitur is, cuius iurisdictioni reus subicitur, id est coram quo actio seu lis proponi & decidi potest: vocatur Iudex suus *l. 49. D. De iudiciis, l. 6. C. De iurisdic.**

3. Variis autem modis quis sortitur forum: primò ratione Domicilii: nam eius iurisdictioni subest reus, in cuius territorio domicilium habet, *c. Dilecti 17. & ult. h. t.* Censetur autem quis ibi domicilium habere, utiarem rerum fortunarumque suarum summam constituit, *l. Civis Cod. De incolis lib 10.* ita ut inde non sit discessurus, modò nihil avocet, *Glos. in l. fin. in V. inter absentes Cod. De præscript. longi temporis*: vel scilicet ubi maiorem partem bonorum suorum possidet, aut habitandi animo frequentius versatur, *l. 2. Cod. Vbi Senatores vel clarissimi & c.* Quod si quis pluribus in locis æquè instructus sit, nec minus in uno loco, quam in alio, moretur, in omnibus illis censetur habere domicilium, *l. Labeo 5. cum l. seq. §. penult. D. Ad municipalem, Glossa in d. l. fin. sicut & contra sine domicilio est, qui eo relicto navigat, vel iter facit, quærens, quò se cõferat, atque ubi se constituat, *l. Eius 27. §. Celsus in fine D. Ad municipalem.* Mutatio verò domicilii non perimit instantiam coram Iudice domicilii cõptam, sed iudicium ibi finiri debet, ubi inchoatum est, *c. Proposuit 19. h. t. l. Si quis postea quam 7. & l. Vbi acceptum 30. D. De iudic.**

4. Secundò, ratione Rei sitæ: & ideo actione in rem vel mixta conventus, coram eo Iudice respondere cogitur, in cuius territorio res sita est, *c. Sanè & c. ult. h. t. & l. ult. Cod. Vbi in rem actio exer. deb.* Nec refert, res immobilis sit, an mobilis, *l. Quod legatur 28. D. De iudiciis*: dummodò in loco, in quo sita est, sit permanens, nec custodiæ tantum causâ ibi constituta; Aliàs si actione in personam, sive rei immobilis sive mobilis nomine agatur, rei domicilium sequendum erit *d. c. fin.* nisi cum bonis in loco sitis concurrat locus contractus, *arg. l. Hares absens 19. §. proinde D. De iudiciis.*

5. Tertiò, ratione contractus: nam contra-hentes sistere se debent iudici eius territorii in quo cõtraxerint sive ad agendam sive ad defendendam



dam causam suam, licet alibi domicilium habeant, *d. c. ult. &c. 1. eod. in 6.* Nisi contractus implementum & solutio in alium locum destinata sit, quia tunc non in loco contractus, sed in quem destinata est solutio, forum sortiuntur; contractus enim unusquisque in eo loco intelligitur, in quo se, ut solveret obligavit, *l. Contraxisse 11. D. De obligat. & act. l. 1. C. De jurisd. l. unica C. Vbi conveni. qui certo loco dare promissit.* Covar. Pract. q. c. 10. n. 5. Idemque dicendum, si convenit, ut alter contrahentium alio loco se defendat seu respondeat, *d. c. Dilecti 17. h. t.* Quo pacto autem sortiatur quis forum ratione contractus initii cum mercatore advena, vel viatore brevi discessuro, vide in *d. l. Hares absens §. 2. D. De judicis.* Ceterum contractus sumitur hic non solum pro contractu vel quasi contractu, ultro citroque obligatorio, sed pro omni pacto, vel utrimque vel ex una parte tantum obligatorio, sive pro alio quolibet pacto, ex quo obligatio oritur: ita ut etiam hoc nomine veniat administratio tutelæ, curæ transactio, donatio, & alia similia, *d. l. Hares absens §. 1. cum l. seq.*

6. Quartò, ratione Delicti: nam ejus Judicis forum quis sortitur, in ejus territorio deliquit, *cap. Postulasti 14. &c. ult. h. t.* Et ideo Judex apprehendens reum, etiam militem in loco delicti, potest reum inibi punire pœna, tam corporali, quam pecuniaria, pro qualitate delicti, *l. Si cui §. idem imp. & l. fin. D. De accusat.* Cessat enim fori privilegium ratione delicti, *cap. 2. inf. de privilegiis:* de quo tamen, & quo pacto id verum sit, vide Panormit. in *c. fin. h. t.* Quid si delinquens citatione præventus, fines loci, in quo deliquit, exiverit, etiam absens, legitima cognitione præcedente convictus, condemnari poterit. Panormit. in *d. cap. fin.* Sin latitet, quominus citari possit aut citatio ei insinuari, citabitur per edictum, in loco delicti publicandum, & valvis portarum vel Ecclesiarum affigendum, *per ea, quæ habentur in Novell. Nulli judicium §. si quis verò:* ad hoc scilicet, ut missio fiat in possessionem bonorum, quæ in loco delicti habet, non verò ut quidquam in ejus personam statuatur, Panormit. in *d. cap. fin. num. 6.* Et, si crimen fuerit atrox, poterit Judex delicti requirere Judicem domicilii seu loci, in quo degit, vel latitat, ut ipsum citet, & remittat: eique Judex rogatus (si nondum eum ipse ca-

stiga verit, præmissa summaria cognitione super veritate commissi delicti) obsequi debet & delinquentem remittere, ex iuris communi dispositione, alioquin hodie in pleiisque locis de consuetudine contrarium servatur. Si verò crimen levius sit, non habet locum remissio, sed delinquens, ubicumque reperiat, condigna pœna puniri potest, *l. 1. Cod. Vbi de crimine &c.*

7. Quintò, ratione Privilegii. Ica Clericus non potest conveniri, nisi coram Judice Ecclesiastico, sive criminaliter sive civiliter agatur, *c. Cum contingat 13. &c. Postulasti seq. h. t.* adeo ut Judex laicus, qui Clericum per se distinxerit aut condemnaverit, sit eo nomine excommunicandus, *c. 2. eod.*

8. Sexto, ratione adumptionis in aliquod Collegium, vel Universitatem quis subicitur cognitioni Præfetti ipsius Collegii vel Universitatis, *l. fin. C. De jurisdict. om. iud. Aurb. Habit. Col. Ne filius pro patre &c.* dummodò hæc corpora auctoritate Principis coerent, *l. 3. D. De illeg. illicitis.*

9. Septimo, ratione Consensus: ut si quis alius in Judicem non suum consensum, sive, ut loquuntur, Judicis incompetentis iurisdictionem in se prorogaverit, *c. Significasti 18. h. t. cap. P. & G. sup. De off. deleg. l. 1. & 2. & ibi DD. C. De judicis, l. Si conveniri D. De jurisdict. om. iud.* Nam cuique liberum est favori suo & per consequens foro sive exceptioni fori declinatorie renuntiare, & in alium Judicem contendere, *l. p. null. Cod. De pactis* \* 10. A qua tamen regula excipitur iure Pontificio Clericus, qui privilegio fori sui renuntiare ne quidem iurato potest, & prorogare in se iurisdictionem iudicis laici, *cap. Si diligenti 12. h. t.* quia hoc privilegium, ne coram Judice laico conveniatur Clericus, non est datum in favorem Clerici illius, qui convenitur, sed in favorem totius ordinis Clericalis, & sic est publicum: atqui privatorum pactione iis, quæ sunt iuris publici, derogari nequit, *l. Inrisgentium 7. §. si pactetur D. De pactis.* Quinimò Clericus prohibetur prorogare in se iurisdictionem alterius Judicis Ecclesiastici, nisi cum consensu sui Episcopi, *d. c. Significasti h. t.* Hoc ideo, quia Clericus ratione Ordinis s. scilicet ab Episcopo, vel beneficii ab eodem accepti, aut sub eius iurisdictione sit, multo atque subiectus est Episcopo suo, quam laicus suo Judici.

11. Sunt



11. Sunt tamen casus quidam, quibus Clericus coram iudice laico conveniri potest, & è contra laicus coram Ecclesiastico. Atque in primis Clericus coram laico, si sit vassallus laici, & de feudo controversia oriatur, coram domino feudi vel partibus curiæ conveniri debet, *c. Ex transmissio 6. cum c. 3. seq. b. t. Gaill. 1. Observant. 37. Martia 4. p. Dist. 11. n. 75.* Idque ratione directi domini, quod penes ipsum dominum est; & quia natura causæ ad se personam trahit, non è diverso.

Secundò, si prima tantum confusa sit initia-  
tus, aut in minoribus Ordinibus constitutus, aut conjugatus, secundum tamen dispositionem & formam Concilii Trid. Sess. 23. c. 9. *De reformat. juncto c. unico De Clerico conjugato in 6.* Gutierrez Pract. quæst. civil. lib. 1. qu. 7. vel si bigamus sit, *c. unico De bigamia in 6.* aut jaculatoriam artem per annum exercuerit, vel saltem ea de re ter monitus non recipuerit; nam hoc casu omni privilegio clericali exiit, *c. unico De vita & honest. Cleric. in 6.* sicut & is, qui in assassinatus crimine deprehensus est, *c. 8. De homicidio in 6.*

12. E diverso laicus, multis casibus secundum Canones subicitur Judici Ecclesiastico, ut si possideat & detineat res Ecclesiæ, vel Clerici, *c. Si Clericus 5. h. t.* si rapuerit vel in vaserit res Ecclesiæ, *c. Cum sit generalis 8. eod.* si jus aliquod Ecclesiasticum usurpet, *c. Conquestus 16. eod.* Idem si Judex laicus desit officio suo in administranda Justitia, potest laicus trahi ad Judicem Ecclesiasticum, *c. Licet 10. c. Ex tenore 11. eod.* Denique miserabilis persona, veluti pupillus, aut vidua, ut de possessione dejecta potest coram iudice Ecclesiastico agere ad possessionem suam recuperandam, *c. Ex parte 15. eod.* Alias secundum regulam cogitur, sequi forum rei, *d. c. Ex tenore h. t.*

Ubi autem dubium est, an vocatus de foro seu jurisdictione sit vocantis, tenetur hic comparere, & incompetentiam Judicis allegare: tum Judex ipse æstimabit, an sit suæ jurisdictionis, an alienæ, *l. Si quis ex aliena D. De judiciis, c. 1. c. Cum persona inf. de privilegiis Vide inf. §. 3. n. 7.*

## §. II.

De requisitis ad prorogationem Judicis,

1. *Fieri debet prorogatio in iudicem, qui habeat jurisdictionem.*

2. *Et quidem ordinariam non delegatam.*

3. *Consentiente utroque, & renuntiantis & adversario ejus.*

1. **V**T tamen prorogatio jurisdictionis in iudicem non suum subsistat, necessum est, ut is habeat jurisdictionem, sufficientem ad cognitionem & decisionem causæ quæ interligantes vertitur: ut, si causæ sit spiritualis, jurisdictionem habeat spiritualem, si criminalis, non solum possit de causâ civili cognoscere, sed etiam de causâ criminali, criminaliter intentâ, habeatque potestatem crimina coercendi. Alioquin non tam esset jurisdictionis veteris prorogatio, quam novæ collatio, quæ non est in potestate privatorum, *l. Privatorum Cod. De jurisd. em. ludic.*

2. Secundò, Jurisdictio, quæ prorogatur, debet esse ordinaria, non delegata: nam cum jurisdictione delegata non sit ipsius delegati, sed delegatis propria, *l. 1 §. fin. l. Et si Prætor D. De jurisd. ejus cui mand. est jurisd.* non potest ultra personas, in instrumento delegationis expressas, de ipsarum consensu prorogari, *c. P. & G. sup. De officio lud. deleg. nisi intercedat delegantis consensus, Panormit. ibid.* Quamvis mandata alicui jurisdictione ad certum diem vel tempus, possit de communipartium consensu prorogari, *c. De causis sup. eod. l. 2. §. sed si iudex D. de judiciis.* Quemadmodum etiam Judex ad certam usque summam judicare iustus, potest de re majoris minorisve quantitatis judicare, si partes consentiant, *d. l. 2 §. 1. l. Inter convenientes, 28. D. Ad municipalem* siue is Judex sit ordinarius, siue delegatus, Accurs. *ind. l. 1.* quia diversitas quantitatis non inducit diversitatem jurisdictionis. Similiter Judex, iustus de causâ sibi commissâ certo loco cognoscere, potest alio loco de ea cognoscere, si partes expresse consentiant, *c. Statutum §. in nullo De re scriptis in 6.* dummodò, si Ordinarius fuerit intra fines sui territorii de ea cognoscat.

3. Terriò, Utriusque, & renuntiantis foro suo & adversarii, intervenire debet consensus, *l. 2. D. De judiciis, l. 2. Cod. De jurisd. em. lud.* qui tamen sufficit tacitus, *arg. d. l. 2. D. de judiciis, Bart. in d. l. 1. D. eod. tit.* Et eorum, qui de jurisdictione incompetentis Judicis proroganda convenerunt, potest alter, altero invito, recedere ab ea conventionione, re adhuc integra, *l. Si conve-*

R



convenire D. De *jurisd.* censetur verò hic res integra, si citatio nondum sit emissà, arg. d. l. Si *convenire*: licet Accurs. Bart. Alexand. Jostan. *ibid.* velint demum per litis contestationem desinere esse integram. Cæterum non est necessarium ad hanc prorogationem, ut ipsius Judicis prorogati consensus interveniat, d. l. 2. in princip. *versic. convenire.*

Denique non vitetur in Iudicem incompetentem consentire, qui apud eundem Iudicem actionis genus sibi edi desiderat, l. Non *videtur* 33. D. De *judiciis.*

## §. III.

## De Citatione seu in jus vocatione.

1. Citationis necessitas.
  2. 3. Quid sit Citatio; & divisio in Realem ac Verbalem.
  4. Item in Simplex & Peremptoriam.
  5. 6. Requisita: ut fiat ad instantiam partis & mandato Judicis.
  7. 8. Ut contineat nomen & cognomen Iudicis; ac citari: & causam.
  9. Item locum judicii.
  10. Et diem certum, quo citatus compareat.
1. Supposita jurisdictione & competentia Iudicis, principium instituendi iudicii sumitur à Citatione seu in jus vocatione, c. Quoniam *contra inf.* D. probat Clement. Pastoralis De re *judicata.* Gaill. 1. Observat 50 adeò necessaria, quo ad absentem, ut nullatenus omitti possit, d. Clement. Pastoralis Nam cum ea ad defensionem spectet, juris est naturalis: imò secundum aliquos divinis inducta, quando Deus citavit Adamum post peccatum commissum, dicens, *Adam ubi es?* Genes 3. quos refert Calvolus in *Praxi* §. Citatio conclusi. Et ided, ea omissa, iudicium redditur nullum, c. Ecclesia sup. De *construt.*
2. Citatio autem actus est legitimus, quo quis mandato Judicis, juris experiundi causa in iudicium vocatur. \* 3 Estque vel realis, vel Verbalis. Illa per manus injectionem & apprehensionem personæ citandæ: Hæc aut privatim per apparitorem, vel literas, aut publicè per præconem, tubam, campanam, aut edictis propositis, fieri solet, l. 8. Cod. Quomodo & quando *Iudex* & c. de qua plenè Felin in *cav.* Quoniam *fræquentior* §. porò *inf.* Ut *litæ non constata* & c.

Edictali citationi tunc locus est, quando aliàs quis citari nequit: ut si locus non sit tutus, si non proprii sit territorii, si remotus aut varius, ubi citandus moratur, vel si ipse citandus sit vagabundus, aut impediatur: quo min⁹ ad se citatio verbalis vel per litteras pervenire possit, Menoch. *remedio* 8. *quæst.* 13 *recup. possess. n.* 113. & *seqq.* Si item contradictor sit incertus, & citentur omnes in genere, quorum interest: vel si incerti sint creditores defuncti, & volens adire hæreditatem suspectam, cupiat facere inventarium: vel si agatur de materia diffamationis, Mench. d. *locen.* 121. & sic de aliis similibus.

4. Rursus Citatio vel est Simplex vel Peremptoria. Simplex est, quæ citatum non autè contumacem constituit, quàm si tertio & justo, non minus decem dierum, intervallo, utique in civilibus, facta sit l. Tres *denuntiationes* Cod. Quomodo & quando *Iudex* & c. l. Et *sortium* & *sequens* D. De *judiciis.*

Peremptoria est, quæ simplices citationes ita perimit, ut in jus vocatum, si præfinita die non comparverit, contumacem constituat, d. l. Et *tertium* & l. Nonnunquam D. De *judiciis* Et quamvis antea per intervallum, ad minus decem dierum, singula edicta peremptoria citatione impetrari deberent, l. Per *intervallum* D. & l. *Properandum* Cod. de *judiciis*: tamen hodie singulis edictis necessarium esse intervallum triginta dierum, constat ex *Aut. qui semel* Cod. Quomodo & quando *Iudex* & c. ita tamen, ut Iudex pro qualitate personæ temporis, loci, aliisque similibus circumstantiis, & edictorum numerum & eorundem intervalla, necessitate postulante, augere ac diminuire valeat, d. l. Nonnunquam *in fine* D. De *judiciis*, c. Consultus *in fine* sup. D. *officio delegati* c. 1. *inf.* De *feriis*. Unde & post peremptorium edictum absens ex benignitate Judicis citari potest, Et *post peremptorium* D. De *judiciis.*

5. Ut autem Citatio sit legitima, plura requiruntur. Primò, ut fiat ad instantiam partis dum agitur inter duos litigantes: maxime citatio ad sententiã, nisi Iudex videret perire instantiam, qui tum ex officio posset citare, Maranta 6. *Spec. in verbis, citatio rectè consipiat* n. 115. & *seq.*

6. Secundò, ut fiat mandato Judicis competentis, sive Ordinarii sive delegati; alias citationem



tum non ardeat, l. *Neminem Cod. De exhib. rei*, lare Gail. 1. *Obferu. 48. n. 12. & 50.* Licet fit realis quia & hæc requiritur causæ cognitionem, quam nuntius non habet, Gail. *d. loco*. Et ideo regulariter citatio fit per apparitorem, speciale mandatum aut commissionem Judicis habentem, d. l. *Properandum §. etsi quidem Cod. de iudiciis*. Nisi forte delinquens in flagrante crimine capiatur; nam tunc lex ipsa licentiam concedit, Gail. *lib. 1. Obferu. 54.* aut nisi ob tenuitatem negotii & causæ, aut alium fori usum, generale mandatum, ad quasdam citationes faciendas semel datum, sufficiat; quod & Aleiat. probauit, in *Rubr. Cod. Ne in ius vocati &c.* Obtenetque in plerisque Curis, in quibus, ex fori usu, non requiritur mandatum seu commissio Judicis, sed ad simplicem petitionem partis fieri solet citatio, quando scilicet citatio fit in foro citantis.

7. Tertiò, continere debet nomen & cognomen Judicis, ut citatus cognoscat, an iussu competentis iudicis sit decreta citatio: nam supra jurisdictionem, vel extra territorium citanti impune non paretur, l. *fin. D. de iurisdic. om. iud. l. 2. D. Si quis in ius vocatus, &c. Alexand. inc. Clemens Pastoralis de sententia & re iudicata*, Gail. *lib. 1. Obferuat. 48. n. 7.* Nisi sit Iudex domicilii, qui iudicium suum ubique existens citare potest, Gail. *d. l. 1. Obferu. 56. in fin.* Ea ratione, quia quocumque se transferat, semper manet subditus: cum propriè subditus dicatur ratione domicilii l. *Licet ratione h. t. & ibi Felinus*, Gail. 2. *Obferu. 35.* quod & incolas facit, l. *Domicilium & ibi Glof. D. Ad municipalem, l. Crues. l. Si in patria Cod. de incolis l. 10.* Quod si reus dubitet, an iussu iudicis competentis citatus sit, comparere nihilominus tenetur, & incompetentiam allegare, l. 2. *D. Si quis in ius voc. non ierit & ibid. DD.* nisi notorium sit Iudicem non habere jurisdictionem, Gail. *l. 1. Obferu. 48. n. 8.* Et de hac competentia Iudex ipse citans cognoscere potest, an scilicet sit suæ jurisdictionis, an alienæ, l. 2. *§. sed si dubitetur, & l. Si quis ex aliena §. D. de iudiciis, c. 1. c. Cum persona inf. de privilegiis.*

8. Quartò, continere debet nomen & cognomen ejus, qui citatur, cap. 34. & 36. *sup. de rescriptis*, Gail. *d. lib. 1. Obfer. 49.* & similiter ejus, ad cujus instantiam citatur, Gail. *ibid. obferu.*

50. ut intelligat citatus, citationem non ex officio iudicis, sed ad petitionem & instantiam citantis esse factam.

Quintò, causam, saltem in genere, etiam in criminalibus; præsertim dum ex loco remoto citatur, secundum Abbatem col. 2. *in fine inf. de dilationib.* ut instruat reus, super quo conveniatur, d. c. *Præterea & ibi Glof. & accedat paratus ad respondendum*, Gail. *d. lib. 1. Obferu. 51.*

9. Sextò, locum iudicii, ut citatus sciat, an Iudex non excedat fines suæ jurisdictionis, citando extra territorium; & an locus, ad quem citatur, sit tutus & commodus: nam citatus ad locum non tutum vel incommodum non tenetur comparere, c. *Ex parte inf. de appellat. Clemens Pastoralis de sent. & re iudicata l. Si locus D. de iudiciis*: & Iudex non admittens exceptionem loci non tuitur (quæ licet dilatoria sit, nihilominus etiam post litis contestationem opponi potest, tanquam continens gravamen, successivum) infert citatio gravamen, à quo licitè appellatur, Gail. *d. lib. 1. Obferu. 56.*

10. Denique diem certum, iustum atque opportunum, quo citatus compareat, & commode ad locum iudicii venire possit, sciatque an dies si iudica: nam diebus feriatis, veluti die festo aut vindemiarum vel messium, nemo ad iudicium venire compellendus est cap. 1. *inf. de feriis, l. 1. D. & l. 2. & 3. & fin. Cod. eod. r.* nisi quis citatus esset die feriata, ad utilitatem hominum, ex commissione Principis, qui potest talibus feriis derogare, Calvolus in *Praxi §. Citatio concl. 3. num. 21. & 24.* exceptis item causis alimentorum, carceratorum, pupillorum, viduarum, miserabilium personarum, & iis, quæ moram non patiuntur, veluti si tempore res petitura sit, vel alia urgeat necessitas, & similibus, quæ possunt expediri diebus feriatis, & in citatione sunt exprimenda, ut citatus teneatur comparere: qui alias habet intentionem fundatam, non comparendi die feriata; nisi, ut dictum est, sit citatus ex commissione Principis ad talem diem in utilitatem hominum Non tamen est necesse, ut contineat horam comparendi, sed citatus comparere debet hora causarum solita, & tali hora, in qua possit actus expedire ante noctis tenebras:



& si opponeretur certa hora, & actus non fieret hora assignata, sed alia non valeret, ut tradit Maranta 6 p. *verse. Re de citatio concipiatur n. 66.* Si verò dies apponatur nimis brevis, citatio talis valida non erit, *l. Aut qui aliter D. Quod vi, aut clam, &c.* & appellati ab huiusmodi gravamine poterit, Gail. d. lib. 1. *Observ. 5.*

## §. IV.

## De executione Citationis.

1. *Citatio in personam vel ad domum fit &c. & quando.*

2. *Deinde relatio apud acta fieri debet.*

1. **C**ommissione citationis nuntio facta, oportet ut is eam exequatur. Et quidem primò reum citandum diligenter perquirat, ut ei coram in faciem citationem insinuet. Eoque non reperto, potest in subsidium vel procuratori illius, si quem reliquerit, vel ad domum domesticis, vel, si nemo adsit, vicinis denuntiationem exponere, relicto ibidem commissionis suæ exemplo, ut ad reum citatio perveniat, *c. Causam 3. inf. De dolo.* Quod si verò citandos plures habeat ædes, executio citationis fiet ad eas, in quibus pro majori parte anni egit, *arg. Clem. Causam, ibi, in domo, quam &c. De elect.* Sin æquali tempore moratus fuerit in omnibus, ibi citandus erit, ubi citationis tempore degit. Vide plenè Damhaud in *Praxi civili c. 59. & ibi Tuld.*

2. Executione facta, incumbit eidem nuntio facere ejus relationem, quæ in acta refertur debet, ut appareat de legitimè facta executione. Relationi autem executoris credi solet, propter fidem ejus delectam, & juramenti religionem, qua iudici est adstrictus Gail. lib. 1. *Obs. 54. nu. 4.* Mynl. *Cent. 5. Obs. 51. n. 2.* Quamquam asserenti, se ex mandato iudicis citasse, non credatur quia tantum de suo facto, quale est executio, nō etiam de facto alieno, cuiusmodi est commissio iudicis, deponenti creditur, Gail. d. *Obs. 54. n. 5.*

## §. V.

## De effectu Citationis.

1. *Citatum constringit ad comparandum.*

2. *Perpetuat iudicis delegati jurisdictionem.*

3. *Prescriptionem interruptit.*

4. *Perpetuat & iudicis ordinarii jurisdictionem.*

5. *Citatio illegitima per comparitionem validatur.*

1. **Q**uoad effectum citationis attingit, ea legitimè facta in primis constringit citatum ad comparandum, nisi iusta exceptione se tueatur: veluti quod magistratum gerat, quod sit parens vel patronus, quos sine permissu Prætoris in jus vocare non licet: vel quod propter loci religionem inde se movere non possit, quodve funus ducat, aut iusta defuncto persolvat, vel alia simili causa, de quibus latius vide-re licet in *l. 2. 3. & seq. D. De in jus vocando & in lib. 2. cum seqq. D. Si quis caution. in jud. sistend. &c.* Alias autem, cessante legitima exceptione, contumacia citati, & non comparentis vane punitur, ut postea dicitur.

2. Secundò perpetuat iudicis delegati jurisdictionem, *c. 10. & fin. sup. De officio iud. deleg.* Et ideo si quis, postquam citatus est, alterius fori esse cœperit, in ea causa jus revocandi domum non habebit, *l. Si quis posteaquam 7. D. De iudicis, l. penult. D. De iurisdic. om. iud. c. Proposuisse penult. h. t. c. Gratum 20. sup. de offic. & potest. iud. deleg.*

3. Tertiò, præscriptionem triginta annorum interruptit *l. fin. Cod. De annali except.* 4. Facit etiam iudicis ordinarii jurisdictionem perpetuam, respectu illius causæ, cuius intuitu citatio semel legitimè facta fuit, etiam si citatus postmodum cœperit esse alienæ jurisdictionis, *d. c. Proposuisse, l. ubi acceptum D. de iudicis.*

5. Quia verò effectus & finis præcipuus citationis est, ut reus compareat: ideo citatio illegitima, quæ tamen ad notitiam citati pervenit, per comparitionem ejus convalidatur, & reus comparens ad libellum actoris respondere cogitur: quia præfens regulariter citati non debet Gail. d. lib. 1. *Observ. 58.* Et hinc fit, quod citatus ad certam causam comparens, secundum communio rem sententiam, debeat respondere in alia causa Gail. lib. 1. *Observ. 51. n. 7.* ubi subiungit, eo spectare, quod actor regulariter ante litis contestationem libellum & genus actionis mutare possit.



## TITULUS III.

## De libelli oblatione.

1. Quid sit Libellus.
2. Ejus inspiciendi ac scribendi copia reo facienda.
3. Libellus debet esse clarus & certus, non alternativus non obscurus.
4. Libellus alternativus quando sustineatur.
5. Libellus duplex, Civilis seu Conventionalis & criminalis.
6. De medio seu causa petendi in libello conventionali.
7. Eodem libello posse plures cumulari actiones.
8. Libello exhibitio ab auctore, danda reo est dilatio aliqua.
9. In summario judicio non est necesse libellum scripto tradi.
10. Vique coram arbitratore.
11. 12. An & quatenus libellum mutare & emendari liceat.

Reo legitime citato comparente, nec Judicis, ad quem vocatus est, jurisdictionem declinante, auctor libellum.

1. Qui non est aliud, quam brevis scriptura, clara auctoris sive acculatoris intentionem, seu rem, quæ petitur, causam petendi, & nomen auctoris ac rei continens) si judicium, sit plenarium, exhibebit seu edet Judicii.

2. Sive coram Ordinario vel delegato Iudice, sive coram arbitro agatur, civiliter aut criminaliter; & quidem scripto, licet olim secus fuerit, l. 1. d. de edendo. E jusque inspiciendi ac describendi copia Iudex reo faciet, sumptibus auctoris, Glossa in Clem. Quamvis, in v. oblatos De appellat. ut inde intelligat reus, ob quam causam in judicium vocatus sit, & deliberare possit, utrum cedere, an contendere ultra debeat, l. Edita & Aush. Offeratur Cod. eod. can. Offeratur l. 11 q. 3. ad eod. ut, si Iudex reo petenti denegat copiam, à tali denegatione recte appelleretur, c. Significans inf. De appellat. Ut etiam, si contendendum reus putet, veniat & ipse ad defendendum instructus, cognitâ actione, quâ convenitur, & Iudex, in-

specto libello, despiciat, quo pacto à se concipienda sit sententia, quippe quæ conformis libello esse debeat, l. Ut fundus D. Communi dividundo Unde constat, libellum introductum esse non solum in favorem auctoris & rei, sed etiam ipsius judicis. Quem proinde oportet esse clarum & certum, non alternativum, Gail. l. 1. Obs. 26.

3. Quamquam non statim libellum obscurum rectificare aut confringere debeat Iudex, dummodo ex iis, quæ postea in judicium deducuntur, desumi possit apta ejus declaratio, l. fin. Cod. De annali except. cap. 3. inf. De sent. & re jud. Sio minus, & declarationem libelli ineptam animadvertit, reum ab instantia judicii absolvet, & auctorem condemnabit in expensas relicta interim eidem potestate petitionis suæ denovo repetendæ & recte instituendæ, c. Examinata 15. sup. De judiciis Alias sententia super libello evidenter inepta in causis ordinariis est nulla, etiam parte non opponente: tantaque est vis istius nullitatis, ut non comprehendatur sub statuto, nullitates expresse collente, Gail. lib. 1. Observat. 66. Obscurior verò redditur libellus, ratione æquivocationis, generalitatis, alternativæ locutionis, &c. Gail. ibid. Procedit tamen libellus generalis & obscurus in causis summaris, parte non opponente, Alexand. Confl. 32. col. 3. lib. 4. imò etiam parte opponente, secundum Jaf. in d. l. Editan 6. secus in ordinariis. Potest autem libellus obscurus declarari per solum libellantem, non etiam per heredem ejus vel procuratorem, nisi is ad hoc speciale habuerit mandatum: sicut nec dominus libellum procuratoris sui declarare potest. Cravett. ad Vestrum lib. 5. cap. ultim. num. 20.

4. Sustinetur etiam libellus alternativus 1. Primò in actione hypothecaria: ut si dicat auctor. Peto illum condemnari ad traditionem rei obligatæ, vel ad solvendum debitum, per text. in l. Si fundus 16. §. in vindicatione D. De pign. Gail. lib. 1. Observ. 42. num. 8. Nam in actione hypothecaria possessor potest retinere rem, & litis æstimationem offerre creditori, l. Si creditor 2. D. Quibus modis pig. vel hypoth. sol. Vide Socin in c. 2. h. t. n. 74. ubi hanc regulam, quod libellus non debeat esse alternativus, limitat novem modis. Secundò, sustinetur libellus alternativus in materia l. 2. Cod. de rescindenda vendit. ubi venditor concludere debet, ut

R 3

emptor



emptor aut suppleat, quod deest justo pretio, aut rem emptam restituat, *cap. Cum dilecti 3. inf. de empt. & vendit. Gail. d. lib. 1. Obser. 62.* Tertio, quando petitur restitutio adversus contractum, quia tum actor potest concludere alternativè, vel quod pronuntiet Iudex, contractum esse nullum, aut, si quis sit, adversus eum restituatur, *Gail. d. Obser. 62. n. 7.* Quarto, quando petitur restitui res, si existat, aut ejus æstimatio, si consumpta sit; quando scilicet incertum est, an res exstet *Gail. d. Obs. 62. num. 5.* *Myns. Cent. 2. Obser. 52. num. 7.* Alioquin si sit certum, exstare rem, peti debet ipsa res, non ejus æstimatio, quippe quæ tantum in subsidium debeat, *l. fin. Cod. De fidei commiss. libert. Panormit. in cap. Gravus inf. De rebus spoliatis. nu. 22. Gaill. d. Obser. 62. n. 6. & 7.* Similiter quando incertitudo provenit ex facto adversarii, *text. in l. 1. §. quia autem D. Quorum legatorum.* Hinc inquit *Gail. d. Obser. 62. n. 4.* valeret hujusmodi libellum, Peto rem jure domini vel quasi domini, vel, Peto me declarari dominum vel quasi dominum.

5. Cum verò Libellus sit duplex, nempe Civilis seu Conventionalis, *e. fin. h. tit.* cujus usus est in causis civilibus, qui scilicet in rem civilem id est in id, quoad actoris interest, concipitur; & Criminalis, qui criminis accusationem continet, *can. Nullus iv. quæst. 4.* videndum est, quæ sit forma, utriusque, & potissimum conventionalis, de quo hic agitur. In quo exprimi debet nomen & intentio actoris, item nomen rei, à quo petitur & nomen judicis, coram quo petitur, scilicet.

*Quis, quid, coram quo, quo jure petatur, & à quo.*

In criminali vero nomen accusatoris, rei accusati, & Judicis, itemque delicti locus, annus & mensis, designari debet: quamquam si dies, qui mensem demonstrat, exprimitur, non alia mensis expressione sit opus, *l. Libellorum 3. D. de accusat.*

6. Præterea licet in Conventionali non sit necesse de jure Canonico exprimi verbis conceptis nomen actionis, *e. Dilecti sup. de judicio,* sufficiatque, ut ex forma conclusionis certum genus actionis intelligatur, quia ex causâ petendi vel medio concludendi qualitas intentatæ actionis colligitur & demonstratur, *e. Lis-*

*tera tua inf. De dilation. Gaill. r. Obser. 61. n. 2.* tamen necesse est, ut medium concludendi seu causâ petendi exprimatur. Glossa in *d. c. Dilecti* sive proxima, qualis in personali actione est obligatio, *l. Licet §. ea obligatio D. De procurat. in reali dominium, l. In rem D. De rei vindicat.* sive remota, qualis in actione personali est contractus, *l. Consensu, l. Actionum genera §. actionum D. de oblig. & act. §. 1. Instituit. de obligat. ex consensu;* in reali factum, ex quo causatur dominium, v. g. quod res sit legata, vendita & tradita. Et quidem in actione personali exprimenda est causâ remota, *e. fin. h. tit.* v. g. Peto à te decem ex mutuo vel ex deposito, quia ex causâ remota præsumitur proxima, scilicet obligatio. Nec sufficit exprimere causâ proximam, veluti Peto decem, ad quæ mihi obligaris, quia eadem res ex pluribus causis nobis deberi potest, *l. Et an eadem §. actiones D. De exception. rei judicatæ;* & reus non posset ex tali libello, tanquam incerto & non concludente certum aliquid per agendi, deliberare, an cedere, an verò contendere debeat, *d. cap. fin. h. tit. Gaill. d. Observat. 61. num. 3.* In reali verò actione, puta rei vindicatione, sufficit exprimere causâ proximam, v. g. Peto rem, quæ mea est ratione domini vel quasi domini, *Gail. d. Observat. 61. num. 7.* quia hinc sufficienter sit certior reus, an cedere an contendere velit, Glossa in *cap. 2. h. tit. & in l. 1. D. De edendo;* quandoquidem duo non possint ejusdem rei dominium in solidum habere, *l. Si utrum §. si duobus D. Commodati, l. Pomponius §. si & in D. De procuratorib. neque unus idemque unam & eandem rem pluribus ex causis obvinere, d. §. actiones. l. 3. §. ex pluribus D. de acquir. possess. l. Non ut ex pluribus D. de reg. juris. Gaill. d. Obser. 61. num. 8.* Non prohibetur tamen actor causâ domini simul libello comprehendere, asserendo rem suam esse, quia sibi donata vel legata, vel alio simili titulo acquisita sit, *e. inf. De sent. & re judicata.*

7. Potest etiam actor in libello suo plures actiones simul cumulare; sive ex diversis causis ad diversa contra eundem vel diversum agat, sive etiam ex eadem causâ, & ad idem contra diversos, si modo nihil obstat cumulationi, *l. Si idem cum eo D. de juris. om. iud. Gaill. 1. Obser. 63. num. 1.* Idque favore dirimendarum litium, *e. Nullius. De re judicata in 6.* iisque



sique sigillatim à reo respondendum est, & à Judice totidem, secundum cujusque actionis naturam, sigillatim proferendæ sunt sententiæ: in eodem judicio: quia tot sunt libelli, quot actiones & facta; & ideo, cum separatorum separata sit ratio, totidem sententiæ requiruntur: potestque Judex partim definitivè, partim interlocutoriè pronuntiare, ut v.g. si post conclusionem in causâ, quoad aliquod factum in actis allegatum, desideret adhuc aliquam probationem, potest, rescissa ex officio conclusione, ulteriorem probationem inungere, & nihilominus quoad reliquas actiones, in quibus nihil desiderat, definitivè pronuntiare. Non obstante, quod sententia sit individua, l. in hoc judicio D. fam. c. 1. quia id verum est, quando libellus unum factum continet; sed, quando plura & separabilia facta continet, Gail. d. l. Observ. 63.

8. Libello verò actoris secundum ordinem juris exhibito, non statim cogitur reus respondere, sed induciæ dandæ sunt, ut interim deliberet, an contendendum sit, an acceptandus, vel recusandus sit Judex, & ut, si quas habeat exceptiones, proponat. Et quidem de iure communi dilatio viginti dierum conceditur, Auth. Offeratur Cod. De litis contestatione. Hanc tamen dilationem ex communi observatione, frequenter à iudice coarctari videmus, arg. l. 2. D. De rejudicata.

9. Dixi in initio, libellum ab auctore esse exhibendum iudici, si plebani sit iudicium; quia in summario iudicio & brevioribus ac levioribus causis etiam de iure communi non est necessè libellum scripto tradi: sed sufficit actoris petitionem coram iudice nudis verbis proponi, eamque actis continuò inseri, ut re postea exigente, eius copia haberi possit, Clem. Sape veritas De verb. signif. Auth. Nisi breves C. De sent. ex peric. recit. Bart. in d. Auth. Offeratur. Dubio autem existente, an aliqua causa sit de brevioribus, arbitrabitur Judex secundum qualitatem personarum: nam inter duos Reges aut valde divites causa centum aureorum est modica, inter pauperes verò eadem putatur magna. Calvolus in Praxi Libellus conclus. 1. n. 5.

10. Similiter aliud obtinet, si coram arbitrato- re agatur, quia coram eo nulla solemnitas iudicii necessario servanda est, ut Bart. & alii tradunt in l. Si societatem §. arbitratorum. D. Pro

socio. Et licet in iudicio ordinario litigatores inter se pacisci possint, ne sibi invicem libellum edere cogantur, juxta l. Si quis Cod. de pacis: ne tamen iudici edatur (in casibus, in quibus requiritur) nec tacite nec expressè pacisci queunt: quia, ut anè dixi, sententia conformis libello à iudice proferri debet, & quia libellus est introductus favore publico, ut lites clarius procedant, Calvolus d. loco conclus. 1. num. 1. & 2.

11. Cæterum hic quæri potest, an libellus semel editus mutari vel emendari, & quouque, possit. Pro cuius resolutione præmittendum est, discrimen esse inter mutari & emendari libellum, nam mutatur, quando actio proposita vel causa petendi expressè mutatur, & alia proponitur; vel receditur à re petita, & alia petitur, vel factum narratum mutatur. Emendatur verò libellus, quando vitium vel mendum aliquod, vel obscuritas tollitur salvâ ipsius libelli substantiâ: ita ut nec res petita, nec causa petendi, nec ratio mutetur, l. Si quis intentione C. 6. D. De iudiciis.

12. Potest itaque mutari libellus, in causis tam civilibus quam criminalibus, usque ad litē contestatam, quia hætenus nondum cœptum est iudicium: at verò post litem contestatam, actor libellum mutare non potest, nisi velit uti novo libello & nova instantia, recedendo à priori, cum refusione expensarum, juxta l. Examina- ta sup. De iudiciis; ut quidem si partium accedat consensus: quia per litis contestationem obligatur quis instantiæ, ut ab ea recedere & amplius prænitere non valeat, l. Is qui se obtulit 25. & ibi Glossa in v. qui discessit, D. De rei vindicat. l. sed et si suscepit 52. D. De rei vindicat. l. sed et si suscepit 52. D. De iudiciis l. Nemo Cod. De iurisdi. om. iudic. Nam hoc modo celebratur quidam quasi contractus, per quem obligatur quis ad id, quod in iudicio petatum est, si per sententiam (per quam consummatur iste quasi contractus) succumbat. Deinde litis contestatio, & alii actus substantiales iudicii, partium consensu tolli nequeunt. Glossa in c. De causis in v. consensu sup. De officio deleg.

Emendare verò libellum licet usque ad sententiam, d. l. Si quis intentione, & tradunt Interpretes plerique ad l. Edita 3. Cod. De edendo. Hinc si actor de summa petita aliquid diminueret vellet, usque ad sententiam audiendus est, arg. l. qui- dā D. Si certū petatur: sicut & si errore ductus ab initio



rio minus, quam sibi debebatur, petierit, potest in eodem iudicio eademque instantia errorem suum corrigere. § *si minus Instit. in actionibus.*

Porro de libelli oblatione vide plenissime Speculat. in *Tit. de libelli concept.* Quomodo autem in singulis actionibus formandus sit libellus, tradit Calvolus d. § *Libellus conclus. 6. & seqq.* Joan. Oldendorp. in *Progymnas. Actionum* Mynl. & alii ad *Tit. Instit. De actionib.*

#### TITULUS IV.

### De mutuis petitionibus.

#### §. I.

#### Quid sint mutuae petitiones.

1. Ratio ordinis.
2. Mutua petitio quid sit.
3. 4. 5. Etiam Clericus coram iudice laico reconveniri potest.

**P**lerumque viso actoris libello, de ejus oblatione jam dictum, reus vicissim ab actore aliquid petit, eumque reconvenire solet praesertim quando compensationi locus non est (ut si debitum ex utraque parte non sit liquidum, nec intra brevem terminum, arbitrio Judicis statuendum, liquidari possit, secundum Bald. in l. fin. D. De compensat. si neque liquidatum sit per confessionem rei, Maranta 4. p. dist. 6. n. 3. vel si legis prohibitio impediat compensationem, ut in l. 1. 2. 3. 7. 9. & ult. Cod. De compensat. l. Ob negotium 20. D. eod. tit. vel speciei ad speciem desideretur compensatio, l. Si convenit 18. D. De pignorat. act. vel denique si ex una parte debeat species, ex altera quantitas, l. fin. Cod. De compensat.) sequitur propterea hic *Tit. D. mutuis petitionibus.*

2. Nam mutuae petitiones nihil aliud sunt, quam conventio ex parte actoris, & reconventio ex parte rei. Et Mutua petitio idem est quod reconventio, quia scilicet reus, viso libello actoris, vicissim aliud ab eo petit, coram eodem iudice, & in eodem iudicio; etiam si alias iudex ille non sit actoris competens. Nec enim permittitur reo, durante iudicio con-

ventionis, actotem convenire coram alio iudice ne in ipsius calumniosa potestate sit, actorem ad alium iudicem trahere, & sic eius actionem eludere, actoremque petitionis suae persecutione distrahere, l. Si idem §. sed et si mutus D. De iurisdic. Auth. Et consequenter C. De sent. & interlocut. nisi in iis casibus, quibus vel ob contrarietatem naturam & qualiterem regnauit, v. g. feudi aut rei spiritualis, vel aliud impedimentum, actorem coram eodem iudice nullo tempore convenire potest reus Bart. in d. Auth. Et consequenter n. 3. & 9. cum sic non actor ipse, sed natura & genus seu qualitas causae, eundem iudicem dedignetur.

3. Non potest autem actor quoad reconventionem, ubi ea locum habet, se nulla incompetens fori exceptione tueri, quo minus coram eodem iudice respondere cogatur, l. Papinianum Cod. D. sent. & interlocut. om. iud. l. Qui non cogitur 22. D. De iudicio, ubi Ulp. agit. Qui non cogitur aliquo loco iudicium pati, si ipse ibi agat, & egerit, capere actiones, & ad eundem iudicem mitti: etiam si Clericus sit, qui coram iudice laico reum convenit, ex receptori DD. sententia, quia scilicet rationi ob quam coram laico Clericus conveniri non potest, praevaleat, & iurare suadente, cum non debeat quis quem dedignari iudicem, cuius in agendo arbitrium securus est, d. l. Cum Papinianus can. Accusatores §. cuius in agendo 111. q. 1. Et huius respectu Abbas & Felinus materiam reconventionis scribunt esse favorabilem. Cui accedit, quod in iudiciis inter litigantes servanda sit aequalitas, l. Non tamen 20. in fine D. De iudicata l. ult. Cod. De fructibus & litum expensis: nec personarum ratio haberi debeat, & in iudiciis de R. l. in 6.

Neque obstat, si c. diligenti sup. De foro comp. ex quo non licet Clerico vel expressè vel tacite iurisdictionem laici in se prorogare, & ibi commentum Canonista quia hoc casu prorogat non Clericus ipse iurisdictionem laici in se, sed ipsa lex prorogat seu potius dat & defert laico iurisdictionem in Clericum, d. l. Cum Papinianum. Et ideo haec prorogatio est legalis, si ita vocare lubet; nam cum summus Pont. nusquam veruerit Clericum coram iudice laico conveniri; videtur voluisse hac in parte sequi legem civilem, arg. c. 1. inf. De novi operis nuntiis: latè Theop. Gilebert. De reconven. c. 11. P. 12.



est. II. Præsertim cum videamus Pontificem delegati Judicis jurisdictionem ad causam, in delegationis rescripto non expressam specialiter reconventionis favore prorogasse & voluisse modum procedendi, datum in causa conventionis, intelligi repetitum in causa reconventionis, c. 1. & 2. h. t. Constat autem competentem esse judicem alicujus, qui in eam jurisdictionem à lege habet, l. 1. D. De eo cui mand. est iurisdic.

Adde quod, cum liceat Clerico laicni coram Judice Ecclesiastico reconvenire, æquum sit, ut laico quoque liceat Clericum coram Judice reconvenire laico: In iis scilicet causis, de quibus cognoscere laicus potest, non etiam in iis, de quibus cognoscere nequit, veluti in causa matrimonii, decimarum, & aliis spiritualibus: Item criminalibus, quæ infamant aut capitales sunt, Glossa in c. At si Clerici in p. tenet & ibi latè Panormit. num. 20. & seq. sup. De iudicis, Clarus Præf. crimin. quest. 36. n. 6.

4. Neque obstat, quod privilegium Clerici, ne conveniatur coram laico sit tiori ordinis Clericorum concessum: Nam pariter, quod Legati legationis tempore conveniri non possint, publicæ utilitatis favore inductum est; & tamen reconveniri eos posse constat, ex lib. 2. §. sed etsi agant D. De iudicis. Indeque sequitur dumtaxat, Clericum non posse prorogare iurisdictionem laici in se, in præjudicium ordinis Clericalis, non autem quod ipsa lex id non possit.

5. Non obstant quoque jura, quæ verant Clericum à Judice seculari absolvi vel condemnari, sub pœna excommunicationis cap. 1. 2. & d. cap. Si diligenti sup. D. De foro competenti, can. Denique Distinct. 96. quia intelligi possunt de causis merè spiritualibus, vel quoad conventionem, prout in c. Qualiter 16. sup. De iudicis. indicat illa verba, Ne Clerici trahantur à Laicis ad iudicium seculare.

## §. II.

Coram quo, & quibus in causis locum habeat reconventio.

1. Coram iudice delegato reconvenire licet.
2. Et in causis omnibus non prohibitis.
3. Non in causis criminalibus criminaliter intentatis.

4. Non in causis executionis.

5. Non in causa appellationis.

6. Aut quarum natura & qualitas repugnat.

Potest autem reus auctorem reconvenire non solum coram ordinario Judice, sed & delegato, c. 2. h. t. & ibi Abbas, Maranta, 4. p. dist. 6. n. 13. Nisi Judex delegatus de consensu utriusque partis datus sit: Nam eo casu locus reconventioni non est, quia cessat ratio d. c. Cum Papinianus quandoquidem non à solo actore sit impetratus iudex, sed & à reo. Ob eandem rationem reus actorem reconvenire non potest coram arbitro compromissario, c. Cum dilectus 6. sup. De arbitris latè Maranta d. p. 4. Distinct. 6. n. 20. quippe qui de iis dumtaxat possit cognoscere, quæ expresso litigatorum consensu in compromissum deducta sunt, d. c. Cum dilectus, l. De his D. De arbitris. Neque etiam coram Judice, quem Princeps proprio motu elegerit, nam & tunc cessat dicta ratio, Jaf. in l. 3. in princ. col. fin. D. Quod quisque juris, & c.

2. Habet verò locum reconventio in omnibus causis, in quibus non reperitur expressè prohibita, nec repugnat causæ qualitas. Et proinde in causis quoque summariis, Clement. Sape §. verum De verb. significat, & quidem indubiè, si utraque causa sit summaria: Al' oquin una sit summaria, altera plenaria, procedit quidem reconventio quoad prorogandum Judicem, ut constat ex d. Clement. Sape, quæ indistinctè loquitur, sed non quoad hoc, ut unâ sententiâ terminentur, Maranta d. Dist. 6. num. 38. In quibus verò casibus habeat locum reconventio de jure communi, videre quoque licet apud Mench. De arbitris cent. 2. casu 184. Thoming. Decis. 16. Myns. Centur. 1. Observ. 10.

3. Non habet autem locum; Primò in causis criminalibus criminaliter intentatis, nisi reus reconveniendo vel majus crimen objiciat, vel prosequatur suam suorumve injuriam, l. 1. & l. Negando 19. Cod. De his qui accus. non pos. l. Is qui §. & ibi Glossa & Bart. l. De publ. judic. latè Abbas in c. 1. nu. 22. h. t. quia non objectione aut relatione criminis, sed sua innocentia reus purgatur, d. lib. Is qui §. can. Neganda. & per tot 111. q. 21. Quinimo reus criminaliter conventus actorem ne quidem civiliter re-

S

con-



convenire potest, vel contra, *lib. 2. §. sed et si agant D. De judiciis*. Nam pendente criminali causa locus quaestioni civili esse non potest. *l. fin. Cod. De ord. judic.* nisi civili disceptioni mota principaliter quaestio incidat criminalis, vel criminali iudicio prius instituto civilis causa adjungatur, tunc enim Judex sua sententia, super principali lata, utramque quaestionem dirimet, quia sublato principali accessorium quoque corruit, *lib. Cum principalis D. De reg. Iur. cap. accessorium eod. tit. in 6.* Civiliter vero de crimine conventus potest auctorem reconvenire de alio, crimine civiliter, coram Iudice competenti, id est qui sit Judex comperens reconventi, Maranta *d. Dist. 6. num. 68.*

4. Secundò, non habet locum in causis executivis, quando scilicet petitur executio instrumenti confessionati, quia habet vim sententiae, Bald. in *d. Auth. Et consequenter numer. 17. C. De sent. & interloc. cum. jud. Gutierrez, 1. Pract. quast. civil. quast. 112.* ut nec in deposito, *lib. penult. C. Deposui lib. ult. §. in fine D. De compensat. capit. fin. inf. De deposito*; Quia instrumentum depositi paratam habet executionem. Quod intellige de conventionione quae celerem rei depositae restitutionem impediat, & pari passu ambulet, eo quod in deposito fides exuberare debeat.

5. Tertiò, non habet locum in causa appellationis, *lib. 1. Eum qui appellat, 1. in provincia defendi* quia appellatio communiter necessitate impellente interponitur, nempe propter injuriam, quam appellans putat sibi illatam esse Maranta latè *d. Dist. 6. n. 24.* ut proinde cesset ibi ratio *d. l. Cum Papinianus*. Quod intellige de appellatione judiciali.

6. Denique non habet locum in iis causis, quarum qualitas & natura reconventioni repugnat, & de quibus Judex conventionis cognoscere nequit, uti laicus de spiritualibus. *Gloss. in c. 2. in fine h. 1. & ibid. Abbas num. 28 & seqq. Bald. in d. Auth. Et consequenter n. 5. & 6.* Videatur Gisebert. *Tractat. de reconventionibus cap. 24. num. 14.*

Non permittitur etiam auctori reconventorum iterum reconvenire, ex communi sententia, ne nimia petitionum coactio iudicem plus satis gravet, sibi quæ mutuo auctor & reus officiant.

## §. II.

## Quando proponi reconventio debeat.

1. *Ante vel post litem contestatam proponenda esse.*
2. *Etiam ad sententiam usque.*
3. *Causa conventionis & reconventionis pari passu expedienda.*

1. **P**ROponi reconventio debet ante litem contestatam, *Clam. Sapè vers. Verum de verb. sig.* vel saltem statim post litem contestatam, priusquam scilicet juretur de calumnia, de modo reus velit causam reconventionis cum causa conventionis simul eodem iudicio terminari, ne alias cum gravi dispendio auctoris differri conventionis causam contingat. 2. Alioquin locum esse reconventioni usque ad sententiam, vel saltem conclusionem in causa, durante iudicio conventionis, verius est, *arg. c. Dispendia 3. vers. Roma est quoque de rescriptis in 6.* ubi dicitur, eam eodem durante iudicio, auctorem sibi obnoxium dicere posse, & experiri apud eundem iudicem, conventionis vel reconventionis beneficio: Quia iudicium dicitur, dum negotium discutitur, & *Forus in prima. inf. De verb. signif. de ratque usque ad sententiam seu conclusionem causa.* Deinde in Novella 96. *§. illud. vers. Sancimus* dicitur, non prius causam reconventionis proponi posse apud alium Iudicem, quam prius his conventionis finem acceperit; quod si per sententiam, *l. D. De re judic.* Unde quod in quibusdam textibus dicitur, reconventionem statim esse movendam, ut in *d. Auth. & consequenter* vel in continenti, ut *c. 1. h. 1.* ita intelligendum est, durante scilicet adhuc eodem iudicio, si reus conventus velit coram eodem Iudice auctorem reconvenire. Quia coram alio audiri non debet, nisi terminata lite conventionis, *d. vers. Sancimus in fine.* Vel quod statim & in continenti proponi debeat, id est vel ante litem contestatam, vel statim post, ut simul terminetur cum causa conventionis Alioquin pari passu non ambulet cum conventionione, nec per eam causa conventionis retardabitur secundum Marantam *4. Dist. 6. num. 5. ubi alios citat*, ut neque quando alterutra causa celeritatem postulat, & periculum imminet animarum; nam prius decisa causa debet, de qua liquebit prius, *cap. ex em.*



*quasi in inf. de offi. spoliat.* Sicut &c. quando petitio actoris altiore exigit indaginem & dilationes plures, differri debet conventio, atque expediri reconventio, & contra: quia de re fusè Marian. Socin. in *Prudentiam* 2. h. t. m. 17. Quamvis, & hoc casu, quo inquam, non ambulat pari passu reconventio cum communionione, non minus privilegio prerogativo jurisdictionis, subijciatq; actorem alienæ jurisdictioni, quam priori casu; iisque coram eodem iudice, nullâ obstante fori præscriptione, ad causam reconventionis respondere cogatur, d. l. Cum Papinianus, ad eod. ut, si respondere nolit, Judex eum in causa conventionis audire non debeat, arg. l. Mutui 43. §. pena D. de procur. l. 5. C. ad l. Sad. et si 26. §. 6. ad iur. D. de quibus causis majores &c. Jam verò quoad formam & ordinem iudicii huius attinet, Judex potest ex parte actoris libello conventionis, & ex parte rei libello reconventionis, idque vel ante vel statim post litem contestatam, de utraque causa, conventionis & reconventionis, simul cognoscere: Ita tamen, ut prius reus ad libellum actoris, respondeat, deinde actor ad libellum rei: Et tunc super utraque petitione licet contestata, utriusque causæ singulas, vel etiam plures, actus iudiciales, vicissim, eodemque die, si fieri possit, expediat, l. 1. C. 2. versic. cum ea inf. de ord. cognit. junct. Clem. Sape, versic. nos usum de verb. signif. datâ semper prerogativâ actori, ut primò expediantur actus in causa conventionis, arg. l. Qui prior appellat 29 D. de judic. Abbas in c. 1. n. 7. h. t. Atque ita, si de utraque causa pariter liqueat, utramque una sententia terminabit, d. e. 1. h. t. Una sententia, inquam; quia eodem die & eodem contextu, ac denique una scriptura proferenda est: Ita tamen, ut primò scribatur caput conventionis, tum reconventionis, & unum post aliud immediatè legatur & proferatur. Atque ita secundum juris dispositionem, & inspectionem rei veritate, tot erunt sententiæ, quod causæ & litis species, l. Etiam §. 1. D. de minoribus, l. Quadam mulier 41. D. fam. erciscunda, Abb. in d. 6. n. 9. h. t. ac proinde revera duæ hic erunt sententiæ, sicut sunt duæ causæ, in diem iudicij, partim rei convenientis, partim dirimendarum litium favore deductæ. Si tamen iudex, proposita causa reconventionis, super conventionis sola sententiam proferat, ea ipso jure valebit,

juxta communem in d. e. 1. & d. Auth. Et consequenter. Eoque nomine appellationem interponendam censet Jurisc. in l. 1. in fine D. sent. qua sine appellat. rescind.

Illud denique hic subijciendum est, actorem reconventum, si detrectet respondere ad libellum reconventionis, hanc pati pœnam, ut non teneatur reus ad ejus libellum respondere, nisi vicissim offerat respondere libello ipsius rei, d. e. 1. & 2. h. t. & facit e. fin. in fine inf. De juramenti. calumnia.

## TITULUS V.

## De Litis contestatione.

## §. I.

Quid sit, & quo pacto inducatur.

1. Iudiciorum tres partes.
2. Iudicium improprie sumptum à citatione incipit.
3. Proprie vero sumptum à litis contestatione.
4. Effectus huius.
5. 6. 7. Quid sit litis contestatio, & quo modo inducatur.
8. 9. Quo modo impediatur per protestationem.
10. Per exceptionem preemptoriam.

1. **T**Res vulgò faciunt partes iudicij, latius & improprie sumpti: Primam à citatione seu in jus vocatione, usque ad litis contestationem: Secundam à litis contestatione usque ad conclusionem in causa sive ad sententiam definitivam exclusivè, in qua parte negotium principale tractatur ac discutitur: Et tertiam à sententia definitiva usque ad executionem illius: Expedita igitur prima parte, de secunda porro videamus: Et quidem primò de litis contestatione, quia hæc interea, quæ ad iudicium ordinarium seu plenarium necessariò requiratur, principale fundamentum & veluti basis est. Nam quæ præcedunt, ut iudicis competentis additio, citatio, libelli oblatio, & reconventio, non acta iudiciorum, proprie dictorum, sed eorum præparatoria dicuntur & sunt.

2. Etenim licet iudicium, latius sumptum, à citatione legitime facta, incipiat, quoad quos-



quosdam Juris effectus, ad quos sola citatio sufficit: veluti quoad reddendam rem litigiosam, ita ut ejus rei sit prohibita alienatio, *Auth. Litigiosa Cod. de litigiosis*: Quoad inducendam litispendingiam, ut nihil innovari possit, *Clement. 2. juncta Gloss. in V. ad hoc, Ut lite pendente etc.* ad inducendam prævencionem seu præoccupationem, ubi pluribus Judicibus in solidum competit jurisdictio, *l. Si quis postea quam 7. D. de judiciis* (nam ab uno decretâ citatione, si hæc eidem insinuata fuerit, dicitur prævencione citatione, adeo ut citatus deinde ab alio Judice, concurrentem jurisdictionem habente, comparere coram eo non teneatur, *d. c. c. l. Vbi acceptum 30 juncta Gloss. ibid. D. de judiciis, l. pen. D. jurisdictio, lud. c. Proposui sup. de foro compet. juncta Gloss. ibid. in V. prævencus*;) item quoad perpetuandam jurisdictionem Judicis delegati, ita ut morte delegantis, ubi semel emanavit citatio non exspiraret, *c. Super questionum etc. Gratum sup. de off. jud. delegati*; ad interrompendam præscriptionem longissimi temporis, xxx scilicet vel 2, annorum; prout hæc omnia latius deducta videret apud Gaill. lib. 1. *Observ. 74. à n. 16. licet*, inquam judicium latius sumptum, quoad hujusmodi & similes effectus, à citatione incipiat: 3 Tamen propriè loquendo, ex communi DD. opinione, à litis demùm contestatione incipere dicitur, *d. c. Super questionum, ubi Gloss. in V. litis exordium*, latè Gaill. *d. Observ. 74. n. 1.* Ideoque ante litem contestatam actor non dicitur agere vel petere velle, *l. Amplius 13. D. Rem ratam haberi. Gaill. d. loco n. 2.* Idque procedit non solum in causa principali, hoc est in prima instantia, verùm etiam in causa appellationis, *l. fin. §. illud cod. de temporibus appellationum, juncta Gloss. ibidem in V. exordium, Gaill. d. loco num. 3.*

4. Hinc ante litis contestationem murari libellus potest, tam in civilibus quam criminalibus causis, quia necdum propriè potest dici exceptum esse judicium; non item post, *l. Non potest 23. D. de judiciis*: Etiam partium accedente consensu, quia actus substantiales judicii, qualis est litis contestatio, cum sit basis & fundamentum judicii, *§. fin. Instit. de poena temere litig. cap. Quoniam contra inf. de probat. l. de uno quoque D. de re judicata, Gaill. d. loco num. 1. ne-*

queunt consensu partium tolli, *Glossa in c. causis V. consensu sup. de off. jud. delegati, Gaill. d. loco num. 9.* Similiter ante litis contestationem potest adhuc recusari Judex, *l. fin. Cod. de recept. Gloss. in l. Et quia D. de jurisdict. om. lud. in V. antequam*, non etiam potest, *l. Nemo 4. Cod. de jurisdict. om. lud. l. Sed etsi suscepti 52. D. de judiciis*. Similiter contra actorem, siue quo tam eo judicium esse nequit, *cap. Forus inf. de verb. signif. opponi potest, quod non habeat personam standi in judicio*: Ut & alia exceptiones fori declinatoriæ, *l. Inter litigantes c. o. D. de judic. Gloss. in c. Gratum in V. quasi sup. de off. deleg. non item post litem contestatam, quia iis censetur renuntiatum per litis contestationem, quippe excepto jam judicio.*

Item ante litis contestationem procurator, quasi re integrâ adhuc, etiam sine causa, revocari potest: Qui propterea alium sibi substituere nequit, cum nondum sit factus litis dominus *lib. Si procuratorem §. si quis mandaverit D. mandati*: Nisi in rem suam sit constitutus, vel potestatem substituendi à domino habeat. Non autem post litem contestatam, *cap. 2. de procurat. in 6. lib. Procurat. Cod. eod. l. Filiusfamil. §. lib. Ante litem 16. cum sequen. D. eod.* quia jam factus est litis dominus, ac proinde substituere sibi alium potest. Et quia per litis contestationem incipit judicium, idco quoque post litem contestatam non potest amplius recusari Judex, *l. Nemo 4. Cod. de jurisdict. om. lud.* Hinc etiam exceptiones peremptoriæ, si altiores requirant iadaginem, post litem contestatam proponendæ sunt, quia respiciunt merita causæ principalis, quæ ante litis contestationem disputari non possunt, *cap. 1. h. tit. in 6.* Exceptis casibus relatis à Philippo Franco in *d. cap. 1. m. 18. & seq.* Videantur hæc latius deducta apud Gaill. *d. loco.*

5. Litis autem contestatio est rei ad actoris vel contrâ, actoris ad rei petitionem principalem, negando vel affirmando, coram Judice præ facta responsio, animo contestandi litem *unicoh. tit.*

Debet pura esse responsio, non conditionalis, quia litis contestatio actus est legitimus, qui neque diem neque conditionem recipit, *lib. Actus legitimè 77. D. de R. l. Mynf. Conn. 3. Observ. 74.*



6. Debet coram Iudice fieri: nam si reus extra iudicium, id est ante petitionem actoris, in iudicio factam, debitum v. g. confiteatur, non inducitur per hoc litis contestatio: ac proinde nec sententia iudicis definitiva, sed solvendi dimittatur præceptum, subsequi debet, *l. si debitor 1. d. de iudiciis*. Similiter nec per responsionem rei ad positiones actoris fit litis contestatio, *d. e. unico, c. dudum 54. §. partibus sup. de elect.* Burt. in *l. unica n. 13. C. h. t.* nam qui ponit, per hoc non ostendit, se agere velle, ut latè ostendit Glossa, in *d. e. unico*. Nec etiam quæ ponit actor semper petit: aliud enim est ponere, aliud petere. Imò multa sæpè ponit, quæ tamen postea non petit per sententiam iudicis sibi adjudicari.

7. Eodem modo non inducitur litis contestatio per nudam narrationem facti, & securam responsionem: quia, ut antè dixi, litis contestatio fit solum per petitionem in iure propositam, & responsionem, sive statim, sive ex intervallo secutam, arg. *Aus. Offeratur Cod. hoc t. verbis* sive affirmativis, sive negativis, Glossa in *d. e. unico*; sive veritatis, sive crudelitatis (ut si dicat reus, *Non credo narrata esse vera*) conceptam; Bart. in *l. unica Cod. h. t.* & animo contestandi litem: non quasi necesse sit ad hoc, ut his dicatur contestata, reum expresse dicere, se respondere ad petitionem actoris animo litem contestandi, quia semper ita respondere creditur & præsumitur, nisi expresse contrarium protestetur Rota decis. 11. incip. *Si pars, in anti-*

quis. 8. Quin etiam, licet protestetur reus, quòd litem super libello exhibito contestari nolit, & postea simpliciter respondeat ad libellum negativè, nihilominus per hoc censetur contestata lis, *d. e. unico hoc tit.* Ferrar. in *forma declinatoria iudicii n. 4.* Ratio est, quia protestatio actui contraria non producit effectum aliquem, *c. Cum M. Ferrar. sup. De constitut. & ibid. Felin. & communiter Canonista, Gail. 1. Obsev. 75. num. 6.*

9. Cæteròquin litis contestationem impedit protestatio de non contestando, per reum responsioni suæ subjecta, ut tradunt DD. in *l. unica C. & in e. unico h. t.* Si tamen in hac protestatione fallaciter perseveret reus & tergiversetur protestando, ut differat hoc modo iudicium, poterit contumacia ejus per reme-

dia juris coerceri, & ad contestandam litem cogi: veluti actori petenti missionem in bonorum possessionem decernendo ex primo vel secundo decreto: nam ex primo decreto nudam rei detentionem custodia causa & pignoris vice actor consequitur, nec fructus lucratur; ex secundo verò, verus possessor efficitur; ut postea dicemus. Quamquam si per huiusmodi compulsionem reus sese gravatum senserit, appellare possit. Panor. in *d. e. unico* quia iure Pontificio à quolibet gravamine per judicem illato appellare licet, *c. De appellat in 6.*

10. Sed nec litis fit contestatio, si peremptoria exceptio contra intentionem actoris à reo obijciatur, Maranta, *6 p. h. t. num. 1. ubi aliter citat*: quia non negat debitum, v. g. qui si tunc exceptione assent, nec talis exceptio impedit, quo minus litis contestatio induci debeat; nisi fit exceptio litis finitæ, velut rei judicatæ, transactionis jurisjurandi, quæ ante litis contestationem cognosci debet, *cap. hoc t. in 1.*

11. Porro ex jam dictis colligitur, litis contestationem induci non solum per simplicem negationem, ut quando reus in iudicio negat simpliciter narrata per actorem, *l. unica & ibi Gloss. Cod. h. t.* sed & per confessionem, Felin. in *d. e. unico*; & per verbum dubitatum credulitatis: ut si dicat reus, *Non credo narrata esse vera, aut vera esse ignoro*: uti communiter fieri solet, quando fit per procuratores vel hæredes, aut alios, qui iustam ignorantiam præterdere possunt in facto alieno, *l. Quamquam 7. D. Ad Vellejanum*. Sic etiam inducitur, si dicat reus, *Tu mentiris*, uti ex Baldo tradit Maranta *6 p. h. t. n. 4.* Alex. in *l. Turpia 54. col. 2. De legat. 1.* nisi eiusmodi verba prolata fuerint calore iracundiæ Abbas in *d. e. unico num. 28 hoc tit.* Calv. in *Praxi §. Litis contestatio Conclus. 1 n. 9.* Et rursus fit non solum per partes principales, verum etiam per earundem procuratores vel advocatos, modò responsio eorum ad petitiones actorum non fuerit ab ipsis principalibus partibus revocata,

*c. Cum causam inf. De appel.*



## §. II.

## De effectibus Litis contestationis.

1. Rem reddit litigiosam.
2. Excludit reum ab exceptionibus dilatoriis.
3. Inducit quasi contractum.
4. Interrumpit prescriptionem.
5. Actiones & jurisdictionem iudicio perpetuas.
7. Actiones pœnales facit descendere ad heredes &c.
8. Ex bona fidei possessore efficit possessionem male fidei.
9. Facit quod tutor possit constituere procuratorem.
10. Facit ut ad sententiam definitivam procedi possit.

**E**ffectus porro Litis contestationis sunt varii. Nam primò rem deductam in iudicium; tam reali quam personali actione reddit litigiosam, ita ea ut amplius alienari non possit *Authent. Litigiosa Cod. De iudiciis.*

2. Secundò excludit reum ab omni exceptione dilatoria, quia per litem contestationem fingitur reus exceptionibus huiusmodi renunciare, *l. Pomponius 40. §. ratihabitionis D. de procurat. l. Exceptionem C. De probat. cap. Inter monasterium 20. inf. De sent. & re iud. nisi de iis ante fuerit interjecta protestatio, aut iudicio accepto ex nova causa emerferint, vel novissimè ad noticiam rei pervenerint: de quibus postea dicendum erit ad Tit. de exceptionibus.*

3. Tertio, à die litem contestatæ currit instantia, deque insistendo eidem inter litigatores inducit quasi contractum, *l. 3. §. idem scribit D. De pœculio, Glof. in l. 2. §. fin. D. de Prætor. stipulat.* ita ut actor post litem contestatam recedere à lite non possit, *l. Si servus communis, ubi Bald. D. de noxalib. act. Glof. in l. penult. D. de transact.*

4. Quarto, interrumpit prescriptionem, à reo inchoatam, *DD. in l. Contractibus §. 1. & fin. C. De non numerata pecunia.*

5. Quintò, actiones, morte petitoris perpetuas, & ad quadraginta annos extendit, *l. 1. §. 1. in fine C. De annali except. l. fin. C. de prescript. 30. vel 40. annorum, modò scilicet lis fuerit contestata coram Iudice competente, Guido Papa sing. 578. n. 2.*

6. Sextò, facit, ut actiones pœnales, ex delictis vel quasi delictis descendentes, ad reorum heredes in solidum transeant, *§. 1. in fine Insti. De perpet. & tempor. act.* quæ alioquin, ex iuris civilis dispositione, non nisi quatenus ad eos pervenerint, competunt, *l. unica Cod. Ex delictis defunctorum &c. in fine.* Licet de jure Pontificio etiam lite non contestata, heredes in solidum conveniri possunt, ut animæ defuncti consulatur, *cap. fin. inf. De sepult. c. Tua nos inf. De usuris.* Atque ita litem contestatio circa id, quod interest, damna, sumptus, fructus, reliquasque actiones, lite pendente emergentes, Iudicis officium parit, *l. Ediles §. ceterum D. De Edilitio edicto; & ab ejus tempore in actionibus stricti iuris veniunt fructus, l. Videamus 38. §. si actionem D. de usuris, l. si filius fam. 78. §. ult. D. De verb. oblig.*

7. Septimò, ex bonæ fidei possessore efficit possessorem malæ fidei, *l. Certum 22. & l. Morem 26. Cod. De rei vindicat. Menoch. l. 2. presump. 71.*

8. Octavò, facit, quod tutor possit constituere procuratorem, *l. Neque C. De procurat. & procuratoris mandatum confirmat, procuratoremque facit litem dominum; adeò ut revocari principali nequeat, & alium constituere ipse sibi possit, l. Quod quis 8. & l. Neque 11. C. De procurat. Oldrad. Conf. 317. n. 2. Mynd. Conf. 1. Obferv. 42.*

9. Nonò, jurisdictionem Iudicis perpetuat, & quandoque ampliat ac prorogat; adeò ut Iudicem, alias incompetentem, faciat competentem, quod tamen in Clerico non obtinet, si quidem in actione reali, respectu Iudicis secularis.

10. Decimò, facit, ut ad sententiam definitivam procedi possit de jure communi, ad quam sine ea procedi non potest, ut in *cap. Si vero etiam in Novel. De exhibendis reis 53. cap. 3. Maranta l. loco n. 15. DD. in c. Quoniam frequenter inf. i. prax. l. lite non contestata &c.* Denique alios multos operatur effectus de quibus videatur *Specul. de litem contestat. §. penult.*

& fin.

¶ (†) ¶

TITU.



## TITULUS VI.

## Vt lite non contestata non procedatur ad testium receptionem, vel ad sententiam definitivam.

1. Ratio ordinis.

2. Testes ante litem contestationem recipi regulam videri non possunt.

3. 4. 5. Casus speciales, quibus recipi possunt.

1. **D**iximus precedenti Tit. Litis contestationem esse fundamentum ac principium, & velut angularem lapidem, ut Bald. ait in *cap. unico hoc tit. iudici ordinarii seu plenarii, l. 1. cum Authen. Offeratur Cod. De iudic. l. 2. Cod. De iur. iur. propter calum. cap. Ex parte inf. De verb. significat.* atque etiam juris publici: ita ut neque auctoritate iudicis neque consensu partium intermitteri possit *Rota Decis. 4. De lite contestat. in novis*; neque ante litem contestationem causa principalis dicatur in iudicium deducta, *cap. Accidens §. cum igitur h. tit. Ut vel hinc quoque appareat, recto ordine subiungi hunc Tit. Vt lite non contestata non procedatur ad testium receptionem, vel ad sententiam definitivam*: praesertim cum ex eo, quod ante litem contestationem causa nondum dicatur in iudicium deducta, nihilque petitur, nihil etiam sit, super quo testes recipi possint, aut super quo Iudex sententiam ferre queat; & ideo si eam tulerit, sit ipso iure nulla, *d. cap. Accidens §. cum igitur &c. unico tit. praed. De causis juncta Gloss. in V. consensu sup. De officio deleg.*

2. Quid si ergo, inquires, reus, ter legitimis intervallis, vel semel peremptorie citatus, comparere nolit in iudicio, si neque litem contestationem protervè impediat? Nihilominus testes recipi non poterunt ad probandam actoris intentionem, *s. l. 2. 3. & 4. h. r.* Verum eo casu reus habebitur pro contumace (quippe qui, ut iurisc. ait in *l. Contumacia §. 3. §. contumax D. De re iudicata*, tribus edictis propositis, vel uno pro tribus, quod vulgo peremptorium appellatur, litteris evocatus, sui praesentiam facere contem-

perit) & propter hanc ejus contumaciam actor mittitur in possessionem bonorum: ut hoc pacto reus, videns adversarium suum in Possessione rerum suarum, tandem rædō affectus veniat responsurus, *e. Quoniam §. 5. in aliis h. tit.* Quid verò actor consequatur ex hac missione in bonorum possessionem, postea dicitur. Quod si reus nulla bona habeat, aut mobilia aut immobilia, in quorum possessionem actor mitti possit, vel causa sit talis, in qua hæc missio locum non habeat, poterit reus contumax excommunicari: veluti si inter conjuges propter adulterium agatur ad separationem thori, *e. l. in fine &c. Tunc fraternitatis h. r.*

Dicitur in Tit. *vel ad sententiam definitivam* quia ad interlocutoriam rectè proceditur, etiam lite non contestata, Abbas in rubr. *hujus tit.*

3. Sunt tamen speciales aliquot casus, quibus absque litem contestatione possunt recipi testes, qui notantur à Glossa in *e. quoniam frequenter, §. porro in V. regulariter hoc tit.* veluti si moveatur quaestio an matrimonium sive spirituale (quale est inter Prælatum & Ecclesiam), sive carnale, subsistat, & reus per contumaciam ablit, possunt recipi testes & ad sententiam definitivam procedi potest: idque ne alias propter longiorem moram Ecclesia detrimentum patiatur, vel in matrimonio carnali viro aut mulieri fornicationis occasio præbeatur, *d. §. porro. Quod si reus alter quàm per contumaciam fuerit absens, vel ignoretur, ubi sit, tunc in spirituali conjugio jam contracto servantur Canones antiqui, d. §. porro vers. Si vero aliter: innovati per Conc. Trid. Sess. 6. cap. 1. §. Si quis & Sess. 23. cap. 1. In contrahendo verò expectatur absens per sex menses. d. vers. Si vero aliter. In carnali autem tamdiu expectandum est, donec de absentis conjugis obitu verisimiliter præsumatur, d. §. porro vers. Si autem.*

4. Secundo; possunt testes recipi ante litem contestatam, quando agitur per viam inquisitionis, *d. e. Quoniam §. sunt & alii.*

5. Tertio, si actor timeat, ne forte inter litem contestandam moras moriantur testes, quibus causa probari possit, ut quia senes sint (in quo judicando licet DD. varient, tamen communiter iudicium illud iudicis arbitrio relinqui placuit) aut valetudinarii, vel diu sint absaturi (mors enim & longa absentia æquiparantur per



text. in c. *Præsentata*, & ibid. Felin. num. 2. inf. *De testibus*, text. & DD. in c. 2. *De procurat.* in 6. & in d. c. *Quoniam*, & ibid. latè Socin. n. 9. vel ad bellum profecturi, aut mare transfretaturi; vel si timeat actor, ne testes propter moram varient fidem; quia labilis sit hominum memoria; potest hinc receptionem testium ante litem contestatam obtinere, ubi scilicet civiliter agitur: idque ad perpetuam rei memoriam, ne veritas occultetur, & probationis copia ob fortuitos casus subtrahatur; & quidem si reus sit contumax, siue absens, absque malitia, vel etiam malitiose latet, ut conveniri non possit. Sed observandum hic est, ut actor, testibus eo modo receptis, ab initio intra annum utilem (id est ab eo tempore, quo potuit vel agere vel denunciare) Gloffa in d. c. *Quoniam* in v. *intra annum*, & Abbas ibid. Socin. ibid. n. 11. actionem instituat, aut saltem receptionem huiusmodi reo denuntiet, ut is videat testes produci & si quid obiectum iis velit, quod minus illis fides haberi debeat, hoc obiciat: alias attestaciones ejusmodi nullius erunt momenti, c. fin. in princ. & d. c. *Quoniam* §. sed et si actor, juncta Gloffa ibid. & Panormit. nu. 6. Socin. d. nu. 11. quia præsumetur actor præsumptum juris & de jure hoc in fraudem procurasse, d. c. *Quoniam* & Gloffa ibid. in v. *in fraudem*, Alciat. *Tract. De præsumpt.* in princ. §. 2. n. 15. ut hac prorogatione temporis auferre reo legitimas exceptiones, quas habere potest contra testes.

Deinde observandum est, ut actor causas, ob quas hanc testium receptionem ante litem contestatam obtinere velit, in supplicatione pro commissione impetranda, conjunctim aut singillatim exprimat, unà cum articulis, super quibus vult recipi testes, cum eorundem designatione, ut cognoscat Judex, an ob aliquam earum periculum sit in mora, & an articuli sint tales, qui ad probandum admitti debeant, Gail. 2. *Observ.* c. 2. n. 3.

Quod verò ad rem attinet, cum in ejus potestate non sit, si actoris, quando conveniatur, merito permittitur illi testes suos quando-cumque vulerit producere, & perere eorum receptionem, sine discrimine ætatis, valetudinis aut absentiae, c. significavit inf. *De testib.* l. fin. Cod. *De usu pupillar.* l. 3. §. dua. D. *De Carboniano edito*, Gail. d. *Observ.* 92. num. 8.

Dixi ante, admitti hanc receptionem testium ubi scilicet civiliter agitur; quid secus obtineat in causis criminalibus criminaliter intentatis, et parte accusatoris, & parte altera absente, licet de morte vel diuturna absentia testium timeatur, ut tenent communiter DD. in l. *Absente* Cod. *De accusat.* Gail. d. *Observ.* 92. num. 13. & alii, quos citat: quia in causis, ejusmodi probationes debent esse liquidæ & fluidissimæ, atque indubia luce clariora, l. ult. Cod. *De probat. can. Euphanium* 5. q. 6. & in executionibus poenarum cessat favor, l. *auxilium* 37. in princ. D. *De minoribus*, & Gloffa ibid. in v. *poenarum*; cum agatur de gravissimo præjudicio & latius sit impunitum relinqui facius nocentis, quam innocentem dampnare, l. *absentem* 5. D. *De poenis*. Secundo dicendum; quando civiliter agitur: tunc enim non vertitur tantum præjudicium, & communiter procedunt à pari mere civiliter agere, & de crimine agere civiliter, ut in l. fin. D. *De præiud. delictis* & in c. *Tua* sup. *De procurat.* ubi latè Abbas & DD. Socin. in d. c. *Quoniam* n. 9. sub fin.

Dixi in criminalibus causis ex parte accusatoris non esse locum receptioni & examini testium ad perpetuam rei memoriam; quia id reo permittitur favore innocentiae, nempe quod tempore delicti fuerit absens vel minor, vel delictum sit tale, quod poenam non mereatur, Gail. d. *Observ.* 92. n. 15. subiungens *Observ. seg.* quod ad hoc, ut obtineat commissionem ad perpetuam rei memoriam, Judex causæ principalis adiri debeat si petatur ab actore, si vero reo; & *Observ.* 94. quod pars adversa, adversus quam testes producuntur, regulariter citari debeat, ad videndum jurare testes, & dandum interrogatoria, si periculum sit in mora. Quod addo, quia ubicumque periculum est in mora, receditur à juris communis regulis, l. *De pupillo* §. si quis rivus D. *De novi operis nuntiis* Gail. d. *Observ.* 93. nu. 3. ubi aliter stat adeo ut receptio testium, coram incompetente Judice facta, etiam parte non citata valeat, si hoc præsens necessitas, v. g. periculum mortis exigat, ut docet Gail. ibid. nu. 4. per text. in l. fin. Cod. *De testibus*, citans Bart. & alios. Idem dicendum, si periculum quidem non sit in mora, verum aliud subfit, ut si citandus sit tyrannus, quæ pars non audeat convenire, aut eadem testium receptionem denuntiare, Socin. d. *loc. cit.* n. 11. Et quamvis, cessante periculo, videatur sufficere



ne quod illi fiat denunciatio, arg. d. e. Quoniam §. *facti actor*: tamen expedit citationem fieri ex parte actoris, ad hoc, ut non teneatur eo casu iura annum agere. Vide Innoc. in e. *Significavit* inf. De testibus.

Ceterum plures alii sunt casus, in quibus absque litis contestatione ad testium receptionem & sententiam definitivam deveniri potest. Et quidem Marianus Socin. in d. cap. Quoniam lxxxii. numerat: & videre eos licet apud Calvolum in Praxi §. *Litis contestatio*, c. ncl. 2.

## TITULUS VII.

## De juramento calumniæ.

## §. I.

Quodnam sit hoc juramentum, & quid continere debeat.

1. Necessitas huius juramenti.

2. Calumniari, Calumnia, Calumniator quid sit.

3. Capita juramenti de Calumnia.

**I**te contestata, aut etiam non contestata, litis scilicet casibus, quibus litis contestatio non est necessaria, aliter auctori ac reo suis allegationibus uti non permittitur, quam suo ordine prius quidem actor, deinde reus, juramentum calumniæ tactis sacrosanctis Evangeliiis præstet, & penult. h. e. 2. §. 1. eod. in 6. l. 2. C. eod. Abbas in e. Cum equissam n. 5. b. t. Specul. tit. De juram. calum. §. 1. in princ. & n. 3. Alex. in l. Cum iudices n. 1. Cod. de iurejurando propter calumniam dando.

2. Estque adeo necessarium hoc juramentum ut si ab alterutra parte exactum & omisum fuerit, omisso ejus vitiet processum, & sententiam reddat nullam, l. 2. §. sed quia Cod. eod. Bartol. in d. l. Cum iudices §. sed quia veremur n. 3. Alexand. in l. Qui bona §. si alieno num. 14. D. De damno infecto. Idque de iure obtinet, licet à fisco exigatur: cum juramentum hoc nusquam à lege fisco nominatim remissum reperitur, & fisco non nisi in casibus à iure expressis privilegium habeat, in non expressis vero iuris communis dispositioni subiaceat, l. fin. Cod. De usuris fiscalibus. lib. 10. Dico, de iure; quia de consuetudine id non servari in fisco refert Gail. 1. Observ. 90. nec talibus juramentis gravandum esse fisco, tum propter maiestatem mandantis, tum quia calumniari non præsumatur, quem necessitas officii excusat, & quia personæ qualitas præsumptionem calumniæ excludat. Tamen si autem expressio partium consensu juramentum calumniæ remitti nequeat, tamquam introductum in bonum publicum, ne veritas occultetur, l. 2. §. sed quia veremur C. eod. & ad coercendos ligatores à malitiosa litium intentione, arg. e. Si diligenti sup. de foro compet. l. si unus §. illud nulla ff. de pactis. latè Calvolum in Praxi §. Juramentum calumniæ, conclus. num. 14. tacite tamen omitti potest cap. 1. h. i. in 6. Gail. 1. Observ. 84. n. 2.

3. Calumniari in criminalibus est falsa crimina intentare, l. 1. in princ. D. ad Turpil. in civilibus vero est per meras frustrationes negotium differre, vel per fraudem alios litibus vexare. Unde calumnia proprie est alicuius in litibus per fraudem & frustrationem vexatio; & calumniatores, qui per fraudes & frustrationes alios litibus vexant, l. Si calumniatur D. De verb. significat. Aliàs Calumniator dicitur, qui ut calumniæ causa negotium alicui faceret, vel non faceret, pecuniam accepit, ut in Tit. D. De calumniatoribus.

Inscribitur autem hic Tit. De juramento calumniæ, scilicet vitandæ, ut explicat Abbas in Rub. h. i. sicut & explicatur illud, quod ex Paulo habetur in can. Nervi Dist. 13. Propter fornicationem unusquisque uxorem suam habeat, propter fornicationem scilicet vitandam.

Ceterum hoc juramentum, utrimque mox à lite contestata regulariter præstandum, plura capita continet. Nam primo jurat actor se non calumniandi animo litem movere, sed quod existimet se iustam habere causam, cui licet: reus vero jurat, quod, putans bona instantia uti, ad reluctandum & contradicendum venerit, l. 2. juncta Auth. In isto sacramento Cod. eod. Nec enim hoc juramentum est scientiæ, sed credulitatis, & ideo nullus conqueri potest, quod adjurare illud compellatur. Secundò, uterque debet, ex consuetudine magis, quam iuris communis dispositione, quod interrogatus à iudice dicturus sit veritatem; quodque sciens & prudens falsa probatione non utetur.

T

etur



tetur. Tertio, quod nullam in tota lite superfluum, & quam non existimaverit necessariam, probationem ab adversario suo exigeret, *d. Auth. In isto Cod. eo t.* Quarto, quod dilationem non petet in fraudem, ad protelationem causæ, *l. 1. ibi, nec causa differendi C. h. t.* Quinto, quod nihil penitus patrocini causa Judicibus, vel aliis quibuscumque personis, dederit promissive, aut daturus sit, per se vel per alios, præterquam advocatis honorarium, cæterisque personis, quibus à jure permittitur *Novel. 124 in princ. ex qua desumpta est Auth. Principales Cod. h. tit. juncta l. Plebisito D. De off. Præsidis.* Hinc illi versus vulgares, relati à Glossa in *c. 1. h. t.*

*Illud juretur quod liti sibi iusta videtur:  
Et si quæretur verum, non inficitur.  
Nil promissetur, nec falsa probatio datur.  
Vt liti sardetur, dilatio nulla petatur.*

## §. II.

A quibus præstari debeat, vel non.

1. Præstari debet à principalibus personis, etiam Ecclesiasticis.
2. Nisi per procuratorem malint agere.
3. Item à tutoribus, curatoribus, & similibus.
4. Item ab advocatis de jure communi.

**R**egulariter præstari debet per ipsas principales personas, *Auth. principales persona C. h. t.* etiam Ecclesiasticas, & in principali dignitate constitutas, si ipsæ personaliter suam propriam causam agere velint; non quidem tactis, ut alii, sacrosanctis Evangeliiis, sed propositis dumtaxat, *c. fin. in princ. h. t.* Alioquin si causam Ecclesiæ suæ agant, non possunt compelli ad iusjurandum, sed aliis idoneis defensoribus hoc munus delegare debent, *d. c. 1. hoc tit.*

2. Quod si personæ Ecclesiasticæ non per se sed per procuratorem malint causam agere, tunc possunt non minus quam laici hoc iuramentum per procuratorem præstare, dummodo id et specialiter demandent, *d. c. penult. hoc tit. cap. fin. eod. in 6.* nisi Judex, inspecta controversiæ qualitate, & personarum principalium conditione, ipsis potius, quam earum procuratoribus, etiam speciale mandatum habentibus, iuramentum deferre maluerit; nam eo casu

ipsæ principales personæ illud subire cogentur, *cap. in pertractandis hoc tit.* Quin etiam, licet personæ principales iuramentum præstiterint, nihilominus & earum procuratores requisiti, illud quoque suo nomine & in animam suam, postquam susceperint, præstare debeant, *cap. 2. §. procuratores eod. in 6. Castrensis in d. cap. Cum Iudices §. fin. autem.* Sin reculent, submovendi sunt à prosecutione causæ, Eodem modo, licet procuratores illud nomine dominorum suorum præstiterint, tamen etiam suo nomine, & in animam suam, jurare tenebuntur, si speciale ad hoc habeant mandatum. Quod addo, quia procurator datus à Judice cogi quidem potest ad præstandum iuramentum calumniæ, quoad ea, quæ ad officium procuratoris pertinent non tamen quoad merita causæ seu iustitiam vel iniustitiam ejus, prout latius deducit *Gail. 1. Observe. 88.*

3. Tutores quoque, curatores, & aliz similes personæ, quæ alienarum rerum generalem administrationem legitima auctoritate habent & gerunt, ut Xenodochiorum, civitatum, quæredores, & Ecclesiarum Prælati, etiam si ad hoc speciale mandatum non receperint, in propriam animam de calumnia jurare debent, *d. Auth. Principales in fine C. d. l. 2. §. quod observari oportet.* Idemque de Collegiorum, Universitarumque Syndicis & Monasteriorum Oeconomis, generalem administrationem habentibus, statutum est, in *d. cap. pertractandis C. cap. seq. h. t.* ut scilicet Ecclesiarum & Universitatum nomine jurent in animas suas, & non in animas singulorum, qui sunt de Ecclesia vel Universitate, quia Syndici & Oeconomi melius sciunt aut scire debent, quid juris habeat vel non habeat Ecclesia aut Universitas, cui interviunt, quam ipsa Universitas, quæ sensu caret, & quam singuli, qui sunt de Ecclesia aut universitate.

Tametsi verò etiam advocati ex juris dispositione de calumnia jurare teneantur, *d. l. 1. in princ. l. Rem non novam Cod. De judiciis*; quia melius norunt calumniari, quam partes, Roman. singul. 428. tamen consuetudo passim ea in parte juri derogavit, nam in Curiis omnibus, cum ad munus postulandi admittuntur, illud generaliter in omne vitæ suæ tempus & ad omnes causas præstant, ut proinde in singulis causis



causis ab eis repeti supervacaneum visum sit : & Justinianus in *d. l. Rem non novam in princ.* sumere putavit, si Judices, tum ad judicandum munus assumuntur, hoc juramentum generaliter præstent. Et talem consuetudinem, ob perveritatem hominum magis hodie de calumnia committenda, quam evitanda, jurantium maxime si excedat hominum memoriam valere posse existimat Gaill. cum aliis quos citat. *1. Observ.* 85. Alias consuetudinem disponentem, quod possit procedi in causa absque juramento calumniæ, non valere, tenet Mathesil *Sing. 75 n. 1.* Menoch. *De arbitrariis lib. 1. quest. 20. num. 4.*

## § III.

## In quibus causis præstandum sit.

1. *Præstari debet in omnibus causis, etiam appellationis.*

2. *Et in qualibet parte litis exigere potest.*

1. **P**ræstandum autem est hoc juramentum indifferenter in omnibus causis, siue sint civiles, siue criminales, siue mixtæ, arg. *l. 1. in princ. Cod. eod. l. fin. Cod. De fide instrument. Abbas in c. n. 12. & seq. h. t. Menoch. d. loc. n. 3.* siue de iis summarie seu de plano, absque figura & strepitu Judicii siue plenarie & servato ordine judicilagatur, *Clement. Sape De verb. signif. Menoch. d. loc. num. 1.* siue sint profanæ, siue spirituales, ut cum agitur de decimis, de jure patronatus, & id genus aliis, *c. Caterum hoc tit. cap. 1. in fine eod. in 6.* licet olim in causis spiritualibus non nisi de veritate dicenda juraretur, *cap. Litteras hoc t.* quia, inquit Pontifex tales causæ non ex legum distributione, sed ex Canonum æquitate finem debitum sortiuntur : Et præsumit Canon, actorem vel reum in causis ejusmodi calumniari non velle, cum agatur de rebus, quæ Dei sunt, quem nihil latere potest, & qui inter juramentum & simplicem loquelam nullam vult esse distantiam, *can. Juramenti xxii q. 5.*

Licet autem in principali causa & prima instantia semel juratum sit de calumnia, nihilominus adhuc in causa appellationis jurandum est : & de veritate dicenda, *d. cap. 1. in princ. eod. in 6.* quia causa appellationis alia est à prima, *Barthol. in l. Cum iudices num. 7. Cod. eod.*

2. Præterea licet regulariter statim à lite con-

testata præstetur : tamen, quia est de ordinis judicii substantia, potest à Judice in qualibet parte litis exigere, *c. 1. & 2. eod. in 6.* etiam post conclusionem in causa, *Glossa in c. Ex litteris in v. occultata inf. De jurejurando, Gaill. 1. observ. 74. n. 6.* Sed & in iis, quæ emergunt antelitem contestatam, & in qualibet exceptione juratur de calumnia, *secundum Barr. in Auth. Hoc sacramentum C. eod. Abb. in c. Cum Causam 17. h. t.* Sufficit tamen semel præstare, siue ante siue post litem contestatam, quia, cum sit generale ad totum negotium se extendit, *d. Auth. Hoc Sacramentum, Abbas d. loco.*

## §. IV.

## De pœna jurare subterfugientis.

1. *Actor ab actione sua cadit, & reus pro confesso habetur.*

2. *Ante sententiam tamen judicis declaratoriam purgationis locus est.*

3. *In spiritualibus dicta pœna locum non habet.*

4. *In procuratore an habeat, quaritur & affirmatur.*

5. *Quadruplex est juramentum.*

1. **P**œna recusantis hoc Juramentum, cum præstandum fuerit, est, ut quidam actor quasi improbus litigator ab instituta actione & causa cadat, *c. fin. h. t. l. 2. §. quod actor Cod. eod.* accedente tamen sententia Judicis absolutoria rei, ut constat ex locis allegatis, in quibus verbum cadat, est futuri temporis, nec inducit canonem latæ sententiæ. *Glossa ibid. Gaill. 1. Observ. 87 n. 1.* at verò reus, habeatur pro confesso, *d. l. 2. §. fin. autem reus, & d. c. fin.* & per sententiam Judicis definitivam actori, juxta libelli petitionem, condemnatur : cum in confessum non sint aliæ partes Judicis, quàm in condemnando, *l. unica C. De confessis, & ibi Glossa in v. solvere.*

2. Ex eo autem, quod utroque casu requiratur sententia Judicis, sequitur, quod actor vel reus, ante hujusmodi sententiam à iudice latam, possit contumaciam suam purgare, & pœnam hanc evitare, præstando juramentum calumniæ : quodque, si ante ejusmodi sententiæ prolationem moriatur actor vel reus, pœna illa, tanquam nondum commissæ (cum non incuratur ipso jure) non transeat ad hæredes eius, *l. Eos qui in princ. D. De jure fisci Gaill. d. Observ. 86.*

T 2

3. Insu-



3. Insuper pœna ista non habet locum in causis spiritualibus & beneficialibus: veluti cum agitur de decimis, de jure patronatus, vel al quo beneficio, ne inde detur vitiosus ad alia ingressus. Similiter nec in criminalibus, in quibus non ficta, sed liquidissima & luce meridiana clariores probationes requiruntur, Castal. *ad l. 2. §. quod si actor n. 5.*

4. Cum verò procurator, speciale habens mandatum, non solum in domini constituentis; sed etiam in animam propriam jurare debeat, *c. 2. §. procuratores eod. in 6. & d. l. 2. in princ.* ed quod perinde atque ipse Dominus, extrahendo processum, vel injustam causam scienter prudenterque defendendo, calumniari posset, quæritur: an, si jurare nolit in animam suam, contumacia ipsius nocitura sit domino, ut supradicta pœna locum adversus eum habeat? Et licet benignior sit sententia, non habere (quia contumacia procuratoris nocet quidem domino in his, quæ sunt parvi momenti, non verò in iis, quæ magni sunt præjudicii, qualis est pœna non iurantis de calumnia: tamen habere locum de rigore iuris verius esse existimat Gaill. *lib. 1. Observ. 89.* quia cum lex velit, ut procurator iuret de calumnia, etiam in animam suam, consequenter quoque velle videtur, ut, si non iuret, incidat in pœnam: alioqui iuramentum calumniæ nullum produceret effectum, & lex non rebus, sed verbis posita esset, *contra l. final. Cod. de usuris.* Deinde quia notum est, contumaciam procuratoris nocere domino, maxime in iis, quæ pertinent ad iudicii processum, juxta *l. Si procurator C. De procuratoribus & l. Si remunerandi §. 1. D. Mandati.*

5. Denique pro complemento huius materiæ sciendum, quadruplex esse iuramentum. Primum est decisorium, de quo in *cap. fin. inf. De jurejurando*: secundum est de veritate dicenda: tertium est de malitia, de quo fit mentio in *cap. ult. eod. in 6.* & præstatur vel ante vel post litem contestatam, *c. In causis inf. De testib.* sive iuramentum calumniæ antea præstitum sit, sive non: & non semel dumtaxat, sed toties, quoties est præsumptio contra aliquem, quod malitiose aliquid proponat, *cap. 2. in fin. eod. in 6.* in causis seu civilibus, seu criminalibus, *l. Theaurus D. Ad exhibendum*, sive spiritualibus: veluti si quis post publicationem restium

excipiat contra eorum personas, cum antea non sit protestatus, quod suo loco & tempore excipere veller, *per text. in c. Presentium inf. De testib.* De pœna nolentis jurare de malitia, vide Gaill. *1. Obs. 87.* Postremo quartum est iuramentum de calumnia: quod quo modo differat à iuramento de malitia, patet ex jam dictis. Quamvis autem iuramentum calumniæ operetur, ut quis excusetur à tacita & præsumpta calumnia, non tamen ab evidenti & expressa. Et ideo committens calumpniam, etiam in causa civili, potest criminaliter accusari, finita causa, Marant. *6. p. tit. De iuramento.*

## TITULUS VIII.

### De Dilationibus.

#### §. I.

Dilatio quid sit, & quoduplex,

1. Dilatio quid sit.
2. Divisio in Legalem, Iudicalem, Conventionalem.
3. Iudiciale alia sunt Citatoria, alia Probatoria, alia executoria.
4. Citatoria dantur reo ad comparandum in iudicio.
5. Iussio intervallo & tertio fieri debent.
6. Hodie dilationes omnes sunt arbitrariae.
7. Potest iudex una citatione peremptoria vel per rribus.
8. 9. Deliberatoria dilationes dantur reo non alteri.
10. Probatoria & actori & reo.
11. Suntque peremptoria omnes.
12. Iudex tamen ex causa plures dilationes concedere potest.
13. In concessione earum servanda aequalitas inter actorem & reum.
14. Executoria dilationes quæ dicantur, & quando dantur.

**L**ite contestata, ac præstito utrimque calumniæ iuramento, solent litigatores petere inducias & dilationes; actor quidem ad intentionem suam probandam, reus vero ad actoris petitioni respondendum, & exceptionem, si quam habeat, probandam.

1. Est autem Dilatio Iudicialis, de qua hic agimus (nam datur etiam extrajudicialis, Speculat.



celat. *h. t. § 1.* ) in genere iustum temporis intervalum, quoad aliquem actum iudiciale commodius perficiendum conceditur auctori vel reo, à lege, vel à Iudice, vel ex conventionem partium. Unde secundum Abbatem *in cap. 1. n. 15. h. t.* dividi potest in Legalem, Judicialem, (sumendo Judicialem, ut distinguitur à Legali, & ea, quæ ex conventionem partium competit) & Conventionalem.

2. Legalis est, quæ à lege (subintellige, vel statuto vel stylo Curia vel consuetudine) conceditur, absque ministerio Iudicis vel litigantium. *l. t. § 4. D. De re iudicata.*

Judicialis modo prædicto est, quam Iudex ipse dat vel ex præcepto vel ex permissione legis. *e. Cum sit Romana inf. De appellationibus.*

Conventionalis est, quæ ex conventionem partium competit. *e. Pastoralis §. cum autem sup. De officio jud. delegati, l. De die D. Qui satis dare cogantur.*

3. Ut verò tres sunt iudicii latæ sumpti partes; prima à iudicii præparatione usque ad litem contestationem exclusivè, quæ potius præparatoria est, quam essentialis, secundum autem dicta; secunda à litem contestatione usque ad sententiam definitivam exclusivè; tertia à sententia usque ad ejus executionem inclusivè; ita dilationum Judicialium tres præcipuè sunt species. Nam aliæ in prima iudicii parte dantur, & dicuntur Citatoria & Deliberatoria: Aliæ in secunda parte conceduntur, & vocantur Probatoria: Aliæ denique in tertia parte, & sunt Executoria.

4. Citatoria dicuntur, quæ citatis seu in jus vocatis dantur, ad comparandum in iudicio: neque enim citari quis regulariter ita potest, ut statim, relictis omnibus, comparere debeat. 5. Et idèd si primò sive ad primam vocatus non veniat, vocandus est secundo & terciò iusto tamen temporis, ut minimum decem dierum, intervallo inter singulas citationes. *l. Ad peremptorium 68 §. duabus seqq. D. De iudiciis l. Propriandum §. 2. Cod. eod. tit.* Quamquam sint, qui existiment decem illos dies inter singulas citationes iure novi sismo esse auctos ad triginta. *Auth. Qui semel Cod. Quomodo & quando iudex. §. c.* Verum hodie passim in hoc intervallo utimur stylo cuiusque Curia, qui est alius atque alius, potestque Iudex hanc dilationem, pro rei

seu causa & personarum qualitate, & temporis loco: utque distantia, augere vel minuire seu moderari. *e. Consuluit 24. sup. De officio delegati l. 1. Cod. h. t. l. in oratione D. de Feriis 6.* Et ob hanc causam iure Canonico ac moribus huius sacculi omnes dilationes à iure statuta dicuntur arbitrariae, Badius *ad d. l. 68. n. 8. D. De iudic.* Non quia Iudex eas denegare possit (nam si denegaret sine iusta causa locus esset appellationi): Sed quia, ut dictum est, pro varietate circumstantiarum moderari eas potest vel prorogare. *d. c. Cum sit Romana & ibi D. D. & sic termini earum potius sunt arbitrarii quam ipsæ dilationes.*

7. Quinimò, si utique iusta & necessaria subsit causa, veluti propter viarum periculum, vel si celeritatem res desideret, potest pro ternis citationibus uti unicâ peremptoria. *e. Cum ex literis in fine sup. De restit. in integrum, cap. Cum dilecti §. c. ult. inf. De dolo & contumacia l. 2. l. Contumacia D. de re iudicat. l. Nonnunquam D. de iudiciis:* Quæ idèd peremptoria dicitur, quia perimit omnes alias, ut si non veniat peremptoriè citatus, habeatur & puniatur ut contumax, perinde ac si ter fuisset citatus. *l. Et tertium o. D. de iudic. §. l. Tres denuntiationes c. C. Quomodo & quando iudex §. c. & tunc in citatione addendum est verbum, peremptoriè, ut in d. l. Ad peremptorium & duabus seqq. Dixi, si iusta & necessaria subsit causa; quia etiam absque causa potest Iudex, si omninò velit, una pro tribus uti, Abbas *in d. cap. 1 & cap. ult. & ibi d. Glossa hoc tit.* Quod intellige, quando citatio fit ad eum finem dumtaxat, ut inducatur contumacia judicialis, ut in *c. Quoniam frequenter sup. De lite non contestata §. c. & dec. ult. h. t. v. am:* secus est in causis gravioribus, ad privationem alicujus officij vel beneficii tendentibus: Quia in talibus non sufficit una citatio pro tribus, sed distinctis citationibus & distinctis edictis opus est, si de iure trina citatio requiratur Abbas & Joan. And. *in c. Ex tua inf. De Cler. Non residend.* Cavendum tamen Iudici, ne dum aliquem peremptoriè citari jubet, nimis breve tempus ad comparandum desinat: Maxime, si de rebus Ecclesiasticis agatur, nisi urgeat necessitas: Alioquin appellationi locus erit, *d. l. c. h. t.* Sola verò peremptoriè edicti seu citationis peremptoria assignatio non est causa sufficiens ad appellandum. *Innoc. in d. c. 1.**



Quando autem quis uno edicto seu una citatione peremptoria pro omnibus citandis sit, relinquatur Judicis arbitrio Vide plenius Gail. 1. *Obferv.* 53. *Bart. in d. c. ult. h. t. DD. in d. c. 1. h. t.*

8. Deliberatoria dilatio est, quæ datur reo, ut viso libello actoris secum deliberare possit, an litigare velit, vel non. Et ideo, si reus ex litteris citatorialibus plenè institui possit, ut si libellus fuerit citationi insertus, non conceditur ei dilatio deliberatoria, *c. 1. h. t.* Nec est ratio, cur concedi debeat, cum dilationem petere videatur, tantum differendi iudicii causa. Dantur verò de jure Novellarum viginti dies à die projecti reo libelli, *Auth. offeratur Cod. de litiis contestat.* & aliquando plures pro distantia locorum, *c. ult. h. t. c. Dilat. sup. De procurat.* Quinimò etiam iis exactis, pro varietate eorum, quæ utrimque intra iudicii præparatoria agitando occurrunt, variis aliis dilationibus locus esse potest; Veluti si reus velit iudicem, ut suspectam, recusare, & probare esse talem, *l. Apertissimi 16. Cod. de iudiciis*, vel impugnare rescriptum, quoad iudicem incompetentem vocatus est, *l. 2. Cod. h. t.* vel si velit auctorem suum laudare, quod vulgò dicunt ad guarandiam vocare, *l. 2. Cod. Vbi in rem actio, c. c.* vel petat demonstrationem & ostensionem rei petite sibi fieri, vel quid aliud simile: Nam dilatio ad unumquemque actum iudicalem debite peragendum, & ne quid præproperè fiat, dari potest major vel minor, pro arbitrio Judicis: In quo spectanda cujusque Curie consuetudo.

9. Dixi deliberatorias dari reo, non etiam actori; quia actor instructus venire potest & debet, *d. l. 1. Cod. h. t. l. Qui in alterius D. de reg. jur.* quippe qui tantum temporis habuerit, quantum voluit, ad deliberandum secum, quo modo & quando actionem suam institueret. Nunquam verò datur dilatio ad id, ad quod quis instructus esse debet, *c. Littera h. t. l. Si quando Cod. h. t. c. Littera inf. de præsumpt.*

10. Probatoria dilatio est, quæ lite contestatâ præstitoque calumniæ juramento, datur actori ad suam intentionem, & reo ad exceptionem probandam, considerata locorum intercapedine, ubi probatio faciendâ est, *d. c. 1. h. t. \** 11. Et hæc in causis civilibus regulariter est peremptoria. *Mynf. Cent. 1. Obferv. 71. Gail. 1. Obferv. 91.* ac perinde non nisi semel dari debet in singulis ju-

dicii actibus, singulisque negotiis emergentibus, *l. 1. in fine Cod. eod. in oratione & l. fin. præm. D. De feriis* & licet non apponatur in ejus concessionem verbum *peremptorie*; tamen ex juris dispositione illud subintelligitur. Maranta 6, p. 1. *t. de dilat.* Nec ulla hac in parte est differentia inter actorem & reum, nisi quod Juxta datur possit longiorem dilationem reo, quam actori, eo quod non perinde reus paratus possit venire ad iudicium, sicut actor. Utilitatis tamen litigantium causa recepta est, ut iustis de causis Juxta ad eundem actum, veluti ad convincendam contumaciam, secundam, imò tertiam & quartam dilationem impetiri possit, aut si inopinatim impedimentum emergerit, ob quod non potuerit antè res perfici, *d. l. in oratione*: Vel si, ipsa prima dilatione, superveniant litiganti novæ probationes: In quo probando statim juramento petentis secundam vel ulteriorem dilationem, *c. Pastoralis inf. De exceptionib.* vel si alia similis subsit causa. Non tamen aliter Judici permittitur plurium dilationum concessio, quam si illæ necessariae sint, & non supervacua, *l. 2. Cod. in intra certa tempora & c. & rursus non aliter, quam causa cognita, l. 4. Cod. eod.* Si verò dilatio data sit absenti, ea idem non currit, nisi à die intimationis; nec dies, quo fit intimatio, imputatur, Marant. 6 p. n. 14.

12. Tamen si autem dilationes omnes, ut dixi antè, sunt Judici arbitrariæ, etiam legales, Maranta d. loco. nu. 15. & 16. Gail. 1. *Obferv.* 10, n. 13. tamen semper inter actorem & reum servanda est æqualitas, ut quantum temporis actori datur, tantum detur etiam reo, si petat, cum ejus partes sint favorabiles, *l. Favorabiliores 125. D. De reg. jur. c. Non licet eod. tit. in 6 & iudicium claudicare non debeat, c. 1. De sent. & ro jud. in 6. cap. Novit & ceterum sup. De iudiciis, c. Cum inter, & ibi Glossa in V. judicare inf. De exceptionib. Gail. d. Obferv. 89.* Hinc dilatio probatoria, quæ datur in iudicio, semper est communis: Ut si detur uni parti, profit etiam alteri, *l. Petenda 6. Cod. De temporib. in integ. restitut.* Marant. d. loco. In capitalibus tamen contraveniens reo tres dilationes, accusatori duæ, etiam causa non cognita, dari possunt, *l. fin. in fine D. De feriis*: Quia in iis causis majus vertitur præjudicium litigantium, Excipitur causa criminalis adulterii, in qua nulla dilatio danda, nisi ut



personæ exhibeantur; aut Judex, negotii qualitatem motus, & causâ cognitâ eam concesserit, l. *In crimine* 41 D. *De adulteriis*.

13. Cum verò dilatio omnis probatoria sit preceptoria, ut dictum est, quaeritur, an infra terminum datum ad probandum debeat probatio absolvi, an verò facta, postquam dilatio probatoria expiravit, valeat? Responsio pendet ex forma concessionis dilationis, qua de re videatur Pelsius in *Processu judicario* tit. 41. §. 65.

14. Executoriarum dilationes sunt, quæ dantur condemnato ad satisfaciendum & sunt quatuor mensium, c. *Quarenti* sup. *De officio delegati*. l. 1. §. 3. *Cod. De usuris rei judic. l. si debitori* D. *De iudiciis*. Hæ dilationes non habent locum in rebus, neque in criminalibus: Nam in his executio non differtur, nisi certis casibus, notatis per Hostien. in *Summa*. *De officio delegati* §. *Qua jurisdictio versis quamvis*: Veluti cum Princeps jubet aliquem actius solito puniri; cum mulier prægnans damnatur ad mortem; cum damnatur servus rationis obligatus; cum relegato assignanda est insula.

Denique quia dilationes omnes hodie & de jure Canonico diximus esse arbitrarías, idèd & Tridentina Synodus Sess. 25. cap. 10. in fine, admonet tam ordinarios, quam alios quoscumque Judices, ut terminandis causis, quanta fieri potest, brevitati studeant, ac litigatorum artibus, seu in lictis contestatione seu in alia parte judicij decernenda, modis omnibus, aut terminij præfixione aut competentiali ratione, occurrant.

## §. II.

An & quatenus dilationes prorogari possint.

1. Primam dilationem prorogari non posse.
2. Quartam ex legitima causa posse.
3. Dilationes à iudice dari solita prorogari possunt.
4. Prorogatio dilatione major esse non debet.
5. Tempora dilationum sunt continua.

1. Primam dilationem probatoriam prorogari non posse docet Gail. 1. *Observant.* 91.

quia supersit secunda & tertia; imò & quarta, quando de iusto constat impedimento, & quia dilationes sint amputandæ. lib. 2. *Cod. de tempor. appellat.* neque ad extraordinarium prorogationis remedium deveniri debeat, quando supersit ordinarium, juxta l. *In causa cognitione* D. *De minoribus*. Imò, si in prima dilatione multi fuerint testes producti & examinati, non esse dandam secundam & tertiam dilationem docet Glossa in c. *In causis* in V. *productionem* h. t. quia multitudo testium refræ nanda, c. *Significaverunt* inf. *De testib.* Gail. d. loco n. 2.

2. Quartam verò dilationem posse ex legitima causa prorogari, cum eadem solemnitate, qua data fuit, licet non facile prorogari debeat, docet ibidem Gail. d. loco n. 2.

3. Similiter prorogari possunt dilationes, quæ à iudice dantur, veluti ad contestandam litem, ad respondendum libello actoris. Imò facilius prorogari potest hujusmodi dilatio, quam nova dari: juxta Gloss. in lib. fin. *Cod. de feriis*, dummodo intra terminum prorogatio petatur: Alioquin eo lapsò prorogari nequit, cum prorogatio nihil aliud sit, quam dilationis labentis, nondum lapsæ, extensio, l. *Sed si manente* D. *De precario*, l. *Bonorum* D. *Rem ratam haberi*. Et ideo lapsò termino non prorogatio, sed novus terminus seu nova dilatio petenda est, eaque ex causa dumtaxat concedenda. Dicitur autem nova dilatio, cum finito termino prioris alia datur.

4. Non debet autem prorogatio esse major dilatione, Rudger. Rulandus p. 1. *De Commissar.* lib. 2. c. 10. apud quem c. 9. vide, quomodo dilationes prorogari possint; quæ solemnitates in prorogatione quartæ dilationis requirantur; quo modo contra prorogationem petitam adversarius protestari debeat, Vide & Menoch. *De arbit. l. 2. casu* 25.

5. Cæterum tempora dilationum omnium sunt continua, Glossa in l. 2. D. *De diversis & temporal. prescript.* ita ut comprehendantur tam dies feriati & tolemnes, quam non feriati. Adcò ut ne quidem repentinis feriis interpolentur: Nisi quòd, his supervenientibus, subductisque iisdem beneficio restitutionis, alij totidem dies subrogentur, l. *Sed et si* 26. §. *si feriis* 7. D. *Ex quibus causis majores &c.*

## §. IV.



## §. IV.

## De effectu Dilationum.

1. Excusat dilatio à pœna & mora.
2. Adveniente die habet vim sententiæ interlocutoria.
3. An dilatio tolli possit.

1. **E**ffectus dilationis est, quod excuset à pœna ac mora, & ea durante, officium conquiescat Judicis, nihilque sit agendum, aut innovandum quoad articulum seu capitulum, super quo data est, c. 2. & c. Præterea h. t. l. 3. C. eod. adeo ut, si quid innovatum fuerit, ipso jure sit nullum, nec queat validari de consensu partium Calvol. in Praxi § Dilatio conclus. 6 n. 2. Alioquin quoad alium articulum non conquiescit officium Judicis, pendente dilatione: Sicut nec finita causa dilationis, quia eâ finitâ immmediatè finitur & dilatio: Ut si fuerit alicui data dilatio decem dierum ad comparandum, & citatus comparuerit in primo die, dilatio illa est perempta, & nullatenus conquiescit officium Judicis, Calvol. d. loco num. 3. & 4. ubi subjungit posse etiam Judicem, pendente dilatione, se intromittere ad favorem ejus, cui data fuit dilatio: Parique modo suspectum de fuga posse pendente appellatione capi.

2. Secundò, is effectus est dilationis, quod ubi dies seu terminus ejus venit, regulariter habeat vim sententiæ interlocutoria. l. Qualem D. De receptis arbitris; & perimat actum, qui in assignato dilationis termino fieri debuit. Ita ut pars postmodum comparens amplius super eadem re, nisi ex magna causa, audiri non debeat, l. 1. & ult. D. De feriis.

Qua forma autem, & ob quas causas, denuntur dilationes, vide plenius apud P. Tholos in Syntag. Juris universi lib. 48. cap. 8. num. 17. & seqq.

3. Si verò queratur, an dilatio tolli possit, dicendum, legalem nunquam tolli posse, ne quidem in causis summaris, in quibus procedi potest sine strepitu & figura judicii: Nec etiam in causa dotis, Calvol.

d. loco conclus. 7. n.

l. 2. & 3.

## TITULUS IX.

## De Feriis.

1. FERIA à Dilationibus in quo distinguuntur.
2. 3. Feriarum nomina quid intelligatur: Et origo nominum.
4. Alia sunt Solemnes, alia repentina seu Extraordinaria.
5. Solemnium alia ad cultum divinum instituta, alia ob necessitates &c.
6. Illis renuntiari non potest, his potest.
7. Quanam tempore feriarum expeiri possint.
8. Alia differentia prædictarum feriarum.
9. Prohibentur feriis ad cultum divinum institutis opera servilia.
10. Prohibentur item mercatus, placitum, judicium ad mortem, &c.
11. 12. Quid nomine Mercatus & Placiti intelligatur.
13. Queritur, an citatio die festo vel ad diem festum fieri possit.
14. Item an testes die festo examinari possint.
15. Die festo appellationem permissam esse.
16. Quis locus attendi debeat in feriis observandis.
17. An exempti dies festos, ab Episc. statutos, servare teneantur.

**Q**uemadmodum, dilationibus durantibus, officium Judicis in foro contentioso conquiescit, ita & durantibus feriis: Ideoque restat Titulo de Dilationibus subjicere hic Tit. De Feriis, præsertim cum feriæ sint quædam dilationes, quæ à jure dantur. \* 1. Licet à dilationibus in eo distinguantur, quod intra dilationum tempora ea peragi possint, imò debeant, ad quæ peragenda, dilationes conceduntur: Tempore verò feriarum nullus contentiosæ jurisdictionis actus regulariter exerceri queat.

2. Etenim Feriæ hic generatim dicuntur dies seu tempora, quibus forensis strepitus & contentiosæ jurisdictionis exercitium plane conquiescere jubetur, ut constat ex lib. 5. D. vel. Et ideo olim dictæ sunt Justitium, quod justum statum



staret nec progrediretur, Gellius lib. 20. cap. 1. *Nef. Attic.* Nec durantibus illis, ulla committitur contumacia: Et alias dies Nefasti appellabatur, juxta illud Ovidii.

*Ille nefastus eris, per quem tria verba silentur,  
Fastus eris, per quam lege licebit agi.*

Quia non licebat lege agere, & Prætor illa tria verba, *Do, Dico, Addeco*, efficaciter affari non poterat, Varro 5 *De Lingua Lat.*

Origo nominis est vel à Ferendis hostiis seu victimis, quia diebus feriarum mactabatur seu offerebatur hostia, Festus lib. 6. unde & ipsæ hostiæ dicuntur Feriæ, Gell. lib. 4. cap. 6. vel à Ferendis epulis, quia in illis epulæ ferebantur ex pecorum frugumque proveniuntibus.

Omnes autem alis divisionibus Feriarum (de quibus Tholof. *Partit. juris Canon. lib. 1. tit. 2. cap. 19. & 2. Syntag. juris universi, cap. 16.*) aliz hoc loco sunt Solemnes seu ordinariæ, aliæ Repentinæ seu Extraordinariæ, l. 3. *Cod. eod. l. 26. §. 7. D. Ex quibus causis majores, &c.* Solemnes sunt, quæ statis diebus & anni temporibus recurrere solent: Nam solemne etiam latine dicitur, quod quotannis fieri seu præstari solet, Extraordinariæ, quæ non certâ & stabili lege, sed pro re nata & pro rebus occurrentibus vel ab Imperatore (unde quidam Imperiales eas vocant, l. *A nullo Cod. eod.*) vel à Rege, vel à Consulibus Dictatoribus, Prætoribus aut Populo, uno vel altero die rantum, indicuntur, ut in l. *Sed et si §. si feria D. Ex quibus causis majores &c.* vel uti ob rem bene gestam, ob partam à principe victoriam, quales fuerunt, quas ob bellum cum Carthaginiensibus prosperè gestum induxit Scipio, apud Livium lib. 38. item ob nativitatem filii Imperatoris regis aut alterius Principis: Ad quod alludit Martialis.

*Natalem colimus, si sola leges:* Vel ob aliam similem causam. Et hæc, quæ in Principis honorem sunt institutæ, Honorariæ vocantur, l. 7. *C. eod.*

Rursus Solemnium aliæ sunt ad divinum cultum institutæ, quas Dies Festos appellamus, cap. 1. *& ult. h. t. 2. §. 6. 7. 8. Cod. eod.* aliæ verò institutæ sunt ob necessitates & utilitates humanas: Ut sunt feriæ, quæ necessitas & fatalis calamitas pestis publicè grassantis, fer-

vores æstivi, belli vel quævis alia causa necessaria constituit l. 6. *& 7. Cod. eod.* quæque messium & vindemiarum, aliorumque fructuum colligendorum juxta, cujusque regionis consuetudinem, causa indicuntur, l. 2. *& 5. Cod. eod.* & hæc feriæ Profanæ dicuntur.

Tamen si verò omnibus his Feriarum generibus illud commune sit quod earum tempore nullus in jus vocari possit. Jason. in l. 1. nu. 1. *D. eod.* Calvolus d. loco *Conclus. 2. num. 1.* nec his expediri, quotiescumque, requirit causæ cognitionem, Calvol. d. loco num. 8. ex Menochio, quem citat, imò actus contentiosæ jurisdictionis gestus sit regulariter ipso iure nullus, c. ult. h. e. l. 2. *Cod. eod. l. 1. & ult. D. eod.* ubi expresse dicitur, nec processum tenere nec sententiam: Tamen in eo differunt, quod feriis, ad Dei honorem institutis, & repentinis, quia cultum divinum & publicum magis, quam privatum honorem concernunt, renuntiari non possit, cum pactis privatorum derogari juri publico nequeat. c. *Si diligenti sup. De foro compet. l. Ius publicum D. De pactis:* nisi repentinis renuntiatum sit communi consensu atque usu populi, Calvol. d. loco *Conclus. 3. nu. 2.* feriis verò messium, vindemiarum, & similibus, in gratiam privatorum principaliter constitutis, renuntiari possit, l. penult. *Cod. de pactis:* Non solum in iudicio, sed & extra iudicium: Et non solum per dominos, verum etiam per procuratores, modo renuntiatio non tendat in præjudicium dominorum: Præsertim cum verba edicti de his feriis habeant, quod nemo feriatis diebus in ius in jus vocari debeat: Nam inde sequitur à contrario sensu, posse vocari, si partes consentiant, l. 1. *De eod.* Gail. 1. *Observ. 53. n. 16.* quodque de mutuo litigantium consensu, tempore feriarum ob messem & vindemiam indictarum, ad quoslibet actus judiciales procedi possit, l. 1. *& 6. D. eod.* non etiam tempore feriarum repentinarum, vel ob cultum divinum institutarum, c. ult. h. t. Menoch. l. 1. *arbitr. q. 30. §. 7.* Quamvis tunc expediri illa possint, quæ causæ cognitionem non desiderant aut voluntariæ sunt jurisdictionis: Cujusmodi sunt manumissio, l. 8. *Cod. eod.* dispensationes indulgentiæ, privilegia, & similia: Vel quæ differri non possunt, sed expediri quam citissime debent, veluti si actio vel res tempore, præsertim vindemiarum ac messium, vel morte peri-



tura sit, l. 1. § 2. D. *ead. Piafec. p. 2. cap. 3. art. 3. n. 23.* Zerola in *Praxip. 1. in V. Fofia, ad tertium*: Si contra latrones sit procedendum, l. *Provinciarum Cod. eod.* si causæ fiscales & publicæ agenda, l. *Publicas Cod. eod.* si alimenta perantur: Si atrox delictum cum publico scandalo sit commissum, nam statim judicari & puniri potest, si ad publicum exemplum sit expedit. Solent quippe propterea hæretici diebus festis judicari & puniri, ut tanto major sit populi concursus ad aliorum terrorem. Sic & in parvis oppidis solent similia judicia permitti festis diebus, quia in profestis non adsunt rustici & agorum cultores. Similiter & ea diebus festis expediti possunt, quæ vel pietas, v. g. absolutio ab excommunicatione, causæ miserabilium personarum, tutoris & curatoris datio, alimentorum constitutio, vel publica utilitas aut privata necessitas expediti postulat, cap. 4. *Quis hoc t. l. 3. § penult. Cod. eod.* nam ubi periculum est in mora, receditur à regulis juris communis, l. *De pupillo §. si quis vivos D. De novi operis nuntiat. Gail. 1. Obser. 53.* quodque legelicitum non est, necessitas facit licitum, cap. *Quod non est. De R. l. in 6. & hinc Prosper.*

*Non rectè servat legalia sabbatha cultu.*

*Qui pietatis opes credit in his vetitum.*

Similiter ne feriarum extraordinariorum, aut ordinariorum personarum habetur ratio in supplicationibus, citationibus, & processibus de cernendis, exequendis, committendis, sententiis concipiendis, & relatione, Menoch. d. lib. 1. *arbit. g. 30.* Permissumque diebus feriatis judicare in causis summariis, l. *Miles §. 6 D. De adulteriis*: Item causas publicas atque fiscales agitare, l. 5. *Cod. eod.* Sic si causa intra certum tempus terminari debeat, quamvis tempus præfixum incidat in diem feriata, potest nihilominus per iudicem expediti, Calvolus §. *Feria conclus. 2. n. 19.* atque ita de similibus.

8. Cur autem tempore potius feriarum prohibeatur strepitus judiciorum, quàm alia opera, ut patet ex d. *c. ult. h. t.* ratio est, quia judicialia non sunt ita necessaria ad hominum vitam & sustentationem, sicut alia opera.

9. Insuper in eo differunt prædictæ feriæ, quòd feriis, ad cultum divinum institutis, non forensia solum negotia prohibeantur, sed & multa alia opera corporalia, & servilia, quæ sci-

licet commoditatibus corporis servantur; & ideo per servos, id est servientes fieri solent. Sumitur enim servus hic latè, pro famulatu & ministerio corporali, quo quis alteri inservit & famuletur: Cujusmodi sunt arare, fodere, artificia facere, & similia, quæ diebus festis fieri prohibentur, nisi jure vel consuetudine sint excepta, c. *Licet 3. h. t.*

Libera verò, id est, quibus animus exercitur, ut loqui, docere, scribere, & similia, non prohibentur, nisi special jure à permissione exempta sint & prohibita. Et ideo licet die festo cuilibet sententiæ operam navare, quamlibet scientiæ & artem, prout ad mentem pertinet, eam verbo quam scripto docere: Item scribere, transferre, iter agere, ut sic, quia hæc non sunt opera servilia, & lex ipsa expressè limitat prohibitionem ad opera servilia. Vocantur opera quædam servilia, quædam verò libera, quia humana servitus secundum corpus attenditur, animus liber est. Suarez *De diebus festis lib. 2. ca. 17. n. 10.* Prohibentur opera potius servilia, quam liberalia, tum quia magis communia, & potissimum occupare solent homines, eoque distrahere à rebus divinis.

10. Sunt tamen nonnulla etiam opera, quæ licet servilia non sint, tamen special jure prohibentur. Ut mercatus, placitum, judicium ad mortem vel pœnam, & juramenti præstito, *h. t.* (hæc enim non esse ex se servilia, constat ex eo, quod non sint propria servorum, nec sint mechanica, sed ad cognitionem & convictum humanum ordinentur, Suarez d. loco c. 29. *nn. 1.*) ob sæcularem distractionem, quam secum adferunt. Unde vacationem & quietem, in die festo requisitam, & ab Ecclesia intentam, impedit possunt & solent.

12. Nomine Mercatus veniunt contractus emptionum, venditionum, locationum, coactionum & similibum, præsertim si publicæ & publicæ solemnitate fiant: Item publicæ nundinæ, licet variis in locis consuetudine receptum sit, ut nundinæ diebus festis, ob majorem populi commoditatem fiant, prout recipi & induci potuit, cum observatio Festorum sit legis humanæ (prout latè tradit Suarez, *De relig. l. 2. cap. 1.*) cui per consuetudinem derogari potest.

11. Nomine Placiti in jure Canonico vocatur



causa judicialis & forensis tractatio significari videtur, *cap. xv. q. 4.* ita ut prohiberi in die festo placitum, sit idem, quod prohiberi strepitum judiciale, ut *m. d. c. ult. h. tit.* dicitur. Nihilominus tamen probabile est, secundum Abbatem *in d. c. 1. h. 1.* significari causam duntaxat civilem, quia placitum significare solet decretum, spectans ad civilem potius gubernationem, quam ad punitionem. Et ideo *in d. c. 1.* ad placitum adjiciuntur cetera: Judicium quidem ad mortem vel poenam, ut per illa censeantur prohibere etiam omnes causas criminales: Juramentum vero additur, ut indicetur non solum judicium ibi prohiberi (nam illud jam ante in prioribus verbis, seu ex vi prohibitionis totius judicii forensis prohibitum censei debet) sed etiam alia quaedam juramenta, nempe ea, quibus pacta & conventiones inter aliquos firmantur, praesertim illa, quibus contractus ibi comprehensi sub nomine mercatus conferri solent, ut docet Suarez *De diebus festis lib. 2. c. 30. num. 17.* praecipue ob exceptionem subjunctam, *nisi pro pace, &c.* Nam juramentum pacis non est judiciale: Et tamen, ne comprehensum videatur, excipitur; ac proinde signum est non prohiberi solum juramentum judiciale.

13. Sed cum strepitus judicialis consistat in inchoatione causae, quae a citatione incipit, formatione processus & causae cognitione, ac deinde in sententiae prolatione, circa inchoationem dubitatur, an citatio die festo, vel ad diem festum, fieri possit? Respondeo ad primum, magis receptum esse citationem decerni posse die festam ad diem non feriatam, quia actus citationis non est judicialis, sed extrajudicialis, & necessitatio, *c. 1. h. ult. h. tit.* Ob eandemque causam executio citationis die festata fieri potest, quia est facti: Nec fit per Judicem, sed per duntaxat vel Notarium, vel per litteras, nullamque causae cognitionem requirit, *cap. Prudentiam, cap. Cum contingat sup. De officio delegati cap. Cum parati inf. De appellat. Gail. 1. Observ. 53. n. 1. & duobus seqq.*

Ad secundum respondeo, citationem factam ad diem feriatam de jure civili, ex sententia Interpretum, non valere, *per lib. 2. D. Si quis in jus voc. non ierit c. 1. fin. Cod. h. tit.* secundum Canonistas vero valere, quia proceditur die sequenti non feriatam, *c. Cum dilecti inf. De*

*dolo & contumacia, Gail. d. locum. 2.* Satius tamen foret, apponere hanc clausulam Ut citatus compareat tali die, si juridica fuerit: Si autem non fuerit juridica, ut compareat die juridica sequenti, quia cum terminus comparendi in citatione praefixus demum currere incipiat a tempore executionis, *cap. Super eo 2. §. fin. inf. De appellat. lib. 1. D. Si quis caution &c.* Jud. x illud tempus scire non potest, ob locotum distantiam & nuntiorum in exequendo tarditatem, *Gail. d. locum. 2. & 3.* In iis tamen causis, quae diebus feriatis expediri possunt, ut sunt causae alimentorum, carceratorum, pupillorum, viduarum, miserabilium personarum, & quae moram non patiuntur, valet citatio ad diem feriatam.

14. Quoad processum seu progressum litis, etiam quaeritur, an testes in die festo examinari possint? De qua quaestione fusius videre liceat Suarez *d. lib. 2. cap. 3.* ubi docet, quod licet multi Canonistae velint examinationem testium, factam die festo, validam esse, modò juramentum, quod generaliter & in qualibet causa, siue temporali siue spirituali, prohibetur exigi die festo, *in d. c. 1.* (verba enim textus generalia sunt & solum duplex exceptio ibi ponitur, quae non minus habet locum in temporalibus, quam in spiritualibus) praecesserit in die profesto, quasi tunc examinatio ipsa retrorahatur ad diem praestiti juramenti: Tamen sit nulla subiungens non solum prolationem sententiae judicialis esse prohibitam & nullam in die festo, sed etiam ejus executionem, *per l. Affus. l. Ve in die & l. ult. Cod. eod. in qua l. ult.* expressè dicitur, ut à cunctis executionibus excusetur, nulla quemquam urgeat admonitio, taceat apparitio praconis, horrida vox silescat: Ut merito sub strepitu judicii comprehendere videatur.

15. Appellationem vero esse permissam die festo, tamquam iuris naturalis & rem favorabilem, & quae sine magno strepitu fieri potest, tradit Glossa & Panormit. *in d. c. ult.* Ubi insuper docet Panormit. non posse coram vero arbitro iudicium die festo agitari, ut expressè habetur *in l. Omnes dies Cod. eod.* quia ille procedit judiciali modo & ad instar Judicis. Aliud dicendum de arbitratore, cum sit amicabilis compositor & conciliator pacis: Et foedera ac similia pacta non sint in die festo prohibita.



16. Quæritur in super, an in feriis observandis sit attendendus locus rei, an Judicis, an actoris, dum contingit ferias esse in loco uno, & non in alio. Respondet Abbas in *d. c. ult. numer. 23.* communem conclusionem esse, quod attendi debeat locus Judicis, quia ubi agitur de ordinatione judicii, attenditur consuetudo fori seu loci, in quo exercetur, non autem consuetudo loci litigantium aliàs fieri posset, quod reus vel actor haberet duplicatas ferias, nempe regionis suæ & loci Judicis.

17. Quæritur denique an exempti, dies festos, quos Episcopus in sua diocesi observari præcipit, servare teneantur? Ita decernit Concil. Trid. Sess. 25. c. 12. de reformat. Navar. in *Manuali c. 13. n. 5. vers. octavo in fine*, Choquet. de *jurisdic. Ordinar. in exemptos p. 2. q. 45. num. 55.* (quia in quaestione recenset 116. casus, quibus exempti Ordinariis subjiuntur) & ea de re extat declaratio Cardinalium, quam refert Piafec. in *Praxi. 2. p. 3. art. 6. de visitat. Regularium n. 34. quam vide.*

## TITULUS X.

### De ordine cognitionum.

1. *Pluribus causis concurrentibus, quarum una ab alia dependeat, de hac primò pronuntiandum.*
2. *Potenti hereditatem obstat exceptio natalium, primò terminanda.*
3. *Muliere vindicante maritum, exceptio consanguinitatis prius discutienda.*
4. *Actione criminali & civili concurrente, qua præcedere debeat.*
5. 6. *Agenti spoli nomine quatenus obstat exceptio spoli.*

1. **L**ite contestata juramento calumniæ prælitro, dilationibus datis vel ab homine vel à Jure, iisque lapsis, recto ordine vel actor ob contumaciam rei in possessionem mittendus esset, vel utrimque ad probationem procedendum: Sed quia sæpe plures quaestiones in iudicium incidunt vel à litigatoribus proponuntur, de quibus prius cognoscendum, quam in principali causa procedatur: Ideo dispiciendum ante est, quo ordine de iis cognoscendum & pro-

nuntiandum sit, ne præpostera cognitio vel eorum confusio iudicium impediatur.

Ubi notanda est Regula, per minorem causam majori cognitioni præiudicium fieri non oportere, major enim quaestio, inquit Iurisc. minorem causam ad se trahit, *lib. Per minorem 54. D. De iudic.* Itaque concurrentibus pluribus causis, quarum una pendeat ex alia, primò cognosci debet de ea, à qua altera dependet, sive ab eodem sive à diversis, sive agendo sive excipiendo proponatur, *lib. 5. §. 8. 9. 10. D. De agnos. & alend. liber. l. 16. 17. & 18. D. De except. l. 1. §. 1. D. De rei vindic. Farinac. De variis criminibus q. 100. n. 137. & seqq.* Hinc rescindens iudicium antecedit rectorium. Vide Fabr. *De cad. 7. Erroris & 2.*

2. Hinc etiam causæ præiudiciales, in quibus de statu personæ quaeritur, semper præiudicari debent, quia cæteris præiudicant, id est sententia super iis lata ostendit, quid in principali pronuntiari debeat, seu parit exceptionem rejudicatam in principali, & jus actoris tollit vel actorem ab agendo repellit, *Farinac. d. q. 100. n. 78. & seqq. Tressaurus decis. 11. n. 18.* Ideoque si quis apud Iudicem laicum petat hereditatem ab intestato, tamquam filius, vel proximus agnatus defuncti, & reus, à quo petitur hereditas, obijciat, actorem non esse filium legitimum aut proximum agnatum defuncti, prius de hac exceptione per Iudicem Ecclesiasticum cognoscendum & pronuntiandum erit quàm de hereditate actori restituenda per Iudicem laicum *c. 3. h. t.* quia decisio quaestionis, an hereditas actori sit restituenda, pendet ab ista exceptione natalium: Nam si probetur non esse filium legitimum, sive proximum agnatum, frustra agitur de hereditate ei restituenda.

Dixi, de ista exceptione prius esse cognoscendum per Iudicem Ecclesiasticum: Quia licet de causa status, quando incidenter venit in iudicium, cum causa principali possit & debeat idem Iudex cognoscere, *l. Quoties l. Nulli Cod. De iudic. l. 1. Cod. De ord. iudic.* tamen quia causa natalium & legitimæ agnitionis, pendens ex validitate matrimonij, est ecclesiastica, Iudex laicus ne quidem incidenter de ea cognoscere potest, *cap. Lator inf. Qui filii sint legit.* cum non deceat laicos Ecclesiastica ullo modo tractare negotia, *cap. Decernimus sup. de iudic. Simi-*



3. Similiter si mulieri vindicanti aliquem, nunquam maritum suum obicitur exceptio consanguinitatis, seu quod nequeat esse ejus maritus, quia sit illi consanguineus in gradu prohibito, *juxta cap. Non debet inf. de consanguinitate*; prius de hac exceptione cognoscendum erit, quam de causa principali, quia probata exceptione principalis causa perimitur. Non est tamen necesse super hac exceptione pronuntiare, sed sufficit, quod pronuntietur super principali, quod scilicet Judex declaret, reum non esse maritum, eumque absolvat, *cap. 1. hoc tit. Facit l. Cod. de judic. ubi dicitur, ad officium ejus, qui de hereditate cognoscit, pertinere cognitionem incidentis questionis, etiam talis, de qua alias principaliter non posset cognoscere (uti est questio de statu & ingenuitate, quæ tantum coram Præfide sive rectore provincie agitari debet, l. tam dudum C. Vi caus. status agi debeat:)* & hoc ideo, quia non de ea, sed de hereditate pronuntiat. Ratio est, quia in effectu hoc ipso, quo sententia fertur super principali, tacite fertur super hac exceptione, quandoquidem propter exceptionem probatam reus absolvetur. Deinde exceptio ista concernit ipsum factum principale, & ad ipsum factum principale, de quo queritur, perimendum proponitur, ideoque sufficit, si super ipso pronuntietur, quia tum tacite etiam pronuntietur super exceptione: superflua autem sunt resecanda, *c. 2. inf. De probat. can. Coepiscopi Distinct. 68.* Aliud dicendum est de exceptione, quæ concernit & impedit ipsum processum, nam super ea prius est pronuntiandum, vel expresse vel tacite procedendo ad actum contrarium, idque ut appareat, an sit procedendum, an non. Abbas in *d. e. 1. num. 1. versic. sub iocatio rationem utriusque.*

Non obstat prædictis *cap. Causam sup. De officio delegati, cap. Accedens §. mandans sup. Velit non contestata* & *c. cap. Ex conquestione, cap. Litteras inf. De restitut. spoliatorum*; in quibus, non obstante consanguinitatis exceptione, proceditur in causa principali: quia illa capitula obtineant in possessorio, id est, ubi mulier fuit in quasi possessione matrimonii, & per maritum spoliata; cui propterea agenti ad restitutionem mariti, non obstat exceptio consanguinitatis, restitui maritus debet. Nisi forte consan-

guinitas in gradu lege divina prohibito; statim probari possit; nam tum restitutio denegaretur, *d. e. Litteras §. propterea.* Cæterum in *d. e. 1.* mulier agebat non possessorio judicio, sed petitorio: non enim patebat sibi restitui maritum, sed vindicabat seu petebat sibi adjudicari. Nam licet alias libera persona vindicari non possit, *l. 1. D. de rei vindicat.* potest tamen adjecta causa, v. g. quia est meus maritus, Abbas in *d. e. 1. n. 2.*

4. Hinc quoque concurrente actione criminali & civili, licet arbitrio Judicis relinquatur, quænam præcedere, quænam sequi debeat, *l. penult. §. ult. Cod. De ordine judic. l. 26. Cod. Ad legem lul. De adul. Clarus in Præf. criminali §. 2. §. ult. & criminalis principaliter intentata excludat civilem. Farinac. d. q. 100. n. 59. Clarus q. 92. §. fin. Fachin. lib. 6. cap. 1.* tamen ubi civilis præjudicat criminali, vel contra, præjudicialis præcedere debet, & altera sequi, Farinac. *d. l. n. 61. & seqq.* Quando autem altera alteri non est præjudicialis, tum criminalis & civilis conjungi possunt, Vide Farinac. *d. l. e. n. 71. & seqq.*

5. Quod si agenti spoli non obicitur vicissim spoliū, multum refert, an per modum exceptionis, an per modum actionis obicitur, de quo est text. in *c. Cum dilectus, & ibi Abbas & rursus Glos. & Abbas in c. fin. h. 1.* ubi traditur, quid sit utilis intentare. Nam si per modum exceptionis, seu ad actionem actoris elidendam obicitur, v. g. si obicitur de spolio alterius rei, petitorque, ut non audiat actor in petitione sua, nisi ante rem restituat, tunc prius de exceptione spoliū cognoscendum est, quam de actione spoliū; *d. cap. Cum dilectus, versic. sed quoniam*; qua suspensa dabitur terminus ad probandam exceptionem, qui est quindecim dierum, ut in *cap. 1. De restitut. spoliat in t. & notat. Abbas in d. e. Cum dilectus in 6. Notab.* Et probata exceptione, non prius cogendus est reus actori respondere, quam restitutione sibi facta, *d. e. Cum dilectus §. sed quoniam*: quia quando actor & reus hærent in eadem causa & delicto seu luto, ut dici solet, favorabilior est reus, quam actor, *l. Favorabiliores D. de reg. iur.* Si verò per modum actionis obicitur, hoc est si reus non excipiat, sed vicissim contra actorem agat de spolio, tum non repelletur actor ab agendo, nec prius cognoscetur de causa rei, quam actoris: quia hic cessat ratio *d. l. Favorabi-*



verabiles, cum uterque sit actor, suntque duae quaestiones seu actiones principales, nempe conventio & reconventio seu mutuae petitiones, de quibus, cum in idem iudicium deducantur, simul etiam debent cognosci; prius quidem de causa actoris, tum de causa rei: sic tamen, ut utraque causa simul finiatur, secundum ea, quae supra de mutuis petitionibus diximus.

6. Rursus spoliatione per modum exceptionis contra agentem de spolio, velut vicissim spoliatores, proposita & probata; repellitur quidem actor seu decernitur, eum non esse audiendum, donec restituerit rem; non tamen condemnatur ad restituendum, quia finis exceptionis est repellere, non autem consequi, exceptio enim est actionis exclusio, ideoque non operatur restitutionem. Dixi, contra agentem, velut vicissim &c. quia secus est, si proponatur contra tertium aliquem possessorem, qui non spoliavit, Maranta 4. p. *Distinctio*. 6. n. § 1. Contra vero per viam actionis spoliatione proposita & probata, consequitur restitutionem non tamen repellit agentem, quia finis actionis est consequi, non tamen repellere, ita Abbas in d. c. *Cum dilectum* num. 7. Ideoque dispicere potest, utro modo proponere sibi magis expediat: nam si ei melius sit incumbere actioni adversarii, opponat per modum exceptionis, quia interim non procedetur super actione, sed suspendetur & detinebitur rem petitam: si vero magis expediat, habere restitutionem spoli, cum proponat per viam reconventionis, quia per eam obtinebit restitutionem rei, prout declarat Glossa in c. *fin* h. tit.

## TITULUS XI.

### De plus petitionibus.

1. Plus petitur quatuor modis Re, Tempore, Loco & Causa.
2. Poena plus petentis tempore.
3. An per exceptionem, Tu petis plus tempore, suspendatur iudicium.
4. Poena plus petentis re, loco, vel causa.
5. Poenam tripli iure Canonico non obtinere.
6. Quoniam actor plus petens evitare poenam possit.

Quia inter incidentes quaestiones subinde proponit vel excipit reus, quod actor plus petit, quam sibi debeat, & dubitari poterat de ordine ac modo procedendi, ideo Titulo de ordine cognitionum in genere subiicit Pont. hunc Titulum.

1. Petitur autem plus quatuor modis, Re, Tempore, Loco & Causa, c. *unico* h. t. § *plus autem* Instit. *De actionib.* Re plus petitur, si cum creditori debeantur tantum quinque petat decem, vel cum res sit ejus dumtaxat pro dimidia parte, petat totam vel pro majori parte. Tempore plus petit, qui petit ante diem, vel conditionem, pactioni seu obligationi obiectam. Loco plus petit, qui id, quod certo loco, v. g. Lovanii sibi dari stipulatus est, alio in loco, veluti Antverpiae, dari petit, si e commemoratione loci, in quo sibi dari stipulatus est. Causa plus petitur, cum aliquid in genere vel alternativè debetur, & res in specie, vel unum præcisè, petitur si is, cui alternativè debetur equus vel duodecim aurei, equum tantum, vel duodecim aureos tantum, & præcisè petat. Idque obtinet, etiam si id, quod petit, vilius sit altero, quia saepe facilius est promissori solvere, quod est majoris pretii, quam quod est minoris, & contra: atque ita adimit promissori facultatem eligendi, quam habet, § *Præterea* Instit. *de Actionibus*.

2. Olim qui uno horum modorum plus petebat, causa cadebat, id est rem amittebat, ut explicat Justinianus in §. *Si quis agens* Instit. *d. t.* & constat ex Paulo 1. *Sentent.* cap. 10. ubi ait, Causa cadimus vel loco, vel summa, vel tempore, vel qualitate. Eaque poena usque ad Zenonem retenta fuisse videtur: nam constat ex Hermogeniano Cod. qui passim nunc exstat, tit. *De calumniis & de plus petendo*, hac de re fuisse duas Constitutiones, juri veteri conformes, Diocletiani & Maximini. Postmodum vero hæc poena mutata fuit: nam qui plus tempore petit, ex Zenonis Constitutione sumptus litis restituit, & dilatio temporis, non quidem totius, sed ejus, quod debitori supererat ad solvendum, si ex conventionem si ex natura actionis, duplicatur, §. *ult. versic. hodie autem* Instit. *De exceptionibus*. ut sic poena delicto commensuretur. Exemplo relegati ad opus publicum, aut fugientis ante tempus, cui duplicatur pro poena residuum temporis, ante quod



quod aufugit, non vero totum tempus relegationis ei statutum *l. Auth. damnatum §. quisquis D. De pœnis*. Et in hac pœna pariter videtur esse conditionis fiscus cum privato, tanquam qui non minus quam privatus, tempora agendi servare debeat, *l. luffas 6. Cod. de jura fisci lib. 10.* Imò non defunt, qui hac in parte existiment duonem esse causam fisci, quam privati, *arg. d. l. luffas*, qua jubentur concremari etiam iusta fisci actiones, ob hoc solum, quod suis temporibus prolatæ non sint, quasi in fisco juris veteris pœnæ adhuc locus sit.

3. Sed cum in *e. unico h. t.* dicatur, quod auctore plus tempore petente duplicentur reo induciæ, nec cogatur postea litem excipere, nisi ei solvantur expensæ: queri potest, an per hanc exceptionem, *tu petis plus tempore*, suspendatur iudicium in toto, an verò debeat ferri sententia definitiva, cum pœnis appositis? Et respondet Panormit. *ibid.* quod, si ista exceptio proponatur dilatoriæ. v. g. ante litem contestatam, tum impediatur iudicium super principali: si verò opponatur peremptoriæ, veluti post litem contestatam tum non impediatur, sed debeat ferri sententia de solvendo debito, finitis scilicet iudiciis duplicatis: ita ut illorum verborum, *nec litem excipiat, nisi ei solvantur expensæ*, sensus sit, quod non cogatur suscipere iudicium, non quidem illud, quod jam per litem contestatam onem suscepit, sed aliud, quod ex re in hoc iudicio iudicata, vel per actionem in factum, vel per implorationem officii iudicis executionem instituitur, lapsa duplicato tempore, & solutis expensis. Ut hæc exceptio, licet vocetur dilatoria exceptio solutionis, tamen hoc casu non retineat naturam suam, id est non maneat dilatoria. Potest tamen subinde etiam suspendere iudicium, jam per litem contestationem susceptum, veluti si pendente iudicio demum superveniat: ut si pactum de non petendo, ad tempus pendente iudicio intervenierit; vel si reus eam sibi competere ignoraverit, ut si non ipse contraxerit, sed hæres sit debitoris, vel si ex alterius contractu conveniatur, *cap. Pastoralis inf. De exceptionibus*.

4. Qui verò plus re vel loco aut causâ petit, ex Justiniani Constitutione condemnatur in omne damnum, quod sua petitione reo intrulit, & insuper pendere debet triplum ejus,

quod ob majorem quantitatem, libello conventionis comprehensam, viatoribus, id est executoribus litium, sportularum nomine, præstandum fuit, *§. tripli instituit. De actionibus*. U. no tamen casu ex ejusdem Imp. Constitutione plus repetens, causâ cadit & toto debito fraudatur, scilicet cum creditor, exacta per dolum malum majoris summæ quam sibi revera debeat, cautione, plus petit, & super hujusmodi petitione litem contestatur: nisi actor convictus super majori quantitate cum reo tranfigat super pœna, vel reus in iudicio confessus sit se totum debere *l. ult. Cod. h. t.* Cui casui postea in *Novella xv. De defensoribus civitatum c. 4.* addidit alium casum scilicet cum quis transferendi iudicii causâ apud præsidem provinciæ majorem summam petit, quam ei verè debeatur, ne cogatur debitorem pro minori summa intra trecentos aureos coram defensore civitatis convenire.

5. Queritur autem hic, An pœna tripli, de qua ante, etiam jure canonico obtineat. Verius est, non obtinere, ut docet Panormit. in *cap. unico hoc tit. num. 9.* quia summus Pont. tantum dicit condemnandum plus petentem, in expensas: tum quia *d. §. tripli.* loquitur de expensis factis nomine sportularum; & ideo, cum sportulæ in foro Ecclesiastico non præstentur, *cap. Cum ab omni inf. De vita & honest. Cleric.* non possunt eo jure triplicari. Et hoc intellige, quando plus re vel causâ petitur: nam si petatur plus tempore vel loco, habent locum aliæ pœnæ, de quibus *d. cap. unico*: ut scilicet plus loco petens teneatur ad interesse; ubi verò plus tempore petit, duplicentur induciæ, & expensas solvat plus petens.

Neque tamen supervacanea est *disti cap.* dispositio, quasi per antiqua jura provisum sit de expensarum condemnatione, respectu temere & calumniosè litigantium, *cap. Calumniam inf. De pœnis, ca. Finem inf. De dolo & contumacia, & alii* quia per antiqua jura condemnatio expensarum venit tantum accessoriè, & ideo Judex, lata semel sententia super principali, non potest amplius condemnare in expensas, *l. Terminato Cod. De fructibus & lit. expens.* per dispositionem vero *disti cap.* potest ea condemnatio



denotatio fieri principali etiam iudicato, exhibito ad hoc novo libello, vel etiam pendente iudicio, implorato officio Iudicis.

6. Queritur etiam, quousque has penas actor plus petens evitare possit? Et licet Glossa velit posse eas evitari, si ante litem contestationem desistat actor à plus petendo; ut etiam ante litem contestatam desistens merito teneatur seu teneri debeat adversario ad interesse, si quod sit; tamen verius est evitare posse, etiam post litem contestatam desistente actore, dummodo ante sententiam; Quia in *d. c. puniuntur* importunitas plus petentium demum, si super petitione sua duxerit in iudicio persistendum; jam autem iudicium non dicitur, nisi à litem contestatione usque ad sententiam; Et ideo non potest dici super petitione sua in iudicio persistere, qui ante sententiam desistit.

Nec obstat, quod talis videatur temere litem movisse, *arg. l. Eum quem 79. D. de iudiciis*, & errore suo, quem jam fateretur, item retardasse; qui error adversario nocere non debet. *arg. l. Nemo 75. D. De reg. juris*, & *l. 2. Cod. De fructibus & lit. expensis*, qui non potest dici temere litem movisse, qui iusto errore ductus id fecit; nec talis error ei nocere debet, *l. in servitutem 16. §. si petierit D. De bonis libert. & litis expensæ regulariter non debentur*, nisi quis sine iusta causa litem moverit *l. Qui solidum 78. D. De legatis 2. lib. Omnes §. praterea Cod. De Episc. & Clericis*.

## TITULUS XII.

### De causa proprietatis & possessionis.

#### §. I.

Possessio quid sit, & quod duplex? & de iudiciis possessoriiis.

1. Qua dicatur causa possessionis.
2. Qua proprietatis.
3. Possessio significet hic actum & ius possidendi.
4. Unde possessio alia factio est.
5. Alia iuris.

6. Dividitur in iustam & iniustam.
7. In Civilem & Naturalem, item Civilem & Naturalem simul.
9. Civilis, qua & cur ita dicatur.
10. Naturalis qua sit.
11. Possessorium iudicium triplex adipsam, retinendam & recuperanda possessionis.
12. 13. 14. Exempla cuiusque.
15. Possessorium retinenda, aliud Ordinarium, aliud Summarium.
16. 17. Summarium quid sit, & cur ita dicatur.
18. Possessio quibus modis probetur.

Cum omnium frequentissime in iure & iudiciis occurrant causæ possessionis & proprietatis, de quibus etiam dubitari contingit, quo ordine proponendæ & cognoscendæ, & accumulari possint, an verò singulæ singulis iudiciis tractandæ sint, recte subiungitur hic Titulus in quem occurrunt fere omnia, quæ in Pandectis plurimis Titulis interdictis & eorum iura proponuntur.

1. Causa possessionis vocatur, in qua principaliter agitur de possessione, vel quasi possessione, sive adipiscenda, sive retinenda, sive recuperanda: Veluti quando actor principaliter contendit possessionem rei sibi esse restituendam, & reus negat; atque hoc appellatur iudicium possessorium, *c. Cum super 1. h. i.* & causa momenti, *c. 1. hoc tit.* non quia semper momento absolvatur; nec enim id interdum patitur improbitas infaustis; Sed quia ex natura sua apta est momento peragi, si de vi litigator statim docuerit; & quia à sententia momentaneæ possessionis non appellatur *lib. 2. Cod. De momentanea possess. Glossa in d. cap. 1.*

2. Causa proprietatis appellatur, in qua principaliter agitur de rei controversiæ proprietate seu dominio, vel alio iure, extra, possessionem vel quasi possessionem, ut si actor intendat se esse & declarari dominum rei, reus vero negat; & hoc appellatur iudicium petitorium, *d. c. Cum super h. i.* Tale iudicium est, cum rei vindicatur. *l. Qui petitorio 36. D. De rei vindicat. l. Cum fundum 18. §. fin. & ibi Glossa, D. De vi armata, c. Pastoralis h. tit.* cum hereditas petitur,  *toto vis. D. De petit. hared. Glossa penult. in l. 2. Cod. De edicto Adriani collon.* cum quis



contentio ius eligendi, præsentandi vel conferendi sibi competere, *cap. 3. & 4. hoc tit.* vel agit ad usufructum, usum aut aliam servitutem, quia agens ad ista iura incorporalia, censetur dominus iurium, Maranta 4. p. *Distinct. 7. num. 1.* Cum quis agi actione personali, ad rem, dicitur etiam petitorem iudicium, Maranta *dicto loco*.

Utro autem iudicio, an possessorio an verò petitorio agatur, ex conclusione libelli potissimum intelligitur; nam si actor concludat adversarium suum sibi condemnari ad restitutionem rei, agit iudicio possessorio; si verò se dominum rei cætero versæ pronuntiare petat, agit petitorio.

3. Cæterum possessio licet interdum etiam proprietatem significet, ut si quis legaverit possessiones suas, *l. Interdum 78. D. De verb. significat.* & plurimis aliis; per translationem scilicet, quia sæpe dat effectum & commodum domini *cap. Sæpe inf. De restitut. spoliat.* & ad domini proprietatisque acquisitionem perducit, §. *Ex his inf. Per quas personas &c.* & contra licet dominium subinde significet possessionem, *l. 13. Cod. De rei vindicat.* tamen etiam sumitur possessio, ut quid separatum à proprietate, *l. Quasi 21. D. De verb. significat.* & ita hic accipimus non quidem in ea significatione, qua sumitur in *l. 1. Quæstio*, in qua tribuitur rebus ipsis possessus; sed capimus hic possessionem pro actu vel iure possidendi, à quo denominatur quis possessor. Actus possidendi dici solet possessio facti, ius verò possidendi dici solet possessio juris. Verum ut plenius intelligatur quod hic de concursu & cumulatione iudicii petitorii ac possessorii dicitur, paucis explicanda est definitio & natura utriusque causæ, possessionis & proprietatis, quod modis & coram quo iudice de possessione agatur.

4. Possessio igitur facti nihil aliud est, quam detentio rei corporalis, sive mobilis sive immobilis, corporis & animi ac juris adminiculo.

Dicitur rei corporalis; quia incorporalia cum tangi non possint, propriè non possidentur, sed quasi possidentur, *l. Servus 43. §. 1. D. de acquir. rer. dominio, Cum Ecclesia 3. h. t.* ubi qui habet ius eligendi dicitur illud quasi possidere.

Detentio ponitur loco generis: nam omnis possessio est detentio, non è diverso, quia de-

tentio seu detineri convenit etiam iis, qui possidere nequeunt, & ad eum quoque detinendi actum refertur, qui iure destituitur, sine quo nequidem possessio facti, de qua agimus subsistere potest: eoque nomine intelligitur etiam apprehensio prima, quæ ordinariè requiritur, estque possessionis inceptio & acquisitio.

Additur, corporis adminiculo: quia ut res aliqua incipiat possideri, debet aliquo modo corporaliter apprehendi, manibus, pedibus, oculis, vel alio simili modo. Unde & possessio dicitur à pedum positione, *in l. 1. D. De acquir. vel amit. possess.* nam per pedum positionem super bona potissimum immobilia, ut v. g. super fundum, agrum, prædium, solet acquiri possessio.

Additur etiam, animi adminiculo; quia debet apprehendi animo possidendi, *l. Si quis ante 10. D. De acquir. possess.* animo enim & corpore possessionem acquirimus, *l. 3. §. 1. & l. Quem admodum 8. D. l. 1.* Hinc depositarius & commodatarius non dicuntur possidere, quia non detinent rem depositam vel commodatam animo possidendi.

Additur denique, juris adminiculo, non quasi omnis possessio facti iusta sit, cum fur vere possideat, rem furtivam, & tamen iniuste, sed quia ius facit, ut talis detentio sufficiens, censetur ad constituendam possessionem, nec eam impedit: sicuti impedit, ne detentio rei sacræ vel loci religiosa à laico, vel liberi hominis censetur possessio, ut patet ex *l. Qui in universis 30. D. eod.*

5. Possessio juris est ius reale insistenti & incumbendi alicui rei, tanquam suæ non prohibita possideri. Per particulam, ius reale, excluditur possessio facti, quæ formaliter est ipsa occupatio & detentio actualis. Similiter excluditur detentio, quam habent inquilinus, depositarius, commodatarius, colonus, quia illi non habent ius reale insistenti in re, sed tantum ius personale, nempe ex contractu competentens.

Dicitur, insistenti vel incumbendi rei; ut excludatur dominium, quod per se & formaliter est tantum ius disponendi de re. Cum interim hoc ius in eo consistat, quod possessor possit rem pacificè tenere, & juris reme-

X

dijs



diis, subinde etiam armis, se tueri adversus turbantes.

Additum fuit, tanquam suæ; quia si quis insit rei, nomine alterius, non erit vera possessio. Et hinc rursus colonus, inquilinus, depositarius; commodatarius, non dicuntur possidere, sed ipse dominus per eos, §. *Possidere Insistit. De interditiis*. Possumus enim per alium possidere, modò is habeat animum detinendi rem nostro nomine: nisi sit servus noster, aut filius nondum emancipatus, nam hi ejus conditionis sunt, ut non sibi, sed nobis acquirant, etiam cum animum non habeant, §. *Item placet in fine Insistit. Per quas personas &c.*

Additur, non prohibet possideri; quia nulli potest competere jus possidendi contra juris dispositionem seu jure resistente, sed tantum potest detinere rem, puta rem sacram, religiosam, locum publicum, d. l. *Qui universas* §. 1.

6. Dividitur Possessio in Justam & Injustam. Rursus ex parte causarum seu titulorum (qui ut varii & pænè infiniti sunt, etiam varias & pænè infinitas species seu potius modos possessionis constituunt) alia dicitur Pro emptore, alia Pro donato, alia Pro legato, Pro dote, Pro hærede, & sic de cæteris.

7. Tertio dividi solet in Civilem & Naturalem, l. 2 §. 1. *D. Pro hæredo*: addunt alii Naturalem & Civilem simul. Civilem vocant quæ in Jure consistit, l. 10. *Cod. De acquir. possess.* & solo animo retinetur. Nam licet ad acquirendam possessionem requiratur adminiculum corporis & animi, nempe ut quis rem apprehendat & occupet, animumque & affectum sibi possidendi habeat, d. §. *Possidere Insistit. De interditiis*: tamen, ut postea retineatur, & continueatur ejus possessio, sufficit animus retinendi rem, nec delistendi à possessione ipsius, d. §. *Possidere*: idque ne per singula horarum momenta rebus nostris insistere necesse sit. Hoc modo possidet & retinet animo possessionem, quia re, quam possidet, corpore discedit, nullo in possessione relicto, l. *Clam possidere* 6. §. *qui ad nuditas* D. *De acquir. possess.* In amittenda quippe possessione affectio ejus, qui possidet, intuenda est: nam uti corpore & animo acquiritur possessio, ita etiam corpore & animo amittitur; imò amitti & solo animo potest, l. 3. §. *in amittenda* 6. D. d. 1.

Non obstat, quod solo animo non acquiritur, quia facilius amittitur, quam acquiritur. Non tamen solo corpore amittitur, nisi etiam adit animus non possidendi. Et ita intelligitur l. *Quemadmodum* 8. D. *eod. & l. Perd.* 153. D. *De R. l.* ubi dicitur, quod, ut nulla possessio acquiri potest nisi animo & corpore, ita nulla amittatur, nisi in qua utrumque in contrarium actum est: quando scilicet incipitur a corpore; secus, quando incipitur ab animo, qui in amittenda possessione attendendus est, l. 13. §. *in amittenda*.

9. Dicitur verò civilis hæc possessio, quia jure civili falcitur, seu jure civili magis constat, quam Naturali, cum naturalis modus possidendi sit per corporalem insistentiam. Et ideo possessio vilis Justa appellatur, & Corporali opponitur l. 14. *D. de acquir. possess.* Deinde quia parit effectus civilis, scilicet ut occupationem & dominium.

10. Naturalis possessio est, quæ corpore & animo simul retinetur: ut quando quis occupat rem, ut suam. Potest autem hæc conjugi Civili uti quando quis est præsens, per se vel per alium, rebus, quas civiliter possidet; & tum dicitur naturaliter & civiliter possidere. Potest etiam separari à Civili: ut si quis me ex fundo meo deliciat, ut fundum meum possideam, ego civiliter, ille naturaliter cum possidet, non etiam civiliter, quia cum jus civile ejusmodi vim improbet, & debeat auferte possessionem violento infautori & spoliato restituere, Juris interpretatione non videtur possidere, l. *Si quis vi* 17. l. *Non videtur* 22. D. d. 1. Aliquando tamen aliter accipiuntur Civilis & Naturalis possessio: ut scilicet Civilis dicatur, quæ res possidetur quoad dominium directum; Naturalis autem, quæ possidetur secundum usum fructum vel usum, vel habitationem, vel pignus, vel alia jura diversa à dominio, ut constat ex l. *Naturaliter* 12. D. *eod. d. 1. D. Pro hæredo*: nam natura non aliud requirit ad constitutionem possessionis, quam occupationem & fruitionem.

11. Depossessione verò agitur tribus modis & sic triplex est judicium possessorium, scilicet adipiscendæ, retinendæ & recuperandæ possessionis, nam omnis controversia de possessione instituitur, vel ad adipiscendam possessionem, quam actor nunquam habuit, vel ad retinendam



dam quam habet; vel denique ad recuperandam quam amisit.

12. Exemplum possessorii adipiscendæ est in interdicto. Quorum bonorum, quod competit ei, cui delata est hæreditas ex testamento vel ab intestato, eâ adita de jure civili, vel bonorum possessione agnitâ de jure Prætorio, l. 1. & 2. Cod. Quorum bonorum: ad advocandam actualem & effectivalem possessionem) quam nunquam habuit, & quam ipso jure non acquirit, sicut dominium, l. Cum hæredes 13. in princ. D. De acquir. possess. ab eo, qui pro hærede ejus, de cujus hæreditate agit, vel pro possessore possidet, vel ab eo, qui dolo culpave desinit possidere. Vide Wesenb. ad l. D. Quorum bonorum. Dixi, quam nunquam habuit; quia si quando habuit, non competit possessorium adipiscendæ possessionis, §. Pro hærede institut. De interdictis, sed recurrere debuit ad possessionem recuperandæ. Idque est generale in omnibus judiciis possessorii adipiscendæ, Glossa in cap. 1. in fine De confessis in 6. Maranta 4. p. Spauli Distinct. 7. num. 5. & ideo abusive restitutorium vocatur.

Secundo, exemplum possessorii adipiscendæ est in interdicto Quod legatorum, quo restitui iuberetur hæredi, quod legatorum nomine, non voluntate eius, sed propria auctoritate à legatariis occupatum fuerit, idque propter Falcidiam, quam ex ea re detrahere hæres potest. Etenim æquisimum Prætori visum fuit, ut legatarii non sibi ius dicerent, occupatis legatis propria auctoritate, sed ea ab hærede peterent, l. 1. in princ. D. Quod legatorum: ubi vide Wesenb.

Tertio, exemplum est in interdicto Salviano, quod competit adversus conductorem prædii alicuius, si in vecta & illata (quæ pensionis nomine obligata tenentur) è prædio abduxerit & abstulerit, ut possessionem eorum restituat ei, à quo conduxit. Et datur etiam adversus tertium possessorem, l. 1. D. de Salviano interdicto, & notat Abbas in cap. Pastoralis num. 14. h. tit.

Quarto, exemplum est in remedio, l. fin. Cod. De editto D. Hadriani tollendo, quod competit hæredi scripto in testamento, cuius vigore potest petere se mitti in possessionem

nem: de quo, & qualiter procedat, vide Bart. & DD. ibid.

Quintò, locus est huic iudicio in officio Judicis, quod per eum implorari solet, cui collatum est beneficium aliquod, vel cui alio modo provisum est, ut mittatur in possessionem, quam nunquam habuit, idque procedit & servatur generaliter de jure Canonico, Abbas in d. c. Pastoralis n. 14. in fine. & habetur in cap. Accedens 23 & ibi per Abbat. & DD. inf. de accusat.

13. Possessorii verò retinendæ possessionis exemplum est in interdicto Uti possidetis & Utrubi. Illud datur pro rebus immobilibus, hoc pro mobilibus, quarum in possessione quis turbatur, ut declarat Gloss. & Abbas in d. cap. Pastoralis num. 16. Et datur possessori, qui injuste & extrajudicialiter turbatur in sua possessione adversus turbantem, ut is turbare & molestare desinat, teneaturque ad interesse turbationis factæ. Dico extrajudicialiter; quia si turbetur judicialiter, ut si moveatur lis super re aliqua, quam possidet, non datur ei hoc interdictum: quia qui utitur jure suo per viam judiciariam, alteri non facit injuriam, Abbas in cap. Audita 4. num. 8. inf. De restitution. spolia. Sicut nec datur adversus turbantem, dejectum à sua possessione: quia licet is non possit dejectorem suum dejicere ex intervallo, sed incontinenti dumtaxat, tamen potest impunè ex intervallo & quodcumque turbare dejectorem suum in sua possessione, Maranta 4. p. Distinct. 7. num. 18. Quod si verò duò litigent & agant hoc possessorio iudicio & quilibet prætendat se possidere, is obtinebit, qui de antiquiori possessione probabit: quia junior possessio præsumitur injusta & clandestina, text. & ibi Abbas num. 9. in cap. Licet 9. inf. De probat. Maranta d. loco num. 19. & 25. ubi consequenter in additionibus vide varias quæstiones, circa hanc materiam remissivè decisas.

14. Tertium, ut dixi, possessorium iudicium est recuperandæ possessionis: & in hoc fuerunt plura remedia à jure introducta, prout ea recenset Maranta d. Distinct. 7. num. 28. Et in primis est interdictum Unde vi, de quo ad Tit. De restitution. spoliat. agemus: secundum est conditio triticaria: III. conditio incerti: IV. conditio indebiti: V. actio in factum: VI. officium



Judicis; VII. est ex æquitate l. Si & me & Titium D. Si certum petatur VIII. est conditio ex l. Si coloni 14. Cod. De agric. & censitis lib. 11. & sic de similibus aliis: de quibus, & quæ ad singula requirantur, vide apud Marantam *Disposit.* 7. à num. 28.

15. Possessorium retinendæ possessionis communiter duplex statuunt: alterum ordinarium, quod & plenarium dicitur: alterum Summarium, sive Extraordinarium seu Momentaneum. Plenarium sive Ordinarium vocant, quando plena causæ cognitio adhibetur & servato ordine juris, plenè discutitur atque examinatur, utrum actor ab adversario suo possideat rem, de qua agitur, non vi, non clam, non præcario, l. 1. D. Vi possidetis. Et in hoc judicio plenæ requiruntur probationes, quia magni est momenti & præjudicii, propter commodum possessionis; licet ea in petitorio recuperari possit, latè Gail. 1. *Observ.* 7.

16. Summarium illud dicitur, in quo, nullo juris ordine servato, summarim Judex cognoscit, uter ex litigantibus possideat tempore litis motæ; ad eum finem, ut ille tamquam possessor constituatur, & alter sit petitor, ita ut saltem ei maneat jus suum, tam quoad plenarium possessorium, quam quoad petitorium. Huic autem possessorio Summario nunquam locus esse solet, quando uterque, ex litigatoribus ita contendit se possidere, ut libellum offerre nolit, & periculum est, ne veniatur ad arma: tunc enim Judex, re summarim cognita, solet sine præjudicio partium declarare, interim alterum ex litigatoribus possessorem esse, donec de possessione plenius cognoscatur test. in l. Equissimum alias l. Si cujus 13. §. 3. D. De usufructu, ibi, cur enim, inquit Julianus, ad arma & rixam procedere patitur Prætor, quos potest, jurisdictione sua componere?

17. Dicitur autem Summarium; vel etiam Summarissimum, secundum Interpp. quia in eo absque rela judicii, & sine longa protelatione litis, sola facti veritate probabiliter inspecta, celeriter & velo levato, ut aiunt, procedendum est, l. Si coloni Cod. De agric. & censitis lib. 11. ibi, celeriter reformatione, Clement. Sape De verb. significat Clement. Dispendiosam de judicii. Momentaneum vero dicitur, quia sententia in eo lata non perpetuum sed momentaneum, & re-

parabile præjudicium adfert, quod in ordinario & pleno possessorio reparari potest, cum sit memorataque interlocutio neutri parti, sive in possessorio ordinario sive in petitorio, præjudicialis. Unde interim aut Fiduciaria aut Depositaria possessio aut Provisionale remedium vel decretum appellatur: in eoque imperfectæ & semiplenæ, quia modici est præjudicii probationes admittuntur, Gail. d. *Observ.* 7. num. 6.

18. Denique probatur possessio variis modis, veluti ex perceptione, fructuum, censuum, & collectarum solutione, cæterisque actibus juris possessorii in re factis, demonstratione vicinitatis, scientia, locatione, plantatione, latione, & sic de aliis, quos refert Wessend. ad Tit. D. De acquir. vel amitt. possess.

## §. II.

De Proprietate, quid sit, & in quo differat à Possessione.

1. *Definitio Proprietatis, Inter eam & Dominium non esse discrimen.*
2. *Differentia inter Proprietatem & Possessionem.*

1. Quod ad Proprietatem attinet, ea definitur Jus plenè & perfectè disponendi de re pro libitu & arbitratu, nisi lege vel conventionis quis prohibeatur. Et hinc quisque dicitur rei suæ moderator & arbiter. Verius autem est, quidquid alii sentiant, inter Proprietatem & Dominium hoc loco non esse discrimen, sed promiscuum eorum usum. Nam quod de proprietate scribit Callistratus in l. Si de vi 37. D. De judiciis, idem de dominio in eadem quaestione scribit Martianus in l. Quicquid 5. §. 1. D. Ad Leg. Juliam de vi publica. Id ipsum patet etiam ex l. Exitus 35. D. De acquir. possess. l. Ordinarii 13. Cod. De rei vindicatio.

Possessio vero & proprietas licet versentur circa eadem corpus seu eandem rem, & utrumque sit jus incorporale, atque à possessione dominium incipere dicatur, l. 1. §. 1. D. De acquir. possess. & per easdem personas acquirantur, insistant. Per quas personas nobis oblig. acquir. tamen adeò diversæ ac separatæ sunt naturæ, dicat Jurisconsultus in l. Naturaliter 12. D. De acquir. possess. proprietatem nihil habere commune cum possessione,



§. III.  
Quis in causa possessionis sit Judex  
competens

1. *Judicium hoc, etiam in spiritualibus, spectare ad judicem laicum.*
2. *Sententia contraria.*
3. *Ea de jure verior.*
4. *Prior tamen recepta in praxi.*
5. *Causa possessionis & proprietatis coram eodem judice tractanda.*

**V** Idendum nunc, quis in causa possessionis & proprietatis Judex sit competens. In primis, loquendo de possessorio per se & seorsim à proprietate, sunt qui velint, possessorium retinendæ & recuperandæ spectare ad Judicem laicum, qui est Ordinarius loci, in quo res de qua agitur, sita est: Etiam tunc, cum de possessorio beneficiorum decimarum, Jurispatronatus agitur, *Glos. in c. Litteras sup. De juramento calumnia*, Guido Papæ, *Decis. 71. & 85. Gail. 1. Obser. v. 37. n. 5. & multi alij.* Probatur per *7. inf. Qui filij sint legitimi*, in verbis, *Nos attendentes, quod ad Regem pertinet, non ad Ecclesiam de talibus possessionibus judicare.* Item per *can. perimus x. quest. 1.* ubi Pont. Judicare videtur, ad eundem esse Rectorem provincie in causa possessionis rei Ecclesiasticæ, quam aliquis in valet per *c. ult. sup. De judiciis*, ubi Judex secularis de possessione inter quandam Abbatem & Monachos, ex una, & communitatem ejusdem castri, ex altera, cognoscit: Nec tamen improbat Pontifex, sed potius confirmat: Ea scilicet ratione, quod possessorium rei spiritualis non sit, quod spirituale sed temporale & potius in factis quam in jure consistat.

Ideoque, licet in causis spiritualibus non juretur de calumnia, *c. 2. sup. De juramento calum.* tamen si pro re spirituali possessorio agatur iudicio, necesse est jurare de calumnia, *c. Litteras. §. praterea inf. De restitut. spoliat. Glos. ibid. in v. juramento. & in d. c. 2. in v. rebus spiritualibus.*

2. Contra contendunt alij, in possessorio rei spiritualis iudicio Judicem Ecclesiasticum esse competentem, Anton. Butrius in *d. c. ult. sup. De judiciis*, August. Bellous, ad rubr. *d. tit. numer. 55. Covarr. Pract. quest. cap. 35. num. 1. versic. 2. conclusio \**. Quæ sententia de jure verior apparet, præsertim quando de possessorio rei spiritualis

X 3

inter

Et, ut ex multis differentiis paucas delibemus, nihil verat eum esse possessorium, qui dominus non sit; & contra, eum dominum esse, qui non possideat, *d. l. Exitus* Rursus dominium in titulo nō acquiritur, *l. Nunquam nuda 31. D. De acquir. rer. dominio*; possessio verò in profanis titulis adminiculum non desiderat, nisi adversus eum, à quo possidetur, *l. Clam possideri 6. §. qui ad nundinas ff. De acquir. possess.* Nudo etiam animo iactandum acquiritur proprietas, *l. cum Hæredes 21. D. d. possessio nunquam, l. 3. in princ. D. eod.* Et contra solo animo amittitur possessio, *d. l. 3. §. in amittenda*: Non etiam dominium, *l. Si quis vi 17. §. 1. D. eod.* Præterea possessio ex pluribus causis haberi potest, *d. l. 3. §. ex pluribus causis*: ac vero dominium non nisi ex una causa acquiritur, *l. Et an eandem 14. §. actiones D. De except. rei judicata*. Rursus in vitium litigiosis res cadit, si de proprietate controversia in iudicio moveatur, *l. 1. junctis Authent. Litigiosa Cod. de litigiosis*: Non item si de sola possessione. Insuper possessor actoris seu petitoris partes non sustinent, nec cogitur possessionem cedere, nisi probanti se esse dominum, *l. ult. Cod. de rei vindicat.* Et ubique in pari causa, etiam turpitudinis & delicti, potior est conditio possidentis, *c. Cum partium De R. l. m. 6.* & præsumptionem pro se habet, item re plurius venditā, is dominus efficitur, cui prius traditur res, etiam si in contractu sit postterior, *l. Quoties 15. Cod. De rei vindicat.*

Præterea causa possessoria dicitur momentanea & summaria, nec à sententia super ea lara admittitur appellatio, saltem ad impediendum effectum executionis, *l. 1. Cod. Si de momentanea possess. &c.* Nec publicatio testium productorum in causa possessoria impedit eorumdem productorem in petitoria, etiam super iisdem vel directe contrariis articulis, *DD. in c. Veniens inf. De testibus*. Denique, ut alias differentias omittam, exceptio rei judicatæ ex alterutra causa alteri non obest, quo minus qui de una egit, altera experiat, *d. l. Et an eandem.*



inter personas agitur Ecclesiasticas, vel à laico persona conuenitur Ecclesiastica. Probatum ex *c. Cum sit generale* 8. *sup. De foro compet.* ubi dicitur in favorem Ecclesiæ esse introductum, ut locorum venerabilium Rectores malefactores suos possint sub quo maluerint Iudice conuenire, eò quod sæculares Iudices in exhibenda iustitia personis Ecclesiasticis sæpè in iudicio sint remisli. Probatum secundo ex Clement. 1. *De causa poss.* & *propriet.* Clement. 1. *De sequestrat. poss.* ubi habetur, tam possessionum quam petitorum causæ Ecclesiasticæ tractandum esse apud Sedem Apostolicam. Et denique ex *c. 2. sup. De iudiciis*: Ubi dicitur negotia Ecclesiastica, & maxime spiritualia, à laicis tractanda non esse. Ratio est, quia Iudex laicus nullam in Clericis jurisdictionem habet, *c. 1. & 2. sup. De foro compet.* Et ideo licet de re temporali agatur, & non de persona: Tamen, quia cum persona Ecclesiastica est agendum; illa non ad laicum, sed ad Ecclesiasticum trahi debet, cum is solus in eam imperium & jurisdictionem (quæ sine modica coercitione nulla est, l. 1. *D. de jurisdictione, om. iud.*) habeat, & solus eam compellere possit ad comparandum in iudicio.

Non obstat, *d. c. 7. Qui filij sint legitimi*: Quia loquitur de rebus temporalibus & possessionibus laicorum.

Ex *d. can. Petimus*: Illud solum colligimus, personam Ecclesiasticam posse subsidium & opem Iudicis implorare sæcularis pro recuperatione vel defensione rei suæ. At vero in *d. c. ult.* causa agebatur inter Ecclesiasticam personam, & sæcularem, & Ecclesiastica ad iudicium trahebatur sæcularem; ideoque ejus forum sequi oportuit.

4. Cæterum, his non obstantibus, priorem sententiam testatur esse communem Boerius *Decis. 60. n. 23.* eamque communis iudiciorum usus approbat, & amplectitur. Adedque, & cum Iudicis Ecclesiastici exclusionem, de istis possessionis, etiam rerum spiritualium cognoscit Brabantæ Concilium, & quæstio in possessione suspendit petitorium, nisi in petitorio fuerit contestata lis coram Iudice Ecclesiastico. Quinimò teste Zypeo lib. 1. *De jure Pont. novo* h. t. etiam quæstiones adipiscendæ possessionis recipit & deciderit, cum tamen per Concordata Brabantæ interdictum adipiscen-

dæ Iudici spirituali relinquatur. Et merito, cum iudicium possessionum retinendæ ac recuperandæ possessionis sit temporale, & infacto potius, quam in jure consistat: At verò in adipiscenda possessione nihil est facti, sed solum disquisitio juris, cum sine jure & titulo possessionis beneficii acquiri non possit, de quo jure, cum sit spirituale, laicus cognoscere nequit. Ant. Faber. in *Cod. suo. lib. 3. tit. 7. Defin.* 1. post Guidonem Papæ, q. 1.

5. Porro, quamvis ita distinctæ sint possessionis & proprietatis causæ, prout antè diximus tamen utraque coram uno eodemque Iudice proponi, cognosci & ab eodem terminari debet, *c. 1. h. t.* & Iudex simpliciter ad causum delegatus, de utraque cognoscere & judicare: Idque nec connexas, quam ad se mutuo habent (cum ratione subiecti, quia circa eandem rem versantur, tum ratione facilioris cognitionis & decisionis, quia qui cognovit de possessione, facilius cognosceret & decideret de proprietate) dividatur. Nulli *Cod. De iudiciis, c. 1. inf. De sequestratione*. Quod tamen ita intelligendum, nisi litigantes sint diversi fori (ne obstat, *cap. ult. sup. De iudiciis*, ubi dicitur, quod actor, qui obtinuit in possessione coram Iudice rei, non teneatur coram eodem respondere in petitorio) & modo Iudex utriusque causæ cognitionem habeat; quia exempli gratià in causa beneficii possessionum coram Iudice laico institutum non trahit ad eundem, causam beneficii petitoriam, cum Iudex laicus de ea cognoscere nequeat.

#### §. IV.

An causa Possessionis & Proprietatis possint cumulari.

1. Videtur cumulari non posse.
2. Sententia contraria probatur.
3. Quæritur de cumulando possessione retinenda cum petitorio.
4. Probatum etiam illius cumulatio.
5. Respondetur contrariis.
6. Quomodo de utraque pronuntiari debeat Iudex.
7. 8. Actorem suspensum petitorio, posse experiri possessionem.

Illud



1. Illud verò quæsitum in hoc Tit. fuit, an causa possessionis & proprietatis possint coincidere & simul tractari, nimirum an unus & idem actor adversus eundem possit agere possessorio & petitorio simul, ejusdem rei nomine? Videri poterat, quod non, sed prius ex- perendum possessorio, & eoque absoluto de- mum agendum esse petitorio, siue agatur pos- sessorio adipiscendæ, siue retinendæ, *per lib. In- terii 3. Cod. De Interdictis*, ubi dicitur, oratâ pro- prietatis & possessionis lite, prius possessionis decidi oportere quæstionem; ut ex hoc ordine factò, de domini disceptatione proba- tiones ab eo, qui de possessione victus est, exigantur. Secundò, *per l. Ordinarii 13. Cod. De reivindicat.* ubi dicitur, ordinarii juris esse, ut de possessione judicetur, & tunc de- mum proprietatis causa ab eodem Judice de- cidatur. Cum enim hæc leges non distinguant, quo possessorio agatur, videntur intelligendæ de omni possessorio, juxta illud vulgatum. U- bi lex non distinguit, nec nos distinguere debe- mus. Et quod in possessorio recuperandæ pos- sessionis prius agendum sit de possessione, quàm de proprietate, probari videtur *per lib. Si de vi 37. D. De judiciis, l. Qui cætu 5 § si de vi D. Ad leg. Juliam de vi publica, juncta l. 1. Cod. De appel- lat. & per §. retinenda possessionis Instituit. De in- terdictis*. Ubi dicitur, non posse petitoriam acti- onem, id est actionem de proprietate institui, nisi antè exploratum sit, utrius eorum sit pos- sessio. Accedit regula juris, quæ habet, quod cum alicui competunt plures actiones, ejusdem rei nomine, unam aliquam actionem eligere oporteat & una tantum modò experiri, *l. Nemo 43. § quoties D. De R. l.*

2. Nihilominus tamen rectè cumulari ut- tramque hanc causam, possessionis & proprie- tatis, ab eodem adversus eundem, in eodem judicio, siue coram eodem iudice, probatur ex *cap. Cum Ecclesia 3. cap. Cum super 4. cap. Cum dilectus 6. hoc tit. l. Cum fundum 18. D. de vi & vi armata*; ubi pendeute rei vindicatione seu petitorio judicio, respondet Jurisc. Nihilomi- nus rectè agi interdicto. Et in *l. Naturaliter 12. D. de acquir. vel amitt. possess.* ait, non denegari interdictum uti possidetis ei, qui cœpit vindi- care.

Ratio hujus est, quia hoc pacto minuun-

tur lites, & ex duabus fit una: Ad quod Juris- consulto omninò adloborandum est, *l. Prope- randum 13. C. De judiciis, & Instituit. De pœna temerè litigant in princ.*

Et hoc quidem communiter receptum est, quando actor ultro & sponte sua suscepit in se onus probandi simul & possessionem & do- minium; idque non modo, quando agitur possessorio adipiscendæ vel recuperandæ, sed etiam quando agitur possessorio retinendæ, respectu diversarum possessionum: Veluti si agam rei vindicatione adversus possessorem, ratione naturalis possessionis, quæ penes eum est, & simul interdicto retinendæ agam ad- versus eundem, ratione civilis possessionis, quam penes me esse contendo: Tum quia id va- let ad expediendas lites, tum quia nulla hic est contrarietas.

3. Verum admodum controvertitur inter Interpp. an etiam possessorium retinendæ pos- sessionis cumulari possit cum petitorio, res- pectu ejusdem possessionis, v. g. naturalis? Non posse, ex eo probari videtur, quod inter se pugnare hæc videantur: Nam qui agit pos- sessorio retinendæ, contendit se possidere, & retinere velle possessionem, quam habet, ac proinde adversarium non possidere: Qui verò agit petitorio, tacitè saltem videtur fateri, se non possidere, sed adversarium, quia ei, qui possidet, non datur actio in rem, sed ei, qui non possidet, § *quod genus Actionis Instituit. De a- ctionibus*. Et idè qui petitorio judicio utitur, inquit Cyprianus Jurisc. in *l. Qui petitorio 36. D. De reivindicat.* ne frustra experietur, inquirere de- bet, an is, cum quo instituit actionem, posse- sor sit, nec ne. Atque ita possessorium retinen- dæ cum petitorio accumulans, videtur contra- ria seu contradictoria allegare, nempe se possi- dere, & non possidere; idèque non est audien- dus, *l. Vbi pugnancia 188 D. de reg. jur. & similibus* ita Bart & alij ad *d. l. Naturaliter*.

4. Contrarium tamen apparet verius, ex *d. l. Naturaliter*; ubi dicitur, non denegari inter- dictum. Uti possidetis ei, qui cœpit rem vin- dicare, quia non videatur possessioni renun- tiasse, qui rem vindicavit, ubi quia non distinguitur, indicatur eum, qui rei vin- dicatione agit, neque civili naturali pos- sessioni renuntiare. Nec, verum est, agen- tem



tem possessorio retinendæ & simul petitorio contraria allegare, nempe se naturaliter possidere, & non possidere naturaliter: Nam agens possessorio retinendæ contendit quidem se possidere, & per consequens adversarium suum non possidere. Dum verò simul agit petitorio, seu simul rem viadicat, tunc ne tacite quidem fateatur adversarium suum possidere, quia rei vindicatio datur, etiam adversus eum, qui neque naturaliter neque civiliter possidet, sed derinet tantum: Veluti adversus depositarium & commodatarium, utpote qui habent facultatem rei restituendæ, l. Officium 9. in fine D. De rei vindicant.

5. Non obstant in contrarium allata, quia obtinent illa, quando uterque litigantium & de possessione & de proprietate contendit, ita ut neuter eorum onus probandi dominium velit suscipere in se, sed in alterum rejicere (prout actor prudens non facile suscipit, quia difficilis probatio est dominij). Ad probationem 21 Cod. De probat. nam tunc, quia sciri non potest, uter litigantium probare debeat priusquam exploratum sit, veritas sit possessio, eo quod is demum in petitorio, si obtinere eo iudicio velit, teneatur probare dominium, quia causa cecidit in possessorio, l. Exitus 3 §. D. De acquir. possess. ideo eo casu prius debet decidi possessorium, quam petitorium. At verò cum quis ab initio suscipit in se probationem possessionis & dominij, cessat illa incertitudo seu ratio: Et proinde æquitas postulat, ut utrumque simul eodem iudicio expediatur, ut tanto citius lites dirimantur & diminuantur; præsertim cum petitorium & possessorium tendant ad diversa, nempe possessorium ad possessionem & petitorium ad proprietatem.

6. Suscepta igitur per actorem possessionis & proprietatis probatione, si utrumque probet, potest iudex vel de utroque simul sententiam ferre; Ita tamen, ut in pronuntiatione præmittat possessionem, in executione verò proprietatem, cap. 1. ca. Cum dilectus hoc sit. vel prius probationibus de possessione examinatis de possessione tantum pronuntiare, cap. 2. h. t. Alioquin quando agitur petitorio simul & possessorio, non posse iudicem à principio admittere probationes super possessorio dumtaxat, tradit Abbas in d. c. 2. num. 2. Si autem actor, utriusque

probatione suscepta possessionem quidem probaverit, sed non dominium, iudex ei adjudicabit possessionem, non verò dominium, etiam Ecclesia h. t.

7. Sed quid, si ab initio tantum actum sit de proprietate, ac desuper contestata lis, & producta aliquo usque, fortè usque ad probationem, licebitne actori (si fortè videat se non facile posse probare dominium, confidat verò se facile probaturum possessionem) intentare possessorium suspensio petitorio? Videri poterat, non licet, quia post litem contestatam non potest mutari libellus, l. Edicta 3 Cod. De edendo: Tum quia petitorium ab initio propositum videtur prius ad finem deducendum, quam possit ad aliud procedi, quia qui semel aliquam actionem proposuit, necesse habet usque ad finem, litem exercere, Auth. Qui semel Cod. Quomodo & quando iudex, etc. Nihilominus responderi potest in c. Pastoralis hoc tit. cum, qui ab initio egit de proprietate, posse usque ad conclusionem in causa, suspensio iudicio petitorio, intentare & accumulare possessorium adipiscendæ vel recuperandæ (idem esto iudicium de possessione retinendæ, licet aliqui aliter sentiant; quia, ut ante diximus, agendo petitorio non censetur renuntiasse possessorio, quando quidem nihil commune habeat proprietatis cum possessione. Nec hic mutatur libellus, sed ei aliquid superadditur: Nempe possessorium.

8. Non obstat d. Auth. qui semel, quia hic petitorium non suspenditur, tergiversandi causa, quod d. Auth. vetatur, sed ex iusta causa, ne scilicet actor, deficiens in probatione dominij, omnino cadat causa, sed probans possessionem saltem obtineat in possessorio: Post conclusionem autem in causa non potest, nisi subsisteret causa.

### TITULUS XIII.

## De restitutione spoliatorum.

### §. 1.

Remedium hoc quando & cui competit.

1. Comperit hoc remedium obreptionem verum immobilium.

2. Cui



2. Cui & adversus quem competat.

3. In quo differat ab interdicto retinenda possessionis.

**T**Ametsi in præcedentem Titulum incurrant ferè omnia, quæ in Pandectis & Cod. de variis interdictorum generibus & eorum usu proponuntur: Tamen ei rectè subicitur specialiter hic Tit. De Restitutione spoliatorum, seu de interdicto recuperandæ possessionis, tamquam qui specialem requirat tractatum, eò quod plurima ab aliis diversa contineat, & ex atrocitate facinoris descendat, l. 1. §. hoc interdictum D. De vi & vi armata. Unde in Institutionibus & Cod. vocatur Interdictum unde vi, à primis edicti verbis, unde tu illum vi deiecasti: In Pandectis verò inscribitur Tit. De vi & vi armata, veluti à causa efficiente: Quia non nisi ei competit, qui vel vi simpliciter, vel vi armata deiectus est de possessione\* 1. rerum scilicet immobilium, ut fundi, vel ædium Subaudiendum verò est, vel quasi possessione: quia jura incorporalia, veluti servitutes, redditus, beneficia, pensiones, jurisdictiones & similia, rebus immobilibus comparantur; & tamen non propriè possidentur, sed quasi possidentur, & ideo, si quis vi prohibeatur uti servitute aut jurisdictione sua, dabitur ei hoc interdictum. Unde vi, c. Olim inter 17. a. Risanis 19. h. t. & similiter si beneficio suo Ecclesiastico vi privetur, cap. 2. §. 7. h. t. Baldus Conf. 42. §. vol. 3.

2. Dixi rerum immobilium. I. Prætor an §. & generaliter §. illud D. de vi & vi armata: quia ei, cui res mobilis erepta est, non competit ali-quod interdictum possessoriū recuperandæ possessionis, sed actio vi bonorum raptorum, vel fructi, vel ad exhibendum, d. l. 1. §. illud. Quamvis, si res ejusmodi fuerit in fundo vel ædibus, unde quis deiectus est, atque ita eam amiserit, etiam ejus nomine, saltem accessorie, licet non principaliter hoc interdictum competat: d. l. 1. in princ. §. illud 6. vers. si plant. l. si quando 9. C. Unde vi, Alex. in l. vindicatio 56. De rei vindicatis.

3. Datur autem hoc interdictum ei, qui vi deiectus est, sive fuerit dominus rei, sive non; veluti si sit usufructuarius, l. 3. §. fin D. De vi & vi armata: Modò tamen rem verè possederit, cum fuit deiectus, d. l. 1. §. interdictum autem hoc

23. c. Consultationibus 10. sup. De officio delegati, sive naturaliter sive civiliter, d. l. 1. §. deiecitur 9. sive iustè sive iniustè possideret. Item hæredi ac cæteris ejus successoribus competit, d. l. 1. §. hoc interdictum 44. non quidem adversus quemlibet possessorem aut tertium aliquem qui non spoliaverit, & eandem rem possidere competit, l. Cum are 7. D. d. tit. sed adversus eum, qui per se vel per alium deiecit, vel dejici mandavit (modò factum fuerit subsecutum, quia, ut dixi, ex facti atrocitate descendit) vel etiam dejectionem ratam habuit, d. l. 1. §. deiecitur 12. juncto sed etsi 14. aut accedere prohibuit.

4. Differt verò hoc interdictum ab interdicto retinendæ possessionis, quod detur deiecto per vim adversus dejectorem, licet deiectus vi-tiosè vi vel clam vel precario, ab ipsomet dejectore, adversario suo, possederit, l. sed etsi vi 14. d. eod. Idque in odium ejus, qui postèrius vi deiecit: Et proinde non habet hic locum regala juris, quod rei sint favorabiles, quàm actores, quodque in pari causa potior sit conditio possidentis. Hoc tamen limitandum est, nisi vi deiectus incontinenti deicientem iterum deiciat, c. Olim causam 12. b. t. quia vim vi repellere licet, modò non fiat ex intervallo, hoc est modo fiat, priusquam ad alios actus extraneos progressum sit, etiam si aliquid temporis interce-sserit.

## §. II.

## De alio remedio recuperandæ possessionis.

1. Interdictum unde vi adversus quem competit
2. Remedium ex c. Sæpè 18. h. t. competit adversus quemlibet possessorem.
3. Modo sciens possideat iniuste.
4. Licet scientia superveniat demùm acceptare.

**Q**uia per interdictum unde vi, de quo jam dictum, non satis consulitur spoliatis, ex quo illud datur dumtaxat adversus eum, qui per se vel per alium deiecit, vel dejici mandavit, vel dejectionem ratam habuit, aut accedere prohibuit, non autem adversus alium, ne quidem hæredem aut successorem universalem (nisi quod in hos, quatenus ad eos pervenit, competit actio in factum, d. l. 1. §. ult. Abbas & DD. plenè in cap. Quia col. 5. de iudiciis) nec in singularem

X

larem



larem successorem, Maranta 4. p. *Distin.* 7. *nn.* 26. ne quidem quatenus ad eum pervenit, sive iusto titulo & bona fide, sive absque titulo & mala fide possideat rem, cujus possessione dejectus est; & durum admodum esset, adversus huiusmodi possessorem non competere nisi rei vindicationem, ad quam instituendam actori incumbit probare dominium, quod sæpè probatum est difficile. Idem Innoc. *in c. Sæpè contingit*, 18. *h. t.* introduxit aliud remedium recuperandæ possessionis, simile interdicto. Unde vi: Quo actor agere potest ad recuperandam possessionem, adversus quemlibet possessorem, spoliationis conscius, sive is rem immediatè a spoliatore acceperit, sive mediatè, etiam à possessore bonæ fidei intermedio; ea ratione, quod non multum interfit quoad periculum animæ, an quis iustè in vas hereticum, an sciens iniustè possideat: Quandoquidem vitium dejectionis seu spoliationis non purgetur, nisi res reversa sit in potestatem possessoris, qui dejectus est, vel domini, si is dominus sit: Adeo ut si verus dominus possessorem deiciat, non purget hoc vitium, imò interdicto *unde vi* directo teneatur, *l. Sequitur* 4. §. *si tu me vi cum* §. *seq. D. De usurariis*.

3. dixi non interesse multum, an sciens iniustè possideat; quia hoc remedium non competit adversus eum, qui rem possidet, ignorans eam vi invasam; hoc enim casu cessat periculum animæ seu peccati, quod sine scientia non committitur. Et ideo actori incumbit probatio clara & specifica scientia huiusmodi; nam aliàs generaliter ignorantia præsumitur, & objecta scientia probari debet, *l. Verius D. De probat.* Quamquam stante ignorantia spoliationis huic remedio possessori locus esse possit, eo casu, quo quis vacuum seu vacantem possessionem ingreditur, maxime ex qua alius dejectus est: Nam uti ad eum casum Justinianus, *in l. b. ult. Cod. Unde vi* ex: endit usum interdicti *Unde vi*, etiam si illi verba edicti non quadrent; ita verius est & hunc casum hoc remedio, quod ad exemplum interdicti *Unde vi* introductum est, comprehendere.

4. Cæterum à plerisque dubitatur, an hoc remedium competat adversus eum, qui bona fide rem à spoliatore accepit, & demum, eam acceptam, vitio violentiæ laborare cognoscit? Et communius obtinuit, supervenientem scientiam

perinde atque eam, quæ ab initio fuit, singulam successori nocere, cum verum sit, eam rem tenenter detineri iniustè, & iniustam detentionem invasioni æquiparet Pontifex: Nec minus subsit hic periculum animæ; quam cum ab initio novit vi ablatam. Idque obtinet, sive titulo locrativo sive oneroso successerit; sive solvendo sit, sive non primus spoliator: Quia hic Pont. non tam spectat causam acquisitionis, quam modum, hoc est scientiam acquirentis & recipientis ac detinentis iniustè, seu periculum animæ.

## § III.

## De tertio remedio recuperandæ possessionis.

1. *Remedium redintegrandæ possessionis cui datur & adversus quem.*
2. *Simile actioni quod metus causâ.*

**E**st & tertium remedium recuperandæ possessionis, quod à Pragmaticis appellatur remedium redintegrandæ ex *can. Redintegranda* 111. *g. 1.* quod quia latissimè patet & plenissimum est atque utilius inter omnia possessionis remedia, & cum omnibus aliis remediis concurrat, Maranta 4. p. *Distin.* 7. *n. 58.* hodie in frequentissimo est usu.

1. Datur enim ei sive is Clericus fuerit sive Ecclesia, sive laicus, qui de re aliqua, etiam mobili, vi deiectus est, vel cui aliàs quovis modo sine iusta causa ablata res est, Maranta *d. num. 58.* absque ulla temporis præfinitione, adversus quemlibet possessorem, quamvis is ple non spoliaverit, nec etiam spoliationis sit conscius, sed bonæ fidei possessor, *d. can. Redintegranda, & ibi Glossa*; & sive cum vitio seu absque vitio, sive cum titulo seu absque titulo ad eum res pervenerit, Maranta *d. loco*: 2. Quia hoc remedium est in rem scriptum, sicut & actio quod metus causâ, quæ coercet non tantum personam vim facientis, sed datur etiam adversus omnes eos, ad quos res pervenit, *l. Metus §. ult. D. De eo quod metus causâ*. Eoque uti potest etiam colonus & inquilinus, si de detentione sua fuerit per vim deiectus, etiam adversus quemlibet possessorem.



## §. IV.

## Quo pacto facienda sit restitutio spoliatio.

1. Spoliatus ante omnia restituendus.

2. Exceptio ab hac regula.

3. Restitui debet res cum sua causa.

4. Quid probare debeat actor in hoc iudicio.

**T** Raditur quoque in hoc Tit hac regula, quod in iudicio spoliationis seu possessorio recuperandæ possessionis spoliatus, licet prædo sit, ante omnia sit restituendus, *can. Delator s. b. tit. adeo*, ut, quamvis alias regulariter reus non condemnatur, nisi prius auditus in suis exceptionibus, *lib. 1. Cod. De probat. tamen spoliator, conventus à dejecto seu spoliato, ne in suis quidem exceptionibus (veluti si actori objiciat aliquod crimen, vel quod vi aut etiam possederit, c. Cum quis h. t. aut si agatur de beneficio, quod non sit canonicè institutus, d. cap. in Litteris) audiat nec cogatur respondere reus ad objecta, priusquam adversarius restituerit, quod vi ablatum est, cap. Congruentia in fine h. t. l. 1. Cod. Si per vim vel alio modo etc. ibi sine ulla cunctatione restituatur, l. Si quis 7. ibi, eademque proximus restituta Cod. Ad Leg. Juliam de vi publ. vel privata: Licet de dominio excipiat, id est, dicat se esse dominum rei, de cuius possessione actorem deiecit, cap. 1. h. tit. xap. Frequens eod. in 6. imò licet in contradictionem illud probare velit, nisi spoliatus constiterit, Patormit. in d. cap. 1. Secus atque in interdicto adipiscendæ & retinendæ, ubi exceptio domini, maxime si incontinenti probari possit, obstat agenti. Idque singulare est in hoc iudicio spoliationis, in odium violenti spoliatoris, l. Si quis instantiam Cod. Unde vi, cap. Eum qui de præbendis in 6. Menoch De recuperanda poss. remed. 1. quest. 1. num. 38. qui licet forte jus aliquod vel etiam dominium in rehabuerit, non tamen debuit rem propriam actione auferre; sed iudicio experiri oportuit, non vim facere, nec ex delicto suo commodum reportare, *central. Auxilium 38. D. De minoribus*: Et ideo ne temporis momento res penes spoliantem esse debet, l. unica Cod. Si de moment. poss. etc. Nec habet hic locum regula iuris, quod dolo faciat, qui petit, quod est restitutus, l. Dolo D. De doli mali excepti prout habet in interdicto adipiscendæ &*

retinendæ possessionis.

2. Sunt tamen casus aliqui, quibus spoliatus non est ante omnia restituendus veluti si spoliatus beneficio Ecclesiastico, ante spoliationem beneficio suo spontè renuntiaverit, *can. Accepta 3. h. t.* Alioqui si post spoliationem renuntiaverit, restituendus erit, quia præsumitur renuntasse, nisi actor contrarium probet, *c. Sollicitè 2. h. t.* Similiter si agenti possessorio recuperandæ uxoris, vel recuperandi mariti, objiciatur consanguinitas vel affinitas in gradu, jure divino aut Canonico prohibito ad contrahendum matrimonium, si promptè & incontinenti probari potest, recepto ab opponente juramento de malitia, negabitur restitutio quoad thorum, & prius cognoscetur de consanguinitate vel affinitate, *c. Litteras h. t.* idque ob animæ periculum. Pari modo, si marito agenti possessorio recuperandæ uxoris, objiciatur magna in uxorem sævitia, prius cognoscendum erit de mariti sævitia, quam uxor restituatur, *c. Ex transmissa 8. h. t.* Et sic de aliis quibusdam casibus.

3. Restituere autem debet spoliator rem cum omni causa, id est cum omnibus fructibus, quos percepit, aut percipere potuit à die, quo vi actorem deiecit, ceterasque utilitates, *c. Graviss 11. h. t. l. 1. §. eum qui § non solum D. de vi & vi armata l. Qui restituere D. De rei vindicac. nam æquum est, ut spoliatus tantum consequatur, quanti ejus interest. Et ideo quæcumque habiturus vel assecutus erat, si non fuisset spoliatus, ei restitui debent, vel illa ipsa, vel saltem eorum æstimatio, d. l. 1. §. quod autem & l. penult. D. De vi & vi armata.*

4. Ut tamen actor hanc restitutionem obtineat, si agat interdicto Unde vi, probare debet; primò se possedisse tempore spoliationis. Secundò, se de possessione fuisse dejectum, & quidem ab adversario, in quem agit, vel ab alio, ejus nomine, vel saltem cum spoliationem ab alio factam, ratam habuisse. Si verò agere velit remedio recuperandæ possessionis, per cap. Sape introducto, sufficit probare, se possedisse, ac spoliatum fuisse, & possessorem rei conscium esse spoliationis, quia Pont. per d. cap. Sape constituit, ut non tantum spoliator, ejusve hæres, sed etiam singularis luciflor, non tantum primus, sed quilibet, etiam centesimus, ex Abb. & aliorum sententia, qui



scienter receperit rem, virtute *d. c. Sapd* conveniri possit.

5. Quod si verò alterum prædictorum probare nequeat, cadit causâ. Hinc qui mulierem aliquam absque sponsalibus vel invalidis domum suam traduxerat, quasi suam uxorem, agens tanquam spoliatus, quia ea ab eo discessisset, cecidit causâ, *c. Ex parte 14. h. t.* nam per solam traditionem, absque sponsalibus validis præcedentibus vel subsequentibus, non potuit cum ea contrahere aliquod vinculum obligatorium, nec accipere possessionem mulieris, tanquam uxoris suæ, *d. c. Ex parte*. Ideoque ut mulier viro restituatur, probare debet, sibi desponsatam, & à se cognitam fuisse, *c. Ex transmissa 8. h. t.* & insuper cavere debet de impunitate: Nisi tanto odio mulierem prosequatur, ut merito de ipso diffidat, nam tunc alicui probæ & honestæ mulieri usque ad decisionem causæ uxor custodienda committi debet, in loco, ubi vir vel parentes ejus mulieri nullam possint vim inferre, *d. c. Ex transmissa*. Si denique spoliatus agere velit ex *d. can. Redintegranda*, tantum probare debet, se possedissee & spoliatum fuisse.

### §. V.

Quis dicatur hic spoliatus.

1. *Spoliatus etiam à iudice extrajudicialiter quis dicitur.*
2. *Requisita ad hoc, ut quis privetur beneficio.*

**I**llud postremò notandum, spoliatum dici hoc loco, qui è cujuscumque rei, sive mobilis sive immobilis corporalis sive incorporalis, possessione vel quasi possessione, injustè vel indebitè, ejectus aut eâ privatus est.

1. Idèdque si iudex, prætermissis juris ordine, id est extrajudicialiter vel alias absque causæ cognitione, aliquem possessione rei suæ, veluti beneficii aut alterius spoliaverit aut privaverit, is ante omnia, perinde atque si à privato spoliatus esset, plenè restitui debet, *c. Conquirentes h. tit.* Neque enim Iudici, sub fiducia Magistratus, id est ut est Iudex, magis quàm ut est privatus, quidquam contra jus facere permittitur, *l. Nec Magistratibus D. De judiciis*. ne inde nascatur occasio injuriarum, unde jura descendunt, *l. Minuerunt Cod. Unde vi*: Usque ad eò, ut

iudici, sic de facto injuriosè procedenti, de facto quoque resistere liceat, *l. Prohibuit Cod. De jure Fisci lib 10*, etiam si rescripto delegatorio inserta esset clausula, Contradictores compescendo, *Lud. Com. Consil. 482.*

2. Et propterea ut quis jure privetur beneficio suo, tria concurrere debent; primò gravis & rationalis causa, quæ per se mereatur privationem, *can. Inventum xvi. quæst 1. cap. 1. ibi Glos. De capellu Monachorum in 6.* Secundò, causa hæc debet esse manifesta seu notoria, *can. Nec in quemquam 2. q. 1.* Neque enim creditur Iudici, etiam Episcopo, asserenti aliquem criminofum esse, sed oportet quod manifestè constet, *can. Sitantum & can. Placuit vi. q. 2.* Tertiò, quod privetur in judicio seu juris ordine servato, *d. c. Conquirentes 7. h. t.*

## TITULUS XIV.

### De Dolo & Contumacia

1. *Dolus duplex, bonus & malus.*
2. *Contumacia qua sit.*
3. *Quis contumax.*
4. *Pæna contumacium.*

**T**itulus hic præcedendi idèd subiungitur, quia spoliatus quandoque dolo vel contumacia rei restitutionem consequi non potest.

1. Est autem Dolus duplex, scilicet bonus & malus. Bonus, veluti hostibus parere in fidiâ *l. 1. D. De dolo*. Dolus malus definitur omnis calliditas, fallacia, machinatio, ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita, *d. l. 1. §. 1.* ubi exempla ponuntur. Agitur hic de dolo malo, non simpliciter, sed quatenus contumaciæ adheret.

2. Contumacia verò est inobedientia erga Judicem, Prælatum vel alium superiorem, *secundùm Hostien, in Summa h. t.* Significat enim Contumacia inobedientiam, & propriè contemptum potiorum; licet aliquando accipiat in bonam partem, ut apud Cicer. 1. Tuscul. Adhibuitque liberam contumaciam, à magnitudine animi inductam, non à superbia.

3. Itaque contumax litigator hic censetur, qui



trius edictis, vel uno pro tribus, quod vulgò peremptorium appellatur, evocatus, & nulla iusta causa impeditus, præsentiam sui facere convenit, l. Contumacia § 3. D. de re iudicata; vel si compareat, iudicis dicto obtemperare recusat, l. iura D. Si quis ius dicenti &c. vel absque iudicis licentia recedit, c. Causam hoc tit.

Dixi, nullâ iusta causa impeditus; quia si ob adversam valetudinem vel aliam iustam causam non compareat, vel non obsequatur, poenam contumacis non patitur, d. l. Contumacia versic. poenam cum seq.

4. Contumacia autem litigatorum variè coercetur, nunc litis damno, d. l. Contumacia; nunc, multa; à iudice inflicta, l. 2. D. Si quis ius vocatus &c. DD. in l. Omnibus D. Si quis ius dicenti &c. (quæ duæ poenæ tantum locum habent in vero contumace, juxta DD. in d. l. Omnibus §. fin. Maranta d. t. De contumacia n. 9.) nunc condemnatione in expensas, c. Cum dilecti h. tit. vel aliter, secundum iudicis arbitrium, si non sit solvendo, cap. Finem litibus h. t. Interdum ad iudicium in virtus ducitur, l. Consensaneum Cod. quomodo & quando Iudex &c. Subinde rei sequestratione punitur, cap. Ex litteris h. t. Interdum excommunicatione afficitur, c. Tua frater mita sup. ut lite non contestata &c. Glossa in cap. Aliter h. t. in 6. & in c. Constitutionem 9. De sententia excommunicat. in 6. nisi quod hodie ad poenam excommunicationis non deveniatur, quando potest adversus eum fieri realis aut personalis executio. Vide Conc. Trid. Sess. 24. cap. 3. De reformat. Aliquando etiam missionem in bonorum possessionem patitur, iis scilicet casibus in quibus ea locum habere potest, ut latius ad Tit. seq. explicabitur.

2. Post annum constituitur verus rei possessor, etiam citra decretum in actione reali.
3. In actione personali non nisi ex secundo decreto.
4. Reo contumace, postquam contestata lis est, iudex procedet ad sententiam definitivam, si constet de causa veritate.
5. Si minus, ad iudicabit auctori possessionem.
6. Missio in possessionem locum non habet in beneficiis.
7. De auctore contumace.

**D**iximus Tit. præcedenti, auctorem aliquando ob contumaciam rei mitti in possessionem bonorum seu rei petite: hic docetur, quid juris auctor ex hac missione consequatur.

1. Quod ut melius intelligatur, diligenter attendendum est, utrum reus, ante litem contestatam contumax, reali an personali actione conveniatur, & an suo an alieno nomine possideat rem. Nam si in rem actione conveniatur, & rem petitam suo nomine possideat, sitque contumax ante litem contestatam, actor, custodiæ causa mittitur ex primo decreto in possessionem rei, juxta modum & mensuram petiti & in libello declarari debiti, c. Quoniam §. in alio sup. ut lite non contestata &c. ut hac ratione ratio affectus veniat responsurus reus. Quod si intra annum venerit, præstita cautione iudicio fisti, & exhibita satisfactio congrua pro refusione expensarum, possessionem recuperabit.

2. Alioquin si intra annum à die missionis, cautionem huiusmodi dare neglexerit (nisi per reum non steterit, quo minus data sit, sed per ipsum forte iudicem: tunc enim non labitur reo anni spatium, intra quod eum cave-re oportet, cap. 2. hoc tit.) actor statim, id est absque alio iudicis decreto, verus constituitur rei possessor, & fructus facit suos, parti adversæ super proprietate dumtaxat defensione legitima reservata, d. c. Quoniam §. in alio. &c. §. 1. & 2. h. t. Imò etiam, petente auctore, potest procedi ad rei petite venditionem, si constet summarie de debito, potest ea adiudicari auctori in solutum, pro modo petiti debiti; l. Cum proponas Cod. De bonis auctoris. Iudicis possid. Sin actione reali conveniatur quis alieno nomine possidens, prout conveniri potest, l. Officium 9. D. De rei vindicat. cum actor nominabit

## TITULUS XV.

## De eo, qui mittitur in possessionem, rei servandæ causâ.

1. Ob contumaciam rei ex primo decreto mittitur auctor in possessionem bonorum custodia causâ.



nabit dominum in iudicio; & si post insinuationem, eidem domino infra præscriptum à iudice terminum factam, ipse dominus per se vel per procuratorem non compareat, ac tribus edictis legitimè evocatus in eadem contumacia persistat, actor post summarium cognitionem mittetur in rei possessionem, absenti proprietatis quaestione reservata, d. c. *Quoniam* § in aliis.

3. In actione vero personali, si intra annum non compareat contumax reus, mittetur actor in bonorum possessionem primo mobilium, deinde immobilium, si mobilia non habeat, & postremo iurium, pro modo declarati debiti, *Auth. Et qui jurat Cod. De bonis auctoris iudicis possid.* (licet olim ex actione personali missio fieret in omnia bona, excepta causa damni infecti, l. 1. *D. Ex quibus causis in possessionem eatur*) aut excommunicabitur reus, si hoc meruerit protervitas ejus, id quod iudex arbitrabitur, d. c. *Quoniam* §. *fin.* & ibi Panormit. Intra annum vel etiam post annum veniens audietur, & possessionem recuperabit, juxta distinctionem antea allatam, nempe si promittat iudicio sisti, & offerat satisfactionem expensarum. Alioquin, lapsio anno, actor non quidem statim, id est absque decreto, sed decernente iudice; atque ita ex secundo decreto efficitur verus possessor, salva reo proprietatis causa, d. c. *Quoniam*.

Decreto iudicis hic propterea opus est, ad hoc ut actor veram rei possessionem consequatur, quia mittitur in possessionem rei non suæ, sed tantum sibi debita. At in reali mittitur in possessionem rei, quam contendit esse suam, & quæ propter contumaciam rei præsumitur esse actoris, ideoque ibi secundo decreto opus non est, Vide Welenb. ad tit. *D. De damno infecto*.

4. Quod si reus actione in rem conventus, post licentiam contestatam contumax fuerit, tum si diligenti adhibito examine, de controversiæ motæ veritate constet aut constare possit ex actis, puta quia testes recepti sint aut recipi possint, vel instrumenta exhibita, confessiones factæ, potest iudex, reo absente, ad sententiam definitivam procedere, vel reum absolvendo, si justam causam habuerit, vel condemnando, si noxius inventus fuerit, eamque executioni mandare, l. *Properandum* 13. §. *fin. autem reus* 3. *Cod. De iudiciis, cap. Prout* 4. *sup. De dolo & contumacia*.

Nec obstat, quod sententia contra absentem & indefensum lata sit nulla l. *De unoquoque* 47. *De re iudic* l. 1. *Cod. De sententiis & interlocut.* *om. iud.* quia id quidem verum est regulatim, sed excipitur hic casus, propter contumaciam rei absentis; & litigatoris absentia, inquit Imp. Dei præsentia repletur, d. l. *Properandum* §. *enim autem* 4. usque ad eod., ut ne quidem reus ob contumaciam absens condemnatus, postea veniens ac fideiussores offerens audiat, d. §. *fin. autem*; nisi forte contestim, & iudice adhuc pro tribunali sedente, venerit, l. *Dirus* 7. in princ. *D. De restitut. in integrum*. Sicut etiam non est audiendus, si à sententia condemnatoria appellare voluerit, quia de se queri debet, qui propter contumaciam suam condemnari meruerit, non debet de iudice nisi forte in exhibendo instrumento, quod exhibere iustus erat, contumax existit, l. *Creditor ultimo* §. *iustus* *D. De appellat.*

5. Si vero reo post licentiam contestatam contumace, non possit iudici constare ex actis de veritate causæ, ut quia actor nullos testes aut instrumenta produxerit, nec ulla confessio facta sit, tum non procedet ad sententiam definitivam, sed actori adjudicabitur veram rei possessionem, salva absenti proprietatis quaestione, d. c. *Prout in fine* & d. l. *Properandum* §. *fin. autem*. Quod si adjudicationi possessionis locus non fuerit, tum reus, etiam invitus, cogendus est, ut compareat, l. *Consensaneum circa form* & *Quomodo & quando iudex* *C. c.* Si actor, ob potentiam aut dolum rei contumacis, non possit possessionem sibi adjudicatam intra annum ingredi, vel acquisitam amiserit, nihilominus, ne contumax sit melioris conditionis, quam obediens, anno elapso efficitur verus possessor, c. *Contingit* §. *sup. De dolo & contumacia*; nisi cautionem præstiterit reus de stando iuri, c. 1. *sup. eod. tit.*

6. Ceterum missio hæc in possessionem bonorum locum habet, cum de rebus profanis disceptatur, non etiam cum de beneficiis, ut dignitatibus, personaribus vel beneficiis Ecclesiasticis; ut evitetur ingressus vitiosus ad beneficia, quæ obtineri sine canonica institutione non possunt. Ideoque in illis ob contumaciam rei causa diffinitur etiam lite non contestata, c. *unico end. in 6.* Idemque obtinet in causa matrimoniali, ubi alter conjugum ita abest, quod



quod peremptoriè citatus venire contemnat, aut malitiose se occultet, vel impe liat, ne ad se perveniat citatio, *c. fin. §. porro sup. Ut lite non contestata, &c.* Quibus autem casibus locus non est missioni in possessionem, reus ante litis contestationem contumax, ut iuri pareat, per Ecclesiasticam censuram compellendus est, *c. Tua fraternitatis sup. Ut lite non contestata &c.* Et hæc. nã de reo contumace.

7. Quod ad actorem attinet, si is constituto fibi tempore in iudicio non comparuerit, potest reus instare, ut in expensis condemnatur, *cap. 1. De dolo & contumacia in 6.* imò in omnia damnata, *Sanctimus Cod. De iudicio:* Nec citabitur ulterius reus ad ejus petitionem, nisi caverit de veniendo & comparando *d. c. 1 in 6.* Vel petere potest, ut actore legitimè citato & non comparente, ad probationem admittatur, & cognita negotii qualitate sententia feratur, etiam lite nondum contestata, *c. Causam sup. De dolo & contumacia* Secus atque in reo contumace, in quo ad sententiam non devenitur, nisi lite contestata: idque propter contumaciam actoris, quæ major est, quam rei, receptum est *Gloss. in d. c. causam:* nã actor agere non tenetur, *toto tit. Cod. Ut nemo inuitus agere vel accusare cogatur*, reus verò citatus necessarò comparere debet, *c. Veniens inf. De accusat.* Quod si de negotii qualitate commode constare non possit, reus à iudicii instantia & observatione relaxabitur, etque actor absens in expensis frustra factas condemnabitur, *d. c. De dolo & contumacia in 6.*

## TITULUS XVI.

## Ut lite pendente nihil innovetur.

1. Regula, Lite pendente nihil innovandum esse.
2. Lite pendere quomodo dicatur.

1. NE quis existimet, regulariter pendente lite posse aliquid innovari, quo statum causæ pendens immutetur in alterius præiudicium, ex eo, quia supradictum est, actorem ob rei absentis contumaciam posse mitti in possessionem bonorum: ideo hic subiicitur regula generalis in contrarium, nempe quod lite pen-

dente nihil sit innovandum, quo vel actoris vel rei persona, aut conditio, vel litis pendens qualitas statufve aliquo modo immutetur in præiudicium alterutrius: adeo ut lite pendente ne quidem Principi vel summo Pontifici supplicare liceat, sed rescripta, lite pendente impetrata, non facientia litis mentionem, tanquam subrepticia, viribus destituantur, *c. 1. §. fin. h. t.* quia præsumitur Princeps aut summus Pont. non fuisse concessurus, si intellexisset litem super ea rependere, *cap. Super litteris 20. sup. De rescriptis.* Hinc etiam actionem & rerum litigiosarum alienatio, pendente lite quovis titulo facta, est prohibita, & ipso iure irrita, *cap. 3. 4. h. t.* Imò is, qui recepit, non tantum cogitur eam rem confestim alienanti reddere, sed & amisso pretio tantumdem fisco præstare cogitur, si sciens rem litigiosam emerit, vel per aliam speciem contractus receperit: aliàs si nescierit rem litigiosam esse, pretium illius vel veteram æstimationem, ubi pretii datio non intervenit, una cum alia tertia parte ejusdem ab alienante recuperabit. Et, si res, lite pendente alienata, non possit recuperari, debet is, qui eam alienavit, aliam æquivalentem in locum illius surrogare, *d. cap. 3. & 4. hoc tit.*

2. Pendere autem lis dicitur hoc loco, non tantum, quando lis est contestata, sed simul atque reus ab actore in ius vocatus est, addita & clarè expressa causa, ob quam vocetur, *Clement. 2. hoc tit.* Litigiosa verò res dicitur, de cuius dominio causa movetur inter actorem & reum sive possessorem & petentem iudiciaria conventionione, *l. 1. juncta Auth. Litigiosa Cod. De litigiosis.* Et ideo controversia super possessione non facit rem litigiosam, *Glossa in cap. 1. inf. De confirmat. utili vel inuti.* Accusatus igitur adulterii, propter quod agitur ad divortium, id est ad separationem thori, non debet pendente lite ab uxore separari, seu privati possessione conjugali, *cap. 2. hoc tit.* quia litis pendencia non suspendit exercitium matrimonii, *Panormit. in c. 2. n. 4. inf. Qui filii sint legitimi.*

Similiter si ex duobus litigantibus super electione, de se in discordia facta, alter decedat, vel renuntiet, vel à prosecutione causæ excludatur, ad novam electionem, ante litem super electione alterius finitam, procedi non potest,



potest, *cap. i. eod. in 6.* Pari modo, altero ex litigantibus super beneficio Ecclesiastico cedente, vel decedente, non potest, ante finitam litem cum superstitite, beneficium alteri conferri, vel ad illud alius eligi aut presentari. Item quique ipso jure habetur, si quid secus factum fuerit, *c. 2. eod. in 6. Clement. 1. versic. si vero eod. tit.*

## TITULUS XVII.

## De Sequestrationibus possessionum &amp; fructuum.

1. *Sequester quis & unde dicatur.*
2. *Sequester à Deposito in quibus differat.*
3. *Sequestratio duplex, Voluntaria & Necessaria.*
4. *Et hac sit dupliciter: vel ex officio iudicis.*
5. *Vel ad petitionem partis; qua regulariter prohibita.*
6. *Causis tamen casibus permissa.*
7. *Potissimum ubi subest periculum dilapidationis v. linteritus rei.*
8. *Eam evitari per idoneam vel etiam juratoriam cautionem.*
9. *Adversus sequester datur actio depositi sequestraria.*

**A**D lite pendente nihil est innovandum, ut etiam sequestratio rei, de qua inter aliquos contenditur, prohibita sit lite pendente, *l. unica Cod. De sequestrat. pecunia prohibita, c. 1. versic. Coelestinus Papa h. t. c. 1. sup. Vt lite pendente &c. Fran. Curtius in Tract. de Sequestrat. nu. 6.*

1. Sequester, auctore Modestino l. C. dicitur, apud quem plures nempe, actor & reus, eandem rem, de qua controversia est, deposuerunt, *l. Sequester D. De verb. signif.* Ab eo dictus, quod occurrenti aut quasi sequenti eos, qui contendunt, res committatur. Itaque sequestrare possessionem & fructus, nihil aliud est, quam possessionem & fructus ex manibus & potestate rei & actoris deponere in manus ac custodiam tertii alicujus.

2. Differt verò inter cetera, Sequester à De-

posito, quod & plures, & unus dumtaxat apud depositarium deponere possint: apud sequester non nisi plures, *l. Licet deponere 17. D. de positi.* Secundò, res, de quibus nulla est controversia, custodiæ tantum causâ deponuntur: sequestrantur autem res, de quibus est controversia, *d. l. Licet deponere.* Tertiò, qui rem communem deponunt; singuli pro parte sua deponere censentur: qui verò apud sequester rem litigiosam deponunt, singuli in solidum deponunt, Quartò, qui deponit simpliciter, proprietatem & possessionem retinet, quia apud sequester communi consensu deponunt, possessionem amittunt, nisi auctoritate iudicis res sequestratur, invito possessore, *l. 3. D. de acquir. possess. aut inter eos expresse actum probetur, quod tantum custodiæ causâ res apud sequester deponita sit, d. l. Licet l. interesse 39. D. De acquir. possess.*

3. Sequestratio est duplex, Voluntaria & Necessaria. Voluntaria est, quæ sit consensu utriusque partis: & hæc semper est permilla, *l. Si solutus 39. D. De solutionibus:* in eaque transigitur possessio in sequester, *d. l. interesse D. de acquir. possess.*

4. Necessaria fit per Iudicem, partibus etiam invitis: idque dupliciter, primò ex officio, ut quando uterque litigantium contendit se rem possidere, & periculum est, ne ad manus veniat: nam tum Iudex ex officio rem litigiosam sequestrare potest, Et hæc quoque sequestratio est permilla.

5. Secundo fit ad petitionem unius partis, altera contradicente: ut si actor petat sequestrari rem litigiosam, contradicente reo. Et hæc regulariter pendente lite ante sententiam est prohibita: quia non oportet iudicium ab executione inchoare, nec possessionem, durante lite, private commodo suæ possessionis, *c. 2. juris Glol. in V. sequestrari h. t. & ibid. latissimè Panormit. nec rescritto quid è Imperiali, d. c. 2. & ibi Panor. m. 5.*

6. Dixi, regulariter prohibitam esse: quia multis casibus est licita sequestratio: quorum quatuor enumerat Glossa in d. l. 1. Cod. De prohibita pecunia sequestrat. undecim vero in d. c. 2. in V. sequestrari; sedecim autem Abbas ibid. n. 7. viginti octo Jacobus Sahagun. in Repetit. d. c. 2. Idque in controversiis rerum non solum profanarum, sed etiam spiritualium seu beneficiorum Ecclesiasticorum. Ita enim, si super



beneficio contra possessorem, qui triennio non possedit, in petitorio vel possessorio lata & promulgata in Curia Romana sit sententia definitiva debet Ordinarius loci beneficium unicum fructibus sequestrare, *Clement. unica h. t.* ubi statuuntur poenae in eos, qui sequestrationem huiusmodi impediunt, vel fructus sequestratos occupant. Dixi, contra possessorem; quia si lata sit pro possessore, deneganda esset sequestratio, *Glossa in d. Clement. in v. contra possessorem, Vellius lib. 7. cap. 2. num. 6.* Si vero praevenerit Judex Romanae curiae seu superior in decernendo sequestro, inferior amplius decernere non poterit, *l. sec. 2. p. cap. 4. art. 15. De appellat. in fine.* Similiter fructus rei, in cuius possessionem actor ex primo decreto misus est, sequestrari possunt, si eos distrahat & dissipet pro arbitrio suo, *l. c. 2. h. t.* Eodemque modo si reus possessor a sententia contra se lata appellaverit, possunt sequestrari res & fructus, ob meritum & periculum dissipationis, donec causa appellationis sit determinata, *l. Imperatores 21. §. fin. D. De appellationibus. c. ult. h. t.* Maranta 6. p. tit. De appellat. num. 88. Et quidem, si haec sequestratio petatur, antequam appellatio sit praesentata Judici ad quem, & per eum recepta, debet fieri per Judicem a quo; alias per Judicem ad quem, Maranta d. loco.

7. Ceterum tamen generaliter Judex ex quolibet causa, quae sibi iusta videbatur, possit ex officio apponere sequestrum in omnibus, in quibus ad instantiam partis fieri sequestratio non possit, ut ex Bartol. & aliis tradit Gonzalesius §. 7. proæmiali ad Reg. 8. Cancel. num. 27, tamen potissimum permittitur, quando subest timor dilapidationis aut interitus rei quae sequestrari petiitur: nam eo casu lite pendente res immobilis, vel alia, quae servando servari potest, recte sequestratur, ne iudicium reddatur elusorium, *Contra l. Si Prætor 25. D. De iudiciis*, & ne executio reddatur inanis, *l. Ab executione 5. Cod. Quorum appellat. non recip.* Mobilis verò, quae ætatem & moram litis non fert, sed tempore sit deterior, aut omnino perire possit, lite pendente, iudicis implorato officio, vendi & præter locum rei sequestrari potest. *Gail. 1. Obser. 148. n. 3* ubi n. 4. subiungit, eas res propriè dici servando servari non posse, quæ ultra triennium in sua na-

turali bonitate conservari nequeunt, per *Gloss. singularem in l. unica in v. usucapione Cod. Si adversus usucapionem. \* 8.* & regulatiter sequestrationem in casibus permixtis evitari posse, si idonea satisfactio præstetur de rebus conservandis: in 6. etiam juratoria cautione sequestrum tolli, si modo persona, illam offerens, sit integre vitæ & probatæ existimationis; secus, si sit suspecta & levitatis opinionem apud omnes habeat. Suspectum autem quem reddunt tria potissimum, paupertas, mali mores, & improbias antea vitæ, *Gail. d. loco num. 7.*

9. Finito autem sequestrationis tempore, vel conditione, sub qua facta est, adveniente, sequester depositi sequestraria actione conveniri potest, ut rem sequestratam exhibeat & restituat *l. Ei apud quem §. 1. D. Depositum.* Quamquam possit etiam sequester, iusta causa interveniente, iudicis auctoritate officium deponere. Quod cum sit, non ei, qui præsens est, restituenda est, sed iudicis arbitratu apud ædem aliquam sacram deponi debet, *d. l. Ei apud quem §. fin.*

## TITULUS XVIII.

## De Confessis.

1. Legitima probatio quatuorplex.
2. Positionibus hinc inde exhibitis quomodo respondendum.
3. Respondere recusans obstinatè pro confesso habetur.
4. Ex causa tamen quis respondere non tenetur.
5. Confessio simplex in iudicio, & per verbum Credo in quo differat.
6. 7. Confessio extra iudicium non probat, nisi semiplenè.
8. Confessio de alio facto alteri non nocet.
9. Confessio ab ignorante facta non nocet, si in facto erret.
10. Hodie Confessio vltim probationis potius habet quàm sententia.

**H**AECENUS à Tit. De ordine cognitionum actum est de iis, quæ præter principalem causam in iudicium incidunt. In ipsa verò causa principali post litem contestatam, ad probationes

Z



bationes hinc inde procedendum est. Et quidem actor prius suam intentionem probare debet, *l. Qui accusare 4. Cod. De edendo*; eaque legitime probata, reus suam item exceptionem probabit, si condemnationem evitare velit, *l. Exceptionem 19 Cod. De probat.*

1. Legitima probatio fit vel per adversarii confessionem, vel per testes, vel per instrumenta, vel per iuramenti præstationem. Facillima est, quæ fit per partis adversariæ confessionem, atque ad litium expeditionem promptissima.

2. In primis verò observandum hic est, quòd longævus usus in causis admiserit, ut, lite contestata, priusquam deveniatur ad aliquod genus probationis (loco interrogationum, quæ olim de iure veteri Digesti in iure fieri solebant, & quibus in *Tit. D. De interrogat in iure faciendū*, v. g. an adversarius possideret, an pro hærede, an ex testamento an ab intestato esset hæres, & pro qua parte) tam actor ex suo libello semel exhibito quam reus ex sua exceptione, eliceret qualdam positiones, easque, præstito prius calumniæ iuramento, quod iuramentum Dandorum Practici appellant, suo adversario in iudicio proponeret, atque ad eas adversarius, præstito pariter calumniæ iuramento, quod iuramentum Respondendorum vocant Practici, teneretur respondere, *Element Sape § quia positiones De verb. signif. juncto c. Dudum sup. De elect. c. unico sup. De litiis contestat. c. Presentium 31 inf. de testib. & c. 2. De confis. m. 6.* Idque ut plurimum per verbum Credit vel Non credit, vel quibusvis aliis, absente advocatione, nisi sit idiota & rusticus, Calvolus in *Praxi §. Positiones conclus. 2.* ut quas adversarius veras esse fatetur, non teneretur probare *c. 1. & 2. eod. in 6.*

Dixi, per verbum Credit vel Non credit; quia responsio per verbum Dubitat, seu Dubito, non admittitur, nisi fortè posito consistat in facto alieno, ad causam tamen controversam faciente: alias enim negati responsio posset, *l. fin. in fine D. pro suo.*

3. Quod si alter litigatorum, postquam semel comparuit, & litem contestatus est, positionibus adversarii sui respondere iussus, obstinate & absque causa respondere recuset, ea, quæ in positionibus continentur, ipso iure confessus vel inficiatus esse censetur prout ei magis damnosum fuerit, *c. 2. eod. in 6. Gaii. 1. Obser. 80. nu.*

2 modo tamen id pronuntiet Iudex, Calvolus *d. loco conclus. 3. nu. 4.* Et in pœnam pertinaciæ adversus eundem, tamquam vere confessum vel verè negantem, procedatur, *d. c. 2.*

4. Dixi obstinate & absque causa; quia ex causa responsionem denegare potest: veluti si positio sit incerta vel dubia (ut enim responsio certa esse debet, ita & positio, cum utraque probandi causa fiat;) vel si sit manifestè & ex omni parte impertinens, id est non tangens aliquo modo causam, in libello expressa; aut superflua, idque iisdem vel æquipollentibus verbis repetita; vel captiosa, cavillosa, seu talis, ut ad eam respondens induci possit in perplexitatem, & in quamcumque partem respondeat, contra se dicat: si item sit calumniosa, impossibilis, obscura, vel alteri positioni contraria, *Glossa in d. cap. 3. eod. in 6.* si denique negativa scilicet respectu sensus, non autem verborum.

5. Differt verò confessio ea, quæ fit per verbum Credo seu Credit, ab ea, quæ fit simpliciter in iudicio, quod illa tantum ad probationem lociat, & adversarium relever ab onere probandi, *d. c. 2.* hæc vero adversarium non modo relever ab onere probandi, sed faciat etiam, ut confessus pro iudicato habeatur, *l. unica Cod. ubi quippe qui quodammodo propria sententia condemnatur, l. 1. D. eod.* Idque obtiner, si vespice dominus confiteatur, si vespice alius ejus nomine, qui speciale ad hoc mandatum habeat, *c. 3. b. 1. Nam & procuratoris & syndici & æconomi confessionem domino nocere, constat ex d. c. 3.*

6. Sed hoc locum habet, quando quis in iudicio coram Iudice confitetur aliquid contra seipsum, sciens quid agat: nam confessio extra iudicium facta, etiam coram duobus testibus, adversarium non relever ab onere probandi, nisi adjecta sit specialiter causa, cui id, quod confessus fuerit, ita se habeat, *l. Cum de iudic. 25. in fine D. De probat.* quia huiusmodi confessio pro indiscreta habetur: atqui in iudicio nemo quid indiscretè & sine magna deliberatione confiteri creditur, ut tradunt *DD. in d. l. unica Cod. eod.*

7. Sin autem confessio facta fuerit extra iudicium absente adversario, & adjecta causa; si etiam duobus testibus probari legitime possit, semiplenam tantum probationem efficiet, ut communiter receptum est in *c. Si cautio inf. De fili. inf.*



*infra*. Præfente verò adversario licet extra judicium facta, modo duobus testibus probari possit, verius videtur, plenam probationem facere, arg. *l. in exercandis* 15. *Cod. De fide instrument.* & argumento confessionis in scriptis rite emissæ, quæ tam plenam & efficacem probationem facit, ut non nisi evidentissimis probationibus, habitis similiter in scriptis, reprobari possit, *d. l. Cum de indebito in fine*.

8. Dixi, confessioni esse locum, quando ea in judicio fit contra ipsum confitentem, quia si quis de alio confiteatur, alii non præjudicat, *c. 1. b. 1.* Et ideo si quis confiteatur in judicio, se criminem aliquod perpetrasse cum aliis sociis, quos fortè nominat, ex ejus confessione socii non possunt condemnari, *d. c. 1.* Imò verat lex, ne Judex de proprio crimine confitentem interroget super aliqua conscientia, *l. ult. in fine Cod. De accusat. cas. Nemini* xv. q. 3. ita scilicet, ut ex alterius confessione alteri pœnam infligat: nam ex socii confessione suspicio quædam oritur adversus locum, *c. cap. 1. in fine*.

9. Dixi etiam, modò sciens quid agat; nam si ignorans aliquid confiteatur, si quidem in facto erret, illud usque ad sententiam revocare potest, & de contrario docere, *c. ult. h. tit.* quia qui errat, non furcitur: nisi jus ignoret, *l. 2. D. ad. Cum enim omnes scire debeant leges, l. Laquei* *l. 1. in fine Cod. De LL.* qui errat in jure committit est in lata culpa, si ve error juris latam culpam continet, quæ excusationem non meretur, sed pœnam.

Ut autem confessio in judicio facta confitenti præjudicet, plura alia requiruntur, de quibus & coram explicatione videatur Glossa in *d. cap. ult. h. t.*

10. Potro licet ex eo, quod confessus in judicio habeatur pro judicato, *l. unica Cod. eod.* in eumque tamquam propria sententia damnatum, nullæ videantur amplius esse partes Judicis in cognoscendo vel judicando, *l. Postrem.* 56. *D. De rejudicata*, sed dumtaxat in exequendo seu præcipiendo, ut quod in judicio confessus est, iura legitima tempora sibi præscripta, præstet; *l. Si debitori* 21. *D. De judiciis* (quod committitur admittitur, quando Judex de plano & sine forma iudicii cognoscit, non etiam quando ordine iudiciario proceditur, & potissimum in criminalibus, in quibus quia ordo

iudiciarius exactè servandus est, ob rei magnitudinem & vitæ hominis periculum, opus est sententia, *l. Si confessus* 5. *D. De custodia reorum*;) nihilominus hodie receptius est, ut talis confessio vim probationis potius habeat quam sententiæ; ac proinde semper sententia opus sit, Weseub. *D. ad hoc tit. num. 8.*

Denique statuit Paulus IV. & Pius V. ut carcerati, crimen confessi, non relaxentur, nisi parito judicato, nec sufficiat cautio, etiam si pecuniaria tantum pœna damnentur, possitque Judex exequi pœnam, non obstante appellatione aut inhibitione, prout refert Zyp. *De jure Pontif. novo lib. 2. hoc tit.*

## TITULUS XIX.

## De Probationibus.

## §. I.

## Quid sit Probatio.

1. Probare & Probatio quid.
2. Qua juria sunt, probari non debent.
3. Notoria non indigent quoque probatione.

**N**on semper reus admittit positiones a Actoris tamquam veras, sed ad quasdam responder negativè & per verbum Non credo, ideoque has actorem probare oportet, *l. Actor Cod. h. t.* alias enim, actore non probante, reus absolvitur, *d. l. Actor l. qui accusare Cod. De edendo, & ibi DD. præsertim, Alciat.* ac proinde post Tit. De confessionibus rectè subiicitur hic Tit. in quo agitur de probationibus in genere, priusquam de singulis probationum modis, qui varii sunt, agatur.

1. Omnis autem variis acceptionibus verbi Probare, hic idem significat, quod Judici fidem facere de facto aliquo dubio, de quo in judicio est disceptatio, quæ finis est probationis, *l. Quingenta* 12. *in fine D. hoc tit.* Et Probatio non est aliud, quam Judici rei dubiæ, apud eum controversæ, per legitimos modos facta ostensio. Dico, Judici; quia probatio fit non ad instruendum adversarium, sed ipsum Judicem, *c. Ex literis* in verbis, *ad cognitionem iudicis instruendam h. t.*



2. Dixi, de facto aliquo: quia ea, quæ sunt juris non sunt iudici probanda, quandoquidem ea iudici nota sint vel esse debeant, & secundum leges, ex quibus causæ decisio penderet, iudicare eum oporteat, licet ea à litigatoribus non fuerint allegata. *l. unica C. Vi qua defuncti, advocatis partium iudex suppleat: nisi ius ipsum negetur, l. 5. D. h. t.* At verò ea, quæ sunt facti, iudici sunt incognita, nisi probentur arg. cap. 1. *De constitut. in 6.*

3. Sed & factum oportet esse dubium: quia notoria non indigent probatione cap. *Evidentia inf. De accusationib. can. De manifesta 2. quest. 1. ubi videatur quædam distinctio*, & notorium non probari sed potius allegari debet, secundum DD. *in rubr. hoc tit.* Item allegatio notorii probatio probata dici solet: illudque attendere potest iudex, etiam si non allegetur à parte; nec illud inficit partis negatio, nec etiam reddit dubium, *6. Super eo inf. De testib. cogendis.*

## §. II.

## De divisione probationis.

1. Probatio alia est Artificialis, alia Inartificialis.
2. Item alia Plena, alia Semiplena.
3. 4. Exempla utriusque.
5. Item alia Iudicialis, alia Extrajudicialis.

1. Probatio autem, secundum Aristotelem & Ciceronem, dividitur in Artificialem & Inartificialem, Artificialis est, quæ ex ipsa causâ argumentis & iudiciis trahitur. Inartificialis est, quæ extra causam accipitur, vel à legibus, vel à testibus, vel à tabulis, vel confessione, vel iuramento, vel aliis similibus, DD. *in l. Admonendi D. De iurejurando.*

2. Secundum Jurisconsultos vero, spectantes in primis effectum & vim, quam probatio habet in iudiciis, dividitur in Plenam & Semiplenam. Plena dicitur, quæ plenam fidem facit iudici de re, de qua agitur: ita ut secundum eam iudex sententiam ferre & controversiam definire possit, nullo alio ulterius requisito, *l. 2. h. t.* Et pro hac specie plerumque in iure nostro sumitur nomen Probationis, Glossa in *Clement. Constitutionem De elect.* Alioquin sua generali significatione præsumptionem denotat.

3. Huiusmodi est probatio, quæ fit per duos vel plures testes, omni exceptione majores, id est quorum fides nulla ex legitima causâ elevari & labefactari possit, quique communi hominum opinione reputentur boni viri, *l. 2. §. 3. hoc tit.* Et regulariter ad plenam fidem faciendam in qualibet causâ duo tales sufficient, *l. Ni numerus 12. D. De testibus, c. In omni 4. cap. Luit 23. inf. De testibus.* Dico regulariter; non pluribus in casibus requiritur maior numerus testium: ut de iure civili ad testamentum scriptum ad codicillos & donationem causâ mortis, & quamlibet ultimam voluntatem, à testamento distinctam, quinque, & sic de similibus. Sic de iure Canonico testes contra Episcopum requiruntur septuaginta duo, contra Presbyterum XLIV. contra Diaconum XXVII. contra Subdiaconum, & Acolytum, Exorcistam, Lectorem, Ostiarium septem; contra Clericum tres, non notati aliqua infamia, cap. *Præsul. Ex. Placuit. 2. q. 4.*

Similiter plena probatio est, quæ fit per instrumenta publica. Nam & instrumenta incorruptæ fidei probationes appellantur, *l. Emancip. test. ratione 11. Cod. De fide instrument. §. DD. in l. fin. C. de probationibus.* Interdum etiam, quæ fit per privata: nam privata scriptura, signa, & sigilla adversus eum, qui scripsit, signavit, vel sigillavit, plenam fidem faciunt. *l. Publica 26. §. ult. D. De positi: licet pro eo nullam fidem habeant, l. Exemplo, l. Non epistolis. Cod. hoc tit.* Insuper illa quæ fit per confessionem partis in iure, id est in loco iudicii seu ubi ius dicitur, *l. D. De confessis* (quamquam confessio non tam fit probatio, quam relevamen ab onere probandi, DD. *in c. 1. sup. eod.*) vel per iuramentum, quod ab altero litigatorum alteri defertur, *l. 1. §. 2. D. De iurejurando*: quamquam iuramentum quoque potius releveret ab onere probandi, quam probet, & sic de similibus.

4. Semiplena probatio, quæ etiam imperfecta dici potest, est, quæ iudici facit quidem fidem aliquam, non tamen plenam, id est non tantam ut ex ea iure moveri possit ad ferendam pro hac vel illa parte sententiam, sed opinionem tantum ingerit. Talis est probatio, quæ fit per unicum testem, omni exceptione maiorem, *l. iurijurandi 9. Cod. De testibus.* Item talis est in causis civilibus, quæ ex fama constanti prod-



enit, unus tamen testis, de veritate deponen-  
tis, testimonio confirmata, Glossa & DD. in c.  
veniens inf. De testibus. Alias fama inconstans  
non probat, sed tantum conjecturam facit: Sa-  
pe enim fallax est rumor, l. ult. D. De hered. testi-  
tutibus. Item si probetur contractus aliquis per  
privatam scripturam rei, quam tamen reus non  
sit confessus, sed per comparationem litterarum  
satis appareat ea illius esse manus; talis quoque  
probatio, quæ ex comparatione litterarum eli-  
citur, plenam fidem aut firmam probationem  
non facit, eo quod scriptura, ætatis, valetudinis,  
calami, atramenti, vel chartæ vitio muretur,  
nec eandem semper retineat similitudinem, l.  
Comparat. 20. C. De fide instrum.

Hinc patet, probationum semiplenarum  
quasdam esse majores, quasdam minores: Nam  
probatio, quæ fit per unum testem, omni ex-  
ceptione majorem, & per aliqua indicia, quæ ta-  
men ad plenam fidem faciendam non suffici-  
unt, major est, quam quæ fit per unicum testem  
tantum.

5. Aliter dividi potest probatio in judicialem,  
quæ scilicet fit in iudicio, post litum contesta-  
tam, & extrajudicialem, quæ fit extra litem:  
Qualis est, quæ fit ad perpetuam rei memoriam,  
c. 1. §. 1. sup. Vi lite non contestata &c.

## §. III.

Onus probandi, cui incumbat.

1. Quisq; fundamentum intentionis suæ probare  
debet.
2. 3. Etiam negativum certis casibus.
4. In duplicibus uterque actor & reus probare de-  
bet.
5. Reus actori propria instrumenta edere non te-  
netur.
6. 7. Probatio delicti, rei probatio contraria non  
admittitur.

1. Ceterum probandi onus plerumque gra-  
ve esse solet, idque ex multis causis, atque  
imprimis ex conflictu testimoniorum, sæpeque  
incidit altercatio, uter litigantium probare de-  
beat. Quare de duæ traduntur regulæ, pri-  
ma, quod unusquisque probare teneatur funda-  
mentum suæ intentionis, sive sit affirmativum,  
sive negativum: Ideoque actor probare de-  
bet suam petitionem ac libellum, atque omne

id, per quod petitionem ac libellum sustinet seu  
defendit; & vicissim reus probare debet suam  
exceptionem, cap. 1. 2. c. In praesentia 8. c. Ad no-  
stram 12. hoc tit. quia excipiendo fit actor, l. 1. D.  
De except. & agendo ipso facto suscipit in se o-  
nus probandi, l. fm. Cod. eod. Pacianus De probat.  
1. c. 7. sive neget, sive affirmet, de quo idem au-  
ctor lib. 1. c. 57.

2. Dixi, sive sit affirmativum sive negativum,  
id est sive verbis negantibus concipiatur: Quia  
licet regulariter neganti non incumbat proba-  
tio, l. Ei incumbit, 2. D. hoc tit. l. actor Cod. e-  
od. tamen id fallit quibusdam casibus. Primò,  
quando quis fundat intentionem suam in nega-  
tiva, sive agendo, sive excipiendo, sive sit  
negativa juris, sive facti, aut qualitatis, juxta  
Glossa in l. 2. D. eod. Latè Mascari De probat. concl.  
1092. n. 1.

Nec obstat, quod dicitur, per rerum naturam  
factum negantis nullam esse probationem, d. l.  
Actor; ea ratione, quod negationis nullæ sint  
differentiæ, nullæ qualitates, quemadmodum  
ejus, quod non est, nulla est natura, nulla quali-  
tas: quia id obtinet in negativa vaga, puta inde-  
terminata, indefinita, absoluta & simplici, quæ  
sine determinatione, seu coarctatione loci, tem-  
poris, vel alterius circumstantiæ proponitur;  
talis enim negativa nec directè probari potest  
(ut si quis neget, se in jus vocatum, se contra-  
xisse, adversarii procuratorem non habere man-  
datum.) Adeo ut testis deponens super negati-  
va sit suspectus de falso, DD. in c. Cum Ecclesia  
3. sup. De causa posses. &c. Gaill. 3. obser 62.  
magisque credatur duobus affirmantibus, quam  
mille negantibus, Mascari d. l. Num. 7. Non au-  
tem obtinet, quando quis in negativa se fundat,  
vel allegat eam, tacitè vel expressè aliquid asse-  
rendo, quia tum eam probare debet, l. Optimam  
14. Cod. De contrah. & commit. stipulat. In illa  
50. ubi Barr. & DD. De verb. obligat. Surd. De-  
cis. 361. num. 14. Hinc petens contractum decla-  
rari nullum, tamquam à minore celebratum, te-  
netur probare ætatem minorem: Ut & qui in-  
stitutionem asserit non esse legitimam ob viti-  
um vel defectum, vel objicit electo defectum  
aliquem Surdus Decis. 104. num. 11. Similiter si  
reus, conventus de indebito sibi soluto, neget  
se quidquam accepisse indebitum, & actor,  
testibus vel instrumentis (non tamen jurisju-  
randa



randi delatione, juxta *l. Eum qui D. De jurejurando*, probaverit solutionem, reo incumbit probare, quod pecuniam debitam acceperit, *l. Cum de debito 25. & ibi Glos. & DD. D. h. t.*

3. Secundò, negativam probare debet, qui sponte probationem ejus in se suscepit, *c. 1. sup. De rebus spoliatis l. Circa 14 D. hoc tit. Pacian. d. lib. 1. cap. 7. num. 45. & seq. c. 69 Hoc tamen casu, si in probatione defecerit, nihilominus venit absolvendus, actore non probante, ex communi regula, Actore non probante reus absolvitur, *Barc. & alii in d. l. Circa D. hoc tit.**

4. Altera regula est, quod in judicio communi dividendo, familiae etc. secundae & finium regundorum, atque interdicto retinendae possessionis uterque litigantium simul ad probandum admitti debeat, quia in his judiciis uterque velut actor est, uterque reus, *c. 3. & c. Licet hoc t. & idem Justinianus praedicta Judicia vocat duplicia, §. duplicia instituit De interdictis V. G. in judiciis finium regundorum uterque contendit se fines suos tantum occupare: In interdicto retinendae possessionis uterque contendit se possidere Itaque in his judiciis is obtinebit, qui probaverit suam intentionem altero non probante. Quid si uterque probet? Tunc judicis erit, videre, uter melius probaverit, utrius testes sine magis idonei, vel si agatur de possessione, uter probaverit antiquiorem possessionem, vel justiorum titulum, *d. c. Licet h. t.* Quid si aequè probaverit uterque? Tunc pro possessore judicandum erit, *c. Ex litteris 3. h. t.* tum quia in pari causa potior sit conditio possidentis, *l. in pari D. De R. l. tum* quia jura promptiora esse debeant ad absolvendum, quam ad condemnandum, *d. c. Ex litteris §. quod si ambarum.**

5. Quæ situm etiam fuit, An, si actor labore in probatione suae intentionis, reus compelli possit ad exhibenda propria instrumenta, si forte ex illis putet actor posse probare intentionem suam? Responder Pont. *inc. 1. h. t.* quod non: Quia, ut dicitur, *in l. Numis gravis Cod. De testib.* actor intentionis suae proprias adferre debet probationes, non eas ab adversario petere, qui, actore non probante, absolvendus est, licet ex parte sua nihil praestiterit, id est, nullo argumento probaverit se esse innocentem, *l. Qui accusare 4. Cod. De edendo.*

Dixi, propria quia aliud dicendum, si in-

strumenta actori & reo sint communia: Cujusmodi est testamentum, quo utrique aliquid est delegatum vel aliter relictum: Instrumentum contractus, qui concernit utrumque: Item publica instrumenta; quæ si habeat reus, cogi potest ad exhibendum, *l. is apud quem 2. Cod. de edendo.*

6. Quæritur denique, si probetur plenè, reum deliquisse, reus autem probare vellet, se non deliquisse, & persistit in sua negatione, an audiendus debeat? Responder Pont. *inc. ad nostram 12 h. t.* audiendum non esse. Quod videtur intelligendum, quando vult probare talem negativam, seuque purgare per suum juramentum, & aliorum compurgatorum, purgantium solum de credulitate, *juxta ea, Quoties §. porro inf. De purgat. can. vel per testes, de credulitate deponentes. Alioquin si vellet probare talem negativam indirectè per testes, de veritate deponentes. audiendus esset, juxta Abbatem in d. c. n. 3. per c. Ex tenore inf. De testib. ut si quis probet aliquam homicidii tum tali die commississe, potest contrarium probare indirectè, probando se toto eo die fuisse alio loco.*

#### §. IV.

#### Quando facienda sit probatio.

1. Judicialis facienda post litem contestatam.
2. Atque absolvenda intra certa dilationum tempora.
3. Post quartam productionem non admittitur ultior.
4. Fieri potest etiam extra quam in judicio.
5. Extrajudicialis fit etiam ante litem contestatam.

1. Diximus antea probationem aliam esse judicalem, aliam extrajudicalem. Quare igitur nunc, quando & qualiter facienda sit probatio, & quis effectus illius: Ad primum illud dico, probationem judicalem, de qua hic agimus, faciendam esse post litem contestatam, quia tum demum dicitur coëptum judicium nec sciri ante, an reus sit negaturus, vel confessurus id, quod intenditur, quia id fit per litem contestationem, *l. 1. Cod. De litem contestat. & per consequens sciri nequit, quid probandum sit, vel non. Post litem verò contestatam facienda est, iudice, cui ea fieri debet, per sententiam interlo-*



testocutoriam decernente, excepta probatione exceptionum dilatoriis, quæ ut regulariter ante litem contestatam tanquam litis ingressum impediunt, proponuntur, ita etiam regulariter statim in initio probari debent.

1. Soletque Judex sub certis dilationibus probationem decernere, intra quas facienda ac quæ absolvenda est, secundum ea, quæ ante de dilationibus diximus. Quamquam hoc non usque adeo observetur; sufficiatque hodie litigatorem exhibuisse articulos suos probatorios, & nominasse testes ad juramentum & examen cum reliqua non sint in ejus potestate: Ac proinde nec illi imputandum est, sed Judici potius, si intra præstitutum terminum non absolvatur, Panonit teste. Secundum quem potest etiam absque termino in judiciis probatio fieri & recipi, quando nullus præscribitur, intra quem fiat.

3. Post quartam tamen productionem testimonii aut publicata testimonia non est admittenda ulterior probatio, *Auth. Quisemel Cod. hoc tit.* nec post conclusionem in causa: Nisi in criminalibus, ad innocentiam rei probandam; quo casu etiam post sententiam & rem judicatam recipi debet.

4. Cæterum probatio fieri potest tam in loco judicii, quam extra, ubicumque Judex, qui examinationi præest, sederit. Debet tamen Judex ad egregias personas & fœminas mittere notarium, qui inibi eas examinet, *l. ad personas, ubi DD. D. De jurejurando.*

5. Extrajudicialis vero probatio, ut illa, quæ fit ad perpetuam rei memoriam, vel per modum simplicis inquisitionis, aut ubi ex conventionione partium citra solemnem ordinem litigatores procedunt, fieri potest, nulla expectata litis contestatione; imo ante libellum exhibitum Videatur Wesemb. *ad tit. D. De probat. n. 9.*

## §. V.

Qualis debeat esse probatio, & quis ejus effectus.

3. *Et quidem in pari pro reo vel qui melius probaverit.*

4. *Actor ex novis probationibus reintegrare instantiam potest.*

1. **A**D alterum quæsitum de qualitate & effectu probationis, dico requiri in primis ut clara & certa sit probatio, *c. In praesentia 8. & ibi DD. h. t.* & quidem in causis criminalibus, præsertim capitalibus, propter maximum præjudicium, luce meridiana clatior, *l. ult. Cod. eod. can. Sciat. 2. q. 8.* satius enim est nocentis facinus impunitum relinquere, quam innocentem condemnare, *l. 5. in princ. D. De poenit.* Sed nec probatio generis in quæstione speciei, nisi etiam in specie fiat, sufficit, *c. Constitutus 6. inf. De religiosis domibus.* Et ideo probatio soluti tributi non sufficit ad probandum quem esse suum subditum, quia tributi præstatio aliud designare potest, quam subjectionem, *c. Recipimus 8. inf. De privilegiis, c. Præterea 8. & c. quanto 16. inf. De censibus.* Quia non probat hoc esse, quod ab hoc contingit abesse, *c. Tua inf. De sponsalibus, l. Neque natales 10. Cod. de probat.* Neque enim omnes, qui subsunt Romanæ Ecclesiæ, ei annuatim aliquem censum solvunt: Nec omnes, qui censum annuatim solvunt, idem à jurisdictione Ordinarii exempti sunt, *d. cap. Recipimus inf. De privilegiis.* quia possunt eum solvere ratione protectionis, *ut ibidem dicitur, & in c. Ex parte 18. eod. tit.*

2. Denique effectus probationis est, quod secundum eam, si sufficiens fuerit, Judex pronuntiare & ferre sententiam debeat, *l. Argentarius 10. §. fin. & ibi DD. D. de edendo. l. 2. §. 9. Cod. De rei vindicatis.* Alioquin, tanquam litem faciens suam, in id, quod litigatoris interest, condemnabitur, *d. l. 10. in fine.*

3. Quod si pares fuerint probationes actoris & rei, pro reo, tamquam favorabiliore, pronuntiabitur, *c. Ex litteris 3. h. tit. l. 1. §. 5. D. De reg. juris, l. 5. 32. & 42. D. De poenis.* alias pro eo, qui intentionem suam melius & magis sufficienter probaverit, *c. Licet §. ex præmissis h. t.*

Nec obstat, quod probationes dicantur esse arbitrariæ, & ab arbitrio judicis pendere, *l. 3. §. in magis scire D. De testib.* quia nihilominus Judex eas probationes, quas leges pro

1. Debet esse clara & certa.
2. Effectus est, secundum probationem ferre sententiam.



pro integris & plenius habent, sequi & pro integris habere debet, ne jus commune partibus in-vertat, *per d. l. 10. §. fin. in verbo, d. iudice quari, & ibi D. D.* Nam secundum allegata, & probata Judicem judicare oportet, non secundum scientiam suam, *l. illicitas. §. veritas D. De officio Praefidis, & ibi D. D.*

4. Sed cum actore non probante reus sit ab-solvendus ab instantia, *l. 4. Cod. De edendo l. 1. & 2. Cod. h. t. & l. 9. Cod. De except. queritur, an actor ex novis probationibus eam redintegrate valeat? Dicendum posse, dummodo reus ob defectum probationum, non etiam ex contraria probatione, aut purgatione, ab instantia sit ab-solutus, d. l. 10. §. 3. D. De edendo.*

Quin & probatio plena relevat actorem ab onere juramenti suppletorii præstandi, *c. 2. hoc. tit.*

## TITULUS XX.

### De Testibus & attestatio-nibus.

#### §. I.

Quis dicatur Testis, & qualis esse de-beat.

1. *Modus hic probandi in omnibus judiciis locum habet.*
2. *Testis quis dicatur.*
3. *Testes debent esse idonei.*

**I**Nter modos negata ab adversario probandi, frequentissimus est, qui fit per testes, multo-que efficacior ac dignior, quam qui fit per in-strumenta, cum etiam falsitas instrumenti, vel quod deest instrumento per testes probari pos-sit, *c. Cum Ioannes inf. De fide instrum. Innoc. & alii in c. Cum P. sabellio eod. t. 1. Habeatque in omnibus omnino judiciis locum, tam crimina-libus, quam civilibus, c. in omni 4. c. Super eo 13. & alii h. t. tam Ecclesiasticis & spiritualibus, quam profanis, c. Cum mutuis 12. c. In causis 15. h. t. tam in prima, quam in secunda instantia c. Fraternitatis 17. eod. & ideo non mirum post probationes in genere agi hic primo loco de te-stibus & attestacionibus,*

2. Dicitur Testis, qui ad fidem alicujus rei faciendam accersitur. Et testes antiquitus appel-labantur superstites, quia super causæ statu proferebantur Unde Plautus: *Mihilicet quidam loqui, nemo adesse superstes.* Nunc vero, ablata pri-ori parte nominis, Testes vocantur: Et horum asseritio dicitur testimonium.

3. Ut verò probent testes, debent esse idonei & fide digni, leu, ut dicitur, omni exceptione majores, *c. 1. h. t. c. an Placuit iv. q. 2. l. Optimam Cod. de contrah. & commit. stipulat.* quales olim antiquo verbo legis xlii Tabb. Afli dui vel Claf-sei vocabantur, Welenb. ad D. h. t. n. 2. Omnes autem habentur idonei & fide digni, quicunque à testimonio dicendo non arcentur, *l. 1. D. eod.*

#### §. II.

Qui à testimonio arceantur.

1. *Quidam prohibentur generaliter ob aetatem & infirmitatem judicii.*
2. 3. *Pubes de iis, qua impubes vidit, testificari po-est.*
4. *Prohibentur & generaliter damnati iudicio publico.*
5. *Surdus de auditu, cæcus de visu testificari in-quit.*
6. *Quidam prohibentur in certis causis, pro vel contra certas personas.*
7. *Nemo idoneus testis in propria est causa.*
8. *Idonei non sunt domestici, familiares, & con-sanguinei, & c.*
9. *Excepta causa matrimoniali.*
10. *Qui dicantur testes domestici.*
11. 12. 13. 14. *Qui inter domesticos numerentur.*
15. 16. 17. *Idonei testes non sunt infames, hæretici, Iudæi & pagani.*
18. *Non inimici capitales.*
19. *Non iudex, advocatus & c. in causa, cui parti-cipatus est.*
20. *Non mulier in testamento.*
21. *Etiam ad piam causam.*
22. *In eod. ille potest esse testis.*
23. *Vi & in aliis causis.*
24. *Laicus contra Clericum quatenus testificari possit.*
25. *Monachi & Religiosi non remouentur à testi-monio.*
26. *Minor 20. annis in criminalibus remouetur.*



27. *Quid circa qualitatem testium moribus obtineat.*

Dictum enim de testibus est prohibitorium id est quicumque Canonibus vel legibus expresse non prohibentur, ad testimonium dicendum admitti debent, l. 1. D. eod. Ideoque dispendium nunc est, quinam prohibeantur, utiis cognitis, appareat, qui admittantur.

1. Eorum, qui prohibentur, alii generaliter testimonium ferre verantur. Et in primis, ob defectum vel infirmitatem iudicii, in causis tantum criminalibus quam civilibus, prohibentur furiosi, non habentes lucida intervalla, mente capti, & pupilli, l. 1. h. t. l. 2. & 3. §. *lego Julia D. eod.* quia tales nequeunt præstare iuramentum, sine quo testi non creditur, l. 4. D. *De in litem iurando*. Excipitur tamen pupillus respectu criminis læsæ Maiestatis, quippe qui in eo crimine, quod gravius est, torquenti etiam possit: & in ea causa omnium par conditio est, l. Nullus 4. Cod. *Ad Leg. Jul. Majestatis*.

2. Verius etiam est, pupillum, maiorem factum, recte testimonium perhibere de iis, quæ in pupillari ætate viderit, dummodò fuerit pubertati proximus, quando res, de qua perhibet testimonium, gesta fuit. Quo modo & servus factus liber, de eo dicere testimonium potest, quod in servitute existens vidit, l. *Notionem* 99. in fine D. *De verb. signif.*

3. Nec obstat, quòd pupillus nihil scire aut videre, sed omnia ignorare dicatur, l. ult. D. *De iuri & facti ignorantia, & similibus*; quia hoc intelligitur quoad sui præiudicium, ut scilicet nihil scire videatur, quando ex scientia sua sentiret damnum.

4. Secundò, generaliter prohibentur damnari iudicio publico, & à Principe non restituti: item qui rei iudicii publici in vinculis custodiae publicæ fuerunt: item qui cum beatiis ut depugnarent, se locaverunt: & alii, de quibus in d. l. 3. §. 1. *Julia*, Præterea servi, quia pro nullis habentur, l. *Quod attinet* 32. D. *De reg. iuris*.

5. Surdus quoque de auditu, cæcus de visu testimonium dicere nequit. Cæcitas tamen superveniens non impedit, quo minus testificetur de iis, quæ gesta sunt, antequam fieret cæcus: quandoquidem etiam iudicantis officio

recte fungatur, si illud susceperit videns, l. *Cæcus* 6. D. *De iudiciis*. De eo quoque, quod gestum est, postquam cæcitas supervenit, si vocem eorum, qui quid fecisse contraxisse dicuntur, noverit, perhibere testimonium potest.

6. Alii prohibentur ferre testimonium præcertis vel contra certas personas, vel in certis causis dumtaxat.

7. Et in primis nullus idoneus testis in re sua id est propria causa intelligitur, l. *Nullus* 10. D. eod. Propria autem causa dicitur, cujus emolumentum vel damnum ad aliquem suo nomine pertinet, l. 1. §. *impropria D. Quando appellandum sit*. Hinc hæres institutus in testamento testis esse non potest, §. *Neque hæres instituit. De testamentis*. Contrà verò legatarius & fideicommissarius particularis in testamento, in quo sibi legatum vel fideicommissum aliquod relictum est, recte testis adhibetur de jure communi, l. *Qui testamento* 20. in princ. D. *De testam.* quia non tam sibi, quam hæredi, ejusque institutioni & testamento, sique in causa hæredis, ad quem principaliter testamentum pertinet, & non in propria causa, nisi ex consequenti & secundarid, testimonium dicit. Atqui multa ex consequenti tolerantur, quæ principaliter prohibentur, l. 1. D. *De auctoritate iurorum*.

8. Secundò, domestici testes & familiares, cap. in *Litteris* 24. hoc tit. l. 2. Cod. eod. Item consanguinei & affines ejus, à quo producantur, & pro quo testimonium dicunt, tamquam non idonei repelluntur.

9. Excepta causa matrimoniali, & religionis: nam ex prærogativa conjugii, & quia favorabilis res est, si cut & religio, parentes, fratres, & cognati utriusque sexus, in testificationem suorum, ad matrimonium conjungendum vel diimendum, recte admittuntur, cap. *Videtur nobis* 3. inf. *Qui matrim. accusare possint*. Ut si quærat, an matrimonium ob affinitatem vel consanguinitatem contrahi possit, an non, can. 1. xxxv. qu. 6. Si tamen quærat, an matrimonium sit contractum, & sponsa asserat, sponsus verò neget, & hic sit ditior aut nobilior, Pater & Mater sponse non admittuntur, cap. *Super eo* 22. hoc tit. Similiter si dubitet, an filius intret religionem animo profitendi, recte admittuntur, can. *Præfens* xx. quæst. 3.

10. Dicitur autem testis domesticus propriè, qui

A a



q. si ex eadē domo est, & nobis cohabitavit, *juxta l. Perficiendum 11. §. furta domestica D. De panis.*

Ad hoc tamen, ut quis sit talis domesticus, qui testificari prohibeatur, non videtur sufficere communis habitatio, sed debet concurrere alia etiam causa, nempe vel potestas vel obedientia vel obsequium aut nimia affectio, vel alia similis: nam dominus mercenario, qui secum habitat, & patronus liberto, jure communis domicilii & habitationis junctus est, & tamen pro eo, vel contra, testimonium dicere non prohibetur: quamquam si pro eo dixerit, videri possit suspectum, gravissimum verò, si contra, nec videatur ad hoc cogendus, si nolit, *l. q. in fine D. eod.* E diverso quia mercenarius domino, libertus patrono alio jure, quam domicilii obligatus est, nempe obedientiæ & obsequii, ideo pro eo dicere testimonium prohibetur.

11. Inter domesticos primum locum obtinet uxor, quæ merito à testimonio in causa mariti repellitur, *l. penult. D. eod.* sive pro marito, ob nimiam affectionem, sive adversus maritum ob reverentiam, quam eidem debet & communiter exhibet aut exhibere debet. Excipitur tamen crimen læsæ Majestatis, in quo, ut ante diximus, omnium æqualis est conditio.

12. Secundum locum obtinent liberi, si modo una habitent, *d. §. furta domestica.* Et hi quidem regulariter, sive sint domestici, sive non, neque pro parentibus, neque contra parentes in judicio admittuntur: propter reverentiam, quam eis debent. Idemque dicendum de parentibus, respectu liberorum, *d. e. Super eo 22. h. r. & l. Parentes Cod. eod. l. idonei 6. & l. Testis idoneus 9. D. eod.* propter nimiam affectionem parentum in liberos. Idque verum est in infinitum, *arg. l. Quique ligandi 4. D. De in jus vocando.* Et hoc ad naturales quoque extenditur, *Glossa in d. l. Parentes,* Dixi, in judicio: quia in extrajudicialibus, modo emancipatione vel alio modo dissoluta sit patria potestas, filius patri & pater filio rectè testimonium perhibet in iis in quibus nulla vertitur filii vel patris testantis utilitas. 13. Tertiò, inter domesticos testes referuntur fratres, & ex his descendentes, qui si nunc adhuc in sacris sunt paternis, & una habitant. Quamquam tales, licet simul non habitent, neque pro se invicem, neque contra se invicem idonei sint testes: quia,

ut dixi, inter domesticos non tam propter communem habitationem, quam propter alias concurrentes causas introducta est hæc testimonii ferendi prohibitio. Et ideo, etiam semet à cohabitatio, nempe prohibito, remanente causa prohibitionis, qualis hic est patria potestas.

14. Quartò, liberti, qui cum patrono morantur, in causa patroni, Et hi non solum à testimonio repelluntur, quamdiu domestici sunt, *juxta l. penult. D. eod. l. etiam Cod. eod.* sed etiam postquam desierunt esse domestici, tanquam adhuc liberti; ne ob memoriam beneficii inæstimabilis, nempe libertatis, *l. Libertus 106. D. de reg. jur.* quod à patrono acceperunt, facile pro patrono à religione iuramenti præstiti recedant. Quintò, servi adscriptitii, ab hostibus redempti, & addicti, itemque mercenarii, qui mercede constituti à nobis servant si modò una nobiscum habitent, *juxta d. l. Perficiendum §. 1. D. De panis.*

15. Tertiò, à testimonio repelluntur infames infamia juris, *c. Ex parte 7. c. Testimonium 54. hoc tit.* tam in civilibus quam criminalibus causis: aded ut nec contra alium itidem infamum admittantur, *Farinac. quest. 56. num. 98. & 99.* in quo tamen dissentit Mascard, *Conclus. 42. & 1356.* Excipiuntur casus quidam, veluti crimen læsæ Majestatis, *d. l. Nullus item crimen hæresis, e. Tanta inf. De simonia, can. Nos sequentes §. sed licet vi. quest. 1.* Nec juvat, si tempore depositionis fuerint emendati, nisi etiam sint restituti fama. Quamquam probent, si tempore depositionis non fuerint habiti & reputati infames, cum revera essent tales. Sicut &, quando aliter veritas haberi non potest, testi infami cum tortura plena fides adhibetur, *Calvol. in praxi §. Exceptio contra testes conclus. 8. n. 5. ubi num. 7.* tradit, quod quando principalis excipiens est infamis, non possit contra testes opponere exceptionem infamiae.

16. Quoad infames infamia facti distinguere solent: ut tales in causis criminalibus arceantur à testimonio, *Glossa & DD. in l. 2. de suspensum D. De Senatorib. Farinac. quest. 56. num. 115. & seqq. Clarus quest. 24. §. final. in civilibus verò admittantur, l. 1. & ibi Bart. & alii Cod. De summa Trinit. l. 2. D. De obseq. præstando;* idque pro iudicis arbitrio. De jure tamen Canonico ne quidem in civili causa infames ei testimonii ad-



diadmittendos esse colligunt quidam ex *d. c. Testimonium*, in verbis, *aut gravata sit opinio*. Nam licet quidam eum locum intelligant de causa criminali: idem tamen videtur statuentum esse in civili, *ut ibidem notant DD.* Vide *can. infans vi. quæst. 1.* Restitutus autem ad famam & honores admittitur, *Farinac. quæst. 5. n. 79.* Uti & vitam emendam ac probatam post penitentiam agens, *Farinac. d. l. n. 134. & seqq. Mascard. conclus. 1356. ubi limitat. n. 16.*

17. Quarto Hæretici, Judæi & pagani non possunt esse testes contra Christianum & Catholicum, *can. Non potest, & can. Pagani 11. q. 7. l. Quoniam 21. Cod. De hæreticis* tum ratione odii, quod illi prosequuntur, *can. Nonne 1. quæst. 1.* tum quia non potest erga homines esse fidelis, qui Deo extiterit infidelis, atqui testem oportet esse fidelem, *c. Licet 51. hoc tit.* Valeret tamen testificatio Judæi pro Christiano contra Christianum quia sicut par affectio omnem tollit suspicionem, ita & par causa odij eum contrariorum eadem si ratio, Adversus Judæum verò rectè testificatur Christianus.

18. Quinto à testimonio repelluntur inimici capitales, *Novella 90. De testib. cap. 7.* qui locus non solum de servis, ut Authenticarum in Codice relator voluisse videtur, sed generaliter de omnibus intelligendus est. Idque obtinet, etiam si inimicus fuerit reconciliatus: quia nisi amicitia longo tempore confirmata fuerit, adhuc præsumitur durare inimicitia: licet etiam agatur de crimine læsæ Majestatis, simoniæ, hæresis, & aliis enormissimis criminibus, *Calvol. d. l. Exceptio contra testes conclus. 4. num. 2. & 3.* Capitalis autem inimicus dicitur, cum quo est controversia seu lis capitalis, vel quæstio de libertate, cum servitus mortui comparetur, *l. Servitutem 209. D. De reg. juris*; vel etiam de exstimatione seu fama, *l. Licet 103. D. De verb. signif.* quandoquidem exstimationes, & sanguinis eadem sit ratio: imò illius major vitis bonis, quam vitæ, esset debeat *arg. l. lsi 8. § 2. D. Quod metus causa & c.* Inimicitia autem non capitalis ne utiqua repellit à testimonio, *Abbas in c. Inquisitionis 21. §. tertia inf. De accusat. Calvol. d. loco n. 4.*

19. Sexto, Judex assessor, executor, advocatus & procurator, non possunt produci testes in ea causa, de qua cognoverunt, vel in qua patrocinium præstiterunt, *l. nls. D. h. t.* etiam in

caussa appellationis, pro ea parte, pro qua in prima instantia lata fuit sententia, *c. fin. eod. in 6.* Ut neque administrator neque negotiorum gestor pro suo principali, in negotio gesto vel gerendo *Farinac. q. 60. n. 261. & seqq. Mascard. conclus. 1232. n. 29. & 30. & concil. 1357. Spec. int. de teste § 1.* Verumtamen siis, contra quem quis fuit advocatus, procurator, assessor, vel executor, petat eundem in testem, rectè admittitur. *Specul. d. loco.*

20. Septimo mulier testimonium dicere in testamento non potest, *l. Qui testamento 20. §. mulier D. De testam.* ne quidem confecto à rustico; quia licet in eo imminutus sit numerus testium, tamen quoad idoneitatem nihil reperitur immutatum. Potest verò adhiberi testis ad testamentum militis stantis & testantis in acie, in quo testes non oportet esse rogatos, & in quo remissa est solemnitas iuris civilis, solumque ius gentium spectatur: Quemadmodum & in testamento patris inter liberos, *Glossa, in l. Hac conspicienda §. ex imperfecto Cod. De testamentis.*

21. An autem mulier possit esse testis in testamento ad pias causas, quaeritur. Et communis opinio eo videtur inclinare, quia & in illo remissa sit solemnitas iuris civilis, specteturque ius gentium *cap. Relatum, c. Cum esset inf. De testamentis.* Attamen contra urget, quod in *d. c. Relatum* exigantur duo testes legitimi, qualis non est mulier; quodque, licet in *d. c. Relatum* derogetur solemnitati iuris quoad numerum testium, non tamen repereatur ius civile correctum quoad habilitatem, ut proinde servandum sit *arg. l. Præcipimus D. De appellat.* ut taceamus alias rationes, quibus id ipsum probari potest.

22. Quaeritur etiam, an in codicillis mulier possit esse testis Et posse verius est, ex quo non reperiatur prohibita, *secundum Glossa in l. fin. in V. quinq. Cod. De codicillis.* Nec obstat, quod codicilli largo modo veniant appellatione testamenti, *Glossa ult. in l. 1. D. De testam.* videanturque esse pars testamenti, ab eoque pendere *Glossa in d. §. mulier*: quia non sunt verè testamentum.

23. In aliis verò causis mulier admittitur ad testimonium dicendum, non tantum in civilibus, *l. Ex eo 18. D. h. t.* verum etiam in criminalibus de iure civili; eo argumento, quod lex



Julia à testimonio vis publicæ removeat eam dumtaxat, quæ palam corpore quæstum fecerit, l. 3 § penult. D. eod. & in iudicio adulterii repellat damnatam eiusdem criminis, d. l. ex eo. Nam inde à contrario facile colligitur, mulierem, ab his criminibus alienam, etiam in criminalibus idoneè testificari, Wesemb. D. h. t. sub num. 3. Multo magis admitti debet, si de crimine civiliter agatur, etiam contra Clericos, siue per viam inquisitionis siue per viam denuntiationis vel exceptionis, c. Quoniam 5. hoc t. Ratio autem, cur de iure civili in testamento non admittatur, & tamen admittatur in causa criminali, quæ est maioris præiudicii, est hæc, quia testamenta olim fiebant calatis comitiis, in quibus mulieres jus suffragii non habebant.

24. Alioqui laicum ad testimonium ferendum contra Clericum in criminali causa non esse aliquatenus admittendum, rescripsit Pont. in cap. De cetero 14. h. t. quoad plenam scilicet probationem. Nam admittitur ad iudicium faciendum, sufficiens ad torturam, secundum Panormit. ibid. num. 5. Excipit tamen Lopez ad ea. 4. Pract. crimin. Bern. Dias, decem casus, quibus laico permittitur accusare Clericum, nempe hæresis, læsæ Majestatis, dilapidationis bonorum Ecclesiæ, simoniæ, sacrilegii, notorii criminis: item dum semel admittus est laicus, dum suam vel suorum injuriam prosequitur, vel Parochianus suum pastorem denuntiat, quia illius interest habere bonum: licet Canon. 811. q. 7. non permittat laico accusare suum superiorem, nisi in fide erraverit: & denique dum patronus accusat presbyterum, male curantem aut dilapidantem bona Ecclesiæ.

25. De Monachis, Canonicis regularibus & aliis Religiosis queritur, an possint esse testes? Et verius est, posse: quia licet arceantur à negotiis secularibus, veluti indicandi muneretutela, procuratione, & similibus aliis actibus atque officiis civilibus ac forensibus, Can. Monachi xvi. q. 1. cap. 2. sup. De postulando & toto t. No Clerici vel Monachi sacul. negot. &c. non tamen inveniuntur removeri à testimonio ferendo, cum non sit contra eorum professionem prodere veritatem, ac proinde admitti debent, arg. d. l. 1 D. hoc t. Aliàs neque in causa Ecclesiæ suæ, vel Monasterii testificari possent;

quod falsum esse patet ex can. Super xiv. q. 2. c. Cum Nuntius 12. & cap. Nuper 51 h. ius. Etsi Christus 26. inf. De iurejurando. Requiritur tamen licentia superioris, cum ipsi velle aut nolle non habeant; sitque eorum voluntas in arbitrio superioris, c. Si Religiosus, c. Si Abbatem De elec. in 6. c. fin. De sepulturis in 6.

26. Denique, ut alios omittam, minor xx. annis in criminalibus nequit esse testis, quia habetur iudicii imbecillioris, lubrici & temerarii c. In testimonium 20. D. h. t. Farinac. q. 58. n. 10. & seqq. Mascar. Concl. 12. 46. n. 5. 6. & seqq. In civilibus verò, præsertim exiguis, testificari non prohibetur Farinac. & Mascar. d. locis.

27. Illud quoque postremo loco hic observandum est ex Zypæo lib. 2. De iure Pontificorum. Testibus, moribus passim obtinuisse, ut testem Judex non repellat, nisi quid ei pars opponat, aliàs suspectum haberi. Insuperque Principem nostrum anno 1611. statuisse, ne probationes per testes recipiantur in negotiis excedentibus 300 florenos.

## §. II.

## De modo producendi testes.

1. Primò actor vel reus petis admitti ad probationem.
2. Et dari terminū probandi ac producendi testis.
3. Dein adversario citato, & comparentia: iudici exhibet articulos.
4. Adversario licet obijcere in personas testium & repellere.
5. Idque ante eorum receptionem & examinationem regulariter.
6. Alias statim ad dicendum testimonium admittendi sunt.
7. Examinabit eos iudex vel Commissarius illius.
8. Debet in primis juratus esse testis.
9. Quod tamen iuramentum ex causa remitti potest.
10. Modus & forma examinandi.
11. 12. Testis debet reddere rationem dicti sui.
13. Dummodo interrogetur expresse vel implicite.
14. 15. Præterquam in certis causis, ut in criminalibus, &c.
16. Examine facto tunc reus admittitur ad probationem obiectarum.
17. Et ad probationem actor.
18. Quarta productio testium. non admittitur regulariter.
19. Fin.



19. Hinc publicantur attestations: & sic copia par-  
tium.  
20. Vi contradicans depositionibus testium.  
21. Post publicationem non admittuntur testes.  
22. Publicatio tamen non est de substantia proces-  
sus.

**D** Enceps videndum de modo producendi  
& recipiendi testes.

Incipimus si actor per testes velit probare suam  
intentionem, vel reus suam exceptionem. petere  
debet in iudicio ab ipso Iudice admitti ad pro-  
bandum & dari sibi terminum probandi, id est,  
statui sibi diem intra quem testes suos producat,  
Gaill. 1. Observ. 96.

1. Boque facto, infra statutum terminum  
testes producendi sunt: citato tamen ante ad-  
versario suo, ut videat testes produci & iurare, &  
2. hoc ut, si qui foris habeat, quod contra per-  
sonas eorum obiciat, quod minus idonei sint ad  
testimonium ferendum, id ante eorum receptio-  
nem vel examen vel saltem publicationem de-  
positionum proferat. Alioqui productio & re-  
ceptio testium facta, non evocato aut citato ad-  
versario, est nulla, ut pote contra ordinem iudi-  
cium facta, d. cap. 2. in fine.

3. Quod si adversarius citatus compareat,  
tunc qui produxit testes exhibet et ac Iudici ar-  
ticulos super quibus eos recipi arque examinari  
postulat, & præterea nomina testium.

4. Si quid deinde adversarius obiciat in  
personas testium, quod probatum eos a testi-  
monio repellat, in arbitrio erit Iudicis, prout  
ei æquum videbitur, vel admittere prius ad-  
versarium ad probandum obiecta, suspenso in-  
terim examine, vel contra, dilata probatione  
obectorum, examinare testes, cap. Ex parte 7.  
hoc tit. Nisi forte obiciens obiecta in conti-  
nenti probare offerat, dicit cap. Ex parte versis.  
Tandem; vel in dilatione examinationis aut pro-  
bationis obectorum periculum esset interit-  
us testium, Specul. tit. De testis §. 1. versis. quin  
arg.

5. Sin autem citatus adversarius & præ-  
sens nihil obiciat in personas testium ante eo-  
rum receptionem vel examen, vel saltem ante  
publicationem depositionum; regulariter  
non auditur post illarum publicationem obii-  
cere quid volens, quia tacendo usque ad publi-

cationem censetur exceptionibus adversus testes  
renunciare & consentire in eisdem, c. Qui tacet  
De R. l. in 6. Nisi vel iurejurando affirmet, quod  
malitiosè ad hoc non procedat, cap. Presentium  
31. h. tit. vel ante publicationem protestatus fue-  
rit, quod sibi reservet ius obijciendi, quod vide-  
bitur, dicit cap. cap. Presentium, vers. Nisi, vel do-  
cuerit exceptiones, quas publicatione facta ob-  
ijcere vult, de novo tunc ad suam notitiam per-  
venisse, d. cap. Presentium, vel nisi prius baverit le-  
gitimè, quod volens eas ante publicationem  
obijcere, impeditur à Iudice fuerit, (quo casu e-  
tiam post sententiam obijcere eas poterit, Glossa  
in cap. Cum 1. & A Canonici, in V. juramenta in fi-  
ne inf. De sententia & re judicata, ) vel denique  
nisi sint tales exceptiones, quæ post attestatio-  
num publicationem ipsos testes inhabilitent,  
veluti quod testis sit excommunicatus, Judæus,  
hæreticus, & similes, quibus renunciare non in-  
telligitur Felinus in a. c. Presentium col. 2.

6. Si verò testibus productis nihil obijcia-  
tur, quo eorum testimonia evadentur, statim  
ad testimonium dicendum admittendi sunt.  
Item adversarius, si velit, potest exhibere Judi-  
ci interrogatoria sua, ut vocant, super articu-  
lis sibi prius exhibitis, secundum quæ petat à  
Iudice testes interrogari & examinari, cap. Pra-  
sentium §. testes eod. in 6. Quæ ideo fiunt, ut  
si forte testes à producente sint subornati, id  
Iudex, insequendo interrogatoria adversæ  
partis, facilius deprehendat. Et propterea ca-  
vere Iudex debet, ne istorum interrogatorio-  
rum adversarius consequatur copiam, eaque  
occasione testes suos ad falsitatem instruat &  
per subornationem fraudem committatur, Gloss.  
in dicit §. testes, Calvol. in Praxi §. Interrogatoria  
concl. 1.

7. Testibus itaque ad testimonium dicen-  
dum admittis, & tam partis producentis arti-  
culis, quam partis adversæ interrogatoriis Iudici  
exhibitis, Iudex ipse testes receptos diligen-  
ter examinabit, vel, si gravioribus detineat-  
ur negotiis, aut alias commodè eos exami-  
nare non possit, examen alteri, cui volet, ido-  
neo tamen & discreto, vel etiam Iudici terri-  
torii, in quo testes degunt, committet. c. Si qui  
testium §. hoc tit. l. Indices Cod. De fide instru-  
menti §. scilicet civiliter agatur; nam in cri-  
minalibus hæc commissio non est permessa.



*Auth. apud eloquentissimum Cod. De fide instrum.*

8. In ipso verò examinis limine jubebit Judex, vel is, cui examen testium demandatum est, præsente adversario, vel etiam eo absente, si citatus comparere noluerit, *d. c. 2. vers. si verò noluerit*, testes jurare, quòd neque odio, neque amicitia, neque favore, neque aliquo commodo, quòd habuerint, vel habituri sint; inducti, sed solius veritatis amore moti, ad ferendum testimonium venerint, quòdque super omnibus, de quibus interrogabuntur, rei veritatem, prout secundum conscientiam, noverint. dicturi sint, *cap. Quoniam §. 2. c. Tuis questionibus, 39. c. Nuper §. hoc t. l. jurisjurandi Cod. eod.* quòdque depositiones suas ante legitimam earum publicationem neutri parti manifestabunt seu aperient. Nam testi non jurato, licet is religiosus esset, non creditur in præjudicium alterius; *d. cap. Tuis questionibus & d. cap. Nuper* Idque maxime obinet in criminalibus.

9. Cum autem hoc iuramentum non sit de calumnia, sed de veritate dicenda, respiciatque favorem partis, pro qua testis producitur, & non publicam utilitatem remitti partium consensu potest, prout plerumque remittitur personis illustribus, aut in aliqua dignitate vel officio publico constitutis, *per text. in d. cap. Tuis questionibus. & ibi Glos. in V. remittatur*: nisi ageretur de præjudicio publico, aut animarum, ut in causa matrimoniali. Vide *Gaill. 1. Obser. 101.*

10. Examinabit autem Judex singulos testes separatim, remotis litigantibus, *cap. Venerabili §. 2. h. t.* & assumptis tam producentis articulis, quam adversæ partis interrogatoriis, unumquemque interrogabit, cuius sit ætatis & conditionis: an litigatores noverit, & quæ notitia, vulgari an aliâ; an uni parti magis faveat quam alteri; an sit unius aut alterius consanguineus vel affinis, an ex testimonio suo commodum speret, vel incommodum timeat. Item interrogabit de loco, tempore, visu, auditu, credulitate, scientia, fama, certitudine, & aliis similibus causæ circumstantiis, *cap. Cum causam §. 7. h. t.* 11. & potissimum de ratione sui dicti seu depositionis sive scientiæ: adeò ut, si producentis adversarius in suis interrogatoriis id fieri iusserit, & examinador omiserit dolò vel negligentia, parti adversæ ad omne

interesse teneatur, Panormit. in *d. cap. cum Causam*: ut etiam, si testis, interrogatus rationem sui dicti, eam non reddiderit per aliquem ex quaque sensibus, qui negotio & facto, de quo interrogatur, congruit, Facinac. *q. 70. nu. 128. Menoch. De arbit. q. 25. n. 3.* depositio ejus, præsertim in criminalibus, sit nulla, *l. Solam Cod. eod.* Si verò reddiderit rationem aliquam, sed non probabilem, testimonio ejus non creditur, *c. Præstus 27. h. t.*

12. Nam ratio in teste; dat esse ejus testimonio, & illud salvat vel destruit. Et ideo licet dictum ejus per se non probet, tamen ratio dicti reddita sufficiens probat: ut si dicat, Nihil scio, nisi quòd viderim contenta in articulo fieri. Contra verò, si dicat, Scio, quia audivi ab alio, iam deficit ratio & fundamentum sui dicti, nec probat: nam testimonium de auditu alieno regulariter est nullum, *cap. Licet 47. hoc tit.* & dici solet, plus valere oculatum testem unum, quam auritus decem. Dico, de auditu alieno, quia si res sit perceptibilis auditu, & testis de proprio auditu deponat (ut si dicat, Sempionium esse obligatum Scio, quia audivit promittentem, *cap. 1. sup. De consuetudine*) probat, *cap. Tam 33. h. t.* Debet etiam ratio dicti esse separata ab ipso dicto. Et ideo, si deponat Testium mutuale Sempionium, pro causa scientiæ dicere debet, quia vidi centum numerare ex causa mutui, non debet dicere, quia scio: nam tunc ratio esset eadem cum dicto, atque ita non probaret.

13. Notandum tamen testem non teneri reddere præcisè causam suæ scientiæ, nisi interrogetur expresse vel implicite, *d. l. Solam & illi Bald. & colligitur ex d. c. Cum causam ubi communiter omnes*: quia testis verba sua esse non debet, nec respondere ad ea, de quibus non rogatur, *Felinus in d. c. Cum causam n. 1. §. 14.* Præterquam in causis criminalibus, & ubi agitur de factis, quæ solo iudicio intellectus percipiuntur, veluti si deponat aliquem esse sanæ mentis, esse divitem, esse dominum alicujus rei, habere jus decimandi, vel aliquo aliud simile, quòd potius iudicio intellectus, quam aliquo sensu corporeo percipitur, de quibus late *Facinac. q. 70. Mascardus De probat. conclus. 1376.* Nam in iis etiam non interrogatus debet reddere rationem suæ scientiæ, *Abbas in d. c. Cum causam sol. 3. & de supradictis nullo* assertore



asserere, esset potius judicare, quam testificari, quod ad testem non pertinet.

15. Similiter ad hoc, ut probatione facta per unum testem, deferatur juramentum suppletorium probationis, necesse est, quod testis ille, etiam non rogatus, reddat causam dicti sui seu scientiæ: alias non facit semiplenam probationem.

16. Examine testium ex parte actoris perductis ita factis, admittitur vicissim adversarius ad probationem eorum, quæ in personas testium, ab actore productorum, objecerit, si ante receptionem ad hoc non fuerit admissus. Et si ad hæc objecta probanda aliquos produxerit testes.

17. Permittitur rursus actori, ad fidem eorum conservandam vel minuendam, alios testes producere. Ulterius verò testium productio & reprobatio non est permessa. Et hoc est, quod dici solet, testes probatorios & reprobatorios probatoriorum reprobare licere, non item reprobatorios reprobatoriorum, d. cap. *Lites dilectus* 49. hoc tit. ne ita litigatores vicissitudine probationum & reprobationum in infinitum progrediantur, ac lites protrahant.

18. His ita peractis, Judex partes litigantes, in sua præsentia constitutas, interrogabit, an plures testes producere velint: & si dixerint, se velle audiri erunt, c. *Cum venisset* 25. h. t. ut si forte timeat quis, ne audiri super articulis, super quibus eos producit, non satis pro se deposuerint. Admitti, autem tunc poterit super iisdem articulis secunda & tertia productio, non verò quarta, c. *in causis* 15. h. t. nisi quartò producere petens affirmet jurejurando, se illud non petere dolo malo, neque se aliquo modo testificari subtraxisse, aut didicisse, sed quia eorum, quos nunc producere intendit, copiam antè habere nequiverit, c. *Ultra penult* hoc t. effixata eorum & nimia multitudo testium à Judice reſtricta & inhibenda est, cap. *Significaverunt* 36 hoc tit. Quæ multitudo quadragenarium numerum super iisdem articulis excedere non potest, d. cap. *Cum causam* 37. §. *volentes hoc tit.*

19. Sin autem negaverint se velle plures producere, & ulteriori productioni renuntiaverint, petentibus utrimque litigantibus, non verò tertio aliquo vel altero tantum id petentibus, c. *Constitutum* 30. hoc tit. Nisi altero absente,

citato tamen & contumace; Judex testium dicta & attestaciones publicabit, interloquendo hoc vel simili modo, *Dicta testium in hac causa publicamus, eaque pro publicatis & apertis habere volumus.* Facietque litigantibus potestatem habendi eorum copiam, & examinandi, intia competent. in terminum, quatenus pro se vel contra faciant, d. c. *in causis* 15. in fine c. *Significavit* 41. & c. *Albericus* 43. hoc t.

20. Et dispiciant, quid adversus testes, contra se productos, scripto postmodum objicere possint, veluti quod obscure & confuse deposuerint, ut ex eorum dictis elici & declarari veritas non possit, c. *Cum clamor* 53. h. tit. adeoque obscure dictum pro non dicto habetur, l. *De arate* §. *nihil interest* D. *De interrogat. adion.* quod item in depositionibus sibi contrariantur & contradicant: testis enim contrarium suæ priori attestacioni postea deponentis, sine ulla vel erroris vel justæ causæ allegatione, testimonium nullum est, l. 2. D. hoc tit. c. *Cum Ecclesia versic. nos igitur sup. De causa posses. & propriet.* vel quod sint singulares, qui regulariter non probant, c. *Nihilominus* & ibi Glos. 111. *quest. 9. c. Tam literis* 33. & ibi Glos. in V. soli hoc tit. Vide plenè Gabriel. *Com. concis. lib. 1. tit. De testibus conclus. 2.* ubi tradit, quando probent, vel non, quod nimirum vel falsum deposuerint, vel quod testimonium in aliqua sui parte falsitatis vitio laborans in totum reprobari debeat, Glosa in ean. *Si adscriptum Distinct. 9.* & sic de similibus.

21. Denique publicatione attestacionum facta, super iisdem, vel directè contrariis articulis, in eadem vel alia instantia, iidem vel alii testes produci nequeunt, c. *Fraternitatis* 17. & ibi communiter Interpp. h. t. Covar. *Pract. quest. 1. 18. n. 6.* Sicut nec quando ulteriori testium productioni renuntiatum est, c. *Inimicus* 18. & c. *Cum venisset* 25. versic. *Quæstiones* h. t. Idque ob metum subornationis novorum testium. Hoc tamen fallit pluribus casibus: ut si is, qui alios testes producere cupit, non poverit instrui ante publicationem, l. *Ex tenore* 36. h. tit. Item publicatione testimoniorum facta in judicio summario, poterunt super iisdem articulis, vel contrariis; alii etiam testes produci in judicio ordinario, c. *Veniens* 38. & c. *Cum tua* 44. h. t. & aliis, de quibus videre licet Gaill. *lib. 1. Obser. 104.*

22. Observandum etiam est, hanc publicationem



nem attestationum non esse de substantia processus, secundum communem sententiam: ac proinde Processum ac sententiam, ea omissa vel deiegata, latam, si appellatum non sit, valere, ac transire in rem judicatam, Gaill, d. loco num. 1. quia eius omissio ius litigatoris laedit, non autem ordinem iudiciorum pervertit.

## TITULUS XXI.

## De Testibus cogendis.

1. Testes cogi possunt ad dicendum testimonium.
2. Idque vel capris pignoribus, vel multa, vel per censuras.
3. In causis tum civilibus tum criminalibus.
4. 5. Satisfit objectionibus, quo ad criminales.
6. Quidam tamen cogi non possunt.
7. Nisi defectu testimonii aliunde veritas haberi non possit.

**T**ESTES auctoritate publica, id est Iudicis & per personam publicam ad ferendum testimonium citari debent, ca. 2. sup. De testibus. Qui si moniti & citati legitime comparere refugiant, & vel odio, vel timore, vel alia simili de causa sese subtrahant, aut, licet compareant, testificari nolint, per Iudicem vel ejus commissarium ad hoc compelli possunt. Idque obtinet utroque iure, toto hoc titulo l. Si quando, cum Auth. seq. Codicis de testibus; tum ob publicam utilitatem, ne veritas occultetur, in aliquis praedictum, can. Quamquam xlv. q. 2. tum quia testimonium perhibere est muneris publici; ad quod etiam invitus quis compellitur, lege cum ab initio, & ibi Glos. in v. cogat, & l. Sed si quis d. Quomodo testam. aperiuntur. Imò adeo necessarium, ut quis repellatur à munere iudicandi propter actum testificandi, c. Dilectio 40. sup. de testib. quia facilius reperiuntur centum Iudices, quam unus testis, Abbas in d. c. Dilectio num. 3. ubi num. 10. tradit praxim, qua quis possit in testem producere Ordinarium causae Iudicem, quando ille sibi pro teste est necessarius. Videatur Gratianus in can. Si testis §. si exigat v. q. 3.

2. Compelluntur autem testes, secundum fori qualitatem, vel capris pignoribus, vel multa in fluta, arg. l. 1. §. 3. in fine d. De infirmis re: vel per censuras Ecclesiasticas, videlicet suspensionem, interdictum, excommunicationem, aut depositionem, vel degradationem, c. 1. 1. §. 5 h. r.

3. Et hoc quidem in causis civilibus indubitatum est, c. 1. 2. 6. & 7. hoc tit. An vero etiam in criminalibus cogi possint, non immerito quid dubitet, propter c. 3. & 10. h. r. Eoque magis, quod nemo debeat alterius secreta propalare, vel ei detrudere, deferendo alicui ejus delicta, can. Ex merito vi. q. 1. Aded ut tale quid faciens, actione in factum ad interesse, vel actione injuriarum conveniri possit, l. Si quis testimonium §. sed et si quis d. ad Legem Aquil. & quandoque etiam falsi teneatur, lege 1. §. in qui d. Adley. Corn. de falsis. Verius tamen est, & communiter obtinuit, etiam in criminalibus posse testes cogi dicere testimonium. Idque probatur per ea Pervenit. 4. & 5. c. Super his 6. c. Cum contra hosti. quia hoc non est alteri detrudere, sed veritatem dicere, non animo detrahendi sed veritatem detegendi: quam interrogatum à Iudice celare, esset grave, imò mortale peccatum, can. Qui per xi. q. 3. Glos. in c. 1. P. occultent hoc tit. Expedit enim Reipubl. ne crimina maneant impunita, c. Vi fame 35. inf. De sent. excommunicat. Et ideo licet quis juraverit se non testificaturum, nihilominus ad id compelli poterit, juramento non obstante, d. c. Pervenit 4. hoc tit. & ibi Glos. i. i. i. timavit 18. sup. De testib. quia tale juramentum non est obligatorium, quippe temerarium & contra bonos mores praestitum, c. Non est obligatorium De R. l. in 6. Potestque vocatus in testem & jurans, etiam propria auctoritate, & nulla praevia absolutione petita, juramento contravenire absque ullo perjurii periculo, prout communis habet opinio, in c. Constitutus 45. & ibi Glos. in v. teneri sup. De testibus late Gaill. lib. 1. Obser. 100.

Dixi vocatus in testem; quia extra eum etiam jurans non revelare secreta, si contra faciat, perjurus efficitur. Quinimò licet non juraverit, nefarie & improbe facit, secreta alterius propalando: adeoque actione in factum ad interesse vel injuriarum conveniri potest; & quandoque falsi tenetur, ut ante



proximus, & tradit Gaill. d. loco.

4. Non obstat d. cap. 3. quia cum dicitur ibi, testem monendum esse, & non cogendum ferre testimonium veritati, ita intelligi debet, non esse cogendum à principio, sed prius monendum; quia monitio præcedere debet coactionem, c. 1. hoc t. Non autem prohibet, quod minus cogi possit, si non pateat monitioni. Ita Glossa ibid.

5. Non obstat quoque d. e. 10. quia ibi agitur de criminibus, quæ ipsis testibus obijciuntur, non quidem criminaliter, ut patet ex eo, quod ibi quaestio erat super conventionem & reconventionem, quæ in criminalibus locum non habet, quia non criminis relatione, sed innocentia reus purgatur, l. Si qui 5. D. De publ. judiciis. Item agebatur per procuratorem, qui in criminalibus non admittitur; sed agitur de istis criminibus, ad eum siquem dumtaxat, ut à testimonio repellantur. Ad huiusmodi autem probationem non coguntur testes, quia nemo cogitur ad denuciandam famam alterius. Vide Host. h. s. n. 2.

6. Sunt tamen nonnulli, qui ad testimonium ferendum cogi non possunt: ut in primis Sacerdos ne quidem à Summo Pontifice compelli potest, ut secreta confessionis revelet, quia illa non ut homo, sed ut Dei vicarius scire intelligitur, ut postea dicemus. Secundò excipiuntur multæ personæ, quæ enumerantur, partim in l. Inviiti 19. D. De testibus, ut senes, valetudinarii, milites, qui cum Magistratu Reip. causa absunt, vel quibus venire non licet: partim in can. Si testes §. item in Lege Julia vi. §. 3. partim iterum in l. 4. D. De testib. Inter quos sunt cognati & agnati, non quidem omnes, sed qui à latere se contingunt, & nullo communi patriæ potestatis vinculo tenentur: hi enim licet possint esse testes, non tamen ad hoc cogi possunt, usque ad septimum gradum, ut colligitur ex d. l. 4. At verò qui sibi parentum & liberorum loco sunt, quique in alterius sunt potestate, tantum abest, ut ad testimonium dicendum possint cogi, ut ne volentes quidem admittantur. Tertio, affines, non quidem omnes, sed qui inter se parentum liberorumve locum obtinent, ut socer, socrus, gener, nurus, vitricus, noverca, & similes, durante nimirum affinitate. Quartò, liberti contra patronos, d. l. 4. & similes.

7. Quamquam & hi certo casu rectè compellantur ad dicendum testimonium, nempe si ob defectum aliorum testium veritas aliter indagari & haberi nequeat: nam eo casu cessare meritò debent eorum privilegia, favore eruentæ veritatis, quam etui publica utilitas exposcit, Panormit in d. e. 1. h. tit. Adeo ut in Clericis quoque receptum sit, ut, licet ad testificandum in causis laicorum compelli nequeant, tamen, deficientibus aliunde probationibus, cessante eorum prærogativa coram suo Iudice Ecclesiastico testificari debeant eam. Quamquam & ibi Gloss. xiv. §. 2. vel etiam coram sæculari, cum superioris tamen licentia. Videatur Gaill. d. Obser. 100. num. 15.

## TITULUS XXII.

## De fide Instrumentorum.

## §. 1.

## Instrumentum quid, &amp; quotuplex.

1. Instrumentum unde dicatur, & quid sit.
2. Instrumenta alia Publica; alia Privata & forma Publicorum.
3. Quadam etiam quoad effectum Publica sunt.
4. Item Publica alia sunt iudicialia, alia Extrajudicialia.
5. Instrumentum Privatum quod dicatur.
6. Ejus varia species, Apocha, Antiapocha &c.

PROBATIONIS in genere diximus frequentissimam esse speciem, quæ fit per vivam vocem sive per testes, de quibus egimus: sequitur de ea, quæ fit per vocem mortuam sive per instrumenta.

1. Dicitur autem Instrumentum ab Instruendo, l. 1. D. h. t. Et idèd in hac probationum materia Instrumentum generaliter significat omne id, quo causa instrui & fides Judici fieri potest, sive sint testes, sive scripturæ, sive confessio, sive quævis alia probatio, d. l. 1. & l. Notionem §. instrumentorum D. De verborum signif. Specialiter verò & propriè Instrumentum capitur pro qualibet scriptura, quæ fidem rei, quam continet, Judici facit, & causam instruit, Felia. & alii in Rubr. hoc t. B b 2. Sunt



2. Sunt autem Instrumenta in hac significatione duplicia, nempe alia Publica, alia Privata, l. 5. *Cod. De probat. l. Scripturas Cod. Qui prior. in pig. hab. Novel. 73. De instrument. cautela & fide.* Instrumentum Publicum proprie dicitur ea scriptura, quæ à publica persona, veluti Tabellione vel Notario publico, debita forma confecta est, d. *Novel. De instrum. cautela & Novel. 44. De tabellionibus ca. 1.* Debita forma consistit in hoc, quod fiat à Notario, ex mandato iudicis, aut à partibus ad hoc rogato, rei, de qua agitur, gnato, cum expressione anni, indictionis, mensis, diei, loci, in quo sit contractus vel actus, qui instrumento continetur: quod præterea inscribantur nomina testium, cum ipsius Notarii seu tabellionis subscriptione, cap. 2. *can. Inter dilectos & ibid. DD. h. tit. Covar. Pract. quæst. cap. 20. num. 2.* De jure communiter requiritur quoque expressio nominis aut Imperatoris aut Principis, in cujus dirione conscribitur; sed id usus non observat. *Covar. d. loc. n. 1.*

3. Dixi, instrumentum publicum proprie dici, quod à publica persona confectum est; quia sunt quædam instrumenta, quæ licet non sint à persona publica confecta, tamen quoad effectum probandi dicuntur etiam Publica, quia scilicet perinde plenam fidem faciunt, ac si à publica persona confecta essent. Hujusmodi est scriptura alicujus privati, sigillo aliquo publico & authentico signata, d. *cap. 2. hoc tit.* quale est sigillum Episcopi, cui statim, donec contrarium ostendatur, & *Post sessionem 7. sup. De probationib. can. Cura x1. q. 3.* item Principis secularis, juxta consuetudinem, per quam ei creditur, & *Cum dilectus hoc tit.* similiter Capituli, cap. 3. *sup. De probat.* insuper Civitatis, Universitatis & alterius communis, jus sigilli habentis, d. *e. Inter dilectos hoc tit.* Secundò, scripturæ qualescumque, quæ ex archivio publico extrahuntur, *e. ad Audientiam 13. ubi Felin. inf. De præs. l. in fraudem 45. §. quoties 7. D. De jure Fisci.* Tertiò, quæ sunt apud acta publica, l. 1. & 2. *Cod. Qui in Eccles. manumittuntur.* Quartò, scriptura, habens subscriptionem scribentis & testium, l. *Scripturas 11. Cod. Qui potiores in pig. habeantur & d. cap. 2. hoc tit.* Subscriptionem enim vel superscriptionem, in scriptura vel instrumento facta, continet & arguit sub-

scribentis approbationem, perinde ac si totam scripturam manu propria scripsisset, *Mascard. concl. 1341. num. 14. 15. Gabriel lib. 1. conclus. 3.* nisi scriptura non lecta sit facta subscriptione, nomine vel testis vel alicui, *Mascard. d. loc. n. 16. 17. 18. & segg.* Sigilli verò appositio vim subscriptionis & confessionis obtinet, *Gabriel. tit. De probat. concl. 4. Mascard. concl. 1302. per.* Et à Domino sigilli facta præsumitur, quando est sigillum eius, qui sigillavit, aut subscriptione hoc testatur est, *Menoch. 2. præsumpt. q. 18. Mascard. d. concl. 1302. Gabriel d. concl. 4. n. 20.*

4. Dividi possunt publica Instrumenta; in Judicialia, quæ scilicet sunt apud acta & in iudicio, auctore iudice, & in Extrajudicialia, quæ sunt in contractibus à Notario, extra iudicium, ad id rogato. Alioqui si ad hoc rogatus non fuerit, censetur illud confecisse tamquam privatus; sicque erit privatum, non publicum instrumentum.

5. Privatum Instrumentum generaliter est omnis scriptura, à privata persona, non autem à Notario, confecta, sive sit authentica, sive non: quod alio nomine vocatur Instrumentum Domesticum, l. *Instrumenta Cod. de probat.* Et hac ratione scriptura iudicis, etiam si habeat testes subscriptos, censetur privata, quia scribere non est officium iudicis, sed tabellionis. Similiter litteræ propria manu Regis, vel Principis, vel Parochi, scriptæ, censentur scripturæ privatæ: nec enim inconveniens est, scripturam privatam à publica persona, qualis est Rex, Princeps, Parochus, emanare, quia quoad scribendum non est publica, sed privata persona. Alias sumitur Instrumentum Privatum pro instrumento non publico, nec authentico.

6. Instrumenti Privati seu scripturæ privatæ, variae sunt species; hæc tamen principales communiter consueverunt, Apocha Antapocha, Syngrapha. Liberrationum & Epistola, *Rebuff. in tract. De chirographi & sedula recognitione n. 13.*

Apocha Græcè, Latinis idem est quod receptio, estque scriptura, à creditore debitori dari solita, qua creditor fateretur se recepisse pecuniam, sibi ab eo debitam, de qua in l. *Acceptilatum D. De acceptilatis.* Differt autem ab Acceptilatione, quod per acceptilationem



omimoda liberatio contingat, licet pecunia soluta non sit: quia licet soluta non sit, tamen creditor eam tamquam receptam & solutam habet, Apocha verò non aliter contingit liberatio, quam si pecunia soluta sit.

Antapocha vice versa dicitur privata scriptura, quam debitor creditori de solutis facit & tradit: vulgo *Contresedule* vocatur. Estque necessaria in pensionibus & præstationibus annuis, ad impediendam præscriptionem exemptionis à solutione; soletque ita fieri: *Fateor me tantum pensionis aut usurarum nomine soluisse.*

Syngrapha dicitur scriptura sive scedula, quæ sit propria manu eorum, qui paciscuntur, in alicuius rei fidem.

Libellus rationum est ille, quem quilibet sibi sponte facit, de quo in *l. rationes* & in *d. l. instrumenta Cod. de probat.*

Epistola est scriptura privata, quam aliquis alicui vel socius socio mittit.

## §. II.

## Differentia publicorum &amp; privatorum Instrumentorum.

1. *Instrumenta publica plenam fidem faciunt.*

2. *Donec contrarium probetur: & quo modo instrumentum.*

3. *Instrumentum privatum non probat pro scribente.*

4. *Exceptio.*

5. *Contra scribentem probat, etiam plene.*

¶ Am quod ad fidem instrumentorum attinet, multum hæc ea in parte interest inter Publica & privata, quia publica instrumenta plenam fidem faciunt de eo, quod dispositivè continent, siye pro proferente, siye contra proferentem, non tantum ipsa originalia siye authentica, ut nostri vocant id est prima & principalia instrumenta, & publica per se, absque alio adminiculo *c. 2. hoc tit.* Verum etiam eorum exempla seu exemplaria, id est ex ipso originali desumpta, dummodo iussu iudicis desumpta seu exemplata fuerint, quo verbo utitur Pont. in *c. ult. hoc tit.* Alias sine originalibus nullam fidem faciunt *c. 1. hoc tit. juncta l. 2. D. eod.* sed tantum conjecturam & suspicionem inducunt, vix dilationi jurisjurandi sufficientem. Quinimò etiam illud, quod ex abbreviatura seu protocollo (de no-

minis ratione vide Covar. *Pract. quest. 19. n. 2.*) tabellionis mortui auctoritate iudicis in publicam formam redactum est ab alio, similem fidem facit, *cap. penult. hoc tit.* Covar. *ibid. c. 21. num. 3.*

Dixi plenam fidem facere de eo, quod dispositivè continent; quia quoad ea, quæ in illis enuntiativè & incidenter narrantur, non probant, in præiudicium tertii: *l. Ex hac 16. D. De Donationib. nisi in antiquis, quorum scilicet origo & initium centesimum annum excedit, c. Cum causam sup. de probat.*

2. Deinde quod dictum est, publicum instrumentum plenam fidem facere, intelligendum est, donec contrarium probetur, *l. Cum precibus 18. Cod. De probat. & ibi DD.* siye per testes contrarios, ad minimum tres, vel duos, omni exceptione majores *c. Cum Ioannes 10. h. t.* Covar. *lib. 2. Var. resol. cap. 13. n. 11.* siye per aliud instrumentum, alteri contrarium: modo etiam adversarius nihil objiciat: veluti quod non sit confectum à Notario, qui eidem subscripsit; quod rasuram seu cancellationem habeat circa substantiale instrumenti vel etiam rasuram dictionis vel syllabæ aut litteræ quæ immutet sensum instrumenti, vel aliud, quod circa instrumentum vel eius sensum dubitationem inducat, quia inde reddi potest aut falsum aut saltem suspectum, *c. Inter dilectos §. instrumentum h. t. c. licet inf. De crimine falsi.*

3. Instrumenta tamen privata regulariter non faciunt fidem proferente, *l. Instrumenta 5. cum l. seq. Cod. de probat.* etiam confecta manu Notarii, si desint solemnia, ad scripturam publicam requisita aut conscripta manu Episcopi: quia nullo jure cavetur, quod eiusmodi privata restatio seu annotatio habeat vim publicæ scripturæ, *c. Cum à nobis in fine sup. de testib.* etiam si agatur de favore piæ causæ, quia, ut dicitur in *l. Exemplo 7. Cod. de probat.* exemplo perniciosum est, ut ei scripturæ credatur, qua unusquisque sibi annotatione propria debitorem constituit: aded ut ex scriptura merè privata, juxta communem sententiam, ne quidem semiplena probatio inducatur.

4. Facit tamen instrumentum privatum fidem pro scribente. Primò, si tium testium subscriptione fuerit municum, *d. c. 2. h. t.* quia tum quasi publicè confectum creditur, *l. Scripturam Cod. Qui posteriores in pig. habeantur, Covar. Pract. quest.*



quasi. c. 22. n. 3. Secundò, si instrumentum eius modi longo tempore inter partes fuerit observatum, & in iudicio pro tali sæpius habitum atque exhibitum. Tertiò, si agatur de modica summa. IV. si recipiat aliquod fomentum vel supplementum unde haberi debeat quasi authenticum, ut quia alia adminicula, veluti quod scribens sit vir bonæ opinionis & famæ & solitus semper scribere veritatem, quod vir sit legalis, summa præditus integritate, & scriptura contineat veti similia. V. Si sit iuramento confirmatum VI. si inter partes conveniret, ut instrumentum privatum plenè probet; prout convenire potest cum, quòd scriptura privata non probet, introductum sit favore partium, cui renuntiare possunt. Denique si ab adversario scribentis approbatum sit, etiam plenam fidem facit, licet non sit testiū subscriptio munitum, l. Publica 26. §. fin. in fine D. Depositi.

5. At verò contra scribentem, si causam expressam habeat, ex qua debitum petitur velati ex mutuo, ex empto, locato, &c. plenam fidem facit, etiam nullo teste adscripto, modò tamen is, qui scripsit, fateatur se scripsisse, quia quisque debet suæ confessioni contra se stare, l. Generaliter Cod. De non numer. pecunia. Sin autem causam expressam non habeat, tum licet is, qui scripsit, fateatur se scripsisse, amen non probat adversus scribentem, nisi semiplenè. Si cautio 14. h. t. l. cum indebito D. De probat. quia censetur indiscretè scripsisse: & propterea adversario incumbit probare causam, ex qua debeat is, qui scripsit d. c. Si cautio.

## §. III.

## Quomodo &amp; ubi Instrumenta edi debeant.

1. Edi debent in iudicio parte citata usque ad conclusionem in causa.
2. Non verò post conclusionem.
3. Exceptio.
4. Interdum partis citatio necessaria non est.
5. Interdum etiam ante litem contestatam produci debent.

1. **A**D hoc verò ut probent instrumenta, editive produci in iudicio debent, instar aliorum probationum: & quidem parte cita-

ta, ac post litem contestatam; aliàs non probant. Quamquam in eo differant à reliquis probationibus, quo ad productionem, quòd produci possint non solum in termino probatorio. sed intra terminum, intra quem examinari testes oportet, sed usque ad conclusionem in causa, l. Gum dilectus 9. & ibi D. D. hoc tit. quia in hac productione non subest metus subordinationis, qui subest in testibus: nisi fortè Iudex præscripserit certum tempus, intra quod instrumenta omnia edi debeant.

2. Post conclusionem verò in causa produci amplius non possunt, quia is est terminus exclusivus omnium probationum, cum facta conclusionem de causa liquere dicatur, juxta Gloss. in c. Significaverunt V. liquere & ibi Felin. sup. De testibus Sic etiam produci nequeunt, quando expresse renuntiatum est omnibus probationibus.

3. Hoc tamen fallit; Primò, Si ex iusta aliqua causa Iudex, postquam conclusum est in causa; admittere ea velit, quia quo ad Iudicem numquam in causa concluditur, ideoque conclusionem rescindere & ulteriorem probationem partibus injungere potest, cap. Cum Ioannes 10. & ibi Gloss. & Felin. n. 12. h. t. partemque interrogare non solum ad declarationem retroactorum, verum etiam ad fundandam de novo intentionem partis, in vim novæ probationis, arg. d. s. Cum Ioannes. Secundò, Si producens instrumenta fidem faciat iuramento, ea demum post conclusionem in causa venisse ad suam notitiam, facta prius diligenti inquisitione, c. Pastoralis inf. De except. Ad hoc autem iuramentum præstandum opus est speciali mandato in procuratore, ut illud præstet nomine domini, & in animam eius. Tertiò, in causa matrimoniali, in qua sententia, maxime contrà matrimonium lata, nunquam transit in rem iudicatam, c. Lator 7. & ibi Gloss. inf. de re judic. IV. Quando instrumentum non ad probandum, sed ad priores probationes declarandas, profertur: quia alias prohibetur probare, non vetatur probationem à se factam declarare. V. In criminalibus, in quibus non concluditur in causa quoad reum, quin semper ad sententiam usque possit eius innocentia detegi, idque favore defensionis receptum est, VI. Si ex beneficio restitutionis in inter-



tegrum subveniat minori, vel Ecclesiae, aut etiam majori, ex clausula generali, *Si qua mihi iura &c.* VII. In causa appellationis possunt ea instrumenta produci, quibus in priori instantia obstitat conclusio, juxta *l. Per hanc ubi committitur DD. Cod. De temporibus appellat.* VIII. Dicta regula procedit in probationibus facti, non etiam probationibus juris, quibus per conclusionem non censetur praelusa via; sed leges semper allegari possunt, modo ad hoc non petatur nova dilatio, quae esset deneganda IX. In causa beneficii, secundum aliquos. X. Fallit quo ad recognitionem in sigillorum, nam fieri potest tunc probatio post conclusionem in causa. Denique si facta sit conclusio cum clausula. *Salva reproductione scripturarum & aliis casibus.*

4. Subinde etiam non requiritur citatio partis veluti quando instrumentum producitur ad solam instructionem Iudicis, vel sit productio in fine termini, aut intra terminum, datum ad producendum scripturas seu instrumenta, vel ad probandum per omne genus probationis.

5. Similiter interdum produci debent ante litem contestatam: ut si in libello facta sit mentio instrumentorum: nam tum illa una cum actione, adversario petenti edenda sunt: *l. 1. §. 1. & fin. D. De edendo.* Quamquam instrumentum cum libello productum, non probet, nisi post litem contestationem in vim probationis repetatur seu producat.

## §. IV.

Qualiter & cui edi debeant.

1. Edi debet ipsum originale instrumentum.
2. Aut exemplar, jussu iudicis inde desumptum.
3. Et quidem iudici totum, parti solum capitulum de quo agitur.
4. 5. Quaestio, an reus auctori teneatur edere instrumenta.
6. Quatenus tertio alicui edendum sit instrumentum.

1. Produci etiam debent ipsa instrumenta originalia, quia exemplis seu exemplaribus eorum regulariter non creditur *cap. 1. h. t. lib. 2. D. eod.* 2. nisi auctoritate Iudicis exemplata sint, concurrentibus iis, quae supra §. 2. num. 1. ad exemplationem requiri diximus. Potest ta-

men producens, originali semel exhibito, eoque recepto relinquere in actis copiam authenticam, ne forte ipsum originale aliquo casu perdat vel surripiatur. Nisi instrumentum sit originalia e mandati procuratorii; nam hoc, si sit simplex, relinqui in actis debet, neque alias probat. Sin plura contineat capita & mandata ad plures causas, debet originale restitui producenti, & registrati in actis ea pars mandati, quae ad causam facit.

3. Edi autem instrumentum oportet ipsi Iudici, & quidem totum; parti vero eius tantum capituli copia danda est, de quo movetur quaestio, *c. Contingit: §. h. t. restituito originali instrumento.*

4. Ceterum an reus auctori sua instrumenta edere teneatur, ad fundandam eius intentionem, quari potest. Et dicendum, prout superius innuavi *l. ad Tit. De probationib. §. 3. n. 6.* non teneri edere ea, quae ibi propria sunt, seu quae suis sumptibus redemit *arg. cap. 1. in fine sup. De probat.* quia neque juris neque aequitatis ratio permittit, ut quis in vitus arma & tela quibus confodiatur & conficiatur, adversario suo tradere cogatur. *Qui accusare 4. Cod. de edendo, l. Nimis grave 7. Cod. De testib.* Secus si sint communia v. g. communibus sumptibus confecta, vel testamenta inter haeredes ac legatarios: quorum nomine comparata sunt duo edicta Primum, De tabulis exhibendis, adversus eum, qui negat, se testamentum habere vel asserit se exhibere non posse: alterum, Quemadmodum testamenta aperiuntur: adversus eum, qui non differtur testamentum apud se esse, quo casu compelli potest, ut aperiat, *toto tit. D. & Cod. Quamamodum testamentum aperiuntur.*

5. Sed cur, inquires, minus reus tenetur edere instrumenta sua auctori, ad fundandam eius intentionem, quam actor sua reo, ad fundandam eius exceptionem, juxta *l. Non est novum 5. Cod. De edendo*; praesertim cum reus in suis exceptionibus sit actor *l. in exceptionib. 14. D. De probat.* Respondeo, quia licet reus in sua exceptione sit actor, tamen est actor necessarius, & ut ita dicam, invitus, cum non sit in eius potestate, an & quando conveniatur, *l. Pure §. ult. D. De dolimali except.* uti est in potestate auctoris, an & quando velit convenire reum, seque praemunire probationibus sufficientibus: ac



proinde hac in parte favorabilior est reus. Et hinc quoque fit, quod cum & actor in sua replicatione sit reus, leg. 1. *D. de excep.* ei ad fundandam replicationem vicissim reus teneatur sua exhibere instrumenta, l. penult. §. *in. D. Ad leg. Falcid.*

6. Ut vero intelligatur plenius, quando instrumentum edi alicui tertio debeat, vel non, sciendum est, communem conclusionem esse, quod editio instrumentorum ei non sit decerpenda, qui non mandavit vel per se vel per alium illud confici, nec successit in locum mandantis, per l. *Si quis ex argentariis* 6. §. unde apparet, §. 1. *Quadam §. fin. D. De edendo.*

Fallit autem conclusio ista, Primum, si inter sit eius, qui petit sibi edi instrumentum: tunc enim potest vel per editum de edendo, vel ad hoc in factum subsidiaria editionem illius petere, licet mandato eius non sit confectum d. l. *Quadam §. fin. §. 1. 2. Cod. de edendo.* Ratio est, quia instrumentum est pars probationis: & ideo, sicut testis cogitur testimonium dicere pro tertio, ita & instrumentum edi tertio debet, quando edi ipsius tertii interest: modo tamen Iudici de tali interesse constet summarie; neque enim creditur soli assertioni petentis editionem instrumenti, ob rationem ante allatam ex l. *Qui accusare Cod. de edendo.*

Secundo fallit, si à Magistratu petatur editio alicujus statuti, ab una parte in iudicio allegati, & altera negati: nam cum tale statutum sit jus publicum, & proprium loci, ubi illud servatur, & per consequens omnibus commune, nemini denegandum est; sed edi debet, utique capitulum allegatum, non verò totus statutorum liber.

Tertio in procuratore Fisci, quoad causas civiles exemptionum & contributionum; nam hic potest petere sibi edi instrumenta, non modo à tertiis, sed & ab ipsis rejs conventis, ad probandam suam intentionem, sive contra alios, sive contra reos conventos; idque favore speciali Fisci & Reipublicæ, l. 2. §. *item divi fratri D. de jure fisci.*

Quartò, in usurariis, qui tenentur codicem rationum edere *Clement. 1. §. ceterum De usuris.* Idem dicendum de publicanis, couponibus, stabulariis, & similibus, fraudem in contrahibus committere solitis. Videatur de his plenius Gaill. *Observ. 106.*

## §. V.

## De interpretatione &amp; improbatione Instrumentorum.

1. Instrumentum est stricti iuris.
2. Prodest & obest tantum in eo nominatis.
3. Improbantur instrumenta per testes contrarios.
4. Sibi item contraria, & aliis modis.

1. Instrumenti, cum sit stricti iuris, interpretatio sumi debet ex verbis, ita ut, quod non dicit instrumentum, nec nos dicere debeamus neque extendi possit extra ea, de quibus fuit rogatus Notarius, & quibus ipse interfuit.

2. Et quemadmodum instrumenta iis tantum profunt, qui nominantur, non aliis: ita etiam non aliis obstant, quam qui in iis sunt nominati, neque contra alios probant, nec in præiudicium tertii in qua interpretatione extendi debent. Licet ad successores vel iuris vel rei etiam singulares extendantur, & contra hos & pro his perque fidem faciant atque contra auctorem, cum iure utuntur, pro ut hæc latius deducit Welschbeck ad D. h. 1.

3. Porro excipi quoque adversus instrumentum potest, idque ex variis causis, quæ hinc breviter attingendæ sunt; eique improbando opponi quandoque testes contrarios, qui deponant rem non ita contigisse, ut tabellio sive Notarius confiteretur, dixit supra §. 2. m. 2. h. 1. per text. in c. *Cum Ioannes* 10. h. 1. Quo casu vel producuntur testes contra instrumentum, in eo non descripti, mortuis nimirum testibus, instrumentis inscriptis, & tunc requiri ad minimum tres testes contrarios, ut ducet publici quidem instrumenti fidem destruant, originio est *Gloss. in l. Optimam 11 C. De contrah. & committ. stipul.* Quamvis communius receptum sit, ad enervandam fidem cum publici, etiam omni ex parte perfecti, tum etiam privati, tum testium subscriptione firmati, sufficere indirecte duos testes, idoneos sive fide dignos & omni exceptione maiores, per d. l. *Optimam* 11. Tertio *leg. 5. sup. de probat.* siue ea probatio fiat directe, siue indirecte: quod omnes fatentur, sicutquit *Covarr. pract. qu. cap. 29. n. 6. post Innoc. in d. c. Cum Ioannes* & ibi *Feli. m. 13. Abb. n. 13. vers. Sextima* Rationem assignant hanc, quod instrumenti fides à Notario pendeat, eumque unicuique esse, qui duobus testibus præferri non debeat, quamvis auctoritas eius sit publica Vel testes ipsi.



Instrumento inscripti, adhuc superstites contradicunt instrumento: quo casu licet variæ quæque sint opiniones, teste Abbat. *d. loco num. 14.* placuit tamen communius, tolli omnino fidem per duos testes, eidem instrumento inscriptos, per text. in *c. Tam litteris h. r. Felin. in d. c. Cum iam. n. 46. Covar. d. loco, vers. Secunda concl.*

4. Secundò improbari possunt instrumenta, si ab eodem contraria fuerint producta: tunc enim utrumque reiicitur. Et imputare sibi debet, qui contrarias inter se scripturas protulerit, fidem sibi invicem derogantes, *c. Imputare. 1. 3. h. r.* Verùm si à diversis diversa & contraria instrumenta producantur, tum iudicis erit æstimare, utri standum putet, pro rerum, testium & Notarii qualitate. Sin discernere non possit, & utrumque æquè probabile videatur, neutri credi debet, *d. c. Imputare & Interpp. ad d. l. Optimam. C. De contrab. & commit. stipul.*

Tertiò, improbatum instrumentum cancellatum, vel si rasuram habeat dictionis vel syllabæ, quæ sententiam & substantiam rei alterare possit, & instrumentum reddat aut falsum aut saltem suspectum, *c. Inter dilectos 6. vers. Instrumentum quoque h. r.* Nisi rasura sit in loco non suspecto, aut talis, quæ instrumentum arguere non possit falsitatis, *c. 3. h. r. c. Cum olim inf. De privil.* Denique improbatum, si probeatur confectum ab alio Notario, quam qui subscripsit, *d. c. Inter dilectos vers. Instrumentum.* Vide plura de hac re apud Ferrarium, in *Forma opponendi contra instrum.*

## TITULUS XXIII.

## De præsumptionibus.

## §. I.

## Quid sit Præsumptio.

1. Præsumptio quid sit.
2. Semper circa rem dubiam versatur.
3. 4. 5. Fictio quid sit, & in quo differat à Præsumptione.

**L**oco probationum sunt etiam Præsumptiones, quæ quandoque plenè, quandoque semiplenè probant, interdum aliàs præsumptiones adiuvant.

Præsumptio autem nihil est aliud, quam conjectura probabilis, ex certo aliquo signo proveniens, ad adstruendam rei dubiæ fidem, seu quæ, alio non adducto, pro veritate habetur. Vel est anticipata de re dubia opinio ex argumentis, iudiciis, & coniecturis, per rerum circumstantias plerumque eventibus, sumpta, Menoch. *De Præsumpti lib. 1. quæst. 7. num. 4.*

1. Dicitur, rei dubiæ, quia præsumptio semper versatur circa rem dubiam, quæ scilicet potest esse vel non esse. Et ideo sæpè convenit cum ipsa veritate: in eoque differt à Fictione.

3. Quæ est falsitatis indubiæ pro veritate ex iusta aliqua causa assumptio, sitque semper super aliquo certo contra veritatem.

4. Præterea fictio non inducitur ab homine, sed à lege dumtaxat, & est quædam legis dispositio; ideoque non admitti directè probationem in contrarium. At indirectè admittitur probatio adversus fictionem, nempe demonstrando, cessare æquitatem, super qua illa fictio fundatur. At verò præsumptio de sui natura semper admittit probationem in contrarium: ut de præsumptione hominis & iuris clarum est; & de præsumptione iuris & de iure patet ex eo, quòd, licet regulariter excludat omnem probationem in contrarium, tamen admittat confessionem partis in contrarium, atque etiam indirectam.

5. Insuper præsumptio una alteri adversari potest: atque inde potentior tollit minus potentem. Potest etiam concurrere cum alia vel aliis: versatur circa ea, quæ sunt facti: extenditur de persona ad personam, & allegari debet. Atqui fictio una alteri contrariari non potest, *l. 3. §. de contrario. D. De acquir. possess. nec cum alia vel aliis concurrere, quia duo specialia, cuiusmodi sunt duæ fictiones, simul esse non possunt: versatur circa ea, quæ sunt facti & iuris simul: nec extenditur de persona ad personam: neque est necesse eam allegare cum sit dispositio quædam iuris.*

## §. II.

## De divisione Præsumptionum.

1. Præsumptio alia est Hominis, alia iuris.
2. Præsumptio Hominis alia est Lewis, alia Probabilis.
3. Præsumptio iuris alia est iuris tantum, alia iuris & de iure.

## 1. Præ-



**P**ræsumptionum alia est Hominis, alia Juris vel Legis, Præsumptio Hominis est quidam conceptus in mente Hominis, causatus ab aliqua conjectura. Et dicitur Hominis, quia nullo jure comprehensa aut confirmata repetitur.

2. Dividi ea potest in Levem seu Temerariam & Probabilem seu Discretam. Temeraria est conceptus in mente hominis, causatus ex aliqua conjectura non probabili. Et hæc nihil probat, c. *Inquisitioni* 44. inf. De sent. excommunicat. can. *Orves pastorem*; in verbis, *Omnis suspicio est potius repellenda, quam approbanda vel recipienda*, vi. q. 1. & ideo Pont. ait, nullum suspicionis arbitrio judicandum, can. *Primo semper* 2. q. 1. Probabilis præsumptio est conceptus, causatus in mente hominis ab aliqua conjectura probabili. Estque nunc major, nunc minor. Unde eandem quidam dividunt in Vehementem seu Violentam, quæ facit plenam probationem, & in non Vehementem seu Minorem, quæ probat semiplenè, d. c. *Inquisitioni* vers. *fin.* Et si famâ publicâ vel aliis administratis adjuncta fuerit, etiam plenam fidem facit c. *Tertio loco* 31. h. t. Sed non sunt hæc diversæ species, arg. l. ult. D. *De instruendo vel instrum. legato*. Cumque varix atque multiplices sint hujusmodi præsumptiones, & ex variis causis oriri possint, non potest de his certa tradi doctrina, verum relinquuntur ea arbitrio judicis.

3. Præsumptio Juris dicitur, quæ in ipso jure est scripta, vel à lege approbata. Et hæc dividitur in præsumptionem Juris tantum & in præsumptionem juris & de jure.

4. Præsumptio juris tantum est, quando jus in dubio aliquid præsumit, nihil desuper constituendo, quod pro jure habeatur; & ideo admittit probationem in contrarium. Talis est præsumptio solutionis, quæ oritur ex cancellato chirographo, l. *Si chirographum* 42. D. *De probat.* Item ea, quæ præsumitur, patrem ante filium puberem decessisse, cum ascendens prius intelligatur mortuus, quam descendens; aut filium impuberem prius decessisse, ubi uterque uno casu, v. g. naufragio extinctus est, cum ætas impuberis videatur magis obnoxia repentino casui, l. *Qui duos* 9. §. *cum bello* §. *fin.* D. *De reb. dubiis*. Talis quoque est, quæ præsumitur is, qui in adolescentia probis

fuit moribus, etiâ in senectute probus, & contra, c. *Ex studiis* 3. c. *Mandata* 6. Cum in juvenute, h. t. quæque præsumitur nocens, qui protelando & differendo subterfugit judicium, c. *Natum* 4. hoc t. Item qui ex duobus sibi propositis unum negat, alterum tacendo concedere præsumitur, c. *Nonne* 5. hoc t. Similiter si Pont. per scriptum mandaverit provideri alicui de beneficio Ecclesiastico, adjectâ hac conditione, si fuerit idoneus, non est necesse, ut is, pro quo scriptum est, probet se idoneum esse, quia præsumitur esse talis juri præsumptione; sed si quis contra contendat, eum non esse idoneum, id probare debet, c. *Nit*, h. t. & sic de similibus aliis.

Præsumptio juris & de jure est, cum Lex aut Canon, ita aliquid præsumit, ut super tali præsumptione jus firmum statuat, & eam pro veritate habeat. Dicitur, præsumptio juris, quia à jure introducta; & de jure, quia super tali præsumptione lex inducit firmum jus, & eam pro veritate habet: ita ut non admittat probationem in contrarium uti admittit præsumptio juris tantum. Talis est præsumptio matrimonii, quæ oritur ex concubitu sponsum & sponsam, c. *Qui fidem* inf. *De sponsalibus*. Ubi tamen advertendum, tale matrimonium præsumptum inter sponsum & sponsam, propter carnalem copulam subsecutam, esse abrogatum per Concil. Trid. Sess. 24. cap. 1. ut postea dicemus. Talis item est præsumptio, qua qui semel convictus est pejerasse, præsumitur semper in posterum pejeraturus, secundum Reg. *Qui semel malus*. semper præsumitur malus, c. 8. *De R. l. in 6.* Tales quoque sunt, quæ extant in *Antiqua Cod. ad Senat. sc. Vallesanum*, in l. *fin. Cod. Ad Macedonianum*, in l. *fin. circa princ. Cod. Arbitrium tutela*.

### §. III.

#### Ex quibus oriuntur Præsumptiones.

1. *Oritur Præsumptio vel ex naturali causa.*
2. *Vel ex principiis humanis aliisque circumstantiis.*
3. *Præsumptio juris & de jure ex actis præteritis temporis.*

**O**riuntur autem præsumptiones ex variis causis: nempe vel ex naturali causa, &



naturalibus principiis: ut præsumptio, quæ præsumitur, non esse virginem, quæ peperit, & corruptam fuisse ac concepisse mulierem, quæ lac habet in mammis, eò quod natura, non arsefficit, ut mulier lac habeat in mammis propter generationem. Non est tamen certum hoc indicium corruptionis & conceptionis, quia potest fieri, ut lac habeat, nec tamen corrupta sit; ut si illi menstrua non fluant. Sic præsumitur esse ignis, unde fumus exire conspicitur, & sic de similibus. Et huiusmodi præsumptio merito dicitur necessaria seu violenta, imò violentissima, nec admittit contrariam probationem.

2. Vel oritur præsumptio ex principiis seu iudiciis & conjecturis vel exemplis humanis, & lege humanâ approbata. Vel denique ex aliis negotiis ac personarum circumstantiis, ex quibus, tanquam signis & argumentis, inducitur lex aut Canon vel homo ad aliquid de re proposita credendum, pro ratione argumenti, ex quo credulitas inducitur.

3. Præsumptio tamen Juris & de Jure semper delimitur ex actis præteriti temporis, non autem futuri. E verar. *in loco à tempore ad tempus.*

## §. IV.

## De effectu Præsumptionis.

1. Præsumptio temeraria non probat.
2. Probabilis, adjuncta adminiculis, etiam plene.
3. Vi & Violenta & Vehemens, regulariter.
4. Præsumptio juris est liquidissima.
5. Nisi per contrariam probationem elidatur.
6. Præsumptio juris & de jure probationem in contrarium non admittit.
7. 8. 9. 10. Nisi certis casibus.
11. Et rejicit onus probandi in adversarium.

1. Amplius verò videamus de effectu præsumptionum. Et quidem præsumptio levis sive temeraria, ut antè dixi, nullam omninò fidem facit, & rejicitur à iure. Probabilis semiplene probat. *Inquisitioni versè fin inf de sent. excommunicat.* Eamque solam ad torturam sufficere vult Bart. *in l. 1. in princ. D. de question.*

2. Famà verò publica, vel aliis adminiculis adiuta, plenam quoque probationem facit, *c. Tertio loc. 13. h. t.*

3. Sin autem violenta, vehemens aut vehementissima fuerit, plenam fidem fa-

cit, non secus, ac testes & instrumenta & ad condemnationem sola sufficit, tam in civilibus, quam in criminalibus, *c. Adferre 2. h. t.* Exceptis tamen gravioribus criminibus, quale est crimen hæresis, & similia, in quibus tales præsumptiones non sufficiunt, *c. Litteras 14. h. t.* quia in illis requiruntur probationes luce clariores, *l. fin. Cod. de proban.*

4. Præsumptio verò Juris dicitur liquidissima probatio, *l. Licet Imperator 74. D. De legat. 1. c. Cum dilecti, & ibi Abbas & alii inf. De donat. & pro veritate habetur: eique statuitur, donec contrarium probetur, l. fin. in princ. D. Quod metus causa & c. & ibi Gloss. & Dd. c. 1. h. t.*

5. Dixi, donec contrarium probetur; quia cum præsumptio habeat locum dumtaxat in casu dubio, probationem admittit in contrarium, *l. Cum de indebito 25. in fine D. de probat. l. fin. D. Quod metus causa & c.* Et quando constat de veritate, cessat præsumptio, *ad fin.* Nam veritas semper prævalet, eique omnia cedunt, *l. penult. §. mulier D. de probat.* ac fides, quæ à probatione provenit, magis certa est, quam quæ à præsumptione hominis vel iuris. A fortiori autem tollitur contraria probatione præsumptio hominis, quæ est debiliior præsumptione Juris.

6. Aliud dicendum est de præsumptione Juris & de Jure, quæ regulariter non admittit probationem in contrarium, *c. li qui fidem 30. inf. De sponsalib.*

7. Dico regulariter, quia certis casibus admittit. Ut in primis per confessionem eius, pro quo stat præsumptio, siue ea confessio sit iudicialis, siue extrajudicialis, ut verius est, modo hæc testibus rectè probetur, vel iam sit probata, ut quia de ea per scripturam constat: & modo confessio sit de his, quæ pendent à voluntate consentientis: v. g. Præsumptio iuris & de Jure est adversus eum, qui fallus est, se recepisse pecuniam, & intra biennium non obiecit exceptionem non numeratæ pecuniæ, *l. In contrahibus Cod. De non num. pecunia*; & tamen contra admittitur probatio ex confessione creditoris. Similiter præsumptio & iuris de Jure est pro sententia, quæ transivit in rem iudicatam: & tamen admittitur adversus eam probatio, ex confessione eius, qui pro se sententiam obtinuit. Licet enim præsumptio Juris &



ris & de Jure habeatur à lege pro veritate : tamen verè & propriè non est ipsa veritas , cum versetur circa dubium , & in claris non sit locus conjecturis vel præsumptioni ; ideoque potest in contrarium detegi veritas per confessionem eius , pro quo stat præsumptio : cum nulla melior nullaque efficacior sit probatio , quàm proprii oris confessio , nisi statuto , ultra ius commune , caveretur , ne contra præsumptionem Juris & de Jure admittatur probatio.

Dixi , modò confessio sit de his quæ pendent à voluntate confitentis ; quia in non dependentibus à confitentis potestate confessio non diluit præsumptionem Juris & de Jure , v. g. Præsumptio Juris & de Jure est , quòd qui contraxit sponsalia , & cognovit sponsam carnaliter , contraxit matrimonium ; & tamen adversus hanc præsumptionem non admittitur probatio per confessionem utriusque contrahentium si dicant , se non contraxisse : quia ab eorum voluntate & potestate non pender matrimonii contractus & distractus. Licet autem in dependentibus à potestate confitentis contra præsumptionem Juris & de Jure admittatur probatio per confessionem eius , pro quo stat præsumptio : tamen cogi ad eam non potest , nisi forte magna suadente æquitate eam exigat.

8. Secundò , admittit probationem in contrarium non solum per quinque testes , sed etiam per duos vel tres multum legales.

9. Tertio : & quidem indistinctè per indirectum : quia cum lex ad hanc præsumptionem requirat certas qualitates & circumstantias , semper admittitur probatio , quòd non simus in tali casu , vel quòd non concurrat aliqua ex requisitis qualitatibus , etiam per duos testes. v. g. Præsumptio Juris & de Jure est , quòd mulier , si contracto matrimonio per metum , diu cum viro moram traxerit , in virum consenserit , & metum purgaverit. *Ad id 21 inf. de sponsal.* & tamen adversus eam admittitur probatio indirecta , nempe quòd illa cohabitatio fuerit quoque violenta : nam violenta cohabitatione probata , tollitur præsumptio purgari metus.

10. Quarto , per notorium : quia probatio , quæ sit per facti evidentiam , nunquam censetur exclusæ , licet cæteræ omnes sint exclusæ : modò hoc notorium sit permanens , & allegetur. Nam cum allegatur notorium facti transiun-

tis , illud per testes probari debet : licet notorium non indigeat probatione , indiget tamen allegatione.

11. Alius effectus præsumptionis Juris , quam lex pro veritate habet , donec contrarium non probatur , est , quòd probandi onus rejiciatur in adversarium. *c. Ex insinuatione 3. sup. De procurat. unico inf. Ecclesiastica Lenef. sine deminut. confer.* & gravet eundem durioribus probationibus. Nam qui habet præsumptionem iuris contra se , debet istam fortioribus & apertissimis probationibus diluere , *l. ult. ibi Gloss. D. Quod minus causa &c. Abbas in c. Quia verisimile in 2. Notab. hoc tit.* Et ita potentior est hæc præsumptio , quam semiplena probatio , quæ non rejicit onus probandi in adversarium. Cumque à iure pro veritate habeatur ; donec contrarium probetur , necessarium non est deferre iuramentum suppletivum probationis : quanquam qui eam pro se habet , possit illud deferre ad maiorem cautelam & firmitatem.

Dixi , quam lex pro veritate habet : quia si talis sit iuris præsumptio , quam lex non habeat pro veritate , sed levem tantum iudicet , habeatque solum pro auxilio probationis , non transeat onus probandi in adversarium. Sicut nec præsumptio , quæ oritur ex sententia , pendente appellatione : nec præsumptio hominis , nisi sit violenta , Menoch *lib. 1. De sumpt. quasi. 82.*

## §. V.

## De vi Præsumptionum in concursu.

1. Præsumptio potentior tollit debiliorem.
2. Quamvis censeatur potentior.

Cæterum quando plures concurrunt præsumptiones , tunc potentior perimit debiliorem , *l. Divus D. De in integrum restitut. ibi Gloss. in V. existimari* : sicut & coniectura potentior debiliorem , si modo distet coniectura à præsumptione : & verisimilitudo potentior tollit minus potentem. Idque obtinet , licet præsumptio hominis concurrat cum præsumptione legis , modo appareat validior & firmitior , *arg. l. Lucius 93 §. quæsum 3. D. De legatis 3.* Ubi masculinum ex legis dispositione concipit fœmininum : & tamen ab ea dispositione receditur , quando constat de contraria voluntate testatoris. A fortiori præ-



præsumptio tollit suspensionem, quæ videtur esse quid minus præsumptione. Sic etiam una præsumptio cedit pluribus, nisi sit talis, quæ pluribus sit potentior & efficacior: & specialis vincit generalem. Et sicut una præsumptio tollit aliam, ita etiam una aliam elidit, sicut una probatio aliam.

2. Dum autem agitur de duabus præsumptionibus, iuris vel hominis. Iudicis arbitrio relinquendum est, quæ sit potentior. Interim ab interpretibus solet censeri potentior & firmitior, quæ facit subsistere & valere actum. Item quæ benignior: quæ magis verosimilis: quæ pro reo est: quæ absurdum & iniquum evitatur. Similiter præsumptio, proveniens à substantia, potentior est ea, quæ provenit à solemnitate: quæ iuri communi inhæret, potentior ea est, quæ iure speciali nititur: specialis item firmitior est generali: & inter duas speciales illa, quæ specialior: naturalis item accidentalis: & quæ descendit à quali possessione potentior est ea, quæ quæque res præsumitur libera item fundata in ratione naturali potentior est fundata in ratione civili: & denique quæ favet animæ, potentior est ea, quæ dicimus delictum non præsumi.

## §. VI.

An Præsumptio allegari debeat, ut profit ei, pro quo stat?

1. Præsumptio iuris & de jure allegari non debet.
2. Præsumptio iuris alleganda, quando oritur ex facto proprio.
3. Iudex quatenus supplere eam possit.
4. Non verò alleganda, quando ex facto adversarii oritur.
5. Præsumptio hominis semper alleganda.
6. Quo tempore præsumptio in iudicio allegari debeat.

1. Hanc quæstionem latè tractat Menoch. *De præsumpt. lib. 1. q. 48.* Ubi in primis tradit, non esse necesse, allegari præsumptionem iuris & de iure, quia illam lex habeat pro veritate, quam Iudex velit noli sequi debet.

2. Præsumptionem verò iuris, allegari tunc debere, quando oritur ex facto proprio, vel circa factum proprium versatur. Idque variis demonstrat exemplis. Ut v. g. licet is, qui olim fuit dominus alicuius rei,

etiam hodie præsumatur dominus, & sic de aliis: tamen huiusmodi præsumptio, etiam notoria, allegari debet, cum ex parte agentis tum ex parte excipientis, sive in criminalibus sive in civilibus (nisi fortè colligi possit ex actis probatoriis aut versemur in causis summariis, quibus casibus necesse non est eam allegare: quia alioquin posset Iudex existimare, non allegantem eamolle uti. Et licet Iudex possit talem præsumptionem, si non allegetur, supplere & sequi, tamen supplere non tenetur, imò non potest quando pars nullum factum in iudicium deduxit, ex quo colligi possit, sed tunc solum, quando factum aliquod tale in iudicium deducit, ex quo resultet huiusmodi præsumptio quia ea quæ sunt iuris, cuiusmodi est præsumptio iuris, Iudex supplere tenetur, *l. unica Cod. de qua desunt advocatis partium, &c.* Hinc cum possessio de præterito præsumatur possessio de præsentis, sufficit allegare possessionem præteritam: & cum ex diutina præstatione resultet præsumptio causæ subsistentis, sufficit allegare ipsam diutinam præstationem & illam probare, quia Iudex supplere debet præsumptionem inde resultantem.

3. Secundò tradit, non videri necessariam, allegationem, quando oritur ex facto adversarii, vel circa eius factum versatur, quia nihil imputari possit ei, pro quo est talis præsumptio, si eam non alleget, cum pendeat ex facto alterius, cuius mentem & animum non novit: Quòd si præsumptio iuris resultet ex facto utriusque, non esse allegandam, censet Abbas & Felin. in c. *Afferto 2. h. 1.* Ubi præsumptio oriens ex facto utriusque non fuit allegata quædere videndus est Covar. in c. *Rainusius §. 11. n. 1. vers. sed quoties De testamentis.*

4. Tertio docet, quod, quando hæc præsumptio ex nulli<sup>o</sup> oritur facto, uti est illa, qua homo præsumitur vivere usque ad centum annos, non satis constet inter DD. an allegari debeat, nec ne.

5. Quarto docet, præsumptionem hominis solius omninò allegandam esse, cum hæc sit prorsus ignota iudici.

6. Denique si quærat, quo tempore præsumptio in iudicio alleganda sit. Respondet Menoch. *l. 1. q. 50. cum aliis, quos citat.* quovis tempore allegari posse, sive quando offertur libellus, modo tamen repetatur in



termino probatorio, aliàs enim non probaret; siue quando dantur positiones; siue tempore aliarum allegationum & probationum, siue post conclusionem in causa.

## TITULUS XXIV.

### De Iurejurando.

#### §. I.

#### Quid sit Juramentum.

1. Juramentum unde dicatur, & quid sit.
2. 3. Præstari debet per verum Deum.
4. Etiam cum per creaturas fit.

**P**er jusjurandum, delatum ac relatum siue à parte parti siue à iudice, nonnunquam etiam rei dubiæ fides inducitur, nempe aliis legitimis probationibus deficientibus, *e. fin. hoc tit.* Estque maximum litium expediendarum remedium, *l. 1. D. eod.* & omnis controversiæ finis, *e. Et si Christus: 6. versic. homines h. t.*

1. Dicitur autem Juramentum à Jure, quia quod juratur, instar juris habendum est, & veluti jus sanctè servandum, *arg. l. 5. §. dato D. eod.* Et nihil est aliud, quam testatio seu invocatio divini numinis in testimonium, ad fidem faciendam vel promissionem firmandam. Nam qui aliquid affirmat vel negat esse verum cum juramento, vel se aliquid facturum cum juramento promittit, Deum in testem illius veritatis aut promissionis appellat. Et ideo, qui falsum jurat, quantum in se est, facit Deum approbare falsum sicut qui dicit, Deus sit mihi socius, adiutor, fautor hujus furti, homicidii, affectu, & quantum, in se est, facit ipsum auctorem & fauctorem furti, homicidii.

2. Dicitur, invocatio divini numinis; quia cum juramentum fiat ad confirmandam veritatem infallibili testimonio, quantum ab homine fieri potest, præstari nisi per verum Deum, nequit, quia is solus mentem & intentionem hominum, à qua veritas maxime dependet, certo cognoscit, & proinde solus infallibilem testem invocari potest. Et hinc sequitur, juramentum per falsum Deum, non esse verum juramentum, nec obligare nisi ex conscientia erronea, quæ habet vim obligandi

sub ea ratione, sub qua concipitur, nempe sub ea ratione, quæ putatur esse verum juramentum, & factum per verum Deum. Unde cognita falsitate, & luce fidei adveniente, depulsaque conscientia erronea, non amplius obligat, quia est destructum ejus fundamentum.

3. Non obstat, quod D. Augustinus ait in *can. Ecce dico xxxi. q. 5.* perjurum esse, qui super falsum lapidem jurat: quia intelligi potest esse perjurum, vel ex opinione Ethnici, cui tale juramentum præstatur, & cui fides in contractibus firmanda est, vel quia externa specie perjurus videtur.

4. Aliud autem dicendum est de juramento per creaturas, prout Joseph *Genes. 42.* videtur jurasse per salutem Pharaonis; & Moyses, *Deuter. 3. & 4. Testes invoco cælum & terram:* Paulus *1. ad Cor. 15.* per gloriam vestram, quia illud est verum juramentum: nam dum per creaturas juramus; non volumus ipsas nobis esse testes, sed Deum, qui in ipsis singulari modo præsidet & relucet; ita ut capiatur continens pro contento, & signans pro signato. Atque hoc modo omne juramentum est invocatio divini numinis, expressè vel tacitè, verè vel ex opinione.

#### §. II.

#### An juramentum per Deum vel creaturas sit licitum?

1. Videtur non esse licitum.
2. Probatur esse licitum, non solum per Deum.
3. Sed & per creaturas.
4. 5. 6. Respondetur ad objecta.

1. **S**ed quæ situm fuit, an juramentum per Deum vel creaturas sit licitum? Non esse licitum, olim docuerunt multi hæretici. Et colligi videtur ex his *Matt. 5. Dico autem vobis, nolite jurare omnino neque per cælum, quia thronus Dei est: neque per terram, &c. & subjungitur. Si sermo vester, Est est, Non non* Secundo ex *can. Clericum xxxi. q. 1.* Ubi traditur, Clericum, per creaturas jurantem, acerrimè objurgandum, & si perstiterit in vitio, esse excommunicandum.

2. Dicendum nihilominus, interdum licitum esse juramentum, non solum per Deum, uti constat ex veteri Testamento; *Deuter. 6. v.*

13. dum



13 dum dicitur, *Dominum Deum tuum timebis. Soli soli servies, ac per nomen illius jurabis*, & *Psalm.* 116. *Ubi laudari videtur hoc juramentum; Laudantur omnes, qui jurant in eo.* Item ex secundo præcepto Decalogi, quo prohibetur, ne assumamus nomen Domini Dei in vanum & frustra, nam inde sequitur, specialiter non prohiberi, nec per se malum esse, si non frustra nec indebito modo proferatur. Confirmaturque ex consuetudine Ecclesiæ, cujus auctoritate sæpè exigunt hujusmodi juramentum, vel in iudiciis, *ut patet ex toto h. t. & sup. tit. De testib.* vel ad abjurandam hæresim, *ut patet ex tit. De hæret.* vel ad expurgationem alicujus criminis, *ut patet ex tit. De purgat. Canonica;* vel ad pacem confirmandam, obedientiam promittendam, vel alias similes causas: sed etiam per creaturas, modo jam antè dicto.

3. Licitum autem esse hoc juramentum omni jure patet: & quidem in primis, de jure naturali & divino veteri, constat ex juramento Josephi & Moysis: de jure novo, divino ex juramento Pauli, de jure civili, ex *l. 3. §. jurari. l. Qui per salutem d. hoc tit.* de jure Canonico, ex *can. Si aliqua. c. Habemus xxii. q. 1.* Ubi supponitur, esse licitum juramentum per Evangelia, per Reliquias, vel Altare, *can. Qui petierat. xxii. q. 5.* Ubi pariter supponitur, licitum esse juramentum per Crucem consecratam vel non consecratam, & sic de similibus.

4. Non obstat, quod ex *Matt. 7.* in contrarium adducitur, quia ibi prohibetur iuramentum per creaturas, non quia per se sit malum, sed ob nimiam frequentiam; & ne levi de causa iuretur, uti Judæi iurabant. Unde in *d. c. Et si Christus hoc t.* dicitur, quod si fiat per creaturas, esse servandum, quia ibi agitur de iuramento per creaturas, ut relatas ad verum Deum, uti patet ex ratione, quam ibi subdit Pontifex.

Potest tamen hoc iuramentum ratione scandalæ esse malum: nam cum iurare per creaturam, secundum se & absolute spectatam, sit idololatris, facile contingere potest, ut si fiat absolute inter fuocos, qui non facile discernere valent, quo sensu fiat, ii scandalizentur.

5. Non etiam obstat, quod postquam ibidem Christus dixit, *Sis sermo vester; Est est, Non non, subijciat, Quod autem his abundantius est, à malo est;* quia non dicit, juramentum esse malum,

quando necessitas illud exigit, sed à malo esse, quia scilicet necessitas ejus à malo provenit, nempe, vel ab incredulitate audientium alterum aliquid simpliciter asserentem, vel negantem, vel vel promittentem, cui fidem adhibere nolunt, nisi asseritionem aut negationem vel promissionem juramento confirmet; vel à defectu veritatis humanæ in natura corrupta ut sic intelligatur non de malo culpæ, sed de malo pœnæ seu imperfectæ humanæ: quia inde evenit, quod juramentum aliquando reputetur atque etiam sit necessarium, ut constat ex Paulo ad *Hebr. 6.* Necessitas juramenti est, ut sit omnis controversiæ finis & confirmatio.

6. Denique non obstat *d. can. Clericum*, quia loquitur de jurante per creaturas more Ethnico, tamquam per Deos quosdā, ut Jovem & similes.

## §. III.

## De requisitis ad juramenti validitatem.

1. *Requiritur ad essentiam juramenti, prin. d. intentio jurantis.*
2. *Dicens Per fidem meam, vel simile quid, non jurat*
3. *Secundò requiritur locutio, saltem interior.*
4. 5. 6. *Comites juramenti liciti sunt Veritas, iustitia & iudicium.*

1. Supposito juramentum licitum esse, videndum nunc est, quæ nam ad ejus validitatem requirantur. In primis requiritur intentio jurandi seu Deum in testem vocandi. Hinc enim dormiens vel amens non dicitur jurare, licet verba ad juramentum apta & sufficientia proferat: quia juramentum significat actum humanum, qui non potest esse absque intentione & voluntate, nam & ideo votum sine intentione votendi non est verum votum, sed fictum.

2. Hinc etiam, qui dicit, *Per fidem meam, Per fidem seu fide boni viri, Per conscientiam meam* secundum ordinariam hujusmodi formularum usurpationem, non censetur jurare, quia non intendit jurare, sed solum significat se loqui ex virtute fidei suæ vel veritatis, vel ex conscientia sua, ut si fallat, non habeatur verax aut fidelis. Lessius 2, *De iust. & Jure c. 24. n. 4.*

Secundò, requiritur locutio, saltem interior, qua Deus vocetur in testem.

Cc 3

Dico



3. Dico, saltem interior; quia verius videtur, ne quidem in iis, qui loqui possunt, requiri verba ad essentiam iuramenti, sed tantum ad certiorum probationem iuramenti, vel ad manifestandam mentis significationem, Covar. ad c. *Quamvis pactum*, De pactis in 6 p. 1. in princ. n. 4. Probatur, quia iuramentum soli Deo praeatur, qui solus & etiam solius mentis inspector est, can. *Si quid invenisti* xlv. q. 5. can. *Erubescant* Distinct. 32. Videatur latius Covar. d. loco.

4. Tertiò, præter iam dicta, quæ ad essentiam iuramenti pertinent, ita ut, altero deficiente, non sit iuramentum, alia etiam requiruntur, ut sit licitum, & tres, ut vocant, comites habeat, necesse est, scilicet Veritatem, Justitiam & Judicium, d. c. *Et si Christus* h. t. & tradunt Canonistæ in can. *Animadvertendum* xxii. q. 2. Requiritur Veritas, & scilicet id, quod asseritur vel negatur, sit verum, & quod promittitur, suo tempore impleatur; alioquin iurans esset periurus, c. *Debitor* 6. c. *Ad nostram*, c. *Querelam* o. & aliis h. t. nam defectus veritatis est directè & maximè contrarius fini iuramenti, qui est confirmatio veritatis, ad Hebr. 6. prorsusque destruit, & elevat auctoritatem illius.

5. Requiritur Justitia, ut tantum iuretur id quod est licitum & honestum: alioquin contra bonos mores præstitum iuramentum non est obligatorium, nec servandum, c. *Non est obligatorium* De R. l. in 6. & similibus. Quinimò qui, quod turpiter iuravit, adimpleret, duplici se crimine involveret. Et ideo dicitur, melius ac tolerabilius esse, vota stultæ promissionis reiicere nec implere, quam per inutilem promissionum custodiam crimen committere: & in malis promissis rescindendam esse fidem; in turpi voto mutandum decretum; necesse faciendum, quod in cautè quis vovit, quia impia est promissio, quæ scelere adimpleretur, can. *Si publici*, can. *In malis* 5. cum seq. xxii. q. 4. Neque iuramentum ideo est institutum, ut esset vinculum iniquitatis, c. *Quantum* 17. h. t. c. 1. eod. in 6. Hinc igitur si quod promittitur, sit illicitum, sive ex se, quia prohibitum, ita ut illud exequi sit malum, & peccatum seu mortale, seu veniale iuramentum promissorium adiectum non obligat, d. c. *Quanto* d. c. *Non est obligatorium* & c. Si verò 8. c. *Cum contingat* 8. h. t. Quia involvit contradictionem, quem obligari ad peccatum

veniale vel mortale, cum nemo peccet adimplendo id, ad quod obligatur. Nec potest idem simul præcipi & prohiberi. Et ideo qui promissum latronis illum non denuntiaturum Judici, non obligatur eo casu, quo in contrarium esse superioris præceptum, eut denuntiationem expectaret publica utilitas, vel salus Reipublicæ: nec enim potest quis se obligare contra præceptum superioris aut legis seu bonum commune Reip. Aliud dicendum foret, si denuntiatio esset solum consilii, quia tum non posset eum denuntiare, nisi prius relaxato iuramenti vinculo; cum enim iuramentum eo casu sit in alterius favorem, & servari absque peccato possit, obligat; nisi ipse vel alius habens potestatem, illud relaxet, d. c. *Quamvis pactum pactis* in 6.

6. Requiritur Judicium, ut scilicet cum debita & prudenti consideratione iuretur, & tunc dumtaxat, quando necessitas, juxta prudentis arbitrium, iuramentum postulat, pro re non levi. Exemplo Pythagorici Clinæ, qui maluit patrii trium talentorum multam, quam eandem juramento (uti poterat) evitare; licet non fuisset falsò juratus. Nam qui pro re levi jurat, licet verum sit, quod iurat, tamen peccat, c. *Tua nos* 24. h. t. Sic iudicio, caret ius iurandum, cum quis iurat id, cuius contrarium antè iuravit, c. *Tua nos* 3. hoc t. Ut autem sit inter hos tres comites distinctio, sub iudicio comprehenduntur reliqua omnia, quæ præter veritatem & Justitiam ad debitum modum iurandi, scilicet rectam prudentiam, quæ est auriga omnium virtutum moralium, desiderari possunt.

## § IV.

## De divisione Juramenti.

1. *Iuramentum, aliud est Assertorium.*
2. *Aliud Promissorium.*
3. *Aliud Comminatorium.*

Iuramentum variis modis dividi potest. Nos hic eam tantum divisionem prosequemur, quæ ad institutum nostrum maximè est accommodata. Ea est, quæ dividitur in Assertorium, Promissorium & Comminatorium.

1. Assertorium est, quo aliquid affirmamus aut negamus esse, fuisse aut futurum esse, sine aliqua promissione - ut, Juro, Petrum hesternò



hic fuisse Lovanii; hodie profectum esse Mechliniam; cras rediturum. Tale quoque juramentum est, quod præstare testes solent in dicendo testimonio, *e. Nuper 51. sup. De testibus.* item quod præstat pars parti ex delatione Judicis vel partis ad litem dirimendam, & vulgò litis decisorium appellatur. Et in hoc juramento una tantum veritas requiritur, nempe illa, quæ asseritur: nam ita jurando nullam intendimus nobis imponere obligationem, sed solum facere fidem ejus, quod asserimus vel negamus. Sunt tamen, qui juramentum de futuro absque promissione non minus probabiliter referant ad promissorium, ut Suarez l. 1. *De juramento c. 8. & l. 2. c. 1.* prout videre ibi licet.

2. Promissorium est, quo sanctè confirmamus nostram promissionem vel pollicitationem, seu quo aliquid promittendo adhibemus. Atque ita per illud intendimus nos obligare ei, cui promittimus, ad faciendum id, quod promittimus. Et ideo qui juratam promissionem non implet, perjurus censetur, *c. Tua nos 11. hoc tit.*

3. Comminatorium est, quo rem aliquam Deo ultori subjicimus, si non sit verum, quod juramus, seu quod sit per pœnæ imprecationem qua nos vel aliam personam devovimus pœnæ & vindictæ divinæ, si fallamus: ut dum dicimus: *Ita me Deus adjuvet, ita mihi sit propitius:* nam hujusmodi formulæ non tantum significantur, ut sit nobis propitius, si ita sit, sed etiam ut non sit, si ita non sit. In his autem duobus posterioribus juramentis duplex requiritur veritas, una præsens, scilicet quod jurans habeat animum exequendi, quod promittit; & hæc est principalis & necessaria requisita, ita ut si absit, sit perjurium: altera futura, quæ consistit in executione & est secundaria & plurimum absque peccato abesse potest, quia sæpè expedit, quod promissum vel comminatum est, non exequi, mutatis circumstantiis.

## §. V.

De divisione Juramenti Assertorii seu litis decisorii.

1. Aliud est Voluntarium: quod referri non potest.
2. Aliud est Judiciale.
3. Aut jurandum, aut juramentum delatum referri debet.
4. Ex causa tamen recusari potest.

5. Juramentum relaxum necessario præstandum, ab eo qui detulit.

6. Ex causa tamen referri nequit.

7. 8. Hoc juramentum à judice approbatum recusari à reo non posse.

9. Deferens prius ipse jurare debet de calumnia.

10. Aliud est juramentum Necessarium & supplementum probationis.

11. Cui deferri illud debeat, auctori an reo.

1. Assertorii Juramenti, ejus usus in judiciis est ad expediendas lites, tres species assignari solent, nempe Juramentum Voluntarium, Judiciale, & Necessarium.

Voluntarium est, quod extra judicium parti defertur. Dicitur inde voluntarium, quod non nisi ex ejus, cui defertur vel refertur, voluntate suscipiatur, l. 1. 2. 3. & alibi D. h. t. Nisi fortè inter partes convenerit, ut ab eo, cui defertur, præstetur; tunc enim ab eo, præstandum erit; sicut & semel susceptum, ab eo, cui defertur præstari debet, nec potest referri, l. *iusjurandum 17. D. eod.* quia licet ab initio sit voluntarium, tamen ex conventionem aut susceptione fit necessarium. Et hoc parit exceptionem reo, si is juraverit, l. 6. & 9. D. eod. Daturque etiam successoribus tam in rem, lege 8. D. eod. quam in personam, l. 7. D. eod. itemque fideiussoribus rei competit l. 28. §. 1. eod. Actori verò, si ipse juraverit, parit actionem in factum, l. *Actori 8. Cod. de reb. cred.* vel actionem ex contractu, si de ipso contractu juratum fuerit, l. *Si duo 13 §. si quis juraverit D. h. t.*

2. Judiciale juramentum est, quod in judicio defertur vel refertur parti, nimirum actori reo & reus actori, approbante Judice l. *Delata 9 Cod. de reb. cred.* Dicitur Judiciale à loco, in quo defertur seu præstatur. Non est autem Necessarium, quia & liberè suscipitur, & ab eo, cui delatum est, referri potest, *c. fin. versic. quamvis hoc sit l. iusjurandum 34. §. ait Prator 6. D. eod.* nisi & simul jussit Judex præstari juramentum.

3. Alterutrum tamen facere cogitur, aut, inquam, jurare, aut juramentum referre, quando Judex illud detulit, nisi solvere maluit, d. §. ait Prator, d. l. *Delata.* Nam manifestæ turpitudinis & confessionis est, nolle nec jurare, nec iusjurandum delatum refer-



referte, l. *Manifesta* 38. D. eod.

4. Nisi forte subit iusta causa recusandi: veluti, si quis à te exigat iuramentum de facto alieno, quod iuste ignoras, non teneris jurare, neque iuramentum tibi delatum referre, d. c. fin. l. *Marcellus* 11. § 1. D. *Rerum amotarum*.

Similiter actor, qui plenè probavit suam intentionem, non tenetur iuramentum, sibi à reo delatum, præstare vel referre c. 2. *sup. de probat.* quia cum docuerit sufficienter de iure suo, non indiget iuramento. Simili modò, si actio propolita sit talis, qua reus conveniri non possit, non tenetur reus præstare iuramentum, ab actore sibi delatum, vel illud referre.

5. Quòd si verò iuramentum prius delatum referatur, tunc illud necessario præstandum erit ab eo, qui detulit: alias vel super principali causa ulterius non audietur, d. l. *Iusjurandum* 34. §. *datur* D. eod. vel auxilio provocationis secluso, super ea convictus censebitur, l. *Generaliter* 12. §. 1. *Cod. de reb. cred.* Nec immeritò cum non debeat displicere conditio iurisjurandi, quam detulit prius d. l. *Iusjurandum* §. *ait Praetor*.

6. Excipiuntur tamen aliqui casus, quibus iuramentum delatum referri non potest: veluti si is, qui offert, ignarus sit rei gestæ: si ex abundanti illud delatum sit: cur enim jurare cogatur, qui sufficienter de iure suo docuit, & cui ad victoriam consequendam nihil super est agendum, sed solum restat iudicandum?

7. Sed quaeritur, an iurisjurandi iudicialis, à Iudice approbati, iusta causa erit recusandi, si illud ab actore, qui nullo modo intentionem suam probaverit, reo deferatur? Ita censet Panor. in d. c. fin. & alii nonnulli, quia, auctore deficiente in probatione, reus, etsi nihil præstiterit, obtinere & omninò absolvi debeat, d. c. fin. l. *Qui accusare* C. de edendo. Excepto casu, quo quis propriam scripturam negat, Novella 73. de *Instrum. cautela* §. *si tamen quisquam*.

8. Alii verò censent, etiam tunc reum, cui deferatur, esse compellendum, ut iuret, arg. l. *Tutor* 35. D. h. tit. ubi dicitur, tutorem pupilli, omnibus probationibus aliis deficientibus iusjurandum deferentem audiendum esse, item l. ult. *Cod. de fideicommissis*, l. *Generaliter* *Cod. de reb. creditis*, d. l. *Manifesta* D. h. tit. ubi non distinguitur, an actor probaverit, nec ne, sed dicitur, manifestæ turpitudinis esse & confessionis, nolle iurare, aut

iuramentum referre.

Non obstat, quod dicitur, auctore nihil probante reum esse absolvendum, quia illud hoc sensu verum est, quod tunc reus probare non teneatur. Cæterum si iusjurandum ei offeratur jurare cogitur, quia cum tunc testis & Iudex in propria constituatur causa, ac proinde non desumantur probationes ex domo rei, si jurare recuset, censetur fateri se malam causam habere præsertim cum illud deferre possit.

9. Qui autem hoc iuramentum deferat, prius ipse jurare debet, si exigatur, se non calumniandi animo iusjurandum deferre, d. l. *Iusjurandum* 34. §. *qui iusjurandum* 4. l. *Si non fuerit* 37. D. h. tit. non item is, qui refert, quia non est ferendus actor, si conditionis, quam ipse detulit, nomen velit sibi jurare de calumnia, D. §. *ait Praetor*.

10. Iusjurandum Necessarium est, quod in causa dubia à Iudice deferatur reo vel actori, propter defectum plenæ probationis, l. *Amittendi* 31. D. h. tit. Dicitur Necessarium, cum qui necessario à Iudice deferendum, si partes præstaret etiam quia ab eo, cui delatum est, necessario subeundum: alias enim, tanquam confessus, omnino etiam provocationis auxilio excluso, condemnari potest d. l. *Generaliter* §. 1. in prin. *Cod. ult.* nisi & hic subit iusta causa reculationis, d. c. fin. h. tit. & d. l. *Generaliter* §. fin. autem & seq. veluti si auctore plenè probante, reo nihil, Iudex illud deferat actori cap. *Sicut* 2. *sup. de probat.* vel si auctore nihil probante, Iudex reo ad sui purificationem deferat hoc iusjurandum, quia, ut aliquoties dictum est, auctore nihil probante reus omninò absolvi debet, licet nihil ipse præstiterit.

11. Deferet verò hoc iuramentum Iudex vel actori vel reo, prout viderit, inspectis personarum & causæ circumstantiis aut præsumptionibus magis expedire. Ideoque si actor minus quam semiplenè probaverit suam intentionem, tunc reo ad suspensionem, adversus se conceptam, propulsandam & purgandam deferri poterit d. c. fin. §. *sanè* h. tit. & inf. pro tit. de purgat. canon. Nec licet sic delatum referre, d. c. fin. *V famosa*. Idèò verò deferri eo casu non debet actori, quia cum iuramentum tantum semiplenè probet, non efficere plenam probationem Abbas in d. c. fin. in *V præsumptione*, si actor semiplenè, aut plus quam semiplenè probaverit, ita ut Iudicis animus magis in causam



Actoris propedeat, tum auctori potius, in supplementum probationis, deferendum erit, ut communiter tradunt. DD. in d. l. *Admonendi* D. ad. & in d. cap. fin. nisi, ut loquuntur, persona rei sit legalis, aut actor putetur veritatem ignorare. Verius autem videtur ex d. e. fin. d. l. *Admonendi* & l. *In bona fidei* 3. Cod. eod. necesse non esse exigi hoc juramentum a litigatoribus, ut Iudex illud deferre possit, quia dicitur iis locis, solere Iudices in causis dubiis, ob probationum inopiam, iusiurandum deferre, & secundum eum, qui iuravit, pronunciare.

## §. VI.

In quibus causis locus sit juramento suppletorio probationis.

1. In causis omnibus locum habet.
2. Exceptis arduis & criminalibus criminaliter intentatis.
3. Rerum tamen etiam in his deferri potest.
4. Quam delatione eiusdem consideranda.

1. Sed quaeritur, in quibus causis locum habeat hoc juramentum suppletorium probationis Respondetur ex l. 3. §. 1. D. h. e. habere locum, quacumque actione quis conveniatur, sive in personam, sive in rem, sive in factum, sive poenali actione vel quavis alia, sive etiam de interdicto. Unde in l. *In bona fidei* 3. Cod. eod. dicitur. In bonae fidei contrahibus, nec non in ceteris causis, inopia probationum, per Iudicem iurejurando causam cognita res decidi oportere: in civilibus scilicet causis, iisque non arduis, nec gravioribus: aut in criminalibus, criminaliter intentatis.

2. Nam cum in arduis & criminalibus causis, criminaliter intentatis, probationes debeant esse iustae, & quidem in criminalibus luce meridiana clariores, l. ult. Cod. De probat. locus huic juramento esse non potest, secundum communem opinionem in d. l. 3. & d. l. *Admonendi*; colligiturque ex d. l. 3. illis verbis, *Actione poenali*: nam ubi agitur criminaliter, dicitur potius accusatio, quam actio, l. *De crimine* Cod. Ad Leg. Cornel. de falsis. Atque ita illa d. l. *In bona fidei* verba, & etiam in ceteris, de civilibus causis accipienda sunt.

3. Ex parte rei tamen in criminalibus indifferenter, sive civiliter sive criminaliter inten-

tatis ad suam innocentiam purgandam, posse eidem deferri huiusmodi juramentum, verius videtur, arg. d. e. fin. hoc tit. ibi, *Præsumptio vero faciente pro illo reo deferri potest, ad ostendendam suam innocentiam.*

4. Ceterum quoad delationem huius juramenti quatuor potissimum in causis cognitionem, venire debeat, conditio personarum, natura causae, quantitas rerum, & qualitas factorum: nam regulariter in causis magnis & arduis non deferretur, nisi plusquam semiplene probatum sit, qualis est causa matrimonii.

## §. VII.

De vi & effectu Juramenti assertorii.

1. Causa iurejurando decisa non retractatur per nova instrumenta.
2. Prætextu juramenti necessarii Iudex decidere causam potest.
3. Quo tamen casu retractatur sententia per nova instrumenta.
4. Ex juramento datur auctori in factum actio, & reo exceptio.
5. Idque delato vel relato juramento.
6. Potestiam remissa ab adversario.
7. Causa debiti expressa etiam utilis ex contractu actio datur.

1. Quod ad vim & effectum attinet Juramenti assertorii, Voluntarii quidem & Judicialis in primis ea est vis, quod causa iurejurando decisa non retractetur per instrumenta, postea de novo reperta, nisi specialiter hoc lege excipiat, l. 1. Cod. hoc tit. & similibus: aut nisi litigatorum consensu, occasione instrumentorum de novo reperorum, efficiatur, ut alia sententia feratur, per quam prior, quæ in rem transiit judicatum, rescindatur, arg. l. 1. Cod. quando provocare non est necesse. Ratio est, quia tunc res & controversia potius tacita litigatorum transactione (quæ regulariter non rescinditur per instrumenta de novo reperta, l. Sub pretextu 19. Cod. De transact.) decisa videtur, propter mutuum consensum, quam sententia, l. 1. & fin. D. hoc tit.

2. Necessarii vero iusiurandivis & effectus est, quod ejus prætextu Iudex valeat confirmare causam decidere, & sententiam definiti-

D d

VANA



vam ferre reum vel absolvendo vel condemnando, d. l. *Admonendi* D. eod. \* 3. Ita tamen, quod sententia huiusmodi, licet in rem iudicatum transiverit, rescindi possit prætextu novorum instrumentorum, modò per ea iuramentum necessarium quod sententiæ latæ causam dedit falso præstitum fuisse, plenè & sine alterius adminiculo probetur, d. l. *Admonendi in princ.* Ratio est, quia tale iuramentum non defertur ex pacto litigantium, sed officio iudicis, etiam invito adversario, adversus quem sententia lata est & qui petit eam rescindi. Pari modo talis sententia per novos testes, id est, non productos antea, rescindi potest, quia testes appellatione instrumentorum continentur, l. 1. D. *De fide instrument.*

4. Præterea supradictorum iuramentorum ea est vis, quod ad rei iudicatæ exemplum ex iis: Actori juranti Prætoriam in factum actio acquiritur, ad consequendum id, quod sibi deberi iuravit, l. *Actori* Cod. eod. §. *Item si quis Instituit.* De actionib. Neque in hac actione queritur, an debeat id, quod petitur, sed an iuratum sit, quia ex iuramento præstito deberi constat, l. *Nam posteaquam* 9. §. 1. l. *non erit §. dolo* D. eod. Nam sicut res iudicata pro veniente habetur, ita & iuramentum, etsi falsò præstitum sit, pro veritate accipitur, cum habeat maiorem auctoritatem, quam res iudicata, l. 2. D. eod. Reo vero ex huiusmodi iuramento v. g. si iuraverit se non debere, quod petitur, non actio, sed exceptio acquiritur, d. l. *Nam posteaquam* §. 1. ad actoris intentionem, etiam ante litis contestationem seu ingressum, perimendam, c. 1. *De litis contestat.* in 6. Nisi talis exceptio iurandi altioris indaginem postularet nam tum litis postmodum subsequenter ingressum non impediret, d. l. *Nam posteaquam in princ.*

5. Et hæc quidem obtinent, quando delato vel relato prius ab adversario iuramento, eo modo quod delatum vel relatum est actor vel reus continenti iuravit, vel saltem delatum aut relatum in continenti suscepit; & post dilationem ad deliberandum, sibi ex iusta causa concessam, illud præstitit, l. *Iurifurandum* 34. in princ. D. eod.

6. Neque adhuc, ut supradicta locum habeant, refert, an delato vel relato semel iuramento iuratum sit, an verò ei, qui paratus erat jurare, remissum, d. l. *Nam posteaquam* §. 1.

quia hæc actio & exceptio non tam oritur ex iurejurando, quam ex conventionione; quæ non minus remissa, quam præstito iuramento, locum habet. Nec rursus refert, an à iudice, an à parte, in iudicio vel extra iudicium, delatum sit *Glossa in l. 1. Actori Cod. eod.* Quin & procuratoris, & advocati iuramentum legitime præstitum, actori actionem & reo exceptionem parat.

7. Observandum autem hic, quod, quando causa expressa, ex qua, v. g. ex empto, sibi debicum asserit, actor iurat, non tantum in factum ex iurejurando oritur actio, sed & utilis ex contractu, quem iurat, l. *Si duo §. si quis iuravit* D. eod. Quando verò nulla causa expressa iuratur, tunc sola actio in factum oritur. Exceptio, quod in rei vindicatione utraque actio oritur, & in factum ex iurejurando, & utilis in rem, si causa, unde dominium nactus est, expresserit, siue non d. l. *Nam posteaquam in fine.* Ratio diversitatis est inter actionem in personam & actionem in rem quod dominium non possit nobis nisi ex una causa competere: & proinde de ea sola causa iuratum esse intelligitur, etiam si non fuerit expressa. At verò idem sæpius & ex pluribus causis potest nobis deberi, & ideo de nulla certa iuratum intelligitur.

#### §. VIII.

#### De vi & effectu promissorii iuramenti.

1. Inducit obligationem ad sui observationem.
2. Promissionem & contractum confirmat.
3. Iuramentum quando dicatur validum & obligare ad sui observationem.
4. Quando confirmare contractum.
5. 6. 7. Discrimen inter hæc duo.

1. Iuramenti Promissorii effectus inprimis est, inducere obligationem ad sui observationem, dummodò verà & serià atque absolutà intentione sit emissum, & reliqua adhibita ad validitatem ejus requisita; licet etiam illud committens ex eo obligari nolit, quia non magis in potestate est hominis, impedire, ne iuramentum, verà & serià intentione jurandi præstitum, obliget, quam sit in ejus potestate, impedire exustionem domus vel stuppæ, posito, quod ei de facto ignem applicet, licet maxime nolit exuri. Nam sicut ex igne appposito sequitur necessariò exustio: ita ex iuramento, verà

id est;



intentione præstito, sequitur naturaliter & necessario obligatio. Ratio est, quia talis obligatio non pendet directe & proxime à voluntate & intentione iurantis, sed tantum remote, & immediatè provenit ex iuramento, vel alio actui ad quem necessario sequitur.

Dixi, absoluta intentione emissum: quia si fuerit conditionata, sicut suspendit consensum ita etiam consequenter effectum seu obligationem, donec adveniat & existat conditio.

2. Secundus effectus est, confirmare ipsam promissionem vel pollicitationem: & aliquando etiam contractum. Quod ut intelligatur, sciendum est.

3. Differre ista, juramentum esse validum, obligareque ad sui observationem, & juramentum confirmare contractum: sed habere se ut magis & minus commune. Nam juramentum dicitur validum, quando cumque servandum, ob honorem divini nominis, etiam si illi, in cuius favorem præstitum est, nullum jus per illud acquiritur. Sic juramentum de solvendis usuris validum est, quia servandum, ob honorem divini nominis, cum servari possit absque dispensatione salutis eternæ & sine præjudicio tertii: & tamen per illud nullum jus creditori acquiritur; ideoque relaxato juramento, vel impleto per solutionem usurarum, repeti solutæ possunt, c. 1. *Debitores 6. b. tit.*

4. Confirmat autem contractum, quando non solum servandum est, sed etiam alteri in cuius favorem præstat, jus tribuit, & contractum in sua specie efficit validum. Et hinc fit, quod quamvis relaxetur juramentum, maneat nihilominus obligatio iustitiæ ex contractu, quæ transit ad hæredes.

5. Hinc quoque patet, magnum esse discrimen inter iuramentum, quod confirmat contractum, & illud, quod non confirmat: nam quando obligat, nec tamen confirmat contractum, relinquit contractum in sua natura invalidum atque inefficacem, si talis in se sit: quia ei vinculum nullum adiicit, sed tantum obligat in ordine ad Deum, ne sit falsus testis. Ideoque relaxato iuramento, potest immediatè contraveniri contractui ex se invalido, cui nulla remaneat obligatio.

6. Quando autem confirmat contractum, tunc licet, secluso iuramento, is sit nullus, tamen efficitur firmus & irrevocabilis, ratione jura-

menti, ut communiter tradunt DD. in c. *Cum contingat 28. h. t. c. in c. 2. De pæssu in 6.* Ideoque relaxato juramento ab alio; quam à creditore, ex iusta aliqua causa, v. g. ob læsionem, remanet adhuc contractus validus: quia cum acciperit firmitatem ex iuramento, & illa dependeat à juramento solum in fieri, ut loquuntur, non autem in conservari, non debet, causa firmitatis cessante, rescindi, nisi superveniat causa aliqua annullans, c. *Factum l. gitimè de R. i. in 6.*

Dixi, relaxato juramento ab alio, quam à creditore; quia si creditor ipse relaxat, etiam contractus dissolvitur, & cessat omnis obligatio. Nam creditor non potest relaxare juramentum, quasi per se, & immediatè, sed cedendo juri suo, & quasi tollendo fundamentum juramenti.

7. Secundò differunt, quod, quando contractus firmatur juramento: cum jam sit jus pacti quaesitum, non liceat amplius contravenire contractui, nec peti possit absolutio, nec facta solutio detur repetitio, sed contractus maneat omnino firmus & irrevocabilis, ut indicant, in *Aust. Sacramenta puerum Cod. Si adversus venditionem c. 6.* verba illa, *inviolabiliter custodiantur*: & illa in d. c. 2. *De pæssu in 6. omnino servari debet.* Quando verò juramentum est servandum ob Dei honorem, ut in d. c. *Debitores 6. h. t.* cum relaxatio licet peti potest. Et vix facile concedi debet, quia cum nullum jus acquiritur homini, cui juramentum præstat, sed Deo duntaxat, ideo Prælati, tanquam Christi vicarii potest illud eius nomine relaxare, subsistente iusta causa relaxandi. Sin autem iurans nolit petere relaxationem, satisfaciet, licet statim, ut solvit, repetat solutum, quia implevit iuramentum, & alter solutum iniuste retinet.

## § IX.

Quando juramentum confirmet contractum vel non.

1. *Actus jure naturæ irritus non confirmatur juramento.*
2. *Non etiam actus prohibitus ob favorem publicæ.*
3. *Confirmatur verò ob privatam utilitatem prohibitus principaliter.*

1. **H**æc de re aliquot regulæ assignari possunt. Quarum sit hæc.

Prima: *Actus, qui iure naturæ est irritus*  
D d 2



vel irritari potest, non confirmatur juramento: secundum communem opinionem DD. ut quando vel dolo extortus est: nam tunc ratione injuriæ tenetur extoror ad restitutionem nec ullum ius solidum acquirit. Si tamen id, quod promittitur, non sit illicitum, servandum est juramentum, cum servari possit sine dispendio salutis æternæ, nec vergat in præjudicium tertii, si utique ille, in cuius favorem est præstitum, illud servari velit, & alias legitime non relaxetur.

2. Secunda regula: Quando actus prohibitus est principaliter & immediate ob favorem publicum, qui immediate respicit ipsum statum Reip. & bonum communis, ut communitas est, non confirmatur juramento, *cap. Si diligenti. sup. De foro compet.* Ratio est, quia nullus privatus potest renunciare favori publico, favori legis, immediate prospicientis communi bono, *l. ius publicum D. De pactis. d. e. Si diligenti.* Talis vero actus est contra bonos mores naturales, hoc ipso, quo est contra bonum commune, & proinde juramentum, illi adjectum, non obligat, *c. non est obligatorium De R. l. in 6.*

3. Tertia: Quando contractus est prohibitus principaliter & immediate ob privatam utilitatem & bonum cuiusque civis, secundario vero ob publicam utilitatem ac bonum commune, quatenus illud ex singulorum commodis exurgit, tunc confirmatur juramento, *d. e. 2. De pactis in 6. & d. Auth. Sacramenta puberum;* ubi contractus favore minoris nullus confirmatur juramento: & *d. e. Cum contingat hoc tit.* Ubi alienatio fundi dotalis, favore mulieris nulla, similiter juramento confirmatur. Ratio est, quia unusquisque potest renunciare favori pro se per legem introducto, *d. e. Si diligenti.* Ex præjudicium boni communis, cum eo casu sit modicum, Lex canonica non curat. Confirmatur autem tunc contractus, nisi sit reprobatus odio creditoris, in cuius favorem præstatur, quia in eo est turpitudine. Nam licet juramentum servandum sit, donec relaxetur, ne Deus in falsum testem adducatur; tamen tunc non confirmat contractum, ne sit vinculum iniquitatis, *contra c. Quanto §. hoc tit.* Debet autem turpitudine ista esse de jure naturali vel divino. nam si sit de jure humano, juramentum confirmat contractum, quia sup-

plet vitium, *c. Quamvis de pactis in 6.* purgatque vitium nullitatis, jure civili inductæ.

## TITULUS XXV.

### De Exceptionibus.

1. 2. Ratio ordinis, & Exceptio quid sit.
3. Alia est Exceptio Facti seu intentionis, alia: *luris.*
4. Exceptionum *luris* alia Dilatoria, alia Peremptoria.
5. Dilatoria quæ dicantur.
6. Earum quædam desumuntur ex persona *judicis.*
7. Quæ regulariter proponi debent ante litem contestatam.
8. Recusatio *judicis* quæ coram quo proponenda.
9. 10. Quædam ex persona *actoris* & *rei* conveni.
11. Ea quoque proponenda regulariter ante litem contestatam.
12. Peremptoria quæ sint.
13. Ea regulariter usque ad sententiam proponi possunt.
14. Exceptio eliditur Replicatione, & hæc Duplicatione, &c.

1. Hucusque sufficienter ostensum est, quomodo actor suam intentionem probet: sequitur de Exceptionibus, quibus reus vicissim se adversus actorem defendit: nam Exceptiones nihil aliud sunt, quàm defensiones reorum, quibus probationes seu actiones adversariorum, sive jure competentes, sive de facto intentatas, elidunt. Tamen si verò dilatoria exceptiones aut litem contestatam regulariter opponi debeant, unde hic Tit. videbatur præponendus Titulo, *De litem contestatione:* tamen ut simul & semel de exceptionibus agatur, rectè hoc loco subijcitur, quia exceptiones peremptoriae, quæ magis negotium principale afficiunt, post litem contestatam ut plurimum opponuntur.

2. Est autem Exceptio actionis vel intentionis agentis exclusio, *h. 2. in princ. D. h. tit.*

3. Ea in genere vel est facti seu intentionis, vel *Juris* facti seu intentionis est, quæ reus actoris, nullo jure agentis, intentionem excludit.



cludit; v.g. ejus, qui agit ex mutuo, necumquam mutuum dedit, vel, si dederit; exsolutum est.

Exceptio Juris est, qua reus excludit actionem, id est actionem, ipso quidem jure competentem, sed cujus nomine iniquum sit reum condemnari, ut v.g. ejus, qui ex promissione, metu, dolore malo impellente, sibi facta, ad id quod promissum est, agit: metu, inquam cadente in constantem virum, *c. Cum dilectus sup. De hic qua vi metusve causa sunt* qualis est metus mortis, amissionis omnium vel majoris partis bonorum, *c. 2. 3. 4. d. t.*

4. Exceptionum Juris aliae sunt Dilatoriae & temporales, aliae Peremptoriae & perpetuae, *l. 2. §. ult. §. l. 3. D. h. t. §. Appellatur inst. eod.*

5. Dilatoriae sunt, quae principalem causam & actionem non perimunt, sed tantum ad tempus differunt *d. l. 2 §. ult. §. d. l. 3.* quas propterea actor evitare potest, *d. l. 3. §. ult.* respiciuntque incidentes quaestiones, ac praeparatoria judiciorum, *l. Exceptiones D. eod.*

6. Harum vero exceptionum quaedam personam respiciunt Judicis: quia scilicet sit incompetentis, aut suspectus, propter cognationem, affinitatem, necessitudinem domesticam aut familiaritatem, qua a doctorem contingit, *l. Qui jurisdictioni 10. D. De jurisd. om. judic.* quia inimicitias cum reo habeat, *l. Si pariter 9. D. De liberali causa*: quia imperitus sit juris aut impar magnitudini causae, vel quia in eadem causa advocatum egerit, vel eiusdem ferè generis litem habeat, vel ob aliam justam causam, quae merito moveat suspicionem reo, *c. Postremo 36. inf. De appellat.*

7. Haec exceptiones etiam fori declinatoriae dicuntur & proponendae sunt in principio litis, ante omnem actum judiciale, ceterasque dilatorias exceptiones, ne alias reus in Judicem consentire, vel ejus jurisdictionem prorogare, vel suspicionis causam negligere videatur: nisi forte postea causa suspicionis de novo emerit, quae novo opus habeat remedium, *l. De atate 11. §. ex causa D. de interrogat. actio* aut in notitiam ejus venerit reus Ignorantis quippe justa excusat, *l. Qui in alterius 42. D. De reg. juris.* ideoque etiam tunc merito Judicem reculare potest, *c. Insinuante 25. sup. De officio delegati.*

8. Proponi verò debet recusatio Judicis, scripto; & quidem coram eodem Judice, causa suspicionis inserta, & coram arbitris utrimque electis probanda: eaque probata, Iudex cognitionem causae alteri demandabit, ex consensu recusatoris, vel ad superiorem remittere, non probata verò causa idem perseverabit Iudex, *c. Secundò 14. §. tertio §. c. cum speciali 61. inf. De appellat.* Quamvis de jure civili Iudex ordinarius recusari non possit, ut suspectus, ad hoc, ut removeatur, sed ei, si sub sit aliqua causa suspicionis, alius adiungendus est, *Authent. Si verò contigerit Cod. de judiciis.* Delegatus verò recusari potest, *l. Apertissimi §. l. fin. Cod. de judiciis.* Verum de hac exceptione postea latius agemus *ad d. tit. De appellationibus.*

9. Aliae exceptiones dilatoriae personam concernunt vel actoris: quod sit filius familiae minor xxv. annis, servus, Religiosus, excommunicatus, proscriptus, criminiosus, mente captus: & sic de similibus: vel procuratoris, ut quod sit miles, femina, mutus & surdus, accusatus de crimine, minor xxv. annis: quod careat mandato, vel non habeat sufficiens: quod non sit legitime constitutus, veluti à minore sine auctoritate tutoris vel curatoris, vel à procuratore, qui jus substituendi non habeat: & sic de similibus. Quae etiam in procuratorem rei conventi recte objici possunt, nisi quod hic absque mandato defensionem rei legitime in se suscipiat.

10. Aliae personam rei conventi concernunt: ut si reus conventus queratur coram Judice, se ab actore spoliatum, & ideo restitutionis beneficium, antequam cogatur respondere, imploret, vel actorem ex legitima causa revocet domum.

Denique aliae ex causae & actionis qualitate, ex loco vel tempore, vel aliis hujusmodi circumstantiis desumuntur: ut quod libellus sit ineptus vel obscurus, quod citatio tempore feriarum, aut ad locum non tutum facta sit, *c. Pastoralis 4. h. t.*

11. Quas quidem omnes regulariter objici adversario oportet ante litem contestatam, vel intra terminum tempusve à Iudice constitutum, *c. Inter monasterium 20. inf. De res judicata: c. Cum caussem 62. inf. de appell.* nisi demum post litem contestatam vel post elapsam tempus



pus emerferint de novo exceptiones ex nova causa, vel iurejurando affirmet reus, exceptionem quam obijcere vult, nunc demum ad notitiam suam pervenisse, *d. c. Pastoralis*; vel talis sit exceptio, quæ retroactum processum reddat nullum: cuiusmodi est, quæ vel mandati procuratorii vel jurisdictionis defectum arguit, *c. Cum venerabilis 6. versio licet autem b. tit. 6. In nostra sup. De procurat.* Item exceptio excommunicationis majoris, quamvis sit dilatoria, tamen & ante & post litem contestatam obijci potest, non obstante termino peremptorio, à iudice, ad exceptiones declinatorias vel dilatorias proponendas, præfixo. Hoc ideo, ne quis in periculum animæ suæ cogatur cum excommunicato communicare, *Element. 1. b. tit. Exceptionem 12. h. 1. & Clement. 1. eod. tit.* In eâ tamen proponendâ servari debet forma præscripta, *in c. 1. eod. in 6.* Ne per malitiam opponatur. Et hoc procedit in primâ instantiâ: nam si succumbens actor appellaverit, prætextu excommunicationis oppositæ à prosecutione appellationis repelli non debet, cum omnis legitima defensio in iudicio reseretur etiam excommunicato, *c. Significaverunt 11. hoc tit.*

12. Exceptiones Peremptoriæ sunt, quæ jus actoris perimunt & elidunt, semperque agentibus obstant, *c. 1. De litis contestat. in 6. §. appellatur & §. perperua Instit. eod.* Ut exceptio doli mali, metus, pacti conventi de non petendo seu perpetui, transactionis, solutionis, iurisjurandi, præscriptionis, rei judicatæ, Senatusc. Vellejani, Macedoniani; & si quid aliter contra leges factum esse dicatur.

13. Quæ exceptiones regulariter ante & post litem contestationem usque ad sententiam proponi possunt, *l. 2. Cod. Sententiam rescindi non posse. l. Præscriptionem Cod. hoc tit.* Nam v. g. exceptiones peremptoriæ litis finitæ (quales sunt exceptio rei judicatæ, transactionis post litem contestatam initæ, iurisjurandi voluntarii, judicialis aut necessarii, ad controversiæ decisionem lite contestata præstiti, ) & similiter exceptio rei finitæ, (qualis est exceptio transactionis ante litem contestatam initæ; iurisjurandi voluntarii, judicialis aut necessarii, nondum lite contestata præstiti) licet peremptoriæ sint, tamen dirimendarum litem favore ante litem contestatam proponi possunt,

propositæque ipsam litem impediunt, *c. 1. & 2. hoc tit. in 6.* Quinimò certæ sunt peremptoriæ exceptiones, quæ post sententiam definitivam, & quidem postquam illa in rem transivit judicatam, opponi possunt, & oppositæ probatæque executionem impediunt: quæ recensentur à Glossa, *ml. 1. Cod. de juris & facti ignorantia.* Huiusmodi est Senatusc. Macedoniani, & Vellejani. Vide plenius, *Canisius lib. 4. tit. 4.*

14. Et hæc quidem, quæ de exceptionibus rei conventi dicta sunt, nonnumquam contrariis exceptionibus rursus ab actore retunduntur. Nam uti actionem excludit aut elidit exceptio rei, ita exceptionem rei exceptio actoris, quæ propriè vocatur Replicatio, quæ per eam replicetur id est, resolvatur rei exceptio. Quod si hæc rursus alia exceptione à reo impugnetur, vocatur Duplicatio, & contra hæc solet dari Triplicatio; contra Triplicationem iterum Quadruplicatio; & ita deinceps, multiplicatis nominibus, donec conclusionem depurationi partium finis imponatur, *l. 2. D. h. & tit. Instit. De replicat.* Hæc tamen multiplicatio de Jure Canonico non admittitur, saltem quoad testes, antea productos, quos tunc refutare non licet, ut ante diximus, ne nimium extrahatur iudicium *c. Licet sup. De testibus, ubi laud. Panormit.*

## TITULUS XXVI.

### De Præscriptionibus.

#### §. I.

#### Præscriptio & Usucapio quid sit?

1. Præscriptio generaliter accipitur pro omni acquisitione.
2. Specialiter pro exceptione peremptoria.
3. Differentia inter præscriptionem & usucapionem quoad effectum.
4. Hodie non minus præscriptione quàm usucapione acquiri dominium.
5. Nec minus usucapi res mobiles quàm immoviles.
6. Definitio præscriptionis & usucapionis.

**T**itulo præcedenti actum est de exceptionibus in genere. Species verò exceptio-



nis peremptoria est exceptio præscriptionis, de qua plerumque dubitatur, an & quando competat.

1. Pro clariori intelligentiâ sciendum est, veteres usurpasse Præscriptionem pro Exceptione. Primò quidem generatim, pro omni exceptione, quæ opponitur generatim ad excludendam actionem, intentatam ab actore. Unde sicut Exceptionum alia est Dilatoria, alia Peremptoria, ita & Præscriptionum alia est Dilatoria, alia Peremptoria. Hoc modo accipitur: in tit. D. De exceptionibus & præscriptionibus. atque ita Præscribere pro excipere, in l. ult. D. De suspectis tutoribus. l. 1. §. ult. D. Ne de statu de fideiutorum & c. l. 52. & ult. D. De iudiciis. Sic quoque in l. 3. D. De prævaricationibus Præscribere accusatori, est oppositiâ Exceptione accusatorem submovere & repellere.

2. Secundò, specialius pro exceptione peremptoria, proveniente ex eo, quòd tempore legibus definito quis possederit rem aliquam, vel iure aliquo fuerit usus, vel alius ab usu rei abstinuerit seu cessaverit tanto tempore, ut patet ex tit. Cod. De præscript. longi temporis & De præscript. 30. vel 40. annorum. Nam possidens rem aliquam tempore legibus definito, si impetretur à domino, præscribat, id est excipiebatur tantum temporis possessionem, per quam excludebatur intentio actoris.

3. Et hinc patet, quomodo olim præscriptio ab usucapione distingueretur. Nam per usucapionem acquirebatur directum dominium, & directa in rem actio: per præscriptionem non acquirebatur directum rei dominium, nec directa actio in rem, sed tantum exceptio peremptoria. Quamvis iure novo ex Constitut. Justiniani per præscriptionem utilis actio acquisita fuerit, l. penult. Cod. D. De præscript. 30. vel 40. ann. Ideoque secundum leges anteriores ita quoque obtinuisse indicat ibidem Imp. & constat ex l. Si duo §. 1. D. De iure iundo, illis verbis, post longi temporis præscriptionem eorum utilitatem actionem habere debere, item ex l. Si quis diuturno D. si servus vindicatur, & l. 1. §. fin. D. De aqua pluvia arcenda.

4. At verò in iure Canonico, & passim ab Interpretibus præscriptio accipitur pro dominii acquisitione vel juris alieni elisione, proveniente ex tempore legibus definito. Hoc modo sumpta præscriptio proprie ad usucapionem se habet, ut magis commune; omnisque usucapio est præscriptio, non contra. Præscriptio enim, qua extinguitur actio personalis vel realis, non est proprie usucapio.

Dico, proprie, quia generaliter dici potest usucapio, quatenus ius & libertas ab aliqua obligatione dicitur usucapi: atque ita rectè dixeris, usucapionem & præscriptionem hodie non distingui, & patere æque latè, nec minus per præscriptionem, quàm per usucapionem acquiritur dominium.

Nam licet non defint, qui usucapionem à præscriptione distinguant, quasi usucapio sit rerum mobilium, præscriptio immobilium, tamen ea differentia satis subvertitur ex eo, quòd constat, etiam ante Justinianum, usucapionem præmisse, auctoritate Legis XII. Tabb. fuisse rerum tam immobilium, quàm mobilium, §. 1. Instituit. De usucap. Si per errorem, cum seq. l. Eum qui ades 23. D. eod. in quibus exempla usucapionis ponuntur, fundi, ades, prædia. Neque in eo quidquam postea à Justiniano mutatum est, l. univ. Cod. De usucap. transformanda. Nam constituit Imp. in ea lege, ut res mobiles, quæ antea ex Lege XII. Tabb. anno usucapiebantur, non nisi triennio usucaperentur, deinde res ut immobiles omnes, non solum Italicæ, sed & provinciales sive prædia tributaria & stipendiaria præscriberentur, transformata ita usucapione simulque prorogato tempore in utrisque, quod statuit decennium inter præsentēs, vicennium inter absentes. Videatur Covar. ad reg. Possessor. §. unico De R. I. in 6.

6. Præscriptionem igitur, postremo modo sumptam, prout in hoc Tit. sumimus, definire licet, quemadmodum Usucapionem definivit Modestinus l. C. quòd sit adiectio domini per continuationem possessionis temporis lege definiti, l. 3. D. De usucapionibus. Quæ definitio intelligi potest dupliciter; Primò causaliter, ut causa definiatur per effectum. Quòd neque absurdum neque novum est in iure nostro, licet enim Tutela, §. tutela Instituit. De tutelis; & Justitia Instituit. De iust. & iure definitur per effectum. Etenim usucapio est causa adiectionis domini, ut formaliter verò videtur esse ipsa possessio rei alienæ. Hinc enim dicitur diutina possessio, Instituit. eod.

Hinc



Hinc usucapione inchoari *l. iusto 44. §. fin. D. De usucap. cœptum esse, l. Capiam 4. D. eod. durare & perseverare, l. Et à quo 21. Et Non solam 37. §. 6. eod. interpellari, interrumpi, cessare, *d. l. 32. §. 4. l. 3. §. 1. Et l. 5. D. prodonato.* Item dicimus quem implere usucapionem, *d. l. 44. §. eum qui:* quod sanè dici non posset, si nomine usucapionis acquisitionem dominii, quæ momento contingit, designare velimus.*

Secundò intelligi definitio potest formaliter, seu accipi pro ipsa formali & actuali dominii acquisitione: quo pacto sumitur Donatio, *instituit, De donat. illis verbis, Est & aliud genus acquisitionis Donatio:* nam indubitatum est, donationem ibi capi pro modo acquirendi dominium. Atque ita non ipsa acquisitio dominii est effectus usucapionis ac præscriptionis, sed dominium acquisitum: sicut donationis effectus non est acquisitio dominii, sed dominium acquisitum seu translatum. Hinc dicimus, neminem videri rem usucepisse, nisi dominium acquisiverit. Adjectio igitur domini ponitur loco generis definiti, tanquam latius patens: quandoquidem & donatio & traditio & usurpatio rectè dicatur adjectio seu adeptio sive acquisitio dominii. Nam per adjectionem domini definiit Usucapionem Modest. in *d. l. 3. per adptionem Ulpian in Fragmentis tit. 19.* Et notandum, usucapionem non minus rectè dici adjectionem seu modum acquirendi dominium, quam adptionem seu modum adipiscendi dominium: adjectionem quidem, non quia dominium iurisperitorum, quod olim tantum per traditionem acquirebatur, adiciat dominio juris civilis, ut quidam existimant: sed quia possessioni civili, quam usucapiens habet, adjicit etiam dominium: adptionem verò, quatenus illa mediante usucapiens dominium adipiscitur: sibi que acquirit.

Non obstat dictæ definitioni, quod in ea non fiat mentio tituli & bonæ fidei: quæ tamen adeo necessaria sunt ad usucapionem, ut sine illis non procedat: quia illa ad usucapionem requisita, satis intelliguntur & comprehenduntur in eo quod dicitur, *per continuationem possessionis temporis lege, definiti:* nam illis verbis satis indicatur agi de tali possessione, quæ bona fide & titulo subnixæ sit, aliæque contineat, quæ ad acquisitionem dominii requiruntur.

## §. II.

## De requisitis ad Usucapionem; &amp; primò De Possessione.

1. Sine possessione eaque continuatâ non contingit Usucapionem.
2. Quo modo interrumpatur.
3. Præscriptio alia odiosa, alia mixta, alia favorabilis.

1. **A**D Usucapionem: & Præscriptionem primò requiritur possessio vel quasi possessio, sine qua ista contingere non potest. *Sine possessione 25. D. De usucapion. c. Causam qua cap. Cum olim. 18. hoc tit. & quidem necellum est, ut præscribens sibi, non alteri, possideat, c. Si diligenti 17 hoc tit. sive per se, sive per alium, l. Si quis in princ. D. eod. ad eod. ut tantum præscriptum, quantum possessum dicatur, & non amplius.*

Debet autem possessio ista seu quasi possessio esse continua, *l. 3. Et l. Nunquam 31. §. 1. D. eod.* Id est, non debet ante tempus, ad id, quæ agitur, præscriptionem seu usucapionem a lege definitum, ullo momento esse interrupta. *l. l. 8. c. Auditu 15. b. l. Naturaliter 5. D. eod.*

2. Nam si interrupta fuerit sive per possessionis ablationem, quæ dicitur naturalis interruptio, *d. l. Naturaliter*, sive per litis motionem seu contestationem, quæ dicitur civilis interruptio, *l. Nemo Cod. De acquir. possess. l. Mora 26. Cod. De rei vindicat.* sive etiam per citationem, usucapio ad effectum perducere nequit, *d. l. nemo Et alius, Cod. De acquir. possess.*

3. Solent tamen distinguere inter præscriptionem odiosam, mixtam, & favorabilem: quod odiosa seu 30. vel 40. annorum solâ citatione, legitime facta, interrumpatur, *Gaill. l. Observ. 45 n. 20. Glos. fin. in cap. Cum plures De officio delegati in 6. Panormit. in c. penult. num. 2. sup. De foro compet.* quia procedit ex negligentia non contradicentis: quod mixta, id est 10. vel 20. annorum, non citatione, sed litis contestatione interrumpatur, *d. l. Mora Cod. de rei vindicat.* quia cum partim sit favorabilis, respectu scilicet præscribentis, partim odiosa, ob negligentiam non repetentis rem suam, media via eligitur, quod denique favorabilis, id est triennalis, quæ cum titulo & bona fide obriuerit in rebus mobilibus, neque citatione neque litis contestatione interrumpatur; sed

scilicet:



sententia definitiva opus sit : quia huiusmodi præscriptio in favorem præscribentis introdu-  
cta sit, l. Si post acceptum D. De rei vindicta. l. 2.  
§. 1. D. De usucap. pro emptore: latius Gaill. d. loco  
n. 21.

Illud quoque, hic specialiter statutum est, ut an-  
terioris iusti possessoris possessio cum sequentis  
possessoris possessione continuetur, & in trien-  
nium decennium, vicennium, tricennium con-  
numeretur, l. unica circa finem Cod. De usucap.  
transformanda.

## §. III.

## De bona fide.

1. Bona fides quid sit?
  2. Iuris error ad bonam fidem non sufficit.
  3. Nisi sit ius dubium.
  4. De dubitante, an & quatenus sit bona fides.
  5. De possessore iustum & coloratum titulum ha-  
bente.
- Secundo requiritur bona fides, Mala fidei.  
Possessor de R. l. in 6. c. fin. b. r. id est credulitas  
qua quis prudenter credit & sibi persuadet rem  
esse suam aut saltem ignorat esse alienam : ut si  
putet eam, à quo accepit, fuisse dominum cum  
non esset, aut saltem ius transferendi habuisse l.  
Bona fidei D. de verb. significat. nam mala fidei  
possessor non præscribit, d. c. Mala fidei & d. c. fin.  
l. Si aliena D. eod.

2. Dixi, prudenter : quia si ex ignorantia  
crassa vel inordinata cupiditate procedat per-  
suasio illa, non erit bona fides. Et hinc iuris  
clari error, veluti si quis rem contractu usu-  
rario, quem putabat esse iustum, sibi compa-  
raverit, aut vestem vel equum à Religioso ac-  
ceperit, nesciens Religiosum donare non posse  
tamquam improbabilis, possessoribus ad bo-  
nam fidem non sufficit, l. Iuris & l. Error D. De  
iur. & facti ignorantia, d. l. Nunquam in prin. li-  
cet talis ignorantia seu error inculpatus sufficiat  
ad præscribendos fructus, ex ipsa perceptos,  
Covar. 3. Var. resol. c. 3. n. 8. Navar. lib. 1. Consil.  
61. De officio Iudicis, l. Sed etsi §. si re D. De peti-  
tione hereditatis, quia error circa fructus videtur esse  
error facti: existimat enim possessor, sed illos  
percipere ex re sua. Iam autem ignorantia facti  
ad præscriptionem prodest, d. l. Iuris & d. l. Er-  
ror.

3. Dixi, iuris clari ignorantiam non produ-  
cere : quia aliud dicendum de ignorantia iuris  
valde dubii, vel etiam verè dubii, Navar. d. loco  
quia quando ius est verè dubium, id de quo  
utrimque multorum sunt sententiæ, licet in  
praxi utramlibet sequi sententiam, pertinet ac-  
si clarum ius esset, Lessius 2. De iustit. cap. 6. De-  
sputat. 5. n. 16.

4. Quod si verò dubitet quis, an res sit sua, non  
erit bonæ fidei, ad inchoandam possessionem,  
quam diu manet dubitatio, Covar. ad Reg. Pos-  
sessor. 2. p. §. 7. n. 3. & seq. quia ut quis rem, quam  
antea non habebat, sibi vindicare & usurpare  
incipiat, requiritur, ut determinatè iudicet  
eam vel nullius esse, & ita fieri suam per occu-  
pationem, vel certè esse suam, licet id antea non  
adverterit. Censetur tamen talis habere bo-  
nam fidem, sufficientem ad continuandam pos-  
sessionem, bona fide occupatam. Probatur ex can.  
Si virgo xxxiv. q. 1. ubi dicitur, in iure prædiorum  
sam diu quemque possessorem bona fidei dici,  
quamdiu se possidere ignorat alienum : & ex d. l. fin.  
h. t. ubi dicitur, oportere, ut qui præscribit, in nulla  
temporis parte rei habeat conscientiam aliena. Et  
enim dubius non est sibi conscius rei alienæ &  
ignorat se possidere alienum; atque in dubio  
melior est conditio possidentis, quam non possi-  
dentis. Videatur Covar. d. loc. §. 7. Lessius d. cap.  
6. Dubitat. 3. & 4. ubi tradit, quod dubitans,  
num res sit sua & simul dubitans, an  
liceat eam sibi retinere, & tamen retinens rem,  
mala fide continuet possessionem, nec ei currit  
præscriptio, l. Si fur. D. De usucap.

5. In possessore autem, titulum iustum &  
coloratum habente, videtur in dubio rectius  
præsumi bona fides, arg. l. Verius D. De probat.  
nisi forte à rei domino, ne emeret, admonitus,  
emerit nihilominus, l. Si fundum Cod. de rei vin-  
dicat. vel alias contra legum interdicta merca-  
tus fuerit.

## §. IV.

Quo tempore bona fides requira-  
tur.

1. Mala fides superveniens iure civili non inter-  
rumpit usucapionem.
2. Hares proinde mala fidei succedens defuncto re-  
suscipit ad præscribendum iure.

B. 6

3. Siml



3. *Singularis successor quando accessionis iure utatur.*
4. *Iure Pontificio bona fides omni tempore adesse debet.*
5. *Bona fides à quo tempore adesse debeat in contractibus.*
6. *Mala fides post completam usucapionem superveniens, non nocet.*
7. *Per usucapionem acquiritur dominium etiam directum.*
8. *Ratio introducenda usucapionis.*
9. *Removetur oppositio.*

R equiritur autem de iure civili tantum ab initio bona fides: nam eo iure mala fides superveniens non interrumpit prescriptionem.

1. Quia illa est facti, usucapio verò seu prescriptio (nam hæc duo hodie confunduntur) iam inchoata est iuris: quæ autem sunt facti, non debent tollere ea, quæ sunt iuris, l. *Si unus § pactus ne peteret D. de pactis.*

2. Et ideo iure civili si defunctus possederit bonâ fide rem aliquam aliquo tempore, poterit eius successor universalis, v. g. hæres aut bonorum possessor aut fidei commissarius, licet malæ fidei fuerit, usucapere, utendo accessione illius temporis, quo defunctus possedit, & cepit usucapere: quia sufficit defunctum ab initio fuisse bonæ fidei possessorem, cum eius personam repræsentet, sitque successor universalis, l. *Hæres 22. D. de usucap.* & eiusdem cum illo iuris, l. *Hæredem 59. D. de reg. juris*; habeaturque pro eadem persona d. l. *Hæres* Hinc etiam è diverso, si defunctus fuerit malæ fidei possessor, hæres eius quantum vis bonæ fidei, nullo tempore poterit præscribere, licet non utatur accessione temporis, quo defunctus possedit: quia repræsentat personam defuncti, in illiusque omne ius succedit; & vitia refert, nec malam fidem sua ignorantia excludit l. *Cum hæres 11. D. de diversis & temporal. prescriptis.*

In singularibus autem successoribus quovis titulo, seu luerativo sive oneroso, non aliter tempora coniunguntur, quam si uterque tam auctor quam successor, bonæ fidei initium habuerit. Ideoque si venditor fuerit bonæ fidei possessor; emptor verò mala fide cœperit possidere rem, non poterit uti accessione temporis, quo venditor possedit, neque etiam absque accessione per se ullo tempore usuca-

pere, l. 2. si eam rem D. Pro emptore. Et contra, si venditor mala fide cœperit possidere, emptor verò bona fide, poterit hic quidem per se tempore legitimo usucapere, quia in successorem singularem vitia auctoris non transeunt nec impediunt usucapionem, c. *Cura inf. De iure patris nat.* uō tamē poterit uti auctoris sui accessione.

4. At verò iure Pontificio malæ fidei possessor nullo tempore, quantum vis longo, præscribit, & mala fides superveniens interrumpit prescriptionem, c. *fin. h. t.* quia qui scit rem esse alienam ante completam usucapionem, & tamen retinet tamquam suam, peccat mortaliter d. c. *fin. can. Si quid manifesti xxxiv. q. 5.*

Nec obstat ratio juris civilis, quia illa ex juris quadam subtilitate nata est, quæ anime periculo non est præferenda, Et ideo etiam in foro sæculari seu laico jus Canonicum servandum est: quia regula est, quod, quando ius civile pugnat cum Canonico, & agitur de peccato vitando, sequendum sit Canonicum, etiam in foro civili, c. *nolit 13. sup. de iudicio.*

5. Observanda verò hic est differentia inter emptionem & alios contractus: nam in aliis contractibus sufficit adesse bonam fidem à tempore traditionis, licet ea non adfuerit à tempore contractus, l. *Si aliena 10. l. Si in qui 15. l. l. 44. D. de usucap.* In emptione verò adesse bona fides debet non solum tempore traditionis, sed & tempore ipsius contractus. Ratio diversitatis est, quia improbè facit, qui, dato pretio, rem alienam inuito domino transferri in se studet per venditoris fraudem: nec potest in mala fide non esse, qui rem ab eo nundnatur, quem scit non esse dominum, nec jus alienandi habere, l. *Si in emptione 34. §. item D. de contrah. empt. l. Alienum 6. l. Eos 14. C. l. Si servum 16. Cod. de furtis.* At verò si v. g. mihi stipulet ab aliquo rem alienam sciens, sufficit ad prescriptionem, quod existimem ejus esse, tempore traditionis, qui possum merito existimare, illum sibi eam rem comparasse, ad satis faciendum promissioni suæ. Quamquam si quis, iustissimo errore ductus, putet se emisisse rem quam non emit ut quia per suam ei sit à servo vel procuratore suo esse emptam, possit non obstante errore, rem talem præscribere l. 2. §. si à pupillo, cum seq. D. Pro emptore.

6. Sed quid si, prescriptione legitime comple-

33, lib.



superveniat deinde scientia rei alienæ? Potest qui præscripsit, non obstante tali scientia re præscriptam retinere, tamquam jam non amplius alienam, sed suam: quia per præscriptionem auctoritate legis acquiritur dominium illius,

7. Non tantum utile, sed etiam directum, sive res mobilis, sive immobilis, ut patet ex l. 3. D. De usucap. Ubi usucapio dicitur esse adjectio sive acquisitio domini, sine distinctione utilis vel directi. Similiter Canones indistinctè loquuntur de dominio, dum agunt de usucapione seu præscriptione: & in can. Clerici xxvi. qu. 3. dominium, per præscriptionem acquiritur, vocatur proprietatem. Idque obtinet, sive dominus fuerit negligens, sive non:

8. Quia leges introduxerunt præscriptionem non tam ob negligentiam dominorum quam ob bonum publicum, ne diu & ferè temper incerta essent rerum domania, l. 1. D. De usucap. Utque litium aliquando esset finis, fin. D. Pro suo: & longi temporis error ac confusio evitaretur, c. Vigilanti 5. h. t.

6. Ideoque non obstat, quod dicitur, neminem privandum esse re sua sine culpa: quia id non obtinet, quando ut privetur, exigit ratio boni communis seu publici.

Hinc etiam non obstat Reg. qua dicitur, id quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non debere, l. 1. id quod nostrum D. De reg. juris: quia id fieri potest postulante bono publico: & diuturnum domini silentium est veluti factum ejus, alienantis rem suam l. Alienationis 28. D. De verb. signific. Idque ex dispositione legis quæ propter bonum publicum præsumit dominum, tanto tempore tacentem, & in rebus suis requirendis ac recuperandis negligentem, in alienationem earum consentire, Ideoque non potest etiam dici præscribens locum prelati cum alterius, scilicet domini, iactura, contra l. nam hoc natura D. De condi. indebiti: Quia is sibi imputare debet, quod intra statutum à lege tempus rem suam inquirere, & à possessore recuperare non studuerit.

Non obstat quoque, quod is, cui res est adjudicata per sententiam Judicis, nitentem & subnixam falsa præsumptione, teneatur ad restitutionem: tum quia Judex per suam sententiam non intendit transferre dominium, sed solum declarare, utrius sit: cum interitum

per legem præscriptionis intendat, ita exigente bono publico, transferre dominium in præscribentem: tum quia præscriptio non nititur falsa præsumptione negligentiae, sed exigentia boni communis.

#### §. V. De Titulo.

1. Ad usucapionem necessarius est titulus sive causa possidendi.
2. 3. Titulus sufficit esse putativum, non verum.
4. 5. In præscriptione longissimi temporis non est necessarius.

**I**Nsuper ad præscriptionem requiritur iustus titulus, id est causa habilis ad transferendum dominium vel usucapiendi conditionem. Talis est stipulatio, emptio, donatio, permutatio, testamentum, legatum, & similes, l. Divina Cod. de præscript. longi temporis. Nam titulus huiusmodi est causa iusta possessionis, quæ est proxima causa usucapionis seu præscriptionis. Et regula Juris est, absque iusto titulo non posse dominium per usucapionem seu præscriptionem acquiri, l. nullo iusto 24. Cod. de rei vindicat. Hinc commodatarius, depositarius, conductor, colonus, inquilinus, rem commodatam, depositam, conductam præscribere non possunt: quia non sunt illi iusti tituli, id est, habiles & sufficientes ad transferendum dominium.

2. Necesse tamen non est, hunc titulum esse verum, sed sufficit esse putativum, seu quod merito & iusto errore putetur esse verus. Hinc etiam nunc pro emptore, nunc pro legato, nunc pro dote, nunc pro sue, & sic de similibus, quamvis verus titulus non adsit, ratione iusti erroris permixta est usucapio: ut v. g. si fundum, quem mihi tradis dicas, te vendidisse patri meo, nec tamen vendideris, l. Si ancillam D. Pro suo, vel dixeris mihi rem legatam, cum non esset, l. fin. D. Pro legato.

3. An verò de Jure Canonico etiam requiratur titulus, merito dubitari potest, præsertim ob, c. Ad aures, c. Si diligenti h. tit. c. 1. eod. in 6. Ubi traditur sufficere bonam fidem, neque esse necessarium titulum, nisi præsumptio vel ius commune sit contra præscribentem.

4. Cæterum hoc intelligendū videtur potius de præscriptione longioris temporis, quàm ordinarii.



ad præscribendum, veluti centum annorum vel 30. aut 40. Nam regulariter in huiusmodi præscriptione neque de iure Canonico neque de iure civile requiritur titulus, sed sufficit bona fides cum possessione tanti temporis: quia sæpe multa habemus in rebus nostris, quæ propter diuturnitatem temporis quo titulo accepimus, ignoramus. Videatur Covar. ad reg. Possessor. §. 5. n. 2.

5. Ut verò breviori vel alio tempore ordinariorum, v. g. 10. vel 20. annorum, contra privatum præscribatur, verus vel putativus requiritur titulus, l. Celsus D. eod. c. Si diligenti hoc tit. l. unica Cod. de usucap. transformanda; nisi sit præscriptio rerum incorporalium, l. Si quis diuturno D. Si servitus vindicetur: quia tractatur de modico præiudicio; secus, si de magno: vel nisi sit præscriptio statutaria, in qua tenendum Bald. in l. 2. Cod. De præscript. longi temp. non requiritur titulus.

#### § VI. De Tempore.

1. Tempus ad usucapionem requisitum est variū.
2. Res mobiles privati hominis triennio usucapiuntur.
3. 4. Res mobiles & immobiles sine titulo 30. annis.
5. Immobiles cum titulo 20. vel 20. annis.
6. Contra Ecclesiam Romanam centum annis.
7. Contra aliam piam causam quadraginta.
8. Exceptio.
9. Nomineretur immobilium quæ veniant.
10. Servitutes etiam præscribi ad instar rerum immobilium.
11. Servitus mixta & realis qua dicatur.
12. A quo tempore servitutum curvat præscriptio.
13. Quo pacto iura incorporalia dicantur usucapi.

1. **D** Enique requiritur, ut tempus ad præscriptionem seu usucapionem à iure præscriptum sit completum: quod tempus pro varietate rerum, quæ præscribuntur, variū est. Et quidem ante Justinianum temporales mobiles in Italia poterant usucapi annali possessione: immobiles verò biennio, l. Instituit, De usucap. in prin. Cum verò hoc ius non satis esset consentaneum æquitati, Justinianus illud reformavit, & statuit, \* 2. ut res

mobiles hominis privati, vel etiam Ecclesiæ cuiusvis, trienniali possessione ulocaperentur: prout de rebus privati hominis constat ex l. unica Cod. de usucap. transform. & instituit d. in. de rebus Ecclesiæ ex Auth. Quas actiones Cod. De sacrosanctis Ecclesiis quæ Authentica recepta est ad Ecclesiā, ut patet ex can. ult. & penult. xxi. q. 1.

3. Ad usucapionem rerum immobilium sine titulo requiruntur triginta anni, si ex privata sint, l. 3. Cod. de præscript. 30. vel 40. annorum, ubi res immobiles contra privatum præscribuntur triginta annis sine titulo (nam indeidem iudicandum est de mobilibus, si quandoquidem de iis nihil aliud statutum sit, deficiente titulo;) sive Ecclesiæ, quia cum Ecclesiā in mobilibus non habeat privilegium, sed tantum in immobilibus, quoad res mobiles censeri eodem iure debet, quo privatus. Videatur Covar. ad reg. Possessor. §. 5. n. 2.

4. Quod ad res immobiles attinet, ex quoque vel sunt privatorum, ad quarum præscriptionem cum titulo requiruntur decem anni inter præsentem, viginti inter absentes, l. Instituit, loco & d. l. unica, præsentem dicuntur, qui in eadem civitate vel provincia habitant: absentes, qui in diversis provinciis, Abbas in c. De quarum hoc titulo si res sit sita in eadem civitate vel provincia, sive alibi, etiam trans marenam in præscriptione situs rei præscribenda non attenditur, l. Cum in longi §. sancimus Cod. De præscript. longi temp.

Quod si quis præfens fuerit octo annis, & postmodum alio migret mutanda habitationis causa, ut res immobilis contra ipsum præscribatur, seu potius ut præscriptio, inchoata per octo annos, compleatur, opus erit adhuc quatuor annis, quia super erant duo anni ad eam complendam contra præsentem, qui duplicari nunc debent ratione absentiae, Auth. Quod si quis Cod. de præscript. longi temp.

5. Sine titulo præscribuntur res immobiles triginta annis, c. Sanctorum 3. h. tit. l. Si quis §. 2. Cod. De præscript. 30. vel 40. annorum.

6. Vel sunt res immobiles Ecclesiæ, eæque vel Romanæ, ad quarum præscriptionem contra ipsam Ecclesiā requiruntur centum anni c. Cum vobis 14. h. t. c. fin. eod. in 6. Auth. Quas actiones Cod. de sacros. Ecclesiis.

7. Vel alterius Ecclesiæ, Hospitalis, Monasterii,



terit, aut pias causas, veluti legata, donationes ad pias causas: & requiruntur quadraginta anni, ut de Ecclesia habetur, *in c. De quarta 4. h. t. de aliis vero piis locis & causis d. Anth. Quæstiones. Covar. in d. Reg. Possessor §. 2 n. 3.* Itaque obtinet, si ve sit privatus, qui præscribit, si ve alia Ecclesia, etiam Romana seu Summus Pontifex, præscribat. \* 8. Attamen adversus monasteria, quædam & Collegia Regularium et privilegio non præscribitur, nisi sexaginta annis: veluti adversus Monasteria Ordinis Sancti Benedicti & c. eosque, qui illorum privilegii gaudent, & adversus Congregationem Sancti Salvatoris. Quod si, postquam quis per quinquennium cœperit præscribere rem immobilem privati cum titulo, ea res deveniet ad Ecclesiam inferiorem Romanam, satis erit possidere deinceps cum bona fide per viginti annos, ut adversus eam Ecclesiam valeat præscriptio, quia de erat solum dimidium temporis requisiti ad præscribendum contra privatum inter præsentem: si vero ad Ecclesiam Romanam pertinere incipiat, sufficit deinceps possessio quinquaginta annorum. Ceterum ipsa Romana Ecclesia seu Summus Pontifex, & quilibet alius Princeps adversus privatum eodem tempore præscribere potest, quo quilibet privatus adversus alium privatum.

9. Nomine autem rerum immobilium comprehenduntur etiam jura & actiones ad mobilia: item census, redditus, beneficia, ius patronatus ac servitutes: \* 10. Nam & hæc quoque, saltem mixtæ & merè reales præscribuntur eodem tempore, quo res immobiles, nempe cum titulo decem annis inter præsentem, viginti inter absentes & sine titulo triginta annis, *l. fin. vers. fin. Cod. De præscript. long. temp. nre eo casu, quo adest titulus; in mere reali servitute requiritur scientia & patientia eius, contra quem præscribitur. d. l. fin. 1. sed tunc solent quando abest titulus, l. 1. & 2. Cod. De servitutibus. & aqua.*

11. Servitus mixta dicitur, quæ à re debetur personæ. Talis est usufructus, qui præscribitur non ratione possessionis, quam usufructuarius habet in fundo, cum illa possessio sit tantum naturalis, sed ratione civilis possessionis ipsius iuris utendi fruendi, seu iuris: quod vocatur usufructus, Gomef. Var. resol. l. 2. cap. 15. sub nu. 20. vers. sic, item etiam quia illa pos-

sessio. Servitus merè realis dicitur, quæ à re rei debetur. Et licet quidam hic distinguant inter mere reales continuas, quales volunt esse tigni immittendi oneris ferendi, stillicidii, & similes, & inter discontinuas, quales ponunt servitutem itineris, viæ, actus, tamen hanc distinctionem alii merito improbant, cum omnes servitutes habeant causam continuam, licet exercitium interdum intermittatur, *l. 14. Cod. De servitutibus l. 28. D. eod. tit. animo que perpetuo retineantur.*

12. Cum autem proxima causa præscriptionis sit continua possessio, sciendum, eam aliter incipere in servitutibus affirmativis, id est in quibus tribuitur jus ad aliquid agendum, circa rem alterius, ut est tigni immittendi aquæ ductus, & similes; aliter vero in negativis, id est quibus jus datur ad impediendum, ne quis aliquid agat, v. g. ne alius tollat domum, ne veneretur in tali silva, ne eruat lapides in tali fundo: nam in affirmativis incipit ab eo die, quo quis tali jure utitur bona fide; in negativis vero incipit ab eo die, quo quis prohibet vel impedit alterum, ne quid agat.

13. Sed quomodo, inquires, servitutes, aliæque iura incorporalia, usucapi & præscribi possunt, cum neque tradi neque possideri queant, & sine possessione non contingat usucapio seu præscriptio; quia licet proprie non tradantur, nec etiam proprie possidentur, tamen, sicuti quasi traduntur, & quasi possidentur, ita etiam quasi usucapionem seu præscriptionem admittunt, & quidem instar immobilium, *l. fin. Cod. De præscript. long. temp. l. 2. & penult. Cod. De servitutibus. quia immobilibus annumerantur, l. 13. Cod. d. t.*

## §. VII.

## Quinam præscribere possint.

1. *Tantum præscriptum, quantum possessum.*
2. *Etiam filiusfam, & pupillus usucapere possunt.*
3. *Non servum.*

Illud nunc restat inspicendum, quinam præscribere possint & quæ res præscribi: Præscribere possunt, qui suo nomine possidere: quia, ut dictum est, sine possessione non erit præscriptio, \* 1. & inde tantum dicitur præ-



scriptum, quantum possessum, & non amplius, *c. Cum olim. ibi DD. h. tit. l. 1. §. Iulianus. ibi Gloss. Bart. & alii D. De itinere actusque privato. Ideoque præscripi: a v. g. servitute pale: ndi centum oves in fundo alieno, si major numerus pascatur, non censetur aucta servitus, d. §. Iulianus l. 12. Cod. de servitutibus, l. 1. §. 18. D. De aqua quorid. & asirva.*

2. Hinc igitur non solum pater familias, sed etiam filius familias, maxime castrensis & quasi castrensis peculia, usucapere potest, & similiter pupillus, l. 4. §. 1. & 2. D. De usucap. etiã sine tutore, modo habeat animum possidendi, d. §. 2. Azo in Summa tit. De usucap. pro emptore num. 4. Item infans, sed tutore auctore, l. 32. §. 2. D. De acquir. poss. Sic etiam furiosus, quod ante furorera possidere cepit, usucapit, d. l. 4. §. 3. Hostien. in Summa h. tit. num. 3. \* Aliud dicendum de servo: nam is usucapere nõ potest, d. l. 4. §. 4. l. 22. & 118. D. De reg. iuris. quamvis Dominus etiam ignorans ex causa peculiari per servum possit usucapere, l. 1. §. 5. D. De acquir. poss. l. 2. D. Pro soluto.

#### §. VIII.

#### Quæ res præscribi possint.

1. Præscribi possunt res omnes, non prohibita specie, licet.
2. Prohibentur, Exemptio ab obedientia superioris.
3. Jus visitandi procurationis exigenda.
4. Res, quæ non sunt in commercio.
5. Limites provinciarum.
6. Res pro indiviso communes pluribus.
7. Res mera facultatis, &c.

**P** præscribi seu usucapi possunt res omnes quæ nominatim vel lege aliqua vel speciali ratione non prohibentur; cum corporales, siue ea mobiles sint siue immobiles, *Insti. de usucap. in prin.* cum etiam incorporales, modo antea dicto.

2. Prohibentur autem Præscribi; Primò Exemptio ab obedientia superioris: cum non liceat à capite membra recedere, *ea. Cum non liceat. l. 2. h. t.*

3. Secundò, Jus visitandi & procurationis exigendæ, adversus superiorem, quando scilicet ea procuratio ex jure competit: non si ex privilegio vel consuetudine, quia tunc præ-

scribi poterit *c. Cum ex officiis. hoc. juncta doctrina DD. ibid. Capella Tholos. 332.* Hinc quia Legatis & Nuntiis Sedis Apostolicæ ex jure procurationes debentur, adversus eas præscriptio locum non habet, *c. Accedentes hoc. tit.* Alius tamen, præter subditum, præscribere potest adversus Prælatum, ut ad se pertineant illius subditi, & a se in posterum visitentur, ubique non antiquo Prælato, procuratio debeatur, *d. c. Cum ex officiis h. t.*

4. Tertiò, Res usibus publicis deputata: forum; theatra, via publica, & similes; itemque res commercio hominum exempta, ut res sacre, religiosæ, *§. sed aliquando Institut. tit. l. 9. D. eod.* Item jus decimarum à laico poss. Concilium Lateranense præscribi nequit, sicut nec qualibet alia res spiritualis, quia ejus est incapax laicus, *cap. Causam. 7. hoc. tit.*

5. Quartò, Limites provinciales Episcopatum ac Parochiarum, & quæ hujusmodi finibus cohererent, modo tamen constitutales finis præfixos constitutosque fuisse, *c. Super eo. 4. inf. De parochiis. can. Quicumque juncta. Gloss. can. Licet cum can. seq. xv. l. 9. 4.* Ne scilicet provinciarum termini confundantur, *d. can. Quicumque.* Alias si de his non constet, vel probari non possint, præscribi poterunt, *c. Quia judicanti. h. t. can. Volumus. xvi. 9. 5.*

V. Liber homo VI. Res furtiva & vi possessa, & quæ ex ea nascitur, *§. furtiva Institut. De usucap. VII. Res filci, Institut. eod. VIII. Retinendi prohibet, ut res pupillares, l. 10. D. Quæ ad servitum amitt. IX. Res dotalis. l. 4. & 16. D. De fundo dotali: nisi inchoata fuerit præscriptio antequam fierent dotalis. l. 30. §. fin. Cod. De jure dotum.*

6. X. Res indivisim communes pluribus, ab aliquo sociorum præscribi non possunt, cum is nomine aliorum possideat, *l. Communem D. Quæ ad servitum amitt. dist. juxta distinctionem Boerii Decis. 58.* consortes seu fratres aut coheredes æquis portionibus pro diviso possederint: nam tunc præsumitur inter eos facta divisio.

7. Denique, ut alias similes omittam, res, quæ sunt mera facultatis, præscribi nequeunt, *l. 2. D. De via publica: nisi prohibitioni interpositæ is, qui meram facultatem habet, cum patientia acquieverit. Vide Gailz. Obs. 18. num. 4.*



ubi tradit, juri offerendi propterea non præscribi, ne quidem spatio triginta annorum, quia consistat in mera facultate; & simul ostendit, juri offerendi habere quoque locum inter creditores ei tamen præscribi spatio 30. annorum: quia non competat creditoribus per modum facultatis, sed per modum actionis, cum sit accessorium ad ipsam actionem: ad exemplum actionis hypothecariæ, quæ similiter triginta annis præscribitur, l. Cum notissimi C. de præscript. 30. vel 40 annor. Gail. d. l. n. 12.

## TITULUS. XXVII.

## De sententia &amp; re judicata.

## §. 1.

Sententia quid sit &amp; quod duplex?

1. Ratio ordinis.
2. Sententia & Res judicata quid sit?
3. Sententiarum alia Definitiva, alia Interlocutoria.
4. Definitiva alia Condemnatoria, alia Absolutoria.
5. Interlocutoria quæ sit.
6. Et unde sic dicatur?
7. 8. Alia est merè interlocutoria, alia vim habens definitiva.

**E**xpeditis iis, quibus se actores ad agendum, & intentionem suam fundandam, muniant, & iis quibus è diverso rei sese ad propulsandas & elidendas actiones, & intentionem actorum evitandam, atque absolutionem ab impetitione eorumdem per sententiam iudicis assequendam, defendunt: sequitur, ut agamus de ipsa sententia, qua Juxta, visis actis, probationibus, allegationibus atque exceptionibus, secundum quod ex iis sibi iustum visum fuerit, super causa controversa pronuntiat, & finem controversiæ imponit, vel absolvendo vel condemnando; & consequenter de re judicata.

2. Nam Sententia hic est ipsa pronuntiatio seu definitio Iudicis; finem controversiæ imponens. Res verò iudicata est ipsa causa controversa, quæ finem controversiæ pronuntiatione Iudicis accepit, vel absolutione vel condemnatione, l. 1. D. de re judicata. Quamquam

& sententia, quatenus decurso ab ea appellationis tempore manet veluti à partibus approbata & judicata, non malè quoque res judicata dicatur; eoque pacto dici solet, sententiam transire vel transivisse in rem judicatam.

3. Sententiarum alia est Definitiva, alia Interlocutoria. Definitiva est sententia Iudicis, quæ principalem causam seu controversiam definit ac terminat, absolvendo vel condemnando. l. 1. D. de re judicata Gloss. in Clement. 2. De sequestrat. possess. & fructuum.

Per hoc, quod dicitur, Sententia Iudicis, excluduntur Arbitrium, Transactio, Jusjurandum, Præceptum de solvendo, quod sit in confessum, non servato ordine juris, & sine causæ cognitione: quia licet hæc causam definiant, non tamen sunt sententiæ definitivæ Iudicum.

Dicitur, Absolvendo vel condemnando; quia alias non esset definitiva, d. l. 1. D. de re judicata & l. Pras. 3. Cod. de sent. & interlocut. om. jud. Nisi sit sententia in causa appellationis, in qua sufficit dicere Iudicem, malè esse appellatum, bene judicatum, vel contra, l. eos qui 6. Cod. de appellat. Non est tamen accessio Iudicem uti verbo Condemno vel Absolvo, sed sufficit, quod utatur æquipollentibus, Glossa in d. l. Pras. quia licet, ubi certa verba pro forma requiruntur, uti in Baptismo & Eucharistia, non sufficiant æquipollentia, tamen sufficiunt ubi verba in genere pro forma requiruntur, ut in sententia definitiva, in matrimonio, in quo sufficit consensus per quæcumque verba exprimere, c. Ex litteris c. 2. de parte inf. De sponsalib. & in stipulatione, l. 1. §. Si quis ita & §. fin. D. de verb. obligat.

4. Hinc autem patet Definitivam esse duplicem scilicet Condemnatoriam & Absolutoriam. Exempla sententiæ definitivæ sunt, si Iudex pronuntiet satisfaciendum esse, vel non esse, quando principaliter petitur, alioquin non esset definitiva: si de nullitate sententiæ principaliter dubitetur, & super eò sententia feratur: si pronuntietur rem esse petitoris: si quis condemnatur ad restituendam rem aliquam, & sic de similibus.

5. Sententia Interlocutoria propriè dicitur quæ inter principium & finem causæ super aliquo incidenti vel emergenti profertur, Gloss. in Clement.



*Clement. 1. De sequestrat. possess. in V. definitiva.*  
*Maranta in Spec. p. 6. tit. De sententiis n. 2.*

6. Dico propriè; quia interdum interlocutoria fertur post finem causæ & sententiam latam, & tamen manet interlocutoria, l. *Cum Clericis Cod. De Episc. & Clericis, l. Invenimus, & ibi Gloss. Cod. De advocat. divers. judicior. Interdum etiam, ubi non est aliud aliquod principium vel finis §. si quis autem Novel. De hered. & Falcidia ideoque generaliter definiri posse videtur, quod sit pronuntiariorum Judicis, facta ad aliquis articuli expeditionem.*

7. Dicitur autem Interlocutoria, & Interlocutio simpliciter, à modo profertendi, vel quia Iudex per eam non definit causam, sed ut plurimum summarie inter partes, interim & dum expectatur judicium definitivum, super aliquo incidenti vel emergenti interloquitur: vel quia inter partes loquendo sine solemnitate scripturæ pronuntiat. Hostiens. in *Summa b. tit. §. 2. in princ.* Veluti si Iudex interloquendo concedat vel deueget parti petenti dilationem aut testium productionem; si dicat procedendum esse in causa: si declaret se Iudicem competentem: & breviter, omne Iudicis decretum est sententia interlocutoria.

8. Interlocutoria dividitur in merè interlocutoriam, & interlocutoriam, quæ habet vim sententiæ definitivæ: Merè Interlocutoria dicitur, quæ neque instantiæ neque negotio principali, nec etiam articulo substantiali negotii principalis finem imponit, sed quæ quoad id, super quo fertur, non parit præjudicium irreparabile, nec, quantum est ex se facit cessare officium Judicis, sed potest ab eodem Iudice revocari. Talis est, quæ deferat appellationem; licet hæc non possit revocari, quia id sit ex eo, quod Iudex deferendo appellationi, abdicet à se omnem jurisdictionem. Talis quoque est omnis pronuntiatio Iudicis post definitivam, quia finito negotio, nihil quoad illud superest definiendum.

9. Sententia Interlocutoria vim definitivæ habens, dicitur, quæ quoad id, super quo fertur, parit præjudicium irreparabile per definitivam, vel appellationem à definitiva, & postquam non expectatur alia sententia super eo, super quo lata est: seu quæ causam principalem non definit, sed unam partem substantia-

lem negotii principalis, & post se aliam expectat sententiam, quæ toti causæ finem imponat. Talis est \* quæ pronuntiat in causa defecta. Item præceptum de solvendo & omnis sententia, quæ definit unum articulum substantialem negotii principalis: ut si Iudex minorem, petentem restitui in integrum, pronuntiet non esse minorem; si admittat vel rejiciat exceptionem peremptoriam: in super omnis interlocutoria, quæ continet aliquid dari vel fieri. Videatur Maranta p. 6. in V. & demum fertur sententia §. decisoria iudicii à n. 42. usque ad 45.

## § II.

De differentia inter Sententiam definitivam & interlocutoriam.

1. Definitiva totum negotium definit, non interlocutoria.
2. Definitiva revocari non potest.
3. Modo sententia sit valida.
4. 5. 6. Interlocutoria revocari potest.
7. Etiam tacite.
8. Etiam à successoribus & iudice appellationis.
9. Item à delegatis delegatis interlocutoria.
10. Nisi fuerit mandata executioni.
11. Nisi transierit in formam contradii & alio modo.
12. Revocari etiam nequit interlocutoria vim definitivam habens.
13. Definitiva in scriptis fieri debet.
14. Servato juris ordine.
15. Et citata parte absente.

1. Patet autem ex ante dictis, sententiam definitivam ab interlocutoria in primis distinguere in eo, quod definitiva totum negotium principale definit, eique finem imponit interlocutoria non, sed tantum articulum, super quo fertur.

2. Secundò differt, quod definitiva revocari non possit ab eodem Iudice, ne de consensu quidem partium, lata in causa siue civili siue criminali; & ne quidem prætextu erroris alicujus, neque etiam infra decem dies, licet eam Iudex in melius reformare vellet. Ratio est, quia ea lata Iudex functus est officio suo, l. lu-



ita postquam 55. De re iudicata; & quia liti-  
um finis aliquis esse debet.

Neque verò quoad principale dumtaxat ne-  
gotium Iudex suam sententiam definitivam re-  
vocare non potest, sed nec quoad accessoria, v.  
g. quoad expensarum aut fructuum condemna-  
tionem vel absolutionem, quia accessorium se-  
quitur principale. Et ideo sicut principale, quod  
est sententia definitiva, revocari nequit ita nec  
accessorium: Sed nec Iudicis, qui sententiam de-  
nitivam tulit, successor eam revocare potest, l.  
Post. sententiam C. De sent. & interlocut. Quan-  
quam Princeps suam sententiam mutare & ad  
novum corrigere possit: quia sententia est de ju-  
re civili, quo solutus est Princeps.

3. Prædicta tamen intelligenda sunt de sen-  
tentia definitiva valida Nam si sit ipso jure nul-  
la, tunc eadem causa ab eodem Iudice iterum  
cognosci potest: veluti si unus ex Iudicibus,  
quibus causa fuit delegata, dum sententiam  
cum aliis ferret: fuerit publice excommunicatus;  
sententia ipso jure est nulla, quia in pu-  
blice excommunicato non inhaeret jurisdictio,  
l. Ad probandum 2. q. 6. c. Et propterea alii Iudi-  
ces, idemque non excommunicati, iterum de  
eadem causa cognoscere possunt.

4. At verò mere interlocutoriam Iudex, qui  
eam tulit, revocare potest, etiam nemine peten-  
te ac consensu partium vel alterius non inter-  
veniente, c. Cum cessante & ibi DD. in V. liberè  
inf. De appellat. Sicut & omne gravamen, quod  
intulit, c. Concertationi 8. & c. 10. De appellat. in  
6. adeò quod, inspecta iuda potestare Iudicis,  
eam revocare possit, etiam in deterius; quam  
vis scius ex æquitate, d. c. Cum cessante, ibi, sa-  
no usus consilio: & si sit lata in iudicio si ve  
extra iudicium, quia d. c. Cum cessante loquitur  
generaliter, & de comminatione, quæ extra  
iudicium fieri potest. Et hoc obrinet tam in  
delegato Iudice, quam in Ordinario, d. c. Cum  
cessante & ibi Glos. licet etiam ab interlocuto-  
ria sit appellatum, d. c. Cum cessante quia, licet  
per appellationem à definitiva desinat esse  
Iudex, & jurisdictio transferatur in superio-  
rem, non tamen per appellationem ab inter-  
locutoria vel gravamine, saltem incommuta-  
biliter, l. quod iussit 14. D. De re iudicata. Si ta-  
men Iudex à quo statuerit appellanti termi-  
num recipiendi apostolos, & arripiendi iter

ad superiorem, quiescere interim officium eius  
debet.

5. Rursus revocari potest sententia mere in-  
terlocutoria, si ve erratum fuerit interloquen-  
do, si ve non, licet pars, ad cuius utilitatem lata  
fuit, possit à tali revocatione appellare, & rur-  
sus si vel lata sit super incidenti vel emergenti aut  
super processu, si ve valida sit aut nulla, si ve ante  
aut post decem dies, usque ad sententiam defini-  
tivam; quia licet quoad partem transcat in rem  
judicatam, non tamen quoad Iudicem Glos. in  
d. c. cum cessante.

6. Nec obstat, quod post decem dies sit parti  
quæ situm jus, quod Iudex non videtur posse tol-  
lere, l. id quod nostrum D. De reg. iuris: quia licet  
Iudex jus parti quæ situm irrevocabiliter, veluti  
per sententiam definitivam, tollere nequeat, ta-  
men quæ situm revocabiliter, veluti interloquen-  
do, tollere potest: sicut enim in donationibus causis  
la mortis & contractibus innominatis jus parti  
quæritur & tamen tollitur alterius pœnitentia.

7. Potest item Iudex revocare interlocutori-  
am non solum expresse sed etiam tacite: ut si  
postquam pronuntiavit testes audiendos non  
esse, eos dein admittat, censetur tacite revocare  
suam interlocutionem, quia non minus est fa-  
cere, quam dicere.

8. Rursus non solum Iudex, qui sententiam  
interlocutoriam tulit: & gravamen intulit, e-  
iusque successor, revocare illam potest, sed &  
Iudex appellationis, c. Non solum, & c. fin. De ap-  
pellat. in 6. in quem per appellationem translata  
est potestas.

9. Similiter sententiam interlocutoriam dele-  
gati potest Iudex delegans revocare, atque etiam  
totum negotium ad se trahere; quia & revocare  
Iudicem, qui eam tulit, si eundem delegaverit.  
l. Iudicium solvitur 58. D. De iudic.

10. Si tamen interlocutoria fuerit mandata  
executioni, cum sic res desinat esse integra, re-  
vocari non potest: nisi subsit justa causa, aut re-  
vocetur consensu partium, quæ possunt juri suo  
renuntiare; vel nisi nullius aut modici sit præ-  
judicii, quia tunc etiam absque consensu parti-  
um potest revocari; sicut & quando non concer-  
nit commodum partis, sed iudicis potestatem, vel  
nisi sit nulla, quia sicuti de facto est lata, ita de  
facto potest revocari.

11. Revocari etiam nequit, si transierit in  
formam

f f



**Formam contractus vel quasi contractus:** si sit lata cum principatu, id est definitiva, quae tunc censetur pars illius: si fuerit confirmata per Principem: si appellatum sit à Iudice, qui eam tulit, & is detulerit appellationi, quia deferendo abdicat à se jurisdictionem, & illam transfundit in superiorem: si Iudex superior inhibuerit: si lata sit de consensu partium, aut per partes confirmata, nam tunc revocari nequit absque partium consensu, nisi causa subsit. Sic nec interlocutoria, lata ante definitivam, post definitivam potest revocari: & generaliter toties Iudex eam revocare non potest, quoties interlocuendo functus est officio suo.

12. Dixi ante, merè interlocutoriam posse revocari: quia sententiam interlocutoriam, quæ vim definitivæ habeat, Iudex nequit revocare, nisi lata sit super incidenti, non finiente litem, sed unum articulum tantum, non substantialem negotii principalis: aut lata sit officio Iudicis nobili.

13. Tertio differunt, quod definitiva sententia ferri in scriptis debeat, ut postea dicemus, non item interlocutoria: quæ nudo facto sine scripto ferri potest: nisi in illa magna causæ cognitio verteretur, aut simul cum principali feratur, aut per eam appellatio ad Pontificem interponatur, *de i. h. t. n. 6.*

14. Quarto, definitiva non valet si feratur non servato Iuris ordine; secus de interlocutoria *can. Si Episcopus xi. q. 3.*

15. Quinto, eadem non valet, etiam in favorem partis absentis non citatæ: secus de interlocutoria. Et sic de similibus, de quibus videri potest Rebuffus in d. l. *Quod iussit D. de re iudicata versis Capiamus.*

### §. III.

#### Quomodo ferenda sit sententia.

1. *Primo in causa concludendum*
2. *Tum citanda partes ad audiendum ius dici.*
3. *Deinde iudex ipso pro tribunali sedens sententiam feret.*
4. *Idque in loco publico & consueto.*
5. *Ferenda in scriptis sententia.*
6. *Servato juris ordine.*
7. *Secundum allegata & probata, & secundum ius.*
8. *Debet certa esse sententia, & conformis libello.*

9. *Debet ferri tempore congruo.*

10. *Die iudica non feriata.*

11. *Et quidem de die, & non de nocte.*

12. *Ei ea die ad quam facta est citatio.*

13. *Continere debet condemnationem vel absolutionem.*

14. *Victus victori in expensis condemnandus.*

**H**is præmissis videamus, quando & quomodo Iudex sententiam ferre debeat. Allegatis itaque & probatis hinc inde, ex parte actoris & rei, omnibusque ad suam causam & intentionem spectare iudica ventis, Iudex ex officio suo mercenario litigatores interrogare solet an aliquid adhuc habeant, quod ad intentionis suæ probationem allegatum velint. Quod si se allegare velle dixerint, audientur, & Iudex competentem terminum statuet, intra quem illud allegent, *Auth. Iubemus Codici De iudiciis*: quia Iudex non potest sententiam dicere, nisi omnibus auditis, quæ litigatores utrumque producere & allegare volunt, *can. Iudicantibus iij. quæst. 5.*

1. Si verò dixerint, se nihil aliud proponendum habere, jubet eos utrumque ultionibus allegationibus renuntiare, & in causa concludere. Eaque renuntiatio & conclusio confectis actis inseritur, *e. Quoniam sup. De probat.* nec postea ulla vel allegatio vel probatio vel exceptio admittitur, *e. Cum venisset 25. versis. renuntiatum fuit sup. De testib.*

2. Indeque Iudex ad causæ principalis decisionem se accingeret & allegatis ac probatis omnibus diligenter & mature discussis atque examinatis, curabit ad certum diem citari utrumque litigantium, ad audiendum ius dici & sententiam ferri, *e. Bartholdus 18. hoc tit. in verbis, nec per se & c. cap. 2. De dolo in 6. De unoquoque enim negotio præsentibus omnibus, quos causa contingit, iudicare oportet, inquit Paulus I. C. l. De unoquoque 57. D. De re iudicata*: Ad eod. ut sententia contra absentem non citatum lata sit nulla, *l. Ea qua Cod. Quomodo & quando iudex & c.* tum sic adimatur defensio.

3. Itaque die dicto, præsentibus litigantibus seu eorum procuratoribus, vel etiam absentibus (dummodò legitime citati fuerint, & in assignatione diei dictum, quod si comparuerint siue non, ad sententiam ferendam;



dam procedetur) Judex ipse pro tribunali sedens, & iustitiam aequitatemque ac solum Deum prae oculis habens Christi nomine invocato (prout semper in principio sententiae invocari debet, *arg. cap. Veritatis*, ibi, *in nomine Domini* *sup. de dolo*) sententiam de scripto, secundum eum, qui iustioris causam sustinuerit, recitabit, & finem controversiae principali imponet.

Dixi, Judex ipse; quia sententiam ipsemet ferre debet, nisi consuetudo vel stylus aliud induxerit, aut etiam iura per alium ferri permittant. Sic enim Episcopi, aliaeque personae illustres, per substitutos sententias suas ferre & pronuntiare possunt.

4. Debet autem Judex Ordinarius, qui certam sedem habet, recitare sententiam in loco publico, & majorum suorum, *l. penultim. De de iustitia & jure*. Delegatus vero ad unam aliquam causam eligere locum iurisdicendi causae, honestum tamen, potest, *l. Si cum dicitur, si arbitrat D. de arbitrat*; quia is non habet certam sedem deputatam. Secus obtinet in delegato ad universitatem causarum, qui tenetur servare locum delegantis, Episcopus in quolibet loco suae diocesis sententiam ferre potest, *e. Cum Episcopus de officio ordinarii in 6*. Potest tamen Judex ex consensu partium ferre sententiam in loco non solito, modo non ingreditur suam territorium; & similiter Judex appellationis in quolibet loco honesto. Idem dicendum, si locus solitus non sit tutus: si Episcopus sit vi expulsus extra suam sedem seu diocesim; si procedatur de plano, aut in causis voluntariae iurisdictionis.

5. Sententia, ut sit valida, de scripto recitari debet, *e. fin. eod. in 6*. Idque ut evitetur fraus in iudiciis, quae facile eveniret, unum pro alio proferendo. Excipiuntur tamen leves causae seu lites, maxime vilium personarum & causarum, in quibus non est opus ferri sententiam de scripto. *Auth. Nisi breves Cod. de sent. ex brevisculo recitandis*. Item causa matrimonialis, idque speciali favore matrimonii & libertatis.

6. Insuper ferri debet, servato juris ordine; alias est nulla, *cap. Ad probandum 24. h. tit.* adeoque ne summus quidem Pontifex recedere ab

eo solet, nisi necessitas vel utilitas hoc postulet, *e. in causis 19. h. t.* Ideoque & lite contestata ferre sententiam oportet, auditis utrimque probationibus causaeque plene cognita; alias non valet, *l. Prolatum Co. De sent. & interlocut. &c.* & in eo distinguitur ab interlocutoria.

7. Praeterea secundum allegata & probata sententia est ferenda, non secundum scientiam privatam, *can. Iudicat. 111. quast. 7. l. illicita §. veritas D. de officio Praefidi*. Item secundum legem praescripta, *cap. 1. hoc tit.* Nam sententia lata contra leges aut Canones, si contineat iuris errorem expressum, est ipso jure nulla *d. cap. 1. c. Cum inter 13. in verbis, cum contra ius constitutionis expresse lata hoc tit. & l. Si expressum 19. D. eod.* Ut si Judex pronuntiet minorem XIV. annis posse facere testamentum, quia lex id expresse prohibet, *l. A qua aetate D. Qui testam facere poss. l. 2. Cod. Quando provocare non est necess. Si vero contineat iuris errorem non expressum, quamvis lata contra leges & Canones, valet; quia praesumptio juris est pro sententia, quod scilicet Judex iusta causa motus eam tulerit. Et hoc est, quod dicitur, sententiam contra ius litigatoris latam valere ipso jure, & transire posse in rem iudicatam, *d. e. Cum inter versis, et si contra ius hoc tit.* Ut si mortuam lite, an aliquis possit condere testamentum, Judex pronuntiet, defunctum potuisse facere testamentum, nec addat majorem XVI. annis, valet sententia ipso jure, & succurrendum erit ei contra quem lata est, per appellationem intra debitum tempus interpositam, *l. 2. Cod. Quando provocare non est necess. vel per restitutionem in integrum, vel alio extraordinario remedio*. Quod si vero Judex secutus falsa testimonia vel instrumenta, sententiam tulerit, ea summo quidem jure valebit, sed per restitutionem in integrum, & ex integro de causa agi poterit,  *toto tit. Cod. Si ex falsis instrumentis &c.**

8. Sententiam ad haec regulariter oportet esse certam & conformem libello, *e. Licet inf. de simonia, Clement. Sapè §. verum de verb. significat.* Difformis tamen libello fieri potest in causis criminalibus: nam licet accusator libello suo petat reum puniri hac vel illa poena, potest nihilominus Judex, non attento libello, infligere eam, quae sibi iusta videbitur. Similiter incivi-



libus potest Judex, quoad modos, qualitates & tempora, non sequi petitionem libelli sufficientem si sententia sit conformis libello in re petita, in causa & actione. In re quidem petita sit, quod Judex de alia non pronuntiet, nisi forte una in libello petatur, & pendente iudicio incipiat constare de alia, debita vel per probationem vel per confessionem. Qua ratione potest Judex etiam petentem debitum condemnare ad restitutionem pignoris, licet ea non sit petita: quia illa restitutio venit ex natura actionis. Atque ita sententia potest ferri super non petitis in libello, quando sunt vel de natura petitorum, vel correlativa, vel correspondentia, vel ex eodem fonte manant. Papa quoque & Princeps, quia soluti sunt legibus, sola veritate facti inspecta, pronuntiare possunt. Quod intellige de veritate legibus roborata, Gail. 1. Obs. 4.2. quem vide.

In causa vero petendi ita conformis esse debet, ut Judex aliam non proferat, l. Habebat D. Infit. actione. Denique in actione, ut Judex sequatur actionem, quam actor instituit, l. Edicta Cod. de Edendo. Attamen libellus, ut sententia ei conformis sit valida, debet esse aptus: nam super inepto lata ipso jure, etiam parte non opponente, est nulla. c. Cum dilecti inf. De emptione, adeo quod Judex appellationis eam non possit reformare, sed necessario super nullitate pronuntiare debeat, actorem in expensas condemnando, Vide Gail. 1. Obs. 66.

9. Illud quoque observandum est, ut feratur sententia tempore congruo: & quidem in criminalibus intra duos annos, à contestatione litis numerandos, alias lapsu biennii instantia accusatoris perit & accusator puniatur, l. 1. & fin. Cod. Vi intra certum tempus criminalis questio terminetur. In civilibus autem intra triennium, à contestatione litis numerandum, alias triennii lapsu iudicii instantia extinguitur, l. Properandum in princ. Cod. de iudiciis. Licet jus Canonicum, quod à quolibet iusto gravamine prius admiserat appellationem noluisset instantiam lapsu triennii perire, c. Venerabilis sup. De iudiciis.

10. Præterea ferri debet die non feriata sed juri dica, c. 1. sup. De feriis alias non tener, l. Si ut proponis in princ. Cod. Quo modo & quando iudex & c. siue feræ sint indictæ in honorem Dei, l. fin. Cod. de feriis; siue ob necessitatem hominum

l. 1. D. eod. siue sint repentinæ, siue non Clemens. Sapè de verb. significat. Hoc tamen discernimus, quod feriis indictis in honorem Dei lata sententia, nequidem ex consensu partium valeat: indictis autem in privatam hominum utilitatem lata de partium consensu expresso vel tacito, valeat, c. fin. sup. de feriis, l. Omnes Cod. eod. tit. d. l. Si ut proponis. Aliud dicendum de extrajudiciali vel interlocutoria sententia.

11. Debet etiam ferri de die: nam de nocte lata communiter non valet, c. Consulit & ibi Gloss. de officio delegati. Et in hoc distinguitur inter definitiva ab interlocutoria, quæ noctu & quolibet tempore ferri potest, sicut & quolibet loco, nisi causæ requiratur cognitionem. Si tamen consuetudo obtineret, sententiam noctu ferri valeret: sicut, & si ambæ partes sint presentes, & non contradicant.

12. Rursus ferenda ea die & hora, ad quam facta est citatio, non ante vel post, quando scilicet citatus non fuit contumax: nam si fuerit contumax, potest Judex postea quandocumque sententiam ferre, absque alia citatione, et quo propter contumaciam semper est in mora.

Non potest etiam ferri sententia dilatione pendente, l. Siue pars Cod. de dilationibus. Aliis vero est nulla.

13. Semperque continere debet condemnationem vel absolutionem, expresse vel virtualiter, l. Quid tamen si arbitri D. de arbitris, alias vel aliter non valet, l. 1. D. de re iudicata. illa inf. De accusationibus. Potest tamen eadem sententia & absolutionem & condemnationem continere, respectu diversorum articulorum.

Causam vero condemnationis vel absolutionis exprimi regulariter necesse non est, c. Siue 16. ubi Panormis. h. tit. Neque consuetum est exprimi, quia ea probata falsa sententia esset ipso jure nulla, quæ non expressa causa præsumitur rite & legitime secundum causas ex actis apparentes lata.

14. Denique incumbit Judici regulariter victum tanquam temerariū litigatorem, condemnare in expensas, l. Properandum siue autem Cod. de iudiciis, tam in civilibus, quam in criminalibus. c. Calumniam inf. de pœnis. Nam regula est, victum victori in expensas condemnandū esse: nisi sententia pro absente feratur, d. l. Properandum, & d. c. Calumniā, aut forte causā litigandi



probabilem habuerit, *c. Sacro §. cumque De sent. excommunicat.* Non tamen in omnes omnino, sed tantum necessarias expensas condemnandus est: non etiam in voluntarias seu voluptuarias, *Gloss. inc. Finem litibus sup. De dolo & contum.* Quare si iusticus pedester ire solitus, eques vel vehiculo ad iudicium veniat, hæ expensæ non veniunt in condemnationem, *Gloss. in l. Idemque §. idem Labeo D. mandati.* Deduci quoque expensæ debent, quas victor domi facturus fuisset: quas Iudex & testes non deducunt, quia pro iure alieno laborant, victor autem pro suo.

## §. IV.

## De pluribus Iudicibus ejusdem litis.

1. Hoc casu omnes sententiam dicent.
2. Vno condemnante, altero absolvente tenet pro reo sententia.
3. Delegatus dissentientibus in pendenti est sententia.

1. Si aliquis solus sit Iudex, sententiam solus ferre potest & debet, *l. Diem proferre 27. §. 4. D. de arbitrio c. fin. h. t. in 7.* Si vero plures fuerint constituti Iudices, proferent omnes simul sententiam, idque coram litigatoribus nec valebit sententia reliquorum, uno absente, *d. l. 27. §. 4.* Si autem adsit, & contra alios sentiat, vel etiam juret sibi non liquere, statim reliquorum sententiæ, *d. l. 27.* Sin omnes sint præsentibus, sed in diversis summas condemnent, stabitur minimæ, nisi plures in majores summas consentiant, *c. 1. De arbitris in 6.* nam & deterior pars prævalet, si numerosior sit, *d. l. 27. §. 3. D. eod.*

2. Quod si è duobus unus absolvat, alter condemnet, prævalet sententia absolutoria, seu pro reo lata, *c. fin. h. t.* juxta regulam juris, quæ dicat, cum partium jura sunt obscura, reo potius esse favendum, *c. Cum partium De R. l. in 6. & l. Favorabiliores D. eod. tit.* Nisi agentis causa sit favorabilis, veluti causa libertatis, dotis, matrimonii, testamenti, secundum quam lata sententia actori magis proficiet, quam alia lata pro reo, *d. c. fin. & l. Si pars 10. D. De inoff. testamento;* aut absolutoria sit manifestè a qua, *d. l. Si pars.*

3. Et hæc quidem in iudiciis ordinariis,

qui jurisdictionem exercent suo nomine: nam si duo delegati dissentiant, sententia utriusque erit in pendenti, donec delegans cujus nomine exercent jurisdictionem, alteram, prout sibi videbitur, eligat & confirmet, *d. c. fin. & l. Duo Iudices 28. D. de re judic.* Arbitrorum vero dissentientium sententiæ nullius sunt momenti, *d. c. fin. d. l. Diem 27. §. 3. D. De receptis arbitris.*

## §. V.

## De fine &amp; effectu Sententiæ definitivæ.

1. Finit litam & potestatem iudicis.
2. Facit ius inter partes.
3. Producit actori actionem iudicanti, reo exceptionem.
4. Non retractatur ob nova instrumenta ut errorem calculi.

1. Finit & effectus sententiæ definitivæ in primis est, finire litem *c. 2. h. t.* & finire potestatem Iudicis, quia is, posteaquam semel sententiam dixit, quoad eam causam definit esse iudex, *l. Iudex 55. D. De re judicata.* Et ideo sententiam semel latam non potest mutare emendare, corrigere, revocare, *l. Quod iussit 14. D. de re judicata,* nec in ea reservare sibi condemnationem in expensas, quia iam functus est officio, *l. Paulus 42. D. d. 1. & d. l. Iudex.* Nec potest pro parte decidere, pro parte non. Si tamen in prolatione sententiæ omiserit condemnationem in expensas, poterit tota ea die, qua sententiam tulit, quæ eidem desunt, veluti condemnationem ac taxationem expensarum, supplere: postea vero non potest, *d. l. Paulus,* nec amplius illæ peti poterunt, *l. 3. Cod. de fructibus & lit. expensis.*

2. Secundò, facit ius inter partes, inter quas lata est, ubi in rem transiverit iudicatam, id est ubi intra decem dies à die prolationis vel scientiæ ab ea non fuerit appellatum, *c. Inter monasterium 20. h. tit.* aut appellatio fuerit deserta: quia cum pro veritate habetur, *l. Res judicata Cod. de reg. iuris;* idque præsumptione juris & de iure licet contra jus litigatoris lata fuerit, *c. Cum inter vos 13. h. t.*

Dixi, facere ius inter partes, inter quas lata est; quia res inter alios acta ac iudicata aliis regulariter non nocet, *c. penult. h. t.* Atque in hoc



hoc differt sententia & res iudicata à lege & Canone, quia lex & Canon omnes omnino obligant, *cap. 1. sup. de constitut.* Et ideo, si ex duobus heredibus debitoris alter condemnatur, alteri integra defensio est, etiam si ex eadem causa cum herede seiverit agi, *l. Sapè D. de re iudicata.*

Dixi regulariter, quia hæc regula, quod res inter alios acta aliis non præjudicet, patitur quasdam exceptiones, de quibus, *in d. l. Sapè D. de re iudic.* Nam si quis de ea re, cujus actio vel defensio primum sibi competit, agi patiatur cum sequenti vel alio, & taceat, sententia contra sequentem lata, ipsi etiam præjudicabit, *d. l. Sapè v. g.* Si gener socerum vel possessor venditorem, de proprietate rei emptæ vel in dotem datæ experiri patiatur, condemnato socero vel venditore, tertia nocebit genero vel possessori: quia licet cum his actum non sit, tamen quia eorum voluntate actum esse intelligitur, eis scientibus præjudicabit.

3. Tertius effectus est, producere auctori, pro quo lata est, actionem iudicati sive rei iudicatæ, ut præstet reus id, in quo condemnatus est, satisfaciaturque sententiæ, *l. Auctori 8. Cod. de rebus creditis.* Estque civilis ea actio, descendens ex lege 11. Tab. Item personalis, *l. 3. §. 11 D. De pecunia: perpetua & rei persecutoria, heredi & in heredem competens, l. Miles §. ult. D. de re iudicata.* Reo vero per sententiam absoluto producit exceptionem rei iudicatæ, contra actorem ejusque heredem vel alium, ejus nomine agentem, *l. Rei iudicata D. de except. rei iudic.* nisi forte nunc ab intestato conveniatur, qui ante ex testamento conveniebatur.

4. Denique sententia semel lata non rescinditur prætextu instrumentorum de novo repletorum, vel aliarum probationum, *c. Inter monasterium, c. Suborta 21. h. s. l. Sub prætextu Cod. De transact. l. Sub specie D. de re iudicata.* Nisi lata sit ex præsumptionibus, aut ex opinione peritorum in aliqua arte, aut in causa matrimoniali, aliisque causis exceptis, de quibus *Glos. in c. Lator. 7. h. s.* nec item ratione erroris in calculo seu computatione, *l. 2. Cod. de re iudicata, l. unica Cod. de errore calculi;* nisi error calculi in sententia exprimitur, *l. 19. §. 1. D. Quæ sententia sive appellat. rescinduntur.* Solutum

quoque auctoritate rei iudicatæ non repetitur tanquam indebitum, *l. 1. Cod. de condit. indebiti, l. Si fideiussor §. in omnibus D. Mandati l. Cum putarem D. Familia cretiscunda.*

## TITULUS XXVIII.

### De Appellationibus, Recusationibus, & Relationibus.

#### §. I.

#### Quid sit Appellatio & quotuplex.

1. Ratio ordinis.
2. Appellatio quid sit.
3. Alia est iudicialis, alia Extrajudicialis.
4. Extrajudicialis quomodo fiat.
5. Item appellationum alia rationabiles, alia frustratoria &c.

1. Quia sententia subinde fertur contra jus alterius litigantium, sive per imperitiam Judicis, sive quia litigator non satis jus suum deduxerit & probaverit: idcirco necessarium fuit, ut introduceretur appellandi usus, *l. 1. D. heret.* Nam per appellationem effectus sententiæ impeditur, quæ alias transiret in rem iudicatam & quia Recusatio ac Relatio conveniunt cum Appellatione in jurisdictione Judicis suspendenda, idcirco, ne Tituli multiplicentur, simul & semel de his tribus tractandum erit.

2. Est autem Appellatio hoc loco ab inferiori Judice ad superiorem facta provocatio, ratione gravaminis illati vel inferendi.

3. Ea est duplex, judicialis, quæ proprie & strictè dicitur Appellatio; & extrajudicialis, *Clement. 3. eod. tit.* & hæc dicitur Appellatio latè sumpta. Illa est à sententia sive definitiva sive interlocutoria, ut ea corrigatur: hæc autem ab actibus & decretis extrajudicialibus, *l. 1. c. Concertationi hoc tit. in 6. l. 1. §. solent D. Quando appellandum sit,* ut dum appellatur ab electione, spoliatione, & similibus, *d. Clement. 3. eod. tit.* Et solet dici Provocatio ad causam, & habet vim conventionis, *c. Cum sit 21. mado*



manas §. si vero h. s. ideoque fieri debet ad Iudicem ordinarium, coram quo citandus & vocandus esset adversarius pro lite, dum est litigandum via ordinaria, d. c. Cum sit Romana in fine, Gloss. in d. c. Concretatione in V. gravatum: nec unquam suspendit executionem, nec causat attentata, c. Communiter 11. sup. De electione, Gonzales ad Reg. viii. Cancell. Gloss. 9. in annotat. contra nullitatem & attentatam. 29. ubi subiungit, hanc esse unam differentiam inter appellationem extrajudicalem & judicalem, ex quatuordecim, quas assignat Abbas in c. Bona memoria 51. h. 2.

4. Rursus Extrajudicialis est duplex: aut enim non à Iudice, sed à parte extra iudicium appellatur, d. c. Bona memoria; vel à Iudice extrajudicialiter procedente.

5. Appellationum, siue Judicialium siue Extrajudicialium, aliæ sunt rationabiles & iustæ seu legitimæ, aliæ frustratoriæ, frivole, inanis & leves, Frustratoriæ, ut quæ morandæ solutionis vel suspendendi iudicii causâ interponuntur, l. Tutor D. De usuris. Frivole autem & leves, quæ pro minimis rebus interjiciuntur, quæque tales ut temerariæ rejiciuntur, & quas etiam rejicit Ulp. in l. Si rem alienam §. solutam autem D. De pignoris actione.

## §. II

## Quis appellare possit.

1. Appellat quilibet, cuius interest.
2. Unius & sociis appellatio etiam aliis prodest.
3. Et domini prodest subdito.
4. Excommunicatus in iudicio rectè appellat.
5. Item procurator habens mandatum.
6. Non gravatus non appellat.

1. Appellare potest non solum is, qui condemnatus est nomine siue suo siue alieno, vel uti procuratorio, tutorio, l. 4. §. fin. & tutor 27. D. hoc tit. modo non sit condemnatus vel contumax, l. 1. Cod. Quorum appellat. non recip. sed etiam quilibet alius, cuius interest, licet condemnatus non sit, l. 1. D. De appellat. recip. Hinc enim humanitatis ratione receptum est, ut pro damnato ad supplicium provocare quilibet possit, l. 6. D. hoc tit. quasi omnium inter sit innocentem defendi, & hominem hominis beneficio affici, l. Servus D. De servis exportandis.

2. Quod si unus è pluribus appellaverit, & causa sit communis, & una eademque omnium defensio, appellatio eius etiam proderit aliis, qui non appellaverint, l. 1. & 2. Cod. Si unus ex pluribus appell. l. 1. §. fin. D. eod. Quod obtinet in correis criminalibus, Iul. Clarus §. fin. q. 94. versic. Quaro numquid. Licet aliud obtineat in beneficio restitutionis, in quo unius restitutio alteri non prodest, d. l. 2. & l. 1. Cod. Si in communi eademque causa integ. restit. postuletur.

3. Sed & domini appellatio subdito prodest, si subditi saltem per consequentiam interfit, arg. c. Dilectis 55. h. 1.

4. Excommunicatus appellare quidem potest judicialiter, quia illa appellatio est species defensionis, quem ne quidem diabolo denegandam scribit Speculator, extrajudicialiter vero appellare non potest, quia talis appellatio habet vim conventionis: atqui excommunicatus alterum convenire non potest.

5. Ut autem procurator possit appellare, mandatum habeat necesse est, saltem generale, hocque sufficit, cum appellatio sit de prosecutione primæ instantiæ: & ideo tenetur quoque appellare, & appellationem à se interpositam denuntiare domino illis casibus, quibus prosequi non tenetur, cap. penult. sup. De procurat. An autem & quando possit vel teneatur aut non teneatur eam prosequi vide Scacciam Tract. De appellation. questio. 5. Calvolum in Praxi §. Procurator Conclus. 1.

6. Quemadmodum verò quilibet gravatus & cuius interest potest appellare, ita è diverso non gravatus, & cuius non interest, non appellat, quia gravamen est causa appellationis, quo proinde cessante cessat appellatio. Hinc ob veram contumaciam condemnatus non appellat, quia non dicitur is gravatus. Similiter nec notorius delinquens seu confessus & convictus, quia non dicitur quoque gravatus. Sed & frivole appellans audiri non debet, quia gravatus non sit, sed alium gravare studeat: unde etiam mulctari vel excommunicari potest.

## §. III.

## A quibus Iudicibus appellare liceat.

1. Regulariter ab omnibus iudicibus appellatur.
2. Fallit in Principe, non recognoscente superiorem.
3. Fallit isom in supremis Conciliis.



4. In Episcopo, cuius prorogata est jurisdictio.
5. In delegato à Principe.
6. In arbitro.
7. In iudice, qui revocavit gravamen.

1. Appellari regulariter potest ab omnibus Judicibus, qui sententiam tulerunt, sive sint ordinarii sive delegati, *can. Omnis, can. Ad Romanam 2. q. 7. Speculator h. tit. §. videndum restat. 18. & late Scaccia De appellat. qu. 16.* Cum enim appellatio habeat naturam defensionis, *cap. Cum speciali 61. §. porro h. tit.* omnibus regulariter permessa esse debet: nec facit injuriam Judici, qui ab eius sententia appellat, *Rebuff. Tract. De supplicat. n. 49.*

2. Fallit autem hæc regula, Primò, in Principe, non recognoscente superiore, nisi ad aliorum relationem pronuntiaverit, aut à male informato ad melius informandum appelletur, *Scaccia q. 8 n. 65.* quia de substantia est appellationis, quod fiat à minori ad maiorem, qualem non habet, qui alium non recognoscit superiorem. Si tamen sententia Principis hujusmodi sæcularis contineret manifestam iniquitatem, posset ab ea appellari ad Papam *arg. Glof. in cap. Ex transmissa sup. de foro competenti.* quia Papa ratione peccati omnium talium Principum est Iudex competens.

3. Secundò, fallit in supremis Conciliis, quia eorum sententia censetur sententia Regis aut Principis.

4. Tertiò in Episcopo, cuius jurisdictio fuit prorogata, *l. Episcopali Cod. De Episcopali audientia* Idque speciale est in Episcopo: nam secus obtinet in alio Iudice prorogato, vel dato de communi consensu partium, *l. Ex consensu 23. hoc tit.*

5. Quartò, in delegato à Principe, cum clausula, *Remota appellatione, c. Pastoralis 53. h. t.* quæ tamen clausula de frivola & levi, non etiam de gravi & legitima appellatione intelligi debet, *d. cap. Pastoralis Gaill. Observ. 33. n. 4. & 5.* De effectu verò istius clausulæ vide citatos à Maranta, *6 p. principali actum 2. n. 238.*

6. Quintò, in arbitro, nisi fuerit arbiter iuris, ut antè diximus. *ad Tit. de arbitris* Vide Marantam *d. 6 p. actum 2. principali n. 262. & seqq. & 4. p. principali Distincta 6. versio. Quæ an coram arbitro &c.*

7. Denique in Iudice, qui revocavit grava-

mem, quod fuerat comminatus: nisi alio modo sit suspectus, *c. Cum cessante 60. h. t.*

## §. IV.

A quibus sententiis seu actibus appellare liceat, vel non.

1. Iure civili appellatur à sententia definitiva.
2. Et ab interlocutoria, vim definitiva habente.
3. Iure Canonico ab omni gravamine.
4. Ex Concil. Trid. tantum à gravamine irrevocabili.
5. Ab eadem sententia tertio appellare non licet.
6. Non appellat verus consummatus.
7. Non confessus & convictus.
8. Non reus de crimine notorio.
9. Aut condemnatus de crimine hæresis &c.
10. Non condemnatus pro debito publico.
11. Non Officialis condemnatus à suo iudice.
12. Præterea non appellatur à sententia in causa decimarum.
13. Non ab eo actu, quem quis probavit.
14. Non in causis requirentibus celeritatem.
15. Non à nominatione ad munera publica.
16. Non ex vi clausulæ Appellatione remota &c.

1 Regulariter quoque appellari potest à quacunque sententia, & quibuscunque causis seu actibus, sive civilibus sive criminalibus. *Cum Romana 5. h. t.* nisi id inventatur prohibitum à Iure *Rebuff. Tract. De appellat. in præf. n. 72.* quia regulariter appellatio est magis favorabilis, quam sententia, *Gonzales ad Reg. VIII. Cancell. in annor. ad Glossam 9. contra nullitates & attentata num. 25.* Hoc tamen discrimine inter jus civile & Canonicum, quod iure civili tantum permittatur appellatio à sententia definitiva & quidem valida: nam ab invalidis, cum ipso iure sint nullæ, frustra appellatur, *sotto titolo Codic. Quando provocare non est necesse, d. tit. D. Quæ sententia sine appellat. rescinduntur. l. Si expressim 19. D. hoc tit.* licet in dubio nullitas possit per alternativam appellationi conjungi *DD. in d. l. Si expressim.*

2. Ab interlocutoria verò sententia appellare hoc iure non licet *l. Ante 7. Cod. Quorum appellat. non recipi. l. fin. C. De sent. & interlocut. em. jud.*



nisi certis casibus, quibus scilicet interlocutoria vim habet definitivæ, & continet gravamen, quod per sententiam definitivam vel appellationem ab ea reparari non possit, *l. intra 4.7. D. de re iudic. l. 2. D. de appellationibus recipien. l. Ar. hirs D. Qui satisd. cogant.* Vide latius Hostiens. in *Summa h. t.* cum quia alias idem Iudex interlocutoriam, quam tulit, revocare potest; tum etiam, quia si in ea peccatum sit, id coram eodem quoque Iudice per subsequentem sententiam definitivam corrigi potest. Eridet præsumit lex tales appellationes interponi tantum causâ differendæ litis, unde & appellationes ejusmodi interpretæ vocant appellationes frustratorias dilationis, arg. *l. 2. C. de Episc. audientia*.

3. Jare autem Canonico ab omni interlocutoria, imò & ab omni gravamine, etiam extra judicium aliqui illato vel inferendo, appellare licet, *l. c. Cum sit Romana § si vero, c. Bona memoria § 2. c. Vi debitor § 9. & alius h. t.* quia appellatio est species defensionis, & in præsidium innocentie comparata, *c. Pastorale § 3. & c. Cum specialis § 1. § porro, h. t.* jusque Canonico omnem iniquitatem corrigi statim cupit, nec vult differentiam sententiam definitivam, quæ sæpe multo post tempore sequitur.

4. Ceterum Concilium Trid. sess. 24. cap. 20. *De reformat. & sess. 13. cap. 1. De reformat.* non aliter permittit appellari ab interlocutoria, quam si vim definitivam habeat, & gravamen continet irreparabile, cujusmodi est incarceration, tortura, excommunicatio, suspensio, interdictum, Palsio. *Praxis Episcop. p. 2. cap. 4. art. 15. De appellat. num. 3.* omnisque adeo actus intractabilis, & quo executioni mandato pars gravata amplius sublevari non potest per definitivam, aut appellationem à definitiva, vel non sine difficultate & præjudicio partis aut negotii principalis, Gonzales ad Reg. 111. *Cancel. in Annotat. ad §. 9. numer. 176. & tribus seq.*

5. Dixi, regulariter, appellari posse à quacumque sententia; quia multi sunt casus, quibus appellatio non est permissa. Nam in primis ab una & eadem sententia, sive definitiva sive interlocutoria, & ab uno & eodem Iudice, tertio appellare non licet, *c. Tua nobis § 1. h. t. l. 1. Cod. Ne liceat in una eadēque & c.* quia præsumit lex & Canon illud esse justum, quod tribus

diversorum judicum conformibus sententiis est firmatum; & quidem præsumptione juris & de jure. nam alias lites in infinitum protraherentur. Si tamen per tertiam sententiam inferatur novum gravamen, ut si tertius Iudex condemnaret in expensas, in quas alii non condemnarunt, poterit ab illo gravamine appellari: sicut & is, qui bis appellavit, potest sententiam tertiam dicere nullam; & si super ista nullitate succumbat, licebit iterum appellare tanquam à novo gravamine.

6. Secundò, verus contumax non appellat *l. c. Cod. Quorum appellat. non recipi. l. Ex consensu 2. §. fin. D. h. t.* Vide Scaccia de appellat. qu. 17. limitat. 3. n. 4. quia appellatio datur oppresso & gravato à Iudice, non autem ei, qui Iudici est rebellis; cui est verus contumax.

7. Tertio, Confessus & simul convictus non appellat, si utique sponte sua confessus, & clarâ probatione convictus sit: non vero si per tormēta sit confessus, aut dubiâ probatione convictus, aut si confessus solummodò fuerit, & non convictus, vel contra: nam tum appellare posset, quia duo illa copulativè requiruntur, de jure non tantum civili, sed & Canonico, in causis tam civilibus, quam criminalibus, ut tradit Maranta 6. p. assu. 2. n. 292. ubi declarat, quo pacto intelligendum sit, *c. Romana 3. §. fin. autem h. t. in 6.* quo innui videretur, confessum, & non convictum, audiendum non esse ex quo aliqui differentiam inter jus civile & Canonicum desumunt.

8. Quarto, non appellatur in factis notoriis, *c. Cum sit §. in fine, c. Pervenit 13. c. Consuluit 14. h. t.* nisi appellationi inferatur causa rationabilis. Gloss. in d. §. fin. autem in V. mandetur: constat enim reum, de crimine notorio condemnatum, si appelleret, tantum appellare differendæ pœnæ causâ: quod admitti non debet, cum, ut ait Pont. appellatio non sit remedium ad defensionem iniquitatis, sed ad præsidium innocentie constitutum, *c. Cum specialis § 1. § porro hoc tit.*

9. Quintò, condemnatus de crimine falsæ monete, *l. 1. C. de falsa Moneta, l. 1. c. Majestatis, l. Constitutiones D. h. t.* aut hæresis, *c. Vi inquisitionis De hæreticis in d. aut de rapto virginis, l. unica §. si autem Cod. de rapto virginis.* In quibus tamen criminalibus appellari potest ante sententiam.

G g

Sextò,



10. Sexto, condemnatus pro debito publico seu fiscali. *l. Abstinentum 4. l. fin. C. Quorum appell. non recip. can.* Et qui appellat. §. quoties 2. q. 6. quando scilicet fiscus certat de damno vitando: secus, si de lucro captando.

11. Septimo, Officialis alicujus Iudicis, convectus & condemnatus pro gestis in officio, à suo iudice non appellat. *l. Nulli Cod. Quorum appellat. non recip.* sicut quilibet officialis, condemnatus in syndicato, ad effectum retardandæ executionis.

12. Octavo, non appellatur à sententia lata in causa decimarum, *c. Tua nobis, & ibi Glos. inf. De decimis*: nec item de jure civili à sententia lata in causa possessorii, *l. 1. Cod. de momentanea poss.* quando scilicet causa modici est præjudicii cujusmodi est iudicium spoliationis, quod summarie & veluti in momento expediti consuevit. Et hoc quoad effectum retardandæ executionis: alioquin valet appellatio quoad effectum devolutivum. Similiter de jure civili non appellatur in causis minimis, & brevioribus secus de jure Canonico.

13. Nonò non appellat quis ab eo actu, quem probavit, *l. Ab eo Cod. Quomodo & quando Index &c.* Similiter non appellat, qui renunciavit appellationi suæ, sive expressè, sive tacitè, *l. fin. Cod. de temporib. appellat.* uti quando accepit terminum ad solvendum.

14. Decimò, non appellatur in causis requiruntibus celeritatem, saltem ad impediendam executionem: nec ubi agitur de regularis discipline correctione, *c. An nostrum & alibi h.* quia ut ait Pont. *d. c. Ad nostram*, remedium appellationis non ideo est inventum, ut alieni à religionis & ordinis observantia exorbitanti debeat in sua nequitia patrociniū exhibere: nisi corrigens excedat modum in corrigendo, quia tum appellare licet, causa gravaminis expressa, *c. de Priore 31. h. t.*

15. Undecimo, non appellatur à nominatione ad munera auctoritate publica, & utilitate privata, v. g. ad tutelam, *l. 1. §. si quis D. Quando appellandum sit* Alioquin à nominatione ad munera auctoritate & utilitate publica, licet appellare, *d. 2. Cod. de decurionibus.*

Duodecimò, non etiā ab actu, qui fit secundum juris dispositionem, nisi expressa & inserta rationabili causa, ob quam admitti appellatio debeat: quia regula generalis est,

quod à lege generali, lata ab eo, qui habeat potestatem ferendæ legis, non possit appellari. *l. 1. §. Dd in c. Quia nos 32. h. t.*

16. Denique, ut alios casus omittam, non appellatur in causis commissis cum clausula, *Appellatione remota*: quia clausula, quoad appellationem à definitiva, solus princeps in scriptis suis uti potest, quoad interlocutoriam verò etiam inferior. Nec item à sententia ex communicationis, jam lata, saltem ad effectum retardandæ executionis. Nec insuper à reformatione & mandato de retinendo in Ecclesia, quam quis obtinet, *c. Perveit 28 & ibi Dd h. tit.*

Notandum postremo, pro complemento, quod in omnibus casibus, in quibus non potest appellari à sententia definitiva, possit appellari ab interlocutoria: quia ejus gravamen non speratur posse reparari per appellationem à definitiva.

## §. V.

## Coram quo sit appellandum.

1. Appellandum à iudice & coram eo qui sententiam tulit.

2. Absente iudice facta appellatio cui immanenda.

1. Appellandum autem est, sive judicialiter sive extrajudicialiter, coram Iudice, qui sententiam tulit, & à quo appellatur, *c. N. de iur. 95. h. tit.* quia illi debet innotescere appellatio, ad hoc, ut ulterius non procedat, & si proceperit, retrocentur per eum actus, tanquam attentata. Ideoque si plures de causa cognoverint, & sententiam dixerint, coram omnibus simul collectis, vel si omnium copia simul haberi non possit, coram singulis vel majori parte separatim appellari debet, *Clement. 1. hoc tit.* Quod si nec quidem majoris partis copia haberi possit, sufficit appellare coram eo vel iis, cujus vel quorum copia haberi potest, adjecta protestatione. Si denique nullius copia haberi queat, aut etiam coram Iudice appellandum sit, à quo præscite quis ob iustum merum appellare non audeat, protestatione super hoc interposita, & causa appellationis saltem in genere expressis, coram probis viris vel coram Notario & testibus, etiam extrajudicialiter, appellare sufficit, *ca. n. l.*



*Gloss. & Francus h. t.* vel adire Judicem ad quem porrigendo ei appellationem suam. Quis autem dicatur metus iustus, relinquitur Judicis arbitrio, *Francus in d. c. ult. n. 12.*

2. Quando verò appellatio interponitur, Judice & parte absente, debet ob absentiam, quia scilicet copia eorum haberi non possit, appellatio coram superiore Judice vel honestis personis interposita, utrique & Judici & parti intimari, ad hoc, ut suspendatur jurisdictio Judicis à quo: nisi aliter ad eorum notitiam pervenerit, ut latè deducit *Seaccia de appellat. q. 6. n. 31 & seqq.* Sin autem interposita sit in absentia Judicis, propter ejus metum, non est necesse ipsi fieri intimatio: quia sicut metus iustus excusat ab appellatione, coram eo facienda, ita & ab intimatione appellationis eidem facienda. Similiter si appelleretur extrajudicialiter in absentia adversarii, intra mensem ei vel ejus procuratori intimatio facienda est, *Clement. causam 3. De elect.*

## §. VI.

## Ad quem sit appellandum.

1. Appellandum à judice inferiore ad superiorem.
2. Et quidem gradatim, non omisso judice intermedio.
3. Quod tamen fallit jure Canonico quoad Summum Pontificem.
4. Nisi etiam partes prorogent jurisditionem alteri judicis.
5. Fallit quoque in delegato judice regulariter.
6. De provocante per errorem ad alium judicem, quam debuit.

Ceterum appellandum est à Judice inferiore, qui sententiam tulit, ad ejus superiorem, & quidem gradatim ad proximum & immediatum, non autem ad alium, sive æqualem sive superiorem, non proximum, *l. Imperatores 21. in princ. b. t.*

Dico, ab inferiore ad superiorem, quia superioris est corrigere factum seu errorem inferioris, non contra, *c. Cum inferior sup. De majoris. & obed.* adeo ut ne quidem consuetudine induci possit, ut ad majorem vel partem fiat appellatio, quia consuetudo inducens ut minor in majorem vel par tatem habeat jurisditionem, non valet, *Archidiacon. in c. ad Inferior Distinct. 21.*

2. Dixi, & quidem gradatim ad proximum, *c. Dilat. 65. b. t. c. Romana eod. in 6.* quia consu-

di jurisditiones non debent, *l. Nemo Cod. De jurisdict. omnium judic. Gloj. ibid. in V. auxilium.* Idque adeo obtrinet jure civili, ut ne quidem ad Imperatorem seu Principem, omisso medio Judice liceat appellare, *d. l. Imperatores D. h. t.*

2. Dico, jure civili; quia jure Pontificio à quolibet inferiore Judice, in causis fori Ecclesiastici, vel etiam secularis, quoad eos, qui subsunt temporali jurisditioni Ecclesiæ, ad Summum Pontificem immediate, omnis intermediis judicibus, appellare licet, *c. Si duobus 7. c. De priore 31. c. Ad audiendam 34. c. Dilat. 52. h. t.* Stant & ad Legatum de Latere, in provincia sibi decreta existentem, *c. 1. sup. De officio Legati. & ibid. Panormit. Maranta c. p. ad n. 371.* quia gerit vices Papæ, & concurret cum quolibet Ordinario in provincia sibi decreta. Alias regulariter etiam jure Canonico oportet gradatim appellare ad proximum superiorem, nisi forte consuetudo loci (quæ jurisditionem tribuit, *c. Cum contingat. sup. De foro compet.*) aliud ferat, *c. 3. §. ab Archidiacono eod. in 6.*

Ratio diversitatis inter Jus civile & Canonicum est, quia Summus Pontifex omnium inferiorum Judicum est Ordinarius, & cum omnibus Ordinariis, ob Sedis Apostolicæ prerogativam, concurret, *d. c. Si duobus 7. & alii, similibus, Concil. Trid. Sess. 24. cap. 20. De reformatione.* nec communicando aliquibus jurisditionem ordinariam vel delegatam, abdicat à se suam jurisditionem. At vero Princeps jurisditionem inferiorem Judicum à se abdicavit, *d. l. Imperatores.*

4. Intellige tamen, appellationem ad alium, quam ad immediatum superiorem non subsistere de jure civili, si contra eam excipiatur, alias valebit, *Glossa in d. cap. Dilat. quia partes litigantes prorogare in se jurisditionem alterius Judicis, etiam sine consensu judicis prioris, possunt.*

5. Intellige rursus prædicta, quoad appellationem ab Ordinario Judice: nam à delegato ad delegantem, vel ejus in officio successorem, rectè appellatur; ut antè diximus: nisi Ordinarius delegans delegaret causam, quia suspectus, nam tunc appellabitur non ad ipsum delegantem, sed ad immediatum ejus superiorem: aut nisi delegans totius causæ jurisditionem demandaverit, *c. Super questionem 27. §. porro sup. De officio lud. delegati.*

Gg 2

Quod



Quod si iudex laicus commiserit causam Episcopo, ab ejus sententia ad delegantem laicum vel ejus superiorem laicum provocabitur. Si duo iudices pronuntiaverint, quorum alter sit laicus, alter Ecclesiasticus appellandum est ad superiorem Ecclesiasticum, quippe digniorem, Maranta 6 p. acta 2. n. 392. Sicut & quando laicus & Clericus sunt arbitratores, reductio fit ad superiorem Ecclesiasticum Maranta d. loco n. seq. Si laicus pronuntiaverit se Judicem competentem in aliqua causa spirituali, non appellabitur ad ejus superiorem laicum, sed Episcopum, Maranta d. loco n. 397.

6. Denique si per errorem quis ad alium Judicem, quam debuit, provocaverit, distinguendum: nam si ad alium majorem provocaverit, error ei non nocebit; secus, si ad minorem, l. 1. §. si quis in princ. D. h. r.

## §. VII.

Quando & à quo tempore interponi debeat appellatio.

1. Tempora fatalia appellationis tria.
2. Tempus introducenda appellationis hodie 10. dierum.
3. Idque à die lata sententia, vel scientia; & est continuum.
4. Lapsus eo tempore appellatio fit deserta.
5. De appellatione tertii.
6. Currit decennium, si gravamen sit momentaneum.

1. Circa appellationem tria potissimum considerantur tempora, nempe tempus interponendae appellationis, tempus petendi Apostolos, & tempus proseguendae ac finiendae appellationis. Et haec tempora vocantur tempora fatalia appellationis, quia nisi intra ea respectivè interponatur appellatio, petantur Apostoli, & fiat prosecutio appellationis, ejusque causa terminetur, iis elapsis appellatio efficitur deserta & quasi mortua aut facto quodam extinguitur, l. Cum lite mortua D. iudicatum solvi.

2. Quantum ad primum tempus attinet, olim de jure D. & Cod. poterat quis in causa quidem propria appellare intra biduum; in causa vero aliena intra triduum dumtaxat, & non ultra, l. Si quidem §. biduum, §. dies, §. in propria D. Quando appellandum sit, l. Eos 6. §. fin autem Cod.

De appellat. Hodie ex Justiniani Constitutione appellari debet intra decennium, id est decem dies, à die lata sententiae, vel centè à die scientiae, quo sententiam latam esse intellexerit is, qui appellare velit, l. ad Scaccia De appellat. q. 11. n. 7. Idque obtinet, sive à definitiva, sive ab interlocutoria, sive ab alio gravamine, etiam extrajudiciali, appelletur, Auth. Hodie Cod. De appellat. c. Quod ad consultationem 15. sup. De sent. & re judicata, c. Cum dilectus, §. fin. sup. De illi, & alius similibus, Gaill. 1. Objer. 130. sine discrimine causae, propriae aut alienae: licet etiam sententia sit sub conditione lata l. 1. §. biduum D. Quando appellandum sit, c. an. Biduum 2. q. 6. Scaccia d. loco n. 111. Atque hoc tempus locum quoque habet in supplicationibus, Auth. Qua supplicatio Cod. De precib. Imp. offerim. Glof. in l. §. significaverunt sup. de testibus: neque ex iudicii permissione aut partium consensu prorogari potest, Glof. communiter approbata in d. c. Cui sit Romana 5. h. r. Gaill. 1. Objer. 139. n. 6. licet valeat statutum vel stylus illud augens, vel diminuens.

3. Currit autem, secundum jus commune, de momento ad momentum, à die, ut dixi, latae sententiae vel scientiae d. Auth. Hodie, d. cap. Quod ad consultationem, Glof. in Clement. Sicut de appellat. in v. deserta tamen, ut ab initio sit utile, quia tempus illud non currit impedito vel ignoranti, nisi sit verè contumax; sed postmodum efficitur continuum, l. 1. §. dies D. Quando appellandum: ita ut etiam feriae solemnes includantur, l. 1. Cod. De feriis, l. Si ve pars §. feria C. De dilationibus.

4. Et si infra hoc tempus non appelletur, sententia transit in rem judicatum, & appellatio efficitur deserta, d. Auth. Hodie & ibi communiter DD. d. c. Quod ad consultationem, & d. c. significaverunt. Nec sufficit appellanti, si probet se appellasse, nisi probet etiam se intra debitum tempus appellasset, Scaccia De appellat. q. 11. n. 40. In dubio autem, an lapsum sit ultimum momentum decennii, iudicandum, non esse lapsum & consequenter appellationem non esse desertam, ne jus alterius pereat: quo fit, ut in dubio etiam deferendum sit appellationi.

5. Sed & si tertius aliquis pro suo interesse velit adherere appellationi, per alium interpositae, vel ratam habere appellationem ab alio absque mandato legitimo nomine suo interpositam, id etiam facere tenetur intra decem dies,



dies. *Utriusque De delictis in 6. Gaill. 1. Obser. 112.* Sin autem prosequi appellationem velit ab alio interpositam, pro suo interesse, tunc etiam admitti debet, licet non appellaverit, *l. Ab executore §. 1. D. h. tit. c. Cum super 23 sup. De officio jud. delegati*: quia per appellationem manet in suspenso sententia, & omnibus, quibus gravamen illarum est, aperta est via; ut et alia appellatione opus non sit. Ideoque appellatione semel coram Iudice ad quem introducta, ipse appellans potest adherere appellationi appellantis, & deducere sua jura, antea non deducta, perinde ac si ipsemet ab initio debito tempore appellasset, quamvis appellans nolit suam appellationem prosequi, quia appellatio est communis utriusque parti.

6. Quod autem dicimus, appellandum esse intra decem dies à declarata sententia vel saltem scientia, illud obtinet, quando gravamen est momentaneum: secus, quando tractum successivum, & causam habet continuam, cujusmodi est incarceration, excommunicatio, interdictionum: nam tunc, quamdiu durat, sine praefinitione temporis: quasi à presenti & continuo gravamine appellare licet. Sic incarcerationis semper appellare potest, etiam ultra mensis, quia semper gravatur. Similiter toties quia appellare potest, quoties citatur ad locum non tutum, quia gravamen istud causam habet continuam, & quoties de novo citatur, toties de novo gravatur.

Hoc tamen non procederet, si Iudex esset interlocutus, illum justè fuisse carceratum, aut locum esse tutum: quia tunc intra decem dies à die interlocutionis appellandum esset, & alias sententia transiret in rem judicatum, nec ulterius appellare liceret, *Gaill. 1. Obser. 139. n. 14.* quia sententia contra jus partis lata, si ab ea non appelleretur, transit in rem judicatum, *l. Cum Proculus D. De judiciis*. Et propterea hoc tempus decem dierum dicitur fatale, quia eo lapso perit facultas appellandi.

## §. VIII.

Qualiter sit interponenda appellatio.

1. Appellatio presentanda est Iudici vel causa Notario.
2. 3. Libellus appellatorius quid continere debet.

1. IN primis ita interponenda est, ut de ea interposita appareat. Non tamen est necessario illam praesentare Iudici, sedenti pro tribunali, sed potest ubique praesentari, ad hoc, ut sententia non transeat in rem judicatum: imò sufficit illam praesentare Actorum magistro seu Notario, absque Iudice, *Maranta 6. p. act. n. 134.*

2. Tamen verò plerumque in usu sit, ut in libello appellatorio exprimat nomen Iudicis à quo, Iudicis ad quem, & adversarii, *l. 1. §. libelli D. h. t.* tamen non videtur omnino necessaria ista expressio, ut, si quid istorum omittatur, metuenda sit praescriptio, *l. Seco §. in princ. D. h. t.* Quamquam commodissimum foret, exprimi nomen Iudicis à quo, ut intelligi possit, à quo Iudice & à qua sententia appelletur, & an ordine debito.

3. Nomen verò Iudicis ad quem licet non exprimat, tamen censetur provocatum ad eum, ad quem de jure provocari debet, *l. 1. §. si quis in appellatione. l. Imperator D. hoc t.* Et ideo hujusmodi appellatio generalis, etiam de jure Canonico, subsistit, quia illo quoque jure gradatim appellari debet, exceptis paucis casibus specialibus: nam in dubio quis censetur velle uti jure communi, non speciali *Imola in l. 1. n. 16. D. h. t.* & incertitudo, si quæ sit in hujusmodi appellatione, apertissime declaratur, dum appellans suam appellationem introducit & prosequitur. Reliqua huc spectantia patebunt ex §. seq.

## §. IX.

De differentia definitiva ab interlocutoria quoad interponendam appellationem.

1. A definitiva statim & incontinenti appellatur viva voce.
2. Ab interlocutoria non nisi in scriptis.
3. Nisi vim definitiva habeat.
4. Appellatur à definitiva non expressa causa.
5. Ab interlocutoria non nisi expresso gravamine.
6. Appellatio à definitiva ex novis actis justificari potest.
7. Ab interlocutoria non nisi ex antiquis actis.
8. Pendente appellatione ab interlocutoria, Iudex procedere potest.
9. Non à definitiva.

Gg 3

Quoad



1. Quoad interponendam appellationem definitivam & interlocutoriam. Nam à definitiva potest statim, postquam lata est, appellari viva voce, l. 5 § fin. D. h. e. quod dicunt illic appellare, l. Litigatorib. 12. Cod. eod. Sufficitque dicere, Appello, l. 2. D. eod. & hoc scribi in actis per Notarium. Statim, inquam, à lata sententia, id est Judice adhuc sedente pro tribunali. Si verò non fuerit incontinenti viva voce appellatum, interponenda scripto est appellatio, l. 3. D. eod. Exceptis causis brevioribus, de quibus in Auth. breviores C. De sententiis ex breviculo rescribendo; in quibus potest appellari viva voce, Maranta 6 p. act. 2. num. 143. Atque in appellatione scripto interposita inferi oportet hæc verba, Provocho & Appello, aut Equipollentia veluti, Submitto me protestationi & tuitioni talis Iudicis &c. Maranta d. loco num. 135.

2. Ab interlocutoria verò sive illic & incontinenti sive ex intervallo appelletur, Judice adhuc pro tribunali sedente, vel non, semper in scriptis porrecto libello appellatorio, (qui nomen continet appellantis, l. 1. § ult. D. h. e. non tamen necessariò nomen ejus, contra quem, l. 3. eod.) appellandum est, c. 1. eod. in 6. c. ut circa e. Si postquam, c. quamvis De elect. in 6. Exceptis aliquibus casibus, de quibus Phil. Francus in d. c. 1. & præpositus in c. Vi debitus 59. h. e. etiam si appelletur ad alium, quam ad Papam, Rebuff. in l. Quod jussit D. De rejudicata versu Nota 2. num. 134. in fine, ubi plenius vide. Dixi, porrecto libello appellatorio; quia non sufficit dicere Notario, Scribe, qualiter appello, quod appellem.

3. Si tamen sententia interlocutoria habeat vim definitivam, potest in continenti viva voce ab ea appellari, quia in ea omnes solemnitates servari debeant, quæ in appellatione à definitiva, cui æquiparatur.

Quod si verò quis appellaverit viva voce, eum reservatione facultatis postea appellandi inscriptis, & postmodum etiam appellet, unde tunc incipiat currere tempus persequendæ appellationis, an à prima; an verò à secunda appellatione, vide Marantam, d. 6. p. act. 2. num. 144.

4. Præterea in appellatione à definitiva, vel definitiva vim habente, cum jus ipsum per-

mittat appellationem, non requiritur expressio causæ in specie, l. Scio 3. D. hoc tit. sed sufficit, quod appellans dicat se gravatum, & sententiam esse injustam. Maranta d. loco num. 142. ubi appellans sit tertius aliquis, præcedens aliquod interesse, Felin. & alii in c. Quod ad consultationem sup. De sent. & re judicata; aut appellentis casibus, à jure vel ab homine prohibitis, Glos. in c. Romana §. si autem in v. mandetur eod. in 6. Nam cum eo casu appellans habeat juris præsumptionem contra se, non tenetur Judex deferre ejus appellationi; nisi alleget rationabilem causam, ob quam cesset præsumptio ista, aut appellatur in materia visitationis aut correctionis, Concil. Tridentin. Sess. 13. cap. 10. §. in casibus, Navar. consil. 1 hoc tit.

5. At verò in appellatione ab interlocutoria, requiritur expressio gravaminis seu causæ, coram eodem Judice, c. Cum causam 62. cap. Vi debitus 59. h. e. ubi præpositus ponit novum limitationes, & quidem legitimæ ac probabiles, d. c. Vi debitus; atque in specie, si plures sint, omnes nominatim exprimi debent, nec sufficeret facere relationem ad acta. Quinimò causa exprimi debet, etiam notoria: quia licet notorium releveret ab onere probandi, non tamen relevat ab onere opponendi: Maranta, d. loco num. 154. Idque ut debitus honor deferatur Judici, Nam cum fieri possit, ut à Judice, expressa causa rationabili, justitiam consequatur appellans, non debet permitti recedere ab eodem non expressa causa, d. c. Vi debitus cap. 1. eod. in 6. Dicitur autem causa rationabilis, quandocumque Judex gravat contra jus scriptum, vel denegat juris beneficium, arg. c. De his sub finem Distinct. 28 cap. penult. & ult. inf. De secundis nuptiis; ut si neget restitutionem (poliario), priusquam de proprietate cognoscat; vel si neget quartam productionem testium cum solemnitate legali, c. Ex conquestione sup. De testibus; vel non admittat reculationem, propter affinitatem, consanguinitatem, c. Prostramo 36. & generaliter, ubi non admittuntur legitimæ exceptiones, c. Ex parte sup. De officio jud. delegati. Quo casu cautè faciet excipiens, si apud Iudicem instet, ut super exceptione admittenda, vel non admittenda, interlocutatur, secundum Glos. in Clement. ult. hoc tit. in v. re-pulsione, ut facilius coram Judice ad quem ostendat.



dat, se ex hac causa gravatum, quod exceptionem suam non admiserit, *c. Diligite. Interposita* 70. h. t. vel ea neglecta ulterius processerit, *c. Ex parte* 97. h. t.

6. Rursus appellatio à definitiva potest ex novis actis seu causis & probationibus justificari, *l. Eni §. 1. Cod. eod. l. Per hanc Cod. de tempor. & reparat. appellat. nonum* 7. Appellatio verò ab interlocutoria justificanda est ex antiquis actis, *Clem. appellanti eod. tit.* quia ab interlocutoria non appellatur, nisi Iudex injuriam fecerit appellanti. Illa autem injuria non potest detegi, nisi ex iisdem actis & causis, coram Iudice à quo deductis, non autem de novo deducendis: nisi aliquid de novo veniat in notitiam appellantis, *arg. l. Insinuante sup. de officio jud. delegati*; vel nisi interlocutoria contineat gravamen irreparabile, ut si Iudex pronuntiarit aliquem torquendum; aut alias habeat vim definitivam; aut appellans obtulerit causas gravaminis & probationis coram Iudice à quo, non & fuerit admissus: aut sententia lata sit contra contumacem: quia his casibus justificari potest ex novis actis causis & probationibus.

8. Denique, ut alias differentias omittam, in interlocutoria Iudex à quo, nisi detulerit appellanti, aut contineat gravamen irreparabile, licet procedit donec illi, parte legitime citata, sit inhibitum per Iudicem ad quem, *Non solum eod. in 6.* valetque processus, *c. fin. de dolo in 6.* etiam absque ulteriori citatione appellantis: ex quo is appellando videtur se facere contumacem, & declarare, quod non velit comparere, *d. e. fin.* Nec potest Iudex ad quem inhibere Iudici à quo ulteriore progressum, priusquam constiterit legitime fuisse appellatum, *Gloss. in c. Romana eod. in 6.*

9. At pendente appellatione à sententia definitiva nihil innovandum est, *l. Appellatione Cod. eod. d. c. Non solum eod. in 6.* quia statim atque interposita est, ligat manum iudicis à quo. Idque obtinet etiam ante interpositam appellationem intra 10. dies.

## §. X.

## De tempore petendi Apostolos.

1. 2. Apostoli qui & unde dicantur.
3. Sunt triplices, Dimissorii, Reverentiales, Refutatorii.
4. Petendi & recipiendi hodie intra tringinta dies.
5. Qui dies currunt à die scientie.
6. Potest tamen Iudex breviorum terminum statuere, non longiorem.
7. Tunc est statim à lata sententia petere Apostolos.
8. Quæritur, an appellatione extrajudiciali peti possint.

1. **A**ppellatum esse, aut statim, aut ex intervallo, non sufficit, nisi etiam appellans intra statutum tempus petat Apostolos, id est litteras dimissorias, quas Iudex, à quo appellatum est, transmittat ad Iudicem, ad quem appellatum est, in testimonium & fidem appellationis interpositæ. Sunt igitur Apostoli etiam pars appellationis, ut late Scaccia, *quæst. 12. num. 24.*

Dicuntur ergo Dimissoriæ litteræ, quia, ut dixi, per eas causa transmittitur ad Iudicem, qui appellatus est, *l. Dimissoria 106. D. de verb. signif. l. unica D. de libellis dimiss.*

2. Dicuntur etiam Apostoli id est Nuntii à Græco ἀποστολλὰ quod est Mitto, quia mittuntur ad Iudicem ad quem, ut de causa appellationis instrui possit.

3. Sunt autem Apostoli, qui hic usum habent in triplici differentia, nempe Dimissorii Reverentiales & Refutatorii, Dimissorii sunt litteræ, ad Iudicem appellatum directæ, testificantes de appellatione, coram Iudice à quo, vel honestis personis, interposita & admissa.

Reverentiales sunt, quando non ob causæ iustitiam, sed solum ob reverentiam superioris, ad quem appellatur, Iudex à quo desit appellationi, *cap. 1. eod. in 6. l. Eos 9. §. super his Cod. de appellat.*

Refutatorii sunt, quibus Iudex à quo significat Iudici ad quem, se non admisisse appellationem, de quibus *in l. fin. §. in refutatoriis C. eod. Gloss. in d. c. 1. in V. exhiberi*: adjecta etiam causâ, eam appellationem rececit, *d. c. 1. l. per ult. D. de appellat. non recipiam*. Alias si recuset absque iusta causâ deserre appellationi, punitur, *c. Cum pa. rat. 19.*



10. *Sec. Depriori* 31. *h. t. l. Quoniam iudices Cod. eod.* quia Iudex à quo non deferens appellationi legitime interposita, lædit & turbat superiorem Judicem in sua iurisdictione.

4. Olim petendis & recipiendis Apostolis, ac Iudici ad quem porrigend s, præscripti erant quinque dies, Paulus V. *Sent. tit. 34. can. Ab eo 2. quæst. 6.* & intra hos dies de jure Canonico instantes & sæpius, saltem uno contextu, peti debebant. Postea præscripti sunt triginta dies, intra quos similiter instantes & sæpius, saltem uno contextu, peti debent: alioquin si intra dictos xxx. dies appellans Apostolos non petat, vel non recipiat, censetur appellationi renuntiasse, eaque proinde efficitur deserta, *d. can. Ab eo 2. quæst. 6. Clement. Quamvis h. tit. e. eod. in 6. l. iudicibus 24. Cod. eod. l. unica D. de libellis dimissis.* Et ideo Iudex à quo sententiam, à qua appellatum est, executioni mandare potest, perinde ac si ab ea appellatum non esset, *e. Constitutus 45. h. tit.* Similiter efficitur deserta appellatio, si Apostolos oblatos intra idem tempus recipere recuset, *d. Clement. Quamvis h. verum.* Quod si verò per Judicem à quo stet, quo minus eos recipiat, debet de eo protestari, *d. Clement. Quamvis:* & si absque causa intra eos dies dedecit, puniendus est, *d. l. iudicibus.* Quinimò post elapsam tempus potest appellans Judicem à quo coram Iudice, ad quem provocavit, convenire, *l. Si appellationem 31. Cod. eod.*

5. Verius autem est, dies hos currere à die scientiæ, quo quis sententiam latam esse intellexerit, & à quo habuit facultatem appellandi, ne alias hoc inconveniens eveniat, quod ignorantibus præclusum sit tempus petendi Apostolos, cui nondum præclusum est tempus appellandi, Maranta 6 p. *act. 2. n. 130.* Et ideo *d. l. iudicibus.* definiens, currere tempus à die latæ sententiæ, intelligi potest, quando appellans habuit notitiam sententiæ latæ, vel incontinenti à sententia lata viva voce appellavit: ut sic concordet cum *c. Ab eo eod. in 6. & Clement. Quamvis*, quæ volunt currere à die appellationis interjectæ.

6. Atque hæc ita intelligenda sunt, nisi Iudex à quo breviorum terminum petendi Apostolos statuerit appellanti. Nam licet verius sit, non posse longiorem præscribere, Capel. Thol. *decis. 44.* tamen breviorum præscribere

potest, quo elapso, si non fuerint petiti, non minus efficitur appellatio deserta, quam lapsus xxx. diebus; quia ejusmodi terminus brevior, à Iudice præscriptus, succedit in vicem termini juris, & eundem parit effectum, *e. Ex insinuatione 50. h. t.*

6. Tamen si autem sufficiat intra terminum, siue juris siue hominis, petere Apostolos, etiam ultima die: nihilominus tutius est, eos in continenti & simul cura appellatione petere: quia si appellatum sit à definitiva, Iudex à quo postpositos Apostolos nequit ulterius procedere, nisi prius dederit refutatorios, quamvis appellatio esset mere frivola. At verò quando appellatio est frivola potest etiam non petitis Apostolis ulterius procedere.

7. An verò etiam in appellatione extrajudiciali peti Apostoli debeant, queritur. Et distinguendum est: vel enim appellatur à Iudice extrajudicialiter procedente, & tunc peti debent, quia est, qui eos dare potest, nempe Iudex à quo: vel appellatur à parte; & tunc non est necesse eos petere, quia non est, qui eos det. Quamvis tutius sit etiam tum petere, sub hac conditione, si sit, qui dare possit. Scaccia *De appellat. q. 1. art. 2. n. 31.*

Denique si queratur, cujus expensis dandi sint Apostoli, communis responsio est, dandos esse expensis appellantis. Maranta *d. l. nu. 214.* Scaccia *q. 14. n. 114.*

## §. XI.

Quibus appellationibus sit deferendum.

1. 2. 3. *Quatenus iudex puniendus, non deferens appellationi.*
4. *Deferre tenetur etiam appellationi ab interdictoria sententia.*
5. *Quod tamen fallit jure Canonico.*
6. *Nisi ex justa causa appelletur.*
7. *Ut & in dubio deferri satius est.*
8. *Concil. Trident. hæc de re sancto.*
9. *Stylus Curia Romana.*
10. *De appellationibus ad futurum Concilium, ad tribunal Dei.*

**D**ixi Iudicem à quo, si recuset deferre appellationi, puniendum. Nam regulatiter tenetur deferre cuilibet appellationi, adeo ut, si non deferat, quando est interposita ex iusta



iusta causa, puniatur de jure civili poena 30. librarum auri, si causa sit civilis, si criminalis, arbitratia. *l. Quoniam Iudices 21. C. h. t.* Maranta 6. p. 2. n. 210. Jure vero Canonico, si Iudex non deferat appellationi, ad summum Pontificem interposita, ad ipsum Pontificem puniendus mitti debeat *De priore 31. h. t.* Sicut ad Imperatorem pro merito puniendus mittitur, qui appellationem ad eum interpositam in causa cum civili tum criminali non receperit. *l. A Proconsulibus 6. in fine Cod. h. t.*

2. Quod si appellatum fuerit ad inferiorem Papam, plerique existimant poenam non deferentis appellationi in causa civili esse arbitratiam, & sic in usu magis pecuniariam, Franc. in 4. c. *De priore*; in criminali vero causam poenam depositionis, *can. Decret. 2. q. 6.*

3. Expectandus tamen hac in re est finis appellationis, ut non puniatur Iudex, qui rejecit appellationem, si judicatum fuerit male appellatum fuisse, ut qui in exitu deprehendatur iuste non derelisse.

4. Sed an Iudex a quo teneatur perinde deferre appellationi ab interlocutoria, atque a definitiva quaeritur: nam Imp. p. m. d. *l. Quoniam Iudices*, agere de sententia definitiva, manifeste patet ex eo, quod loquantur de sententia terminante in re iuramentum, quod sola praestat definitiva. *l. Praes Cod. de sent. & interloc. om. iud.* Sed dicendum id, quod hac in re statuit lex civilis de definitiva, producendum esse ad interlocutoriam, vim definitivae habentem, a qua perinde atque a definitiva permittitur jure civili appellatio.

5. At vero jure Canonico, licet permittatur appellatio ab omni interlocutoria, gravamen aliquod inferente, *c. Super eo 12. h. t.* tamen Iudex a quo non tenetur ei semper deferre, verum licet ei, non obstante appellatione ab interlocutoria, in causa progredi, quamdiu per Iudicem provocatum non fuerit legitime facta inhibito, id est cum causa cognitione, ut sciatur, an iuste appellatum sit, *c. Cum appellationibus, c. Non solum eod. in 6. Maranta d. l. n. 207.* potestque de apostolis refutatoriis respondere, si hoc ei a quo visum fuerit.

6. Si tamen appelletur ab interlocutoria ex iusta causa, tunc tenetur deferre appellationi, & si non derelicit, perinde puniri poterit, ac

si appellationi a definitiva non detulisset, Maranta d. loco. Ideoque jura volunt exprimi causam gravaminis in appellatione ab interlocutoria, ut si ea iusta sit, appellationi deferatur.

7. In dubio quoque satis est, ut ei deferat Iudex, quia licet sententia, quae in rem transivit judicatam, habeat praesumptionem iustitiae, *c. Bona 23 §. perro sup. De elect.* imò pro veritate habeatur, *l. Res judicata D. De reg. iur.* tan ea, quae nondum transivit in rem judicatam, non magis iustitiae quam iniustitiae praesumptionem habet, sed ad utramque partem ita se habet, ut vel iusta vel iniusta pronuntietur, *l. Chirographis 57 §. ult. D. De administrat. tutorum l. Herennius 63 §. 1. D. De evictionibus.*

8. Dixi ante regulariter omni appellationi esse deferendum; quia Iudex ei deferre non tenetur iis casibus, quibus de jure prohibita est appellatio, de quibus antea egimus.

9. Ceterum Conc. Trid. Sess. 22 cap. 4. *De reformat.* ordinavit, ut ab omnibus Legatis, Nuntiis Apostolicis, Metropolitanis, aliisque superioribus Iudicibus, in admittendis appellationibus & concedendis inhibitionibus servetur Constitutio Innocentii IV. relata in *c. Romana eod. in 6.* eleganti Analyti enucleata a C. L. V. Stephano Weymlio.

10. Servat quoque stylus Curiae Romanae usitatus, ut non deferatur appellationibus in rebus parvi momenti, v. g. in summa non excedente decem ducat uti ex Veltro restatur Piafec. in *Praxi Episc. p. 1. c. 4. art. 1 §. n. 8.* Quod & statuta curiae Metropolitanae Mechliniensis habent, ad taxam scilicet quinquaginta florenorum, teste, *Zypaeo h. t. n. 8.*

11. Denique provocaciones a summo pontifice ad futurum Concilium tamquam erroneae & schismaticae damnatae sunt a Pio II. & Julio II. eodem Zypaeo teste d. loco n. 16. Ubi etiam tradit, Reges reum laesae Majestatis habere eum, qui ab eorum sententiis ad Papam appellat & proferit exempla illorum, qui ad tribunal Dei provocarunt.

## § XII.

De tempore introducendae & prosequendae appellationis.

1. Tempus est vel annus vel biennium.
2. Quod non currit de momento ad momentum.
3. Dicitur iudici brevius tempus praescribere.

H. h.

A. Disque



4. Atque etiam ipsi appellanti, non appellato.
5. Ad finiendam appellationem iudex à quo terminum præscribere nequit.
6. Terminum brevior quo tempore præscribi possit.
7. Iudex ad quem appellanti præscribere terminum non potest.
8. Et deserta appellatio per lapsum terminum.

1. **T**Empus introducendæ ac præsequendæ appellationis hodie de jure communi vel annus est, vel ex causa biennium, à die interpositæ appellationis, quando in iudicio appellatur, *e. Cum sit Romana* 5. c. *Ex ratione* 8. h. tit. *Clement. Sicut* & ibi *Glos. eod. Auth. Et qui appellas. Cod. de temporib. appellat.* aut ubi extra judicialiter appellatur, vel ubi sententia nulla est lata, à die illati gravaminis: quandoquidem talis appellatio sit veluti conditionalis, si gravamen inferatur.

2. Cæterū hoc tēpus non currit de momento ad momentum, sicut currit decēdium ad appellandum, quia dies appellationis non consideratur, *Glos. Clement. Sicut* h. t. nec durante compromisso cursum habet, *Clement. Quamdiu* eod. t. *Auth. Si tamen Cod. De temporib. appellat.*

3. Permittitur autem iudici, ut brevius tempus ad introducendam & præsequendam appellationem præscribat, si velit *d. c. Cum sit Romana*, ita ut appellatio, si appellans intra tempus illud non introduxerit & prosecutus fuerit eandem aliquo & qualicumque modo, efficiatur deserta, & sententiæ ac iudicio iudicis à quo stare compellatur, *e. Personas* 4. h. t. perinde atque per lapsum termini jure defuncti, in ejus locum succedit terminus à iudice præscriptus, *Glos. in d. Clement. Sicut*, *Innoc. in c. Ex ratione* 8. & in *d. c. Personas* n. 3. & 4. *Panor. in d. c. Cum sit Romana* 4. *Gaill. 1. Observ. 104. n. 2.* Potestque iudex, lapso termino à se præscripto, sententiam suam mandare executioni, etiam non expectato lapsu termini juris, *d. c. Personas* ibi: *ex tunc iudicio tuo stare compellat*; item, *ex tunc sententia tua parere constringat*: nam dictio *ex tunc* extremum temporis momenti significat, *l. 4. §. ult. D. De condit. & demonstrat. l. in substitutione D. De vulgari & pupil. substitit.*

4. Idem obtinet, si ipsemet appellans sibi breviorē terminum præscripserit, prout præscribere potest, *e. Sapē* 44. s. *Oblata* 57. c. *Nicolao* 64.

*h. t.* modo tamen is sit congruus & convenient, *e. Consvervit* 14. h. t. Ut verò appellatus appellanti talem terminum præfigat, non permittitur, ne in illius sit potestate, nimium coarctare appellantem, & adversario suo legem ponere, *Joan. Andri. & Panormit. in d. c. Personas*; sicut nec accelerando nimis permittitur terminum aut appellantem prævenire, *e. Sapē* 44. in fine h. t.

5. Ad finiendam tamen appellationem iudex à quo terminum breviorē præscribere non potest, sed tantum, ad introducendam & præsequendam: quia iudici ad quem ut superiori requirit præscribere legem, ut scilicet intra hunc vel illum terminum causam appellationis expediat *e. Ex insinuatione* 50. h. t. Et in hoc differt terminus ab homine seu iudice præscriptus à termino iuris, quod terminus iuris sit etiam ad definiendam appellationem, terminus autem hominis ad inchoandam prosecutionem, *Wamel. in d. c. Personas* n. 5.

6. Verius autem est iudicem à quo posse hunc terminum breviorē præscribere iudici ad quem, intra quem præsequatur appellationem, non solum, quando admisit appellationem, verum etiam quando eandem rejecit: quia id facit ad celeriore causæ expeditionem, ne sententia à se lata maneat diutius in suspensio, & ut occurratur malitiæ appellantium, ad executionem sententiæ differendam, ac tanto citius per superiorem cognoscatur, rectēne appellationem admiserit vel rejecerit. Quin etiam verius est, iudicem à quo, postquam detulit appellationi, posse hujusmodi terminum præscribere ex intervallo, *e. 1. versic. post loco* eod. in 6.

Facilius vero eidem permittitur, postquam talem breviorē terminum præscripserit, eundem priusquam lapsus sit, prorogare, *l. Sed si* 5. *D. De precario*, quasi, quamdiu decurrit, is in ejus sit potestate, & ad illum periret jurisdictio, *Rota Decis* 35. alias 384. in antiquis. *Decius in d. c. Personas*, *Dixi*, priusquam lapsus sit; quia cum sit peremptorius, *d. c. Sapē* 44. h. t. lapsus ejus facit, ut sententia immutabiliter transeat in rem judicatam, *d. c. Personas* hoc tit. l. ult. & illud *Cod. De temporib. appellat.* nullaque admittatur mora purgatio, quia mora contracta statim subintrat legis dispositio, hoc est deserta appellatio effectus.

7. At verò iudex ad quem præfigere appellanti



lanti terminum huiusmodi ad prosequendam appellationem nequit: quia habet terminum à iure statutum: nisi ubi periculum ex nimia dilatione immineret, uti in causis spiritualibus electionum postulationum, & aliis beneficialibus; quæ cum causam aliquo modo publicam contingant, accelerari debent: sicut & causa matrimonialis, ob periculum incœstus, vel adulterii, *1. Quoniam frequenter §. 1. sup. Vt lite non testata: item causa alimētorum, ob periculum vitæ, l. Necesse D. De agnoscendis liberis.*

8. Cæterum ut per lapsum termini, tam à iure quam ab homine definiti, deserta fiat appellatio consummatum tempus utriusque termini, seu ultimus dies, ejusque lapsus expectandus est, quamvis jam ante constet appellationis prosecutionem fieri non posse, Wamess. in d. c. *Personas hoc s.* Et si iudex à quo simpliciter, prout fieri sæpè solet, præscripserit terminum ad appellationem prosequendam, sufficit qualitercumque prosequi, etiam per solam intentionis arceptionem, vel per solum impetrationis scriptum actum, ut in c. *Ex parte hoc sit. §. Dilatus sup. De rescriptis*, licet non doceatur de litteris impetratis; nisi consuetudine vel statuto aliud obtrineat.

## §. XIII.

De causis biennij ad introducendam prosequendam & finientem appellationem

1. Causa concedendi biennij ad introducendam & appellatorem varia.
2. Ex parte appellantis infirmitas & paupertas
3. Quæ etiam excusat à cursu fatalium.
4. Ex parte appellati, si prosecutionem impediatur.
5. Ex parte utriusque, si partes suspendant aut prorogent tempus.
6. 7. Removetur objectiones.
9. Ex parte iudicis, si per eum fiat, quo minus appellatio finiatur.
10. Ex parte sortis impediens, vel ex negligentia procuratoris.
11. Ex casu & fortuna.
12. Solum quandoque ex causa etiam sortis impus indulgetur.

1. Ad introducendam, prosequendam, & finientem appellationem diximus dari de iure tam civili quam Canonico annum, & ex causa biennium, ita tamen, ut iudex à quo brevius tempus præscribere queat. Dispicendum nunc est de temporis huiusmodi causis, hæc variæ esse & concurrere possunt, vel ex parte appellantis, vel ex parte appellati, vel utriusque, vel iudicis, vel alicuius tertii, vel denique ex casu & fortuna.

2. Ex parte appellantis: ut si infirmitate ita detentus fuerit, vel paupertate aut inopia ita laboraverit, quod appellationem interpositam prosequi & finire non potuerit. c. *Ex ratione 8. ibi, per impotentiam hoc sit. c. penult. inf. de solutionib. Scaccia q. 15. art. 3.* Nam si difficultas excuset à mora *Gloss. in l. Quod D. Si certum petatur* Jason, *ibid. & communiter DD.* multo magis paupertas & inopia à desertione appellationis, cum impossibilitatem nulla sit obligatio, l. *impossibile D. De reg. juris*, & est communis teste Gail. *Observ. 142.*

3. Sed dubitatur, an etiam paupertas & inopia excuset à cursu fatalium interponendam appellationis? Et verius est, excusare, quando ad appellandum opus est sumptu aliquo, uti quando ex intervallo in scriptis appellandum est. Secus, quando nullo sumptu est opus, ut quando incontinenti viva voce appellari potest. Nec videtur opus protestatione pauperis, ut tenet Bald. in c. 3. n. 2. *sup. De rescriptis*: maxime si sit nota iudici: alioqui si ignota sit, cum in facto consistat: allegari & probari debet, per l. *In bello §. facta D. de captivis & postlim. revers.* tamquam fundamentum intentionis pauperis si utiq; miserabili paupertatis privilegio uti velit, Gail. d. *Observ. 142. n. 3. ubi plenus videtur.*

4. Ex parte appellati: ut si is de facto, vel per se vel per alium, extra iudicium appellatorem impediatur, quod minus prosequi appellationem possit; vel in iudicio frustratoris dilationibus efficiatur, ne appellatio debito tempore finiatur: nam & hoc casu appellanti conceditur ipso iure secundus annus, vel saltem servatur appellans illatus, ut tempora prosequendi appellationem ei non currant, Rota *Decis. 102. incip. Fatalia, in novis*, Scaccia d. loc. n. 61. quia tempus fatalium hoc casu labitur culpa & facto adversarii & desertio fieri debet contra culpabilem & negligentem, non contra impeditum, Scaccia, d. loc.

H b 2

E x



5. Ex parte utriusque: ut si partes, durante appellatione, mutuo consensu peregrinationem aliquam suscipiant, vel compromittant in arbitros: nam durante ejusmodi peregrinatione vel compromisso, temporis cursus suspenditur ipso jure, nec proinde opus est secundo anno, *Clement. Quamdiu h. t. Auth. si tamen Cod. de tempor. appell. Scaccia de locen. 105. & seq.* Ratio est, quia cum tempus prosequendæ appellationis, detur utrique parti, potest pacto & mutuo consensu partium suspendi. Quia & hoc jure nostro permittitur litigantibus, non tantum suspendere fatalia, *d. Clement. Quamdiu*: Sed etiam prorogare, *l. fin. §. fin. Cod. de temporib. appell. l. Quod si nolit §. si quid ita D. de Edictio edicto, c. de causis 4. sup. de officio jud. delegati.*

6. Nec obstat, quod tempus primæ instantiæ, puta triennium, consensu partium prorogari nequeat, ne quidem mediante juramento vel per compromissum, aut adjectionem pœnæ, licet abbreviari possit favore boni publici ut lites citius finiantur, *Gloss. in l. Properandum Variennium Cod. de judiciis Gaill. 1. Observ. 141. nu. 5.* quia non est simile Ratio differentie est, quod finita prima instantia per cursum triennii, saluum adhuc maneat jus agendi de integro, solumque acta pereant, salvo jure partis. At verò, finita causa appellationis, totum jus appellantis corruit & intercidit, totaque causa perimitur, & sententia à qua in rem transiit, judicatum, *Clement. Sicut h. t.* Etque stare cogitur appellans, licet, iniqua sit, *c. Personar. 4. h. t.* & appellationi renuntiare intelligitur, *c. Directa 39. hoc t.* Ideoque merito tempus prosequendæ appellationis prorogari potest de consensu partium, propter præjudicium alias irreparabile. Vide latè Marant. 5. p. num. 23. Gaill. 1. Observ. 141.

7. Non obstat, *c. Oblata 57. h. t.*, quia loquitur de Judge, cui licet permittatur abbreviare hoc tempus, non tamen prorogare: at verò partes litigantes & abbreviare & prorogare possunt.

8. Non obstat etiam, *l. Nemo Cod. de temporib. appellat.* quia loquitur de reparatione, quæ fit finito tempore, ut colligitur ex eadem lege faciente mentionem reparationis: hic autem loquimur de prorogatione, quæ fit durante tempore, *l. Sed si manente §. D. De precario.*

9. Ex parte Judicis potest intervenire impedimentum, si vel ob infirmitatem vel ob aliam

causam pro tribunali non sedeat, vel alias per eum steterit, quo minus causa appellationis ad finem intra debitum tempus perducatur. Et hoc casu, si Judex ille sit Princeps, non recognoscens superiorem, ipso jure appellans servatur in demeritis, ita ut citi tempora appellationis non currant, *Auth. Sed & lis cum seq. Cod. de tempor. appell. can. Anteriorum §. ad hæc sancimus 2. c. 6. Gaill. 1. Obs. 141. n. 7.* Idque propter multitudines curarum & negotiorum, ob quam non decet Principem temporum angustius concludi, *l. Praecipimus Code appell. Quam rationem Pontifex transfert quoque ad appellationes, quæ ad auditorium Papæ deferuntur, c. Ex insinuatione 50. ibi l. integra permaneat, h. t.* Si verò sit Judex inferior Princeps, tunc ipso jure per judicem indulgetur impedito secundus annus, *l. ult. §. ult. Cod. de tempor. appellat.* Sed hoc casu debet appellans, seu ejus procurator, prout praxis observat, protestari, & quidem sæpius, quod per se partemque suam non steterit, quo minus in causa celerius procedatur, quodque proinde fatalia sibi partique suæ currere non debeant, *Gloss. in c. Cupientes §. quid per viginti De elect. in 6. Maranta 6. p. act. 2. num. 230. Gaill. d. loc. n. 9.* At verò quando impedimentum aliunde provenit, quàm ex parte Judicis, non est necessaria hujusmodi protestatio, sed sufficit, quod impedimentum probetur, tutius tamen est ut omni casu interponatur.

10. Ex parte alienius tertii vel etiam ex negligentia procuratoris potest quoque evenire impedimentum, ne intra debitum tempus seu annum appellatio finiatur, & tunc rata manet: ob eaque nec datur appellanti secundus annus, sed datur contra tertium impediens, si solvendo sit, actio ad interesse, *l. Arbitrio 18. §. dolo D. de dolo malo.* Exemplo debitoris, qui dolo malo facit, ut legitimis temporibus transactis, dies actionis pereat in temporalibus actionibus, *d. §. dolo & c.* vel instantia bicennii in criminali, *l. 2. Cod. de Vi intra certum tempus*; & in civili civilis, *l. Properandum Cod. de judiciis.* Contra procuratorem verò, si solvendo sit, datur actio mandati ad damna & interesse, *l. Si remanendi §. 1. l. Si procuratorem & l. Procuratore D. Mandati, l. Si procurator C. de procuratoribus.* Nam sibi imputet necesse est, quod negligentem procuratorem elegerit, *c. Sapè 44. h. tit. l. Sed et §. fin. D. de institut. actione, l. Cum mandato in fin.*



in D. de minoribus, Gloss. in c. 1. § 2. in V. restitui-  
mus de in integrum restitut. Si verò tertius vel  
procurator solvendo non sit, succurretur ei per  
restitutionem in integrum. Gloss. in cap. Ex ratio-  
ne 8. b. t. d. l. Properandum §. ult. Cod. de iudiciis.

11. Denique provenire impedimentum po-  
test ex casu & fortuna.

12. Quod si verò & in toto secundo anno appel-  
lans fuerit impeditus, solet ei dari ex iustissima  
caussa etiam tertius annus, d. c. Ex ratione: non ta-  
men ipso iure, uti datur secundus sed à iudice  
per viam restitutionis in integrum. Et qui-  
dem integer annus, si toto secundo anno fue-  
rit impeditus: alioquin annus non integer sed  
solum tantum temporis ei restituitur, quantum  
abstulerit impedimentum, Abbas in d. c. Ex ra-  
tione; juxta naturam scilicet restitutionis in in-  
tegrum, quæ est, ut tantum restituatur, quan-  
tum abstulerit læsio, Clement. unica & ibi no-  
tata de restitut. in integrum. Quia verò ista re-  
stitutio incidenter petitur, idcirco datur præviâ  
summaria cognitione, sine libello aut litis con-  
testatione, vel alia speciali causæ cognitione,  
præviâ tamen citatione patris ad videndum re-  
stitutionem fieri, Gail l. 1. Obf. 143. in fine Alias,  
ubi restitutio in integrum principaliter deduci-  
tur, Ordo Juris est necessarius, Gail ibid.

## § XIV.

Quale debeat esse impedimentum  
primi anni seu primi fatalis, ut  
præbeat causam dandi  
secundum.

1. Debet justum esse impedimentum.
2. Deque censuræ evidentissime.
3. Nec sufficit juramentum appellantis.
4. Neque credendum iudici, asserenti tale impe-  
dimentum.
5. Si de eo non constiterit iudex lapso anno pote-  
rit sententiam exequi.
6. Dummodo appellans etiam de diligentia sua  
doceat.
7. Lapse impedito primo anno dari semper secun-  
dum integrum.
9. Discrimen inter primum & secundum annum.
10. Cur legitime impedito in secundo anno non  
debetur litesus.

1. Cæterum impedimentum oportet esse ju-  
stum & inevitabile seu inexorabile, & non  
affectatum: nam si appellans illud affectarit, vel  
sua culpa causam ille præbuerit, æquum non est  
ei hac in parte subveniri, l. 2. §. si quis tamen D.  
Si quis cautionibus &c. \* 2. Cumque infacto  
constat, & ex veritate facti dependeat, non de-  
bet præsumi, c. 1. de constitut. in 6. c. Cum in iure  
sup. de officio jud. delegati, sed omnino & plenè ar-  
que evidentissime probari, l. ult. §. illud Cod. de  
temporib. appellat. c. Ex ratione 8. hoc tit.

3. Et ideo non sufficit juramentum appel-  
lantis, nisi fortè in causis modici præjudicii:  
nam juramentum, præsertim ultro neum, nec  
à iudice nec ab adversario delatum, non po-  
test servire pro ullo genere probationis; &  
quando ejus usus permittitur, est potius exo-  
neratio quam species probationis. Imò cum  
Justinianus, in d. §. illud, requirat evidentissi-  
mam probationem, non sufficit juramentum  
appellantis, cum unius testis testimonio: quia  
quando à iure vel Canone, liquida seu evidens  
(à fortiori quando evidentissima) probat o re-  
quiritur, ea non potest confici ex conjunctione  
duarum imperfectarum; & proinde in propo-  
sito impedimentum hujusmodi probari debet,  
vel per duos testes idoneos, vel per partis adver-  
sæ confessionem, vel per instrumentum, nisi al-  
ias sit notorium evidentia facti.

4. Et ne iudici quidem credi debet, asseren-  
ti tale impedimentum etiam ex propria persona  
(ut si fateatur, se ob valetudinem non potuisse  
vacare causæ cognitioni, aut pro tribunali se-  
dere: ) ne facile fraus fiat, l. Si forè D. de Ca-  
strensi speculio; neve in iudicio tam judicantis  
quam testificantis personâ fungatur, c. Ex lit-  
teris sup. de probat. l. Fame D. verb. signif. Adcò ut  
licet in iudicio testis unius probet semiplenè,  
tamen iudici in iudicio non aliter credatur,  
quam per acta judicialia, vel alias per legitima  
constet documenta, c. Quoniam contr. 11. sup.  
de probat. Et hinc licet facilis sit præsumptio  
juris pro iustitia sententiæ lata à iudice, c. Bona  
23 sup. de elect. non tamen pro iudicis facto.

5. Quod si igitur de impedimento non con-  
stiterit evidenter, nec appareat de protesta-  
tione de non lapsu fatalium, poterit iudex à  
quo, lapso termino suo anno, sententiam suam  
H h 3 velus



velut deferta appellatione, mandare executioni (parte tamen citata, ut tenet Bald. in l. Si contra 8. Cod. De appellat. & in l. 2. in fine Cod. De temporib. appellat. & Franc. in d. c. Ex ratione hoc tit.) non expectato lapsu biennii, secundum Marantā, p. 6 adu. 2. num. 23. tum quia lex non dat biennium, nisi iusta subsistente causa, & quidem evidenter probata: tum quia primum annum lex vocat primum fatale & secundum annum vocat secundum fatale, l. 2. in princ. & ibi Gloss. Cod. de tempor. appellat. quod non recte diceretur, nisi primi anni lapsus perinde atque lapsus secundi anni perimeret appellationem, non dato & probato impedimento, Clement. Sicut h. c. l. fin. Cod. d. tit.

6. Non tamen sufficit sola impedimenti probatio, nisi ultra appellans de diligentia sua doceat, etiam ad impedimentum amovendum: quia tunc demum dicitur ex iusta & necessaria causa impeditus, quando facta diligentia remanet impedimentum; & qui potest facere, ut possit, iam dicitur posse, l. 135. D. De reg. iur. Nec dicitur impeditus, qui facile potest impedimentum amovere, imò dicitur illud volens pati Latē Scaccia qu. 15. art. 16.

7. Ceterum hic quaeritur, an iuste impedito in primo anno semper detur integer secundus annus? Et quidem non est dubium, dari integrum, quando toto primo anno fuit impeditus, vel diligentiam debitam adhibuit, licet impedimentum parum duraverit, Scaccia d. loco art. 5. versio Primus casus est, cum seq. At verò quando non fuit toto primo anno impeditus, sed aliquo tempore tantum, an ei tunc detur secundus annus integer, non satis convenit.

8. Omissis aliorum variis distinctionibus, tamen si ea sententia de rigore juris verior videatur, quae subsistente in aliqua parte primi anni impedimento, existimat, dandum esse secundum annum; non ut indistincte eo toto appellans uti possit, sed ut inde tantum defumat, quantum in priori anno per quod cumque iustum impedimentum ei fuit ademptum, arg. l. Ab hostibus §. sed quod simpliciter D. de quibus causis majores &c. tamen usu fori, praesertim Ecclesiastici, magis obtinuit, ut propter quodcumque impedimentum primi anni detur secundus integer, modò extet aliqua dili-

gentia appellantis, & totus primus annus non fuerit negligentia lapsus, si ve potuerit, si ve non potuerit appellans, deducto impedimenti tempore, in reliquo causam appellationis peragere, quia tale impedimentum appellanti non debet ad damnum referri, sed appellato ad pernam, l. 1. Significante 69. hoc tit. Capella Tholof. 9. De cis. 331. Probatur ex Auth. Si appellat. Cod. d. tit. ubi dicitur, quod ad obtinendum hunc secundum annum sufficiat, si vel novissima induciarum die appellans ad agendam causam coram iudice compareat Confirmatur ex eo, quod totus primus annus sit in arbitrio appellantis, quando velit incipere & prosequi appellationem, modò supersit sibi tempus sufficiens ad eam finiendam, arbitrio iudicis determinandum, juxta Oldrad. Conf. 60 n. 3. vers. Quod si impeditus. Videatur de his Scaccia qu. 15. art. 5.

9. Illud autem discriminis est inter primum & secundum annum, quod primum simpliciter & ipso jure detur, secundus autem etiam ipso quidem jure detur, sed non nisi ex iusta & necessaria causa. Insuper quod primum annus non sit praecise fatalis, sed tantum sub conditione si nulla iusta intervenerit causa, quae appellantem impederit, quia ex tali causa datur secundus annus. At verò secundus est praecise fatalis.

10. Cur autem legitime impedito in secundo anno non tam detur tertius annus ipso jure quam impedito in primo anno datur secundus, ratio est, quia jus praesumit quemlibet appellantem posse quamlibet causam appellationis, quantumvis arduam, peragere, intra biennium, modo summa ope summoque opere, prout lex requirit, ad hoc nitatur, eo quod in usu id sit frequentius, aut fieri possit, arg. l. Ex his, cum l. seq. D. De legibus. Et ideo hoc praecise tempus prosequendae appellationis praescribit, ut tanto certior celerique sit litium finis.

## §. XV.

## De effectu appellationis.

1. Regulariter appellatione pendente nihil innovandum.
2. Attentata post appellationem à definitiva sententia revocanda.



3. Ab interlocutoria non alia, quam ubi consistit de causa.
4. Idque in appellatione cum judiciali tum extrajudiciali.
5. Non indistinctè tamen, & ratio differentia.
6. Præterea appellationem oportet esse intimatam iudici & parti.
7. In quacumque parte iudicii revocatio fieri potest.
8. Forma petendi revocari attentata duplex.
9. Vis interest, utrum pars appellans, an verò appellata assensu veris.

**R**egula Juris est, pendente decendio ad appellandum, aut etiam pendente appellatione, si recepta sit, siue non nihil posse innovari seu attentari in causa, verum omnia in eodem statu, in quo erant tempore introducendæ vel introductæ appellationis, quamdiu de ea cognoscitur, manere oportere. *h. unica D. Nihil innovari appellat. interpof.* Et quidem si recepta sit appellatio, quia recepta est; si verò non sit recepta, ne ullum appellationis præjudicium fiat, priusquam deliberatum fuerit, an recipienda sit vel non dicta lege unica, capite Bona memoria 51. vers. *præmissus hoc titulo capite Non solum eod. in 6.* Deinde quia per appellationem jurisdictio Iudicis à quo suspenditur, cap. *Si à iudice hoc titulo in 6. l. ult. §. fin autem Cod. de temporib. appellat. l. Cum inter sup. De sent. & re iudicata*, & quasi dormitare videtur, *l. Pastoralis 53. §. 1. hoc tit.* Appellans enim eximit se à jurisditione iudicis à quo in ea causa, in qua appellaverit, *l. Distincta 39. h. 1.*

2. Ideoque si post appellationem à definitiva aliquid innovaverit seu attentarit Iudex à quo; illud in primis statim & ante omnia per Iudicem appellationis remedio attentatorum revocari, irritari seu cassari debet *l. Dilectus filius 55. sub finem vers. quia tamen per appellationem h. 1. Franc. in c. Consultus & d. e. Bona 51. hoc tit.* nisi forte causa attentatorum alio rem requirit indaginem, nec probari in continenti possit; nam tunc principalem causam non suspendit nec impedit, sed utramque simul prosequi oportet. *l. Si confiteris Cod. Finium regund. Gaill. 1. Obser. 146.*

3. Si verò post appellationem ab interlocu-

toria quid innovaverit, id revocari & cassari debet, ubi causam appellationis veram esse constitit *d. cap. Non solum*; nisi Iudex appellationis, devoluto ad se negotio, Iudici à quo inhibuerit, ne procedat ulterius, *d. cap. Non solum.*

4. Habet autem hoc remedium attentatorum locum, non tantum in appellatione judiciali, sed & extrajudiciali, quia non solum prohibet lex aliquid innovari, pendente appellatione, sed generaliter lite pendente, *cap. 1. & 2. sup. Et l. epend. nihil innovatur* & ideo, cum appellatio extrajudicialis ut minimum sit provocatio ad causam, *l. Cum sit Romana 5. vers. si verò hoc sit* etiam litis constituit pendentiam; ac proinde quo post eam innovatur, rectè pendente lite innovari dicitur, & per consequens etiam ante omnia revocari oportet.

5. Hoc tamen est discrimen inter appellationem judicialem & extrajudicialem, quod in judiciali revocentur omnia, licet non sint directè contra appellationem; in extrajudiciali verò ea dumtaxat, quæ sunt directè contra appellationem, & non alia, ut tradit Maranta 6. p. act. 2. num. 4. Ratio differentie est, quod appellatio judicialis etiam in uno articulo, siue habeat connexitatem cum tota causa, siue non, in totum & quoad totam causam suspendat jurisdictionem Iudicis; Ideoque omnia revocantur. At verò appellatio extrajudicialis non suspendit jurisdictionem, ex quo extrajudicialiter proceditur; ideoque revocatur dumtaxat quod est in gravamen appellationis, seu contra appellationem.

Dixi, siue habeat connexitatem cum causa principali, siue non; quia licet juxta aliquos & quidem in puncto juris appellatio ab uno articulo, qui separatus sit à causa principali, non suspendat jurisdictionem, nisi respectu illius articuli; tamen secundum Glossam & Abbatem in cap. Super eo 10. hoc tit. cui conformis est praxis, suspendit, siue sit connexus, siue non; ne, cum arbitrio Iudicis relinquatur, quæ sint connexa, quæ non, facile inclinetur ad iudicandum pro connexitate, ut sic totam causam ad se trahat. Videatur Scaccia q. 17. l. 7. memb. 2. v. 12.

6. Insuper ut attentata in judiciali appellatione revocentur, necesse est, quod appellatio fue-



fuerit intimata Iudici & parti: nam alias Iudex & pars, ignorantes appellationem, possunt de jure procedere in causa, nec revocantur tunc per eos attentata Maranta *d. loco* Secus in extrajudiciali, in qua revocetur, licet non fuerit intimata appellatio, ut *ibid. tradit n. 403.*

7. Potest autem peti revocatio attentatorum in quacunque parte iudicii, usque ad conclusionem in causa, non ultra, Maranta *d. loco* Gaill. 1. *Observi 46. n. 10. Rota 27. Decis. Licet pars, in novis hoc sit.* Quod intellige quoad attentata ante conclusionem: nam secus obtinet in commissis post conclusionem.

8. Petuntur revocari dupliciter: aut implo-rato principaliter officio Iudicis, pro ipsorum revocatione, aut accessorie, prosequendo ap-pellationem, Et hoc casu, quamvis super li-bello attentatorum contestata lis fuerit, si à causa principali separari queant, revocari ante sententiam definitivam poterunt: alias si talia sint, ut non possint rescindi nisi per sententiam definitivam, ea expectanda erit, ut in casu *l. Chronographis §. 1. D. De administrat. tutor* Gaill. 1. *Observi 46. n. 8.*

9. Cum verò attentata fiant aut per partem aut per Iudicem, & utroque casu ante omnia revocanda sint, prout latè tradit Monachus in *e. Cupientes n. 131. cum seqq. De elect. in 6.* mul-tum interest, utrum appellans, an appellatus attentet, quia si appellans aliquid attentet, quod sit contra propriam appellationem, veluti si pendente appellatione adversarium sua pos-sessione, quæ controversitur, spoliaret, eo ipso tanquam sibi contrarius censetur non deferre propriæ appellationi, & jus sibi ipsi dicendo contemnere Iudicem, sicque indignum se ap-pellationis beneficio facit; eum frustra legis imploret auxilium, qui contra legis nititur voluntatem, *e. Bona memoria sup. De elect. lega. Auxilium §. fin. D. De minorib.* Ac proinde sen-tentia à qua statim transit in rem judicatam; eamque Iudex à quo potest executioni manda-re, perinde ac si nunquam fuisset appellatum, *e. Cum stat. 5. h. t.* Nec hoc casu opus erat appel-lato exhibere libellum, ut attentata revocen-tur, sed solum ut iis probatis Iudex appellatio-nis causam tanquam desertam pro executio-ne ad Iudicem à quo remittat. Secus autem, si attentata non sint contraria appellationi, quia

eo casu revocari debent. Videatur Gaill. *d. Obs.* 146. ubi *n. 19.* tradit, quo pacto pronuntiat de-beat, quando appellatus vel Iudex à quo pen-dente appellatione attentat.

## §. XVI.

## De privilegiis remedio attentatorum competentibus.

1. Huic remedio non potest opponi exceptio proprie-tatis.
2. Nullam requirit prioris status justitiam.
3. Non requirit ordinem judicarium.
4. Agenti hoc remedio non potest opponi exceptio excommunicationis.
5. Datur adversus quemcumque possessorem.

1. **R**emedio autem attentatorum plurima competunt privilegia, estque longe promptius remedium spoliato seu turbato in sui possessione, quam interdictum unde vi: nam licet spoliatus ante omnia sit restituendus, ita ut attentata & innovata ante omnia sit revocanda, *cap. non solum hoc sit. in 6.* tamen agenti, ut at-tentata revocentur, non potest opponi ulla ex-ceptio proprietatis aut potioris juris, Afflict. *Decis. 352.* sed sufficit constare quoquo modo, adversus eum attentatum & innovatum fuisse. At verò agenti interdicto unde vi, notorius de-fectus proprietatis objici potest, & saepe restitu-tionem remoratur, *e. Ad decimas De restitut. spo-liat. in 6.* Item opponi potest exceptio alieni spoli cap. 2. §. *sed quoniam sup. De ordine cogni.* Innovati autem revocationem non moratur partis adversæ attentatum: licet de eo quoque revocando æque expedire agi possit, utriusque parti ex æquo patente Iudicis officio, Panor-mit. in *e. Bona memoria §. 1. h. t.*

2. Insuper in interdicto ex causa spoliū re-quiritur allegatio & probatio seu justificatio alicujus tituli, saltem colorati, *Clement. 1. De causis possess. & propriet.* non verò in remedio at-tentatorum, in quo nulla requiritur prioris sta-tus justitia, sed sufficit sola veritas.

3. Præterea in interdicto, quia est ad instar actionis, §. *ult. Instituit. De interdicti ordo* ju-dicialis observandus est: nec sine libello, nisi contestatione, & aliis, quæ in ordinariis iudiciis plerumque requiruntur, ad restitutionem pet-venitur, *cap. 2. sup. Ut lice non contestat.*



In revocatione verò attentatorum, si notoria sint, non requiritur ordo iudiciarius, nec litis contestatione opus est, sed implorato iudicis officio mercenario proceditur de plano, cum sola citatione & causæ cognitione aliis solem- nibus omisso, *d. c. ult. sup. De ordine cognit. c. 1. Vs. suspendente l. n. 6. Gaill. d. Observ. 146.* Quoties enim aliquid iudicis officio mercenario expli- catur, non est opus libello, sed de plano proce- ditur *DD. ad rubr. P. De interrogat. actionibus.* Imò iudex ex officio parte non petente, & sic non jure actionis talia attentata revocare po- test: quia per attentata plus iudex quam pars læditur, & lex prohibens lite pendente aliquid innovari, contemnitur, *Gail. d. loco.*

4. Rursus agenti interdicto potest objici ex- ceptio excommunicationis, quia pro actore habetur, *c. Intelleximus sup. De iudiciis, c. Cum in- ter c. ult. sup. de except.* non etiam petenti revo- cationem attentatorum, *Decius Conf. 200. col. fin. vers. Secundo.* Ratio est, quia ista petitio saltem in appellatione iudiciali magis sapit na- turam defensionis, quæ excommunicato per- mittitur, *d. c. Intelleximus & d. c. ult. De except.* quam actionis seu impetitionis, quæ excom- municato denegatur.

Dixi, saltem in appellatione iudiciali, quia cum extrajudicialis appellatio, præsertim quæ à parte interponitur, non tam sit appellatio, quam provocatio ad causam, *c. Cum sit §. ver- se. Si verò h. 1. & pro actione magis sit, l. qui ap- pellat, 29. D. De iudiciis.* verius videtur, quod in huiusmodi extrajudiciali appellatione petenti revocationem attentatorum obstat exceptio ex- communicationis, quia illa verè agenti objici- tur, non autem defendenti. Secus in ea, quæ à iudice interponitur, præsertim in mixta execu- tione, quia cum sit quoque species defensionis, apparet verius exceptionem excommunicatio- nis non posse morari attentati revocationem.

5. Denique interdictum unde vi non datur contra quemcumque, sed eum dumtaxat, qui vi deiecit, vel deieci mandavit, aut deiectionem, suo nomine factam, ratam habuit, *l. 1. D. De vi & vi armata, c. Cum ad sedem, c. Sapè sup. de resti- tut. spoliat.* Et ideo ne quidem datur adversus eum, ad quem res sine vitio spoliū pervenit, v. g. contra emptorem rei, ab alio per vim occupatæ: & quidem jure Civili indistinctè, jure autem

Canonico, si modò ad eum bonâ fide pervene- rit, *d. c. Sapè.* At vero remedium attentatorum da- tur adversus quemcumque possessorem, sive bo- nâ fide sive malâ, sive scienter sive ignoranter, sive per partem, sive per iudicem res ad eum pervenerit, *c. Ex parte sup. de restitut.* Non quòd attentatum gravius sit, quàm spoliū, quippè cum spoliator sit prædo, qui vim vel publicam vel privatam committit, *l. 1. §. nequid autem, l. Si de fundo D. De vi & vi armata; & atrocitatem facti in se contineat, d. l. 1. §. interdictum;* nec verba sufficiant, *l. Si quis uxori §. neque D. De furtis;* attentatum verò sine ulla specie delicti fieri possit: sed quia qui attentat non solum ad- versarium lædit, sed & iudicem, & quidem ma- gis offendit & legis prohibitioni resistit.

## §. XVII.

Quænam iudici vel partibus, pendente appellatione, liceant.

1. Pendente appellatione licet non allegari allegare, &c.
2. Potest fieri innovatio contra tertium.
3. Quæque fieri poterant pendente causâ principali.
4. Similiter denunciare licet quem excommunicatum.
5. Si frivola sit appellatio, rectè proceditur ad ex- ecutionem sententiæ.
6. Pendente appellatione licet facere, quæ eandem promoveant.

POTIÒ tametsi regulare sit, pendente appella- tione, nihil innovandum esse, plurima ta- men tum iudici, tum etiam partibus, pendente appellatione, permessa sunt.

1. Nam in primis utrique parti licet non pro- posita proponere, & non probata probare, at- que exceptiones opponere, modò tamen actio- nem & causam; coram iudice à quo proposi- tam, respiciant, & ei connexa sint, *l. Per hanc Cod. de temporib. appellat.*

2. Secundo, potest innovatio fieri contra ter- tium, etiam super eadem re, si nihil inter sit appellantis eam innovationem fieri, vel non fieri. Exempli gratia, si ex duobus reis deben- di in solidum unus conventus & condemnatus appellaverit, non obstante ea appellatione, alius conveniri, & adversus eum iudex æquè



procedere potest, *l. Creditor in prin. D. Mandari*: quia res inter alios acta aliis non præjudicat, *c. Romana § in aliis h. t. in 6. Gaill. 1. Observat. 144.* Et sicut exceptio spoli, ita & attritorum alicui tertio opponi non potest, *Gloss. in d. l. Creditor in V. posse in fine* modò non habeat causam ab ipso spoliante vel attritante.

3. Tertiò, ea attentari, & innovari possunt pendente appellatione, quæ poterant fieri & innovari pendente causâ principali: quale est, compellere litigantem ad cavendum, ut in *l. Postquam hæres § Imperator, 1. & ibi Bart. D. Vilegatorum & fideicommissorum nomine caveatur*. Hinc possessor, pendente appellatione, commodò fruitur possessionis, & rectè possessionem suam continuat, nemoque ob contradictionem vel appellationem alterius fructu possessionis suæ carere debet, Joan. Monachus, in *c. Cupientes n. 138. De elect. in 6.* Nec attentare dicitur, qui jus suum prosequitur, continuando scilicet possessionem suam, fructusque percipiendo, sed veteri jure uti, *c. 1. sup. Vi litæ pendente &c. Gaill. 1. Obs. 147.* Similiter patronus, cui competit jus præsentandi plures ad beneficium vacans, præsentato uno potest secundum præsentare, non obstante appellatione: quia ante appellationem licita ei erat hujusmodi præsentatio, nec debet hac facultate privari per appellationem prius præsentati.

Quartò, si debitor, qui appellavit, ex nova causa factus sit suspectus de fugâ, potest non obstante appellatione capi à creditore, etiam propriâ auctoritate.

4. Quintò, si appellatur à sententia excommunicationis vel alterius censuræ Ecclesiasticæ, veluti interdicti & suspensionis, jam lata, potest Judex à quo, non obstante appellatione, denunciare & publicare appellantem excommunicatum, ut ab aliis vitetur, *c. Pastoralis 53. §. verum. & ibi Abbas hoc tit. & similiter declarare suspensum, interdictum*: quia excommunicatio est censura medicinalis, tendens ad correctionem, sicut & aliæ censuræ, & in potestate est appellantis censuras hujusmodi evitare. Ideoque aliud esset dicendum, si infligerentur in pœnam, sicut infertur depositio, quæ proinde per appellationem suspenditur, Scaccia quæst. 3. art. 1. num. 77. & seq. Similiter Judex potest excommunicatum privare fructi-

bus sui beneficii & distributionibus, Abbas in *d. c. Pastoralis*: quia ex quo exemptus est à communione Ecclesiæ, non debet ex fructibus ejus alimentari.

Dixi, si appelleretur à sententia excommunicationis vel alterius censuræ Ecclesiasticæ, jam lata: quia si appelleretur à declaratoria, qua Judex declaret quem incidisse in sententiam excommunicationis, non potest, eâ appellatione pendente, aliquid innovare: quia cum fieri possit, ut malè declaret, merito permittitur ab hujusmodi declaratoria appellatio; sicut & permittitur extrajudicialis appellatio à sententia excommunicationis ferenda, tamquam à futuro gravamine; ita ut sententia excommunicationis postea lata, sit ipso jure nulla, *c. Dilecti h. t.* Pari modo potest Judex excommunicatum absolvere ab excommunicatione, non obstante appellatione adversæ partis, ne absolvatur; idque ne in excommunicatione decedat, *c. Qua fronte 16. h. t.*

5. Sextò, si appellatio sit manifestè frivola, potest Judex à quo, dummodò ei non detulerit, procedere ad executionem sententiæ suæ, *c. Cum appellatio 5. eod. in 6.* sicut & iis casibus omnibus, quibus de jure appellare non licet, *1. Non solum eod. in 6.* vel ubi statuta aut jura concedunt paratam executionem: nisi in casibus ejusmodi prohibitis appellans alleget justam aliquam causam, ob quam admitti debeat appellatio; *Glossa in d. c. Romana § si autem eod. in 6.* Similiter appellatio in possessione non retrahit executionem jure civili, *l. unica Cod. Si Dementaneæ possess. &c.* licet secus sit de jure Canonico, *Clement. unica De sequestrat. possess. &c. Gloss. in c. Cum ad Sedem in V. interdictum sup. De restitut. spoliar.* Sic quoque in factis notoriis appellatio non suspendit executionem: ideoque dicitur notoriè criminofum non esse audientem, *c. Proposuit 24. h. t.*

Septimò, si alicui mandatum sit, ut residet in loco beneficii sui, & is appellet, potest Judex, non obstante appellatione, committere vices ejus alteri, qui interim de fructibus beneficii alatur, *c. Pervenit 28. h. t.*

6. Denique, ut alia omittam, generaliter potest Judex à quo pendente appellatione omnia illa facere, quæ tendunt ad facilitiorem & expeditiorem exitum causæ appellationis, dum-



modò se non immisceat appellationi. Et idèd potest saltem in continenti taxare expensas, in quas condemnavit: quia tunc non dicitur innovare, nec propriè interloqui, sed declarare proauntiata. Similiter appellanti potest statuere certum terminum ad recipiendos apostolos; ita ut si intra assignatum terminum eos non receperit, appellatio efficiatur deserta, *Clement. Quamvis eod. tit.* vel ad iter arripiendum ad Judicem superiorem, *d. l. Pervenit. 28. hoc tit.* vel ad se præsentandum coram Judice, *c. Personas. 4. h. tit.* vel ad appellationem prosequendam, *c. Ad hac. 2. h. t.* & sic de aliis similibus, quibus non præscribit legem Superiori, quod facere nequit. Advertendum autem, quod licet in casu, quo de jure appellare non licet, attentata non revocentur, ex privilegio attentatorum, tamen revocari possint per viam querelæ à superiori, *Maxima p. ult. sexta partis princ. actum 2. n. 117.*

## §. XVIII.

## De Recusationibus.

1. Recusatio legitima suspendit jurisdictionem judicis.
2. Proponenda est ante omnem actum judiciale.
3. Et quidem libello ac scripto.
4. Jure Canonico causa suspicionis in libello exprimenda.
4. 6. De causa suspicionis intra præfixum tempus cognoscunt arbitri.
7. Si neglexerint vel destituerint, procedet Iudex recusatus.
8. Jure civili non est necesse exprimere causam suspicionis.
9. Jure Canonico tam Ordinarius, quam delegatus recusari potest.
10. Jure civili delegatus, non etiam ordinarius, recusatur.
11. Etiam Commissarii ad audiendos testes recusari possunt.

§. Sequitur de Recusationibus, quæ in multis conveniunt cum appellationibus, & à pari fere procedunt: cum sicut per appellationem, ita & per recusationem judicis suspendatur ejus jurisdictio: nec possit in causa, in qua recusatur, ad aliquem actum procedere, & si pro-

cesserit, processus sit nullus: nisi recusans post recusationem consenserit in Judicem recusatū, vel coram eo comparuerit nulla protestatione interjecta, quod velit sibi salvam manere suam recusationem. Videatur Vantius *De nullitatis huius Tit. De nullis ex defectu jurisdictionis ordinariæ, 140.*

Recusatio legitima sit necesse est & legitimè proposita, quia frivola seu frustratorium continere Judex recusatus potest, eaque contempta progredi adversus recusantem ulterius, ad exemplum frivola seu frustratoriae appellationis.

2. Cum vero exceptio recusationis sit dilatoria, *c. Inter monasterium 20. vers. quas etiam tamquam dilatorias sup. De sent. & rejudicat. & DD. in l. Apertissimi Cod. De judiciis, in c. Postremo 36 juncto c. Cum speciali 61. h. t.* & simul declinatoria fori; non solum ante litem contestatam, sed & ante omnem actum judiciale proponi debet, ne aliàs reus in Judicem consentire seu iudicium suscipere, vel suspicionis causam non curare videatur, *l. fin. Cod. De exceptionibus & d. l. Apertissimi*: nili fortè postmodum, id est, post aliam dilatoriam exceptionem, vel post litem contestationem, causa suspicionis supervenerit: quia quæ de novo emergunt, novo opus habent remedio, *l. De arate 11. §. ex causa 8 D. De interrogat. actionibus* vel extiterit quidem ante, verum post litem contestationem demum in notitiam rei venerit, quia iusta ignorantia excusat, *l. Qui in alterius D. De reg. juris*: ideoque tunc post litem quoque contestatam obijci potest, *c. Insinuante sup. De officio Iud. delegati.*

3. Proponenda recusatio Judicis, non verbis, sed scripto, quia huiusmodi recusatio æquiparatur sententiæ interlocutoriae, à qua in scripto appellari debet, *c. Cordi eod. in 6.* Ideoque libello opus est, qui Iudici exhibeatur, si is fuerit præsens. secus, si absens, *d. l. fin. Cod. De except.*

4. Sed & Jure Canonico causa suspicionis in libello recusatorio exprimenda est. Et tunc Judex recusatus subsistet, mandabitque utrique litigatorum, vel etiam coget, si opus sit, ut communi consensu eligant unum vel plures arbitros, & in dissensu singuli unum.

5. Qui quidem arbitri, recepto arbitrio, non cognoscent de causa principali, sed suspicionis



picionis duntaxat, deque veritate & idoneitate illius, *cap. Legitima eod. in 6.* statuentque recusatori terminum ad probandum, *c. Secundò requiris 42. §. 1. & c. Cum speciali 61. hoc tit.* Quod si in cognoscendo convenire nequeant, allument tertium, qui cum iis iudicet: & ad hoc per Judicem recusatam cogi poterunt, *d. c. Cum speciali*; sicut & ut ferant sententiam intra certum terminum.

6. Probata coram arbitris sufficienter iustā causā suspicionis, & sententiā desuper per arbitros lata; Judex cognitionem causā alteri demandabit, de recusatoris consensu, vel remittet ad superiorem, *d. c. Cum speciali vers. caus. 1a.* Non probata verò causā suspicionis, vel probata quidem, sed illegitima & inidonea iudicata, ad Judicem recusatam remittetur, isque perseverabit Judex, *d. c. Secundò requiris §. 3. d. c. Cum speciali, juncto c. 4. sup. de foro competenti*; sicut & quando Judex appellationis pronuntiat bene iudicatum, & male appellatum, remittitur causā ad Judicem à quo, *c. Vt debitas 59. in fine hoc tit.*

7. Quod si verò arbitri intra præfixum sibi tempus vel neglexerint vel detrectarint declarare, an causā sit iusta, & Judex recusatus male expectare finem temporis iis præfixi, quàm ad id cogere; lapso tempore sine ulla arbitrorum sententiā, potestas procedendi ulterius ad ipsum revertitur, seu ejus tollitur suspensio, *d. c. Legitima in fine.*

8. Cæterum Jure civili non est necesse causam suspicionis in libello recusatorio exprimi, sed sufficit nuda allegatio causæ. Unde & in genere, secundum formulam recusandi traditam à *Glos. in d. l. Apertissimi in V. recusare, & V. libello*, potest allegari quis suspectus, etiam sine causæ expressione, dummodò recusans præstet juramentum de calumnia, quod calumniosè non recuset: nam hoc juramentum erit loco probationis, eò quòd quilibet præsumatur memor suæ salutis, *Glos. in d. Apertissimi in V. recusare.* Et id eò arbitri, à partibus electi, secundum Jus civile, omisso articulo suspicionis, in causā principali cognoscunt, tanquam si à Principe essent ejus dati Judices: quia ex quo suspicionis causā non est inferenda, nec consequenter est probanda, *l. fin. Cod. de iudiciis.*

9. Sed & illud discriminis est inter Jus Ca-

nonicum & Civile, quod Jure Canonico tam Ordinarius, quàm delegatus recusari possit, etiam Episcopus, *d. c. Secundò requiris §. 3. & d. c. Cum speciali, & aliis similibus.*

10. At verò Jure Civili delegatus quidem recusari potest, ut suspectus, *d. l. fin. Cod. De iudiciis, & d. l. Apertissimi*: Nisi delegatio expresse facta sit à Principe, cum clausula, *Remota recusatione*, prout indubiè de Jure communi delegare potest, quandoquidem possit causam alicui committere, remota appellatione, *l. 1. §. fin. D. A quibus appellare non licet*: quæ est species defensionis, in præsidium innocentie introducta, & proinde juris naturalis, *d. c. Cum speciali* nam inde à fortiori poterit delegare cum clausula, *Remota recusatione*, cum hac adempta superstit adhuc remedium appellationis, ut notat *Glos. in d. Apertissimi in V. recusare.* Cæterum eodem Jure Ordinarius Judex nequit recusari, ut suspectus, ad hoc, ut removeatur, tanquam suspectus; sed si subit aliqua causā suspicionis, alius ei adiungendus est, *Auth. Si verò contigerit Cod. de iudiciis, Gloss. in d. l. Apertissimi in V. iudices.*

11. An autem Commissarii dati ad recipiendos & examinandos testes recusari possint? dubitatur. Et verius est, posse: quia sunt Judices delegati, omnisque victoria in probationibus consistit. Ac proinde plurimum interest partium habere Commissarios, omni exceptione majore. Non tamen hoc casu ad arbitros, sed ad eandem recuti vel provocari, ut alios Commissarios non suspectos det, tradit *Gail. l. Obser. 33.* ubi vide, an totum aliquod Collegium vel Universitas aut Synodus vel Parlamentum recusari possit, eò quòd caput illius sit suspectum.

#### §. XIX.

#### De causis & effectu recusationis.

1. Causa recusationis iusta in arbitrio Iudicis posita.
2. Sunt varia & multiplices.
3. Effectus recusationis est, suspendere jurisdictionem Iudicis.
4. 5. Alias Processus erit nullus ipso Jure.

1. Quæ verò sint iustæ causæ recusandi Judicem, certò definiri nequit: ideoque



magis in arbitrio Judicis, quam certâ legis definitione ea res consistit; Panor. in c. Cum speciali in hoc tit. Et hinc fit, quod recusatio proposita plerumque cognitio illius ad arbitros rejiciatur. *Suspiciens sup. De officio delegati, d. c. Cum speciali, &c. Legitima eod. in 6.* Ad quos non esset necesse recurrere, si ejus in jure extaret certa definitio. Iusta interim & indubitata reputatur omnis illa, quam Canon vel Lex pro tali habet.

2. Sunt autem variae & multiplices ejusmodi causae. Et quidem Maranta in Spec. suo aureo p. 6. De appellat. actu 2, à n. 27. enumerat quadraginta: quarum prima est, si Jux sit familiaris alteri parti, magna scilicet non modica familiaritate. Secunda, si Jux ordinarius ex aliqua justa causa sit suspectus, potest & vicarius ejus ex eadem causa recusari, licet in specie adversus vicarium nulla alia sit suspicio. Tertia, si Jux sit consanguineus alterius partis & non equaliter utriusque. Quarta, si dominus sit suspectus ex eadem suspicionis causa: tota ipsius familia potest allegari suspecta; & sic de aliis similibus, de quibus vide Marantam d. loco.

3. Effectus recusationis est, quod postquam fuerit proposita, pendente desuper cognitione, nisi frivolam esse confiterit, Jux in causa supersedere, nec ad ulteriora procedere debeat; aliis Processus erit nullus, & sententia, si quam tulerit, nulla.

4. Ceterum an ipso jure, an verò validitas vel nullitas sententiae seu processus pendeat ab eventu probandae vel improbandae causae, ut probata causa recusationis declaretur nullus, improbatam verò validus (sicut attentata per Judicem à quo, post interpositam appellationem ab interlocutoria ante inhibitionem Judicis ad quem legitimam, non revocantur, priusquam de veritate constiterit) variant Interpretes, Gaill. 1. Observ. 33. num. 12. Sed verius est; ipso jure & quidem utroque, esse nullum, secundum Glos. in can. Quoties 2. q. 6. Marantam 4. p. Distinct. 16. versic. 2.

5. Dicitur esse nullum; tum quia satius est, ut impediatur, ne quid fiat, quam ut factum postea cum verecundia Judicis recusari retractetur: tum quia generaliter sicut inimici, ita quoque suspecti non debent esse causae Judicis. *Secundum requiritur §. tertio postulas hoc tit.*

Est enim periculosissimum & à ratione alienum coram Juce suspecto litigare, c. Cum inter sup. De except. c. Accedens sup. *Vi lite non contestata, &c. d. l. Apertissima* ut Jux recusatus non assimiletur ei à cujus interlocutione dumtaxat est appellatum, sed ei, cui post appellationem ab interlocutione per Judicem provocatum facta est inhibito ulterioris prosecutionis, quasi uti ibi hominis, ita hic inhibito sit Jux: constat autem, omnia acta post inhibitionem esse ipso jure nulla, c. Non solum hoc tit. in 6.

## § XX.

## De Relationibus.

1. Relationum affinitas cum appellationibus.
2. Differentia
3. Quid sit Relatio. 4. Fit dupliciter.
5. Hodie utroque jure ferè extra usum abiit
6. De relatione ad Principem.
7. Differentia Relationis & Consultationis.

1. Appellationibus rectè quoque subjiciuntur Relationes, sicut & in Pandectis, propter similitudinem, quam cum iis habent: nam sicut appellatio fit ab inferiore ad superiorem, ita & relatio & sicut pendente appellatione, ita & pendente relatione, imò etiam promissa dumtaxat, nihil attentari seu innovari oportet, c. Licet sup. De officio jud. delegati, l. 1. D. Nihil innovare appellat interposita, l. Ex illo Cod. De appellat. l. Si quando Cod. De relation. & ibi Bald. quia sicut per appellationem causae cognitio devolvitur ad superiorem, ita & per relationem; sic quod. — pud referentem seu remittentem esse definit, l. Ad principem 22. D. De appellat. & relation.

2. Quamvis in eo differat relatio ab appellatione, quod appellatio post, relatio autem ante sententiam interponatur: exceptis causis criminalibus, l. Inter poenae 6. D. De interdictis & releg. l. Si quis filio §. quid tamen D. De injusto rupto testam.

3. Est enim Relatio hoc loco, omnis aliis ejus acceptionibus, de quibus Maranta 6. p. actus 2. n. 10. Judicis inferioris, de jure dubitantis, ad Superiorem, Pontificem vel Principem, aut etiam Proconsulem vel Praesidem, transmissa consultatio ut sciat quid in judicando sequendum sit, l. Eum quem §. 1. D. De judiciis, Dixi, de jure



jure dubitantis; quia in ambiguitatibus factorum improbat est relatio, W. elem. ad tit. D. De appellat.


4. Fit autem relatio dupliciter: aut simpliciter, prout olim juxta Canones in magna Judicium ignavia aut timiditate fieri solebat, c. Dum De elect. c. 1. *Ve lite non contestata* &c. vel addita declaratione ejus, in qua est referens.

5. Usus hujus olim de jure civili frequens fuit, & obvius, l. 1. & seq. Cod. de relationib. ac deinceps etiam Novellis Justiniani Constitutionibus retentus & ampliatus. Novell. 82. §. ult. & 113. & 115. in princ. Verum postea per Novellam 125. penitus ferè sublati sunt. Sic & Pontificiæ relationes usum quoque suum ferè amiserunt, vel eo argumento, quod earum unico ferè loco dumtaxat in hoc titulo fiat mentio, c. Intimasti hoc tit. nisi quod in inferioribus rusticorum tribunalibus adhuc utrumque retineantur, in quibus ad proxima superiora tribumalia fieri solet relatio. Et hodie plerisque in locis fieri solet relatio causæ ad consilium, ut vocant, sapientis, & plerumque Jurisperitorum, quâ relatione durante etiam suspenditur jurisdictio Judicis inferioris, c. Cum in veteri sup. De elect.

6. Dum verò ad Principem fit relatio, exemplum partibus edendum est, ut si fortè relatio alicui minùs plena videatur, suas rationes & refutatorios libellos Principi offerre queat, l. 1. & 2. & toto tit. Cod. De relationib. W. elem. ad D. eod. tit. in fine.

7. Porro licet Consultatio & Relatio in usu appellationis plerumque confundantur, cum per consultationem fiat relatio, & per relationem consultatio, transmissis actis: tamen Justinianus hæc separavit tit. Cod. De relatis. & tit. Cod. De appellat. & consultat. eò quod consultatio in sola & nuda interrogatione super aliquo juris dubio plerumque consistat; relatio autem in explicatione totius causæ, transmissis etiam actis, l. Sciendum D. De appellat. recipien. l. ult. Cod. De relatis.

Denique de specialibus privilegiis quorundam Flandrorum circa materiam hujus tituli vide apud Zypzeum De Jure Pontif. novis lib. 2. hoc tit. in fine.



## TITULUS XXIX.

## De Peregrinantibus.

1. Peregrinans hoc locolquis dicitur.
2. Peregrinatio ad Sedem Apostolicam quando effectum appellationis habeat.
3. Et quis sit effectus.

Habet & peregrinatio ad Sedem Apostolicam vim & effectum appellationis: unde hic Tit. subjicitur.

1. Peregrinans in genere dicitur, quicumque per aliena loca peragrans proficiscitur: & Peregrini Romanis fuerunt, qui cives Romani non erant, l. 6. §. solemus D. De hered. instituendis, l. 1. Cod. eod. tit. seu qui jus civitatis non habebant, ut quia Latini essent conditionis, vel penitus alienigenæ, indeque Peregrinitas statum & conditionem peregrinorum significat. Hoc verò loco Peregrinans specialiter capitur pro eo, qui ad Sedem Apostolicam proficiscitur; cap. unico hoc tit. sive ex causa peregrinationis ad limina Apostolorum, sive ex alia, ut ibid. tradit Abbas num. 2.

2. Habet autem talis peregrinatio seu profectio effectum & vim appellationis, si modò secuta fuerat intra decem dies à die illati gravaminis: & fuerit intimata Judici vel parti. Scaccia De appellat. qu. 6. n. 42. quia quemadmodum appellans ad Sedem Apostolicam eximit se à jurisdictione Judicis à quo, & se confert in jurisdictionem & tutelam Judicis ad quem: ita etiam qui post causam motam ad Sedem Apostolicam proficiscitur, licet verè non appelleret, tamen perinde se confert cum omnibus rebus in protectionem summi Pontificis, atque si verè appellaret, quoad articulum, super quo appellaret, d. cap. unico. Sic ut eo ipso, quo iter arripit, censatur ipso facto appellare, quod plus est quam verbis appellare, cap. De electi filii 52. sup. De appellat. Rota Decis. 54. aliàs 385. Si appelleretur num. 1. De appellat. in novis Franc. in d. c. Dilecti num. 1. & Cardinalis num. 4.

3. Et idè quemadmodum Juxta à quo pendente appellatione nihil innovare potest, quoad



quoad articulos seu articulum, super quibus vel super quo appellatum est, sic etiam nihil innovandum est in rebus ejus, qui Romam proficiscitur ad Sedem Apostolicam: adeo ut quodquid post arreptum iter ablatum vel subtractum fuerit, ei restitui debeat. Nec solum vim appellationis habet hujusmodi itineris arreptio, sed etiam relevat ab onere petendi apostolos, ut ex Innoc. refert & sequitur Ancharanus, in cap. 6. num. 3. notab. 4. De appellatione in 6.


Dixi, post motam causam: quia itineris arreptio ad Papam ante ceptam causam non habet vim appellationis: quamquam, si ex justa causa facta fuerit, suspendat jurisdictionem inferioris Judicis, & tuncatur eum, qui ipse proficiscitur, non vero eum, qui nuntium mittit. Scaccia quæst. 6. num. 43. Ubi subjungit non habere quoque vim citationis, si fiat, postquam fuit citatus vel habuit notitiam litterarum, quas adversarius impetravit à Papa, per c. Meminimus 9. & cap. Suggestum 15. sup. de appella-

firmetur à summo Pontifice, an ab alio inferiori. Nam quod Pontifex ex certa scientia confirmavit, sive sit sententia, sive arbitrium, sive privilegium, sive quid aliud, c. Cum dilecti 4. & c. penult. hoc tit. Illud firmum manet, nec mutari vel de eo per inferiorem aliquem amplius cognosci potest, nisi ex speciali Pontificis mandato, c. 1. & 2. hoc tit. cum juxtribuat illi, cujus negotium confirmatum est, d. c. penult. & hæc dicitur *inutilis confirmatio*, Sic in c. Vi nostrum 56. sup. de appellat. habetur, quod, postquam Papa revocavit ad se negotium aliquod, ita ligentur manus inferiorum, ut nihil ulterius valide in eodem negotio per eos fieri possit.

2. Dixi, ex certa scientia: nam si confirmatio fuerit obtenta per subreptionem vel obreptionem, tum quilibet Judex inferior, modò sit competens, de ea cognoscere potest, c. Bona memoria, c. Ad nostram, c. Porreclia, c. Examinata h. t. quia quod summus Pontifex, re non satis cognita, prout se habebat, sed vel narrato falso, vel vero suppresso, confirmavit, non intelligitur confirmasse: quia si rem plenè intellexisset, non fuisset confirmaturus, c. Super litteris sup. de rescriptis. Hinc si Religiosus impetraverit à summo Pontifice confirmationem super administratione temporalis, subdito quod esset Regularis, ea tanquam subreptitia non valet: si vero id ipsum expresserit, rescriptum præsumitur falsum, quia summus Pontifex non consuevit tale quid concedere, d. c. Ad nostram, & d. c. Porreclia. Et hæc dicitur, *confirmatio inutilis*: quia licet non statim sit ipso jure nulla, tamen per exceptionem repellitur potest, secundum ea, quæ suprà diximus. Tit. De Rescriptis. De confirmatione contractuum

& privilegiorum, quid ea operetur, & quando tribuat novum jus, vel non, vide Gail. lib. 2.

Obs. 1. per totam.



Finis Libri Secundi.

PARA-

### TITULUS XXX.

#### De confirmatione utili vel inutili.

1. Confirmatio ex certa scientia est utilis.
2. Subreptitiæ vel obreptitiæ obarsa est inutilis.

Postremo postquam visum est de suspensione sententiæ seu jurisdictionis judicis à quoque sit beneficio sive appellationis, sive peregrinationis, dicendum quoque est aliquid de confirmatione, cum contingat sententiam, à qua appellatum est, seu processum judicalem non semper retractari à superiore Judice, sive is summus Pontifex sit, sive alius, ad quem appellatum est, sed subinde confirmari, ut cum promuntiat, bene judicatum & malè appellatum.

1. Multum autem interest, an aliquid com-



PARATITLA  
SIVE  
SUMMARIA  
ET METHODICA EXPLICATIO  
LIBRI TERTII  
DECRETALIVM.

TITULUS I.

De vita & honestate Clerico-  
rum.

1. *Causarum fori Ecclesiastici alia Temporales, alia Spirituales.*
2. *Item alia Civiles, alia Criminales.*
3. *Civiliū alia propria Clericorum, alia communes Clericis & laicis.*
4. *Methodus libri huius.*
5. *Clerici quo modo instituere & componere vitam debeant.*
6. *Debent esse continentes.*
7. *Abstinere à crapula & ebrietate.*
8. *Vitare tabernas cautionarias.*
9. *Alieni ab omni avaritia.*
10. *Abstinere à lusu alearum & saxillorum.*
11. *A mimis, jocularibus, & inhonestis spectaculis.*
12. *A negotiis & commerciis secularibus.*
13. 14. 15. *Deferentes vestes congruentes ordini suo.*
16. *Non portantes arma.*
17. *Non comam nec barbam nutriendas.*
18. *Dum divina celebrant, separati à populo.*
19. *Denique ab omni crimine abstinentes.*

1. **P**ost explicatum toto præcedenti libro universam ordinis judiciarii rationem, proximum est, ut ad materiam ipsam seu res & causas, quæ in forum seu judicium Ecclesiasticum deduci solent, tranſeamus.

Earum aliæ sunt Temporales; ut si de fundo, equo, domo, pecunia, & similibus agatur, de quibus etiam Judex laicus cognoscere potest in suo foro. Aliæ sunt Spirituales, vel spiritualibus annexæ, de quibus, quando quaestio est juris, ne quidem incidenter Judicem secularem cognoscendi potestatem habere, diximus supra, & tradit Foller. ad Marantam 4. p. Distinct. 13. n. 2. & 3.

2. Rursus aliæ sunt Civiles, quarum appellatione comprehenduntur etiam multæ Spirituales, secundum Cardinalem, in Clement. 1. col. 4. qu. 5. de offic. iud. deleg. ut cum agitur de jure aliquo incorporali, veluti Sacramentis Ecclesiæ, officio & administratione Ecclesiæ, præbenda, dignitate, Canonicatu, personatu, decimis, vestibus, & aliis ornamentis Ecclesiæ, Clem. Dispendiosam de judiciis. Abbas in c. Consulere 38. c. Ad nostram, c. Ad aures 24. inf. de Simoniacis: item de causa matrimoniali, legitimatione prolis, & generaliter ubicumque agitur de causis beneficialibus; quoad petitorium scilicet: nam si judicio agatur possessorio, puta



ad recuperandam possessionē beneficii Ecclesiastici, non est causa spiritualis, ut notant Glos. & Abbas in *e. Cum dilectus* 32. sup. de elect. & rursum Glos. & Abbas in *e. Litteras* 7 sup. de jurament. calumnia, Cardin. in d. Clement. Dissendiosam in 10. quæst. Aliæ verò sunt Criminales, ut cum agitur de hæresi, apostasia, usuris, & similibus. Primum agemus de Civilibus: postea de Criminalibus acturi.

3. Cum autem Civilium aliæ sint propriæ Clericorum (sumpto hic eo nomine generaliter, ut comprehendat omnes, qui divinis ministeriis & officiis sunt mancipati, licet nullo ordine Ecclesiastico, & ne consurā quidem, insigniti sint, ut Moniales, & olim Monachi, & alii huiusmodi) quales sunt causæ beneficiorum Ecclesiasticorum; aliæ verò communes tam Clericis quam Laicis, ut sunt contractuum testamentorumque iura, cum sacrorum & Sacramentorum usu; aliæ denique laicorum duntaxat, ut causæ matrimoniales. \* 4. De duobus prioribus generibus hoc libro agendum est; hoc ordine, ut primum de Clericorum moribus seu vita & honestate tractetur: cum quia hæc potissimum in Clericis requiruntur, qui toti populo se exemplum & vitæ formam exhibeant necesse est, de iisque controversiæ existere possunt; tum quia in bonorum divisione, animi, corporis & fortunæ, tamquam animi bona, quæ consistunt in virtutibus, primum locum obtinent.

5. Quibus autem prædiri moribus, & qua conversatione debeant esse Clerici, præclare describit Isidorus *De Ecclesiast. Officiis* lib. 2. c. 2. indeque Gratianus in *Can. Hic igitur* *Distin.* 23. & vel ipsa nominis indicat notio: cum enim, ut lib. 1. diximus, Clerici dicantur à Græca voce, *κλῆρος* quasi de sorte vel in sortem Domini vocati sint, decet eos omnino, ut verbis utar Concil. Trid. *Sess. 22. cap. 1. de reformatione*, vitam moreque suos omnes ita componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil, nisi grave, moderatum, ac religione plenum, præ se ferant; leviam etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant; ut eorum actiones cunctis adferant venerationem.

6. Cum igitur nihil sit à purissimis & mundissimis illis mysteriis divinis, quibus mancipantur, magis alienum, quam polluti, corpo-

ris polluta conscientia, peculiariter Clerico, præsertim in sacris ordinibus constitutos, non solum ab incontinentia, verum etiam ab omni incontinentiæ ac libidinis Venereæ suspitione oportet esse alienos atque immunes *cap. Vi Clericorum* 13. *hoc tit.* illamque quàm maximè à locis ac rebus sacris rejicere & extirpare. Et propterea Clericus Moniales, vel earum Monasteria, frequentans familiarius, quàm deceat, si moritutus non desistat, deponitur; laicus verò excommunicatur, *e. Monasteria* 8. *hoc tit.* Deque hæresi vehementer suspectus est, & contra eum tamquam hæreticum procedi potest, qui mulierem pœnitentem ad libidinem actusque illicitos allicere ac provocare præsumpserit tentaveritque, quemadmodum Archiepiscopo Hispalensi scripsit Pius V. apud Piale *p. 2. cap. 4. art. 6. n. 10.*

7. Ac proinde etiam ad vitam atque honestatem spectat Clericorum: Primum, ut à caprula & ebrietate (quæ omnium vitiorum fomes ac nutritrix est, *can. fin. Distin.* 35.) diligenter abstineant, ut vinum sibi temperent, & se vino quandoquidem ebrietas & mentis inducat exilium, & libidinis provocat incentivum, *e. Acrapula* 14. *hoc tit.* ubi qui calices fecundiores exhaust, & ad æquales haustus alium obligat (scilicet ad se mutuo ingurgitandum & inebriandum) si monitus à superiore non desistat, ab officio vel beneficio suspenditur. Aliàs ad æquales haustus potatio, quæ causa honoris aut votivæ salutis pro Principibus aut amicis sit, licita est; modò ea cautio adsit, ne quis inebrietur, *Zyp. De iure Pont. novo* b. 1. n. 8.

8. Secundò, ut prorsus evitent tabernas, nisi fortè causa necessitatis in itinere constituti, *can. Nemo oportet, can. Nulli Clerico, & can. Clerico* *Dist. 44. e. penult. h. t.* Quod & Synodus provincialis Mechliniensis anno 1607. præcipit. In istis autem Canonibus non est constituta pœna contrarium facientibus: & ideo relicta videtur arbitrio superioris, ut eam consideratis frequentatione actuum, personarum qualitate, & videtium scandalo, majorem vel minorem infligat.

9. Tertiò, ut ab omni avaritia sint maximè alieni: nam qui festinat ditari non erit innocens, ait Sapiens, *Prov. 28.* imò avaro nihil est scelestius; nihilque iniquius, quam amare pecuniam, *Ecc. 10.* Et proinde Iudices Ecclesiæ



stici, sive Ordinarii, sive delegati, gratis judicare debent, *c. Cum ab omni o hoc tit.*, si utique habeant aliunde, ex quo honeste vivant.

10. Quartò, ut ad aleas & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint, *c. penult. h. t.* Alea ludus tabulae est, eoque nomine intelligitur omnis ludus, in varietate fortunae consistens, quique casu potius quam arte dirigitur. Prohibetur autem ludus iste, sicut taxillorum, Clericis, propter plurima, quae occasione illius perpetrati solent, crimina: quorum sedecim refert, & certis versibus comprehendit Hostiensis in Summa tit. de excessibus Praetorum & Clericorum. Et sanè alearum taxillorumque nulli prosperi eventus: nam & qui perdit, affligitur, & qui vincit, illicitur, inque insidias protrahitur, omnesque hujusmodi ludi magistri nudi, inopes atque egeni existere solent. Unde Horat. lib. 1. epist. 18.

*Quem amosa Venus, quem praeceps alea nudat.*

11. Quintò, ut mimis, jocularioribus & histri-  
onibus non intendant, *d. c. penult. hoc tit.* ut à ludis theatralibus abstineant, *c. Cum decoram 12. h. t.* nec hujusmodi ludos aut inhonesta spectacula in Ecclesiis exhibeant, *d. c. Cum decoram*: quia per ejusmodi ludos & inhonesta spectacula Ecclesiae inquinaretur honestas & dignitas, quam tamen decet decor & sanctitudo, *2. sal. 92.* quaeque esse debet domus orationis, *Marci 11.* Vide Conc. Trid. Sess. 12. in decreto de observ. & evitanda in celebratione Missae.

12. Sextò, ut negotiis & commerciis secularibus se non implicent: alias verò post monitionem tertiam interim quoad bona & facultates suas privilegium perdunt clericale, *c. ult. hoc tit. can. Clerici xiv qu. 4.* Negotiator autem est, qui comparat rem, ut illam ipsam integram & immutatam dando vendendoque lucretur, *can. Efficent ver. Quicumque Dist. 88.*

13. Septimò, ut vestes congruentes suo ordini semper deferant, (quamvis alias habitus non faciat Monachum) ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant, *Co. c. Trid. Sess. 14. cap. 6.* Nam forma vestium, inquit S. Bernardus *De considerat. lib. 3. cap. 11.* d. fornicitatis mentium, & morum indicium est. Quid sibi vult, quòd Clerici aliud esse, aliud videri volunt? nempe habitu milites, quæstu Clericos, actu neutrum exhibent: nam neque pugnant, ut milites, neque,

ut Clerici, evangelizant. Ita ille. Ideoque licet proprius habitus Clericorum nullibi determinetur, *refl. Gloss. fin. in Clement. 1. De elect. 1.* tamen à vestibus inhonestis, & luxum praeferentibus, veluti rubeis & viridibus, abstinere debent Exceptis S. R. Ecclesiae Cardinalibus, quibus ab Innoc. IV. in Concilio Lugdunensi anno 1240. concessus fuit galeri & purpureus usus, ut ex Platina refert Piasec. in Praxi Episcop. 2. cap. 3. art. 2. n. 29. Habitu praeterea longiori aut breviori uti non decet, quam qui ordini cujusque conveniat, nullo alio admixto, *c. penult. hoc tit.* & vestem oportet esse talarem, *can. penult. Distinct. 23.*

14. In Synodo autem Mechliniensi 1607. tit. 18. c. 4. statuitur, ut Clericus & togam & pileum deferat quadratum: verum ejus decreti observantiam remississe Reverendissimi Joan. Mirum Clero civitatis Antverpiensis, in acceptatione ejusdem Synodi, ob singulares istius loci respectus, testatur Zypaeus *hoc tit. n. 6.* Dum verò peregrinatur, vel est in villa Clericus, modò habitu utatur ultra genua pendente, excusatur per d. Synod. Mechlin.

15. Excusat etiam paupertas & metus & verisimile periculum itineris, *d. c. penult. hoc tit.* Nec propter unicam habitus omissionem Clericus privilegio privatur clericali, verum ad hoc requiritur perseverantia, & ut ex tali habitus indecentis usu communiter existimetur laicus, ut ex Prospero Farinae. notat. Piasec. d. locum 30. Qui ibidem tradit n. 29. honestatem vestium Clericorum ponderandam esse ex consuetudine & usu cujusque regionis, *per eam Si quis virorum Dist. 30.* videlicet ne sint communes cum illis, quibus laici & militares in illa regione utuntur: *Gloss. in d. eam Si quis virorum & alia similia in d. c. penult. de auratis.* Steph. Weym. in Analysis ad Clement. Quoniam h. t. n. 14. Quare prohibentur etiam uti facis, sellis, pectoralibus, calceis auratis, fibulis, contigeis auri vel argenti ornatum habentibus, annulo: exceptis iis, quibus ratione dignitatis id concessum est, *d. c. penult. hoc tit.*

Postremò notandum hic est, Constitutionem Sixti V. contra non utentes aut abutentes habitu Clericali, quam cum ejusdem moderatione refert Piasec. d. locum n. 28. non esset receptam usu quoad poenam privationis, ipso facto incurrendam.

Obiit,



16. Octavo, cum officium clericale reddat inhabiles ad pugnandum Clericos, etiam contra Saracenos, *c. Ex multa 9. in fine inf. de voto & redemptio* quippe cum simul nequeant Deo & saeculo militare, *can. Quicumq; xxiii. qu. 8.* & lacrymarum atque orationes sint munimenta sacerdotum, *can. Convenio 6. quid ergo 1. causa & quast. recte constitutum est, ut arma non portent Clerici, c. 2. hoc tit. ad offerendum sollicit: nam ad se, vel res suas, vel proximum defendendum, vel ad latronum terrorem, si per loca periculosa transitori sint, ea deferre licet, c. Dilatio de sententia excommunicat. in 6. can. Maximianus xxiii. quast. 3. & notat Panormit. in d. c. 2. adjiciens, nomine armorum non venire parvum cultellum, ad sciendum forte panem adaptatum. Licet autem Clerici sacculares ob delationem armorum non sint ipso facto excommunicati, sed excommunicandi, *d. s. 2.* tamen Religiosi arma tenentes intra septa monasterii, abique licentia Superioris sunt ipso facto excommunicati, *Clement. Non agro De statu Regularium.**

17. Nonò, interdictum Clericis, ut comam aut barbam non nutriant, *c. 4. 5. 7. hoc tit.* quia ministri altaris mentem debent habere elevatam, non velatam. D. Thom. p. 3. qu. 40. art. 1. capilli autem in velamen dati, sunt 1. ad Corinth. 11. omniemque superfluitatem temporalem oportet à Clerico abesse, *c. penult. hoc tit.* Superflua autem per capillos signantur, cum ex superfluis generentur, D. Thom. d. loco. Hac tamen in re videmus passim obtinere in contrarium consuetudinem, quæ valet, *arg. cap. fin. sup. de consuetudine.*

18. Decimò, debent vel communiter, *c. Quoniam 9. hoc tit.* vel separatim inter se viventes rebus vacare divinis, nec permittere, dum sacra faciunt, populum intra cancellos ad altare consistere, ut separatus sit clerus à populo, *c. 1. hoc tit.* & ut liberiori sacra officia exercere & intendere divinis valeant, *can. Sacerdotum 30. de consecrat. Distinct. 2.* cumque laici sint digniores, *can. Duo sunt xii. quast. 1.* debent in loco & sedibus præferri laicis.

19. Denique, ut summatim dicam, debent ab omnibus criminibus, imò ab omni eo, quod speciem criminis habet, vel alteri scandalo esse potest, omni diligentia sibi cavere & ab-

stinere. Vide præclaram admonitionem Concilii Trident. Sess. 2. in Decreto de modo vivendi §. Episcopos verò & quoscunque alios, & in præmio Decreti de reformat. Sess. 14. §. c. 6. ejusdem Sess. item Sess. 22. cap. 1. & Sess. 24. cap. 12.

## TITULUS II.

## De Cohabitatione Clericorum &amp; mulierum.

1. Interdicta Clericis habitatio cum mulieribus, excepta matre, avia &c.
2. Nisi & tales de lubrica vita sint suspecta.
3. 4. Poena Clericorum non abstinentium à consortio mulierum.
5. Ratio hujus interdictionis.
6. An liceat Clerici concubinari si Missam audire.

**S**olent mulierum consortia reddere vitam Clericorum de incontinentia suspectam; unde merito hic Tit. sequitur.

1. Vetuerunt proinde & interdixerunt Canones Clericis non solum matrimonium ac matrimonii usum, verum etiam quamlibet periculosam ac suspectam cum mulieribus cohabitationem, præterquam, cum avia, matertera, amita, matre, sorore, nepti, & quæcumque ex familia sunt domestica necessitate, veluti ancillæ & pedissequæ, *can. Cum volumus 24. can. Omnibus 26. Distinct. 81. & can. Interdixit Distinct. 32.* Ratio hujus exceptionis est, quia in illis personis naturale fœdus nihil permittit sævici criminis suspicari, *c. A nobis 9. hoc tit.* Ideoque idem dicendum de aliis profectionis ætatis feminis, modò honestæ sint & omnem suspensionem excludant.

2. Quòd si & tales de incontinentia & lubrica vita sint suspectæ, non licebit Clericis cum eis cohabitare, quia infligante diabolo & in illis scelus perpetratum reperitur, aut etiam in pedissequis earumdem, *cap. 1. hoc tit.* nam & Thamar à fratre suo oppressa & corrupta fuit, 2. Reg. 13. Unde de D. Augustino legitur, quod ne cum sorore quidem habitaret, *volue-*



voluerit, dicens: Quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt, *can. Legitur 25. distinct.* 81. Sin autem ex his Clericis sacris initiatus indigeret aliqua, habent eam in vico aut in villa, longe à sua conversatione, & inde ei, quæ sunt necessaria, subministrat, *d. c. 1.*

3. Alioqui Clericus sacris initiatus, qui cum mulieribus suspectis versatur, si ab earum colloquio ac consortio ter monitus non abstinere excommunicandus est, *c. 2. q. c. tit.* Si vero fornicariam seu concubinam habeat, & monitus eam non dimittat, suspendi debet à beneficiis Ecclesiasticis, privandus fructibus beneficii sui: & si suspensus, eandem retinere adhuc præsumpserit, deponi seu privati beneficio, *c. 4. eod.* si tamen exacta probatione constet teneri concubinam à Clerico: nec enim mox & præcipitanter ad sententiam privationis aut depositionis proiliendum est; & non solum præsumptionibus, sed concludentibus probationibus ad hoc opus est. Ad eam tamen abjurandam compelli non debet, ob periculum perjurii, *c. 3. eod.* Et licet, ubi crimen Clerici concubiniæ notorium est, ad condemnationem eius ac punitionem, nec testis nec accusator sit necessarius, aut opus prævia monitione, *c. Tu nos 8. eod.* cum excessus notorius examine non indigeat, *c. Bona sup. de elect.* nullaque validior sit probatio, quam per evidentiam rei, *Glos. in Ad nostram sup. de iurejurando:* tamen sine monitione prævia ad privationem perveniri non potest, *c. Si quis 4. c. Si autem 6. h. s. Conc. T. id. Sess. 25. cap. 14.*

Episcopi verò & Religiosi nullam omnino ad cohabitandum admittere mulierem debent aut possunt, *Novell. 5. De Monachis cap. 3. Novell. 12. De sanctiss. Episcopis c. 29. in fine l. Eum qui, & Aurb. Episcopus Cod. de Episc. & Clericis, & similibus, Hostiens. in Summa hoc tit.* idque ob statum perfectionis, in quo tales sunt.

4. Porro tam stricte prohibitionis Clericorum cum mulieribus cohabitationis rationes assignari vix possunt: Prima, quod difficillimum sit Clericis castitatem servare illibatam, cohabitando, conversando, aut familiarius agendo cum mulieribus: imo pænè tam impossibile, quam stupam aut ceram appositam igni illam servare, aut abscondere fovereque ignem in sinu, ut vestimenta non ardeant, aut ambulare super prunas, ut plantæ non adurantur.

*Proverb. 6.* Nec est, quod quis viribus suis confidat: nam quis Davide vel Samphone fortior, aut Salomone sapientior? quos tamen incauta familiaritas & perniciofa mulierum vicerunt & deceperunt blandimenta, Et ut cessaret periculum, tamen talis conversatio, inquit Augustinus suspicionis malam portigit famam & pudicitie: bonum frustra intrinsecus laborioso agere custodit, quod extrinsecus efficit infamari. Secunda, quia huiusmodi cohabitatio & conversatio plurimum arcet Clericos à perfectione in illis requisita, *can. Hospitalium 17. distinct.* 31. Tertia, est excellentia ministerii sacerdotalis, quæ ex parte ministri requirit maximam munditiam.

5. Quid autem de Clericis incontinentibus quoad penas & modum procedendi statuat Conc. Trident. brevitatis causa videre ibidem licet *Sess. 25. cap. 14. & sequent. de Reform.* Quæque ratione idem Concilium adversus concubinos laicos procedendum putet, & quibus penis, afficiendi sint, traditur *Sess. 24. c. 8.*

6. Tantum superest hic dubium, an, qui novit Clericum concubinarium sive fornicarium, Missam eius licite audire, vel ab eo Sacramenta percipere valeat? Idem verarevidetur, *canon. Nullus 5. distinct.* 32. Sed dicendum ex *c. Vestra, & ult. hoc tit.* quod eum Clericus aut Presbyter fornicarius quoad se tantum suspensus sit, id est, non percipiat fructum divinarum mysteriorum ac Sacramentorum ad suam salutem, non verò quoad alios; in officio nequaquam vitari debeat, quamdiu toleratur: nisi peccatum huiusmodi sit notorium per sententiam, vel per confessionem in iure factam, (quod Interpp. vocant notorium iuris) aut per evidentiam rei, quæ tergiversatione aliqua celari non possit, nempe quando crimen ita est publicum, ut toti populo pateat (quod vocant notorium facti): *c. Tu nos 8. & d. cap. ult. hoc tit.* hoc enim casu, de quo intelligitur *d. canon. Nullus*, vitari debet: non quod divina Sacramenta, quæ purgatoria cunctarum cogitationum existunt, pollueri valeat: sed ut peccandi licentia cæteris auferatur, & ipse, videns se contemni ob fornicationem, citius ad pœnitentiæ fructum trahatur, *d. c. Vestra hoc tit.*



## TITULUS III.

## De Clericis conjugatis.

## §. I.

## De Clerico Ordine sacro initiato.

1. *Cœlibatus Clericis semper commendatus.*
2. *Matrimonium sacris initiati ipso jure nullum est.*
3. 4. 5. 6. *Alia pœna è veteribus Canonibus, & Conc. Trid.*
7. *Ratio prohibitionis.*
8. *In Græcica Ecclesia licet retinere uxores ante dūctas.*

1. **C**anones sacri aded voluerunt castitatem Clericis esse commendatam, Clericorum ut non solum veterint cohabitationem cum mulieribus, sibi non junctis matrimonio, sed etiam jam inde à temporibus Apostolorum cœlibatū aded annexum esse voluerint sacris Ordinibus, ut iis initiati neque uxores ducere, neque ductis antea, post ordinationem, uti permittantur, saltem in Ecclesia Latina: quin etiam castitatem perpetuam vovere debeant sacris initiandi, ut constat ex *can. Apostolorum* 15. *Chc. 2. h.* 1. variisque auctoritatibus summorum Pontificum, Conciliorum, & veterum Patrum, *Distinct.* 23. §. 3. 2. per tot. variis item ea de re editis civilibus Constitutionibus, *l. Eum qui & Auth. Multo magis Cod. de Episc. & Clericis, & similibus.*

Dispiciendum autem potissimum hic est, quatenus Clerici conjugati beneficia habere vel retinere possint, vel non: nam de validitate matrimonii per Clericum contracti agitur *lib. 14. tit. Qui Clerici vel vorventes matrim. contrahere possunt.*

2. Cœlibatus igitur à sacris Canonibus ita annexus semper fuit Ordinibus sacris, ut si quis ordine sacro initiatus uxorem duxerit, & matrimonium sit nullum, prout definit Conc. Tri. *Sess. 14. c. 19.* & compelli debeat ad ductam abjurandam, ac pœnitentiam agendam de commisso, per excommunicationis & suspensionis ab executione Ordinum sententiam, simulque privati officii & beneficii Ecclesiastici, *c. h. 3.*

3. Quinimò decreto Conc. Toletani IV. permissum fuit Episcopis, fœminas hujusmodi, conjunctas Clericis illicitè, auferre & venundare; illis pro tempore relegatis ad pœnitentiam, quos suâ libidine in fecissent. Sed & Urban. II. in *c. Eos qui distinct.* 32. Principibus indulgentiam redigendi in servitutem focarias, si Clerici, ab Episcopo moniti, nolent ab illis separari.

4. Unde patet Canonum Ecclesiæ circa hanc rem alios mitiores, alios severiores olim fuisse. Nam & Concilium Toletanum VI. *cap. 6.* jubet ejusmodi fœminas recludi in monasteriis, ut ibidem sub gravibus pœnitentiæ oneribus usque ad finem vitæ degant. Ancyranum verò, *cap. 20.* annos pœnitentiæ septem adultero imponit. Neocesariensis. *cap. 1.* Presbyterum, uxorem ducentem, deponi; fornicantem vel adulterantem extra Ecclesiam abjici, & inter laicos ad pœnitentiam redigi mandat. Eliberit. *cap. 13.* statuit, virginibus votifragis, etiam respiscens, in fine tantum dandam esse communionem. Virginibus autem sine voto in corpus suum peccantibus annus præscribitur, priusquam reconcilienter, si modò violatoribus suis nupserint, sin aliis quinquennii pœnitentia. Idem Concilium *cap. 17.* statuit; si vidua peccaverit, post quinquennem pœnitentiam communioni restituendam, si correo nupserit, sin alteri, nec in fine dandam communionem. Concilium denique Marisc. *cap. 2.* statuit, ut nulla mulier in cubiculum Episcopi absque duobus Presbyteris aut certè Diaconis ingredi permittatur, referente Zypæo *De Jure Pontif. novo lib. 3. h. 1. nu. 2.* 5. Verum ut antè diximus, hodie & quoad pœnas & quoad modos procedendi contra concubinarios Clericos, sequendum est Conc. Trid. *Sess. 25. cap. 14. De reformat.*

Clerici itaque conjugati sunt in primis irregulares, ita ut nec in susceptis Ordinibus ministrare, nec ad majores promoveri valeant.

6. Sunt excommunicati ipso jure, *Clement. unica de affinitate & consanguinit.* reservata abolutione Episcopo; *Gloss. ibid. in V. obtinere Sanchez De Matrimonio lib. 7. Disputat. 48.* ubi fusiùs d. *Clement.* explicat. Attamen si Clericus dimissa uxore quam duxerat, pœnitentiam egerit, seq; vitæ probitate commendabile



egerit, potest ex indulgentia Episcopi officio suo, Ordinisque exercitio restitui, *c. Sanè 4. hoc tit.*

Item redduntur suspecti de hæresi, & potest contra eos per Inquisitores procedi.

Incurrent etiam pœnam stupri, si virginem sub figura ac prætextu matrimonii violarint, quamvis verba de præsentis ac benedictiones præcesserint, *Dias in Praxicrim. Canon. c. 74.*

7. Cæterum merito hæc ita à sacris Canonibus constituta sunt: nam si in veteri lege, qui adstant altari, ad offerendum panes materiales, & sacrificia animalium mortuorum jubebantur esse mundi, *Exodi 9.* & continentes abstinentesque ab uxoribus, pro tempore, quo ministraturi erant, *can. Tenere h. nam si priscu dist. 31.* si item Flamines gentiles seu sacerdotes Ethnici in superstitionis suis cultibus ac ritibus, ipsi satanae servientes, tanto opere ac studio castitatem servarint: quàm castos & puros esse decet sacerdotes Dei, ac reliquos Clericos sacris initiatos, qui velut templum ac vasa sunt Domini & sacrarium Spiritus sancti, jugiterque altari adstant, *can. Decernimus Dist. 28. & similibus*: præsertim cum non accedant ad offerendas carnes vitulorum aut hircorum, ut in veteri lege, sed ad immolandum agnum immaculatum, ipsum Salvatorem JESUM Christum, verum Deum & hominem. Facit, quod Clericus divisus in duo plenam sui non habeat potestatem, ideoque minus cogitare valeat, quæ Dei sunt, sed potius, quo modo placeat uxori. Præterea rerum Ecclesiasticarum substantia per conjugatos facile deperiret, quas subtraherent forte prospiciendis & alendis proliis suis, *c. Diversis 5. h. t.*

8. Dixi antè, saltem in Ecclesia Latina: quia licet in Ecclesia Orientali seu Græca nunquam liouerit post sacros Ordines susceptos uxorem ducere, ut patet ex *can. Si quis eorum dist. 32. c. A multis sup. De atate & qualitate ordinan.* tamen concessum tandem fuit, ut saltem antea ductis uterentur, uti constat ex *c. Cum olim h. t. can. Aliper dist. 31.*

Ubi tamen observandum olim, ante tempora D. Gregorii Subdiaconatum non fuisse Ordinem sacrum, ut supra diximus, ac proinde licuisse tunc Subdiaconis uxores ducere, & ductis uri.

✠

## §. II

De Clerico minoribus ordinibus initiato, contrahente matrimonio.

1. Talis ducta uxore amittit beneficium ipso facto.
2. Nec resignare illud potest in favorem tertii.
3. 4. Licet etiam matrimonium sit nullum, vel irritum.
5. Impubes, vel pubes cum pubere vel impubere contrahens non excedit beneficium.
6. Aliàs ne quidem consensu Episcopi, beneficium simplex retinere potest.
7. 8. Conjugatus quibus casibus beneficium retinere possit.

1. Q UOD si Clericus, in minoribus Ordinibus constitutus, continere se non possit, aut non velit, permittendus est uxorem sortiri, *can. Si qui verò Dist. 32. can. Quia tua 5. si qui xii. quest. 1.* Verum si contraxerit valide, beneficium, si quod habuerit, statim ducta uxore vacat, *c. 1. h. t.* sicut & pensio, si quam habet titulo clericali, seu loco beneficii, quod resignavit quia per matrimonium, licet copula non sequatur, vinculo incompatibili cum beneficio seque alstringit; sicque eo ipso per spontaneam dimissionem videtur beneficium repudiare, nec illud recuperat sponsa decedente, vel monasterium ingrediente, *DD. in d. c. 1.* quia quod semel extinctum est, non reviviscit amplius, licet causa extinguens cesserit, *can. Quam periculosum v. 1. q. 1. Clement. Gratia De rescriptis.* Ob eadem rationem accessus, regressus, ac quodlibet aliud ius ad beneficium Ecclesiasticum vacant ipso jure, *d. Clement. Gratia*: quia facilius perditur ius ad id, quàm in re, *c. Quemadmodum sup. De iurejurando*.

2. Hinc sequitur Clericum, post contractum valide matrimonium, non posse beneficium quod antè obtinebat, resignare in alienius favorem, sed teneri statim possessionem ejus dimittere, illudque posse, tamquam vacans ipso jure & facto, impetrari.

3. Quod si matrimonium sit nullum, gravissima est questio, an vacet similiter beneficium, de qua varii variè sentiunt; ut videre est apud Sanchez De matrim. lib. 7. Disp. 43. ubi relictis tribus sententijs, adhæret triæ, nempe per matri-



matrimonium, quomodocumque & quacumque ex causa nullum, non amitti ipso jure debet: ut, sed sententia Judicis opus esse: ea inter alias ratione, quod non præstet impedimentum, quod de jure non sortitur effectum; quodque patia sint esse nullum ipso facto, & non factum: nec in ullo textu inveniatur decretum, solum attentionem cum ipso facto irrita sufficere in hoc casu.

4. Hinc etiam verius est, Clericum initium sacris Ordinibus, contrahentem matrimonium, sed irritum, propter consanguinitatem, vel aliud impedimentum dirimens, non amittere beneficium suum ipso jure, ut tradit Sanchez *d. l. 1. c. 1.*

5. Quid si Clericus impubes cum sponsa impubere aut pubere, vel pubes cum impubere per verba ad præsentem contraxerit, nec malitia suppleat ætatem? (cujusmodi matrimonium resolvitur in sponsalia de futuro, *c. unico De dispensat. impuberum in 6.*) Talis non excidet beneficio suo, nisi adveniente legitimâ ætate matrimonium sic contractum ratificetur, iis modis, de quibus per text. *Glos. & DD in d. c. unico*; si quidem constat apud omnes, non amitti beneficium per sponsalia de futuro, quando quidem statum incompatibilem cum beneficio non inducant, sed sint duntaxat via ad illum.

6. An autem de consensu Episcopi Clericus beneficium simplex, ante contractum matrimonium obientum, retinere possit, matrimonio contracto cum virgine, quæri etiam potest? Communi opinione receptum est, non posse, quia conjugati beneficiorum sunt incapaces. Non obstat *canon. Si quis Distinct. 32. c. 1. Quia tuas xi. 1. 9. 1.* quia non loquuntur de beneficiis Ecclesiasticis, sed de stipendiis sustentationis, quæ dantur Clericis conjugatis, clericaliter viventibus, & Ecclesiæ deservientibus, idque de gratia magis, quam de jure, & tanquam elemosyna, non tanquam præbenda.

7. Ceterum iis casibus, quibus conjugatus potest suscipere Ordines, secundum *dist. 2. c. 1. lib. 1.* potest etiam obtinere beneficium. Etiam intelligendus est *canon. De Siraufana Dist. 28.* ubi habens uxorem eligitur in Episcopum.

8. Potest etiam conjugatus obtinere bene-

ficiam ex dispensatione, non quidem Episcopi, sed summi Pontificis, *c. Diversis 5. h. 1.* ubi jubetur, ut Episcopus conjugatos beneficiis, post conjugium adeptis, privet; & statim subditur, *Nisi forte tu talibus scienter consuleris Ecclesiastica beneficia, quibus eos non pot. sed per superiorum decernimus spoliandos*: nam inde colligitur, non sufficere dispensationem Episcopi; quæ si sufficeret, non essent spoliandi beneficiis, ab Episcopo sibi collatis.

Non obstat, quod Episcopus dispense cum homicida & irregulari, *c. Ad audientiam 12. inf. De homicidio*; & cum deposito, *can. Sodemita Dist. 63.* qui sunt casus graviore: quia in materia dispensationis, quæ est exorbitans à jure, non valet argumentum à casibus permissis ad non permisos, etiam minores. Vide Sanchez *De matrim. lib. 7. Disputat. 42. num. 1. & seq.*

### §. III.

An Clericus conjugatus immunitate Ecclesiasticâ perinde gaudeat ac non conjugatus.

1. Clericus conjugatus qualiter privilegio fori gaudeat.
2. In Clerico conjugato quæ censetur habitus clericalis.
3. Quid in eodem requiratur Conc. Trident.
4. Quo ad cetera privilegia reputatur laicus.
5. Separatus ab uxore & ordinatus gaudet privilegio clericalibus.
6. Contra, Clericus ordinatus per dispensationem uxorem ducens.

1. Ita videtur de jure antiquo: at verò jure novo, *inc. unico h. 1. in 6.* statuitur, ut præter privilegium canonis *Si quis suadente xv. 1. 9. 4.* (quo manus violentas in Clericum injiciens excommunicationem incurrit, non nisi à summo Pontif. absolvendus) gaudeat duntaxat privilegio fori: & quidem, ut docet Sanchez *d. lib. 7. Disp. 46. n. 2.* quoad causas, non civiles, sed criminales, sive ex criminaliter sive civiliter incontinentur, prout Clericis conceditur in *c. 2. sup. De foro compet.* Idque non aliter, quam si cum unica & virgine contraxerit, & tempore commissi delicti (quod ad hoc, ut quis gaudeat



deat foro etiam attenditur, *arg. l. 1. D. De penis* )  
tonsuram & simul habitum deferat seu detule-  
rit clericalem, exteriorem scilicet & apparen-  
tem, *d. c. unico, ibi, vestes deferens clericales; &  
similibus.*

2. Dicitur autem habitus clericalis, cum ejus  
non sit à jure determinata qualitas, quo ex re-  
gionis usu honesti Clerici conjugati utuntur,  
*arg. cap. Ioannes 7. h. t.* ita scilicet, ut ex aspectu  
à quolibet judicetur Clericus, *Glos. communiter  
approbata in c. penult. sup. De vita & honest. Cleri-  
cor.* Neque enim cogendus est iis vestibus in-  
duti, quibus Clerici non conjugati, ministerio  
Ecclesiæ vacantes, utuntur.

3. Cæterum decretum *d. c. unici* confirmat  
Concilium Trident. *Sess. 25. c. 6. De reformat.*  
eique hæc superaddit, modò Clerici tales Eccle-  
siæ alicujus servitio vel ministerio ab Episcopo  
sint deputati, eidemque Ecclesiæ in clericali  
habitu & tonsura deserviant & ministrent,

Quòd si harum conditionum vel una defe-  
cerit, nullo privilegio clericali gaudebunt, con-  
suetudine in contrarium, etiam immemoriali,  
nequidquam suffragante. Sed & amittent cæ-  
tera, præter privilegium canonis & fori, eo ip-  
so, quo contrahunt matrimonium: fori verò &  
canonis eo ipso, quo non servant condiciones  
requisitas, etiam citra admonitionem vel decla-  
rationem Judicis, quia ista privatio non impo-  
nitur ut delicti poena, sed ob defectum condi-  
tionis requisitæ. Vide Steph. Weyms. in *Ana-  
lysi sua ad d. c. uni.*

4. Insuper quoad cætera privilegia Clericus  
conjugatus reputatur omninò laicus, etiam per  
matrimonium nondum consummatum, San-  
chez *d. loco n. 13. & seq.* Ideoque nec Vicarius  
Episcopi in spiritualibus esse potest, nec inter-  
esse divinis tempore interdicti, nec gaudet pri-  
vilegio clericali, quoad gabellas, indictiones,  
munera secularia, & quæcumque alia obse-  
quia, *c. Quamquam De censuris in 6. Covar.  
pract. qu. c. 31. n. 9.*

5. Quòd si verò conjugatus cum unica &  
virgine separaretur ab uxore communi consen-  
su, legitimoque modo ordinetur, perinde gau-  
debit immunitate Ecclesiastica ac cæteri non  
conjugati, quia talis reputatur ab Ecclesia  
non tamquam conjugatus, sed tamquam vi-  
duus continens; & civili quodam modo, quoad

usum & societatem matrimonii, uxor illi qua-  
si mortua censetur. A fortiori idem dicendum,  
si illa moriatur, & ipse redeat ad propria Clei-  
corum ministeria, Videatur plenius Sanchez *d.  
loco.*

6. Aliud dicendum de eo, qui in sacris con-  
stitutus per dispensationem ducit uxorem,  
quia talis omninò abstrahitur & quasi depo-  
nitur à statu clericali. Sanchez *d. loco*: ubi docet.  
Clericum conjugatum per negotiationem ho-  
nestam non amittere dicta privilegia, modò  
condiciones requisitas servet. Similiter docet  
Clericum, conjugatum cum unica & virgine,  
amittentem privilegia clericalia, ob depolu-  
tionem habitus clericalis & tonsuræ: earu-  
cupere, resumptis habitu & tonsurâ: nec  
per unam aut alteram habitus dimissionem  
amitti privilegia, modò alias continuò dele-  
rat.

#### TITULUS IV.

#### De Clericis non residenti- bus.

1. *Residere quid sit.*
2. *Tenantur beneficiati ad residentiam, etiam  
ratione simplicis beneficii.*
3. *Quod tamen fallit ex generali consuetudine.*
4. *Ideoque per substitutum quis deservit  
test.*
5. *Quo pacto procedendum contra non residen-  
tes.*
6. 7. *Causæ justæ excusantes à residentia.*
8. *Quo casu debentur grossi fructus, non distri-  
butiones.*
9. *Nisi ex certis causis.*
10. *Decreta Conc. Trid. circa residentiam Cleri-  
corum.*

1. Clerici non solum inhonestè vivunt, ma-  
lierum consortia familiaritatemque con-  
sedando, sed & non residendo in Ecclesiis suis,  
& interim fructus percipiendo, eam ob causam  
quandoque etiam puniendi & privandi be-  
neficiis.

Estau-



Est autem Residere nihil aliud, quam deservire, Flaminio *de resignat. benefic. lib. 1. qu. 10. &* Residere personaliter non est aliud, quam personale debitum per se prestare.

2. Cum igitur beneficium detur propter officium *c. fin. de rescriptis in 6.* ideo nullus ad beneficium Ecclesiasticum adsumendus est, nisi qui in loco ejusdem residere & per se deservire possit, *c. 3. & 4. hoc tit.* Omnesq; beneficiati ad residentiam personalem, id est ad personale ministerium in loco beneficii; Episcopi quidem & Pastores, qui curam animarum habent de jure naturali & divino, Lessius 2. *De jure & iust. cap. 34. Dubitat. 39.* reliqui verò de jure communi tenentur; siue dignitatem annexam habeant *c. 1. 2. 3. & 8. hoc tit.* siue aliud quodcumque simplex beneficium, quantumvis tenue ac modicum, *c. Conquerente 6. & c. Inter quatuor 10. hoc tit.* Ad eò ut ipse Justinianus Imp. in 1. *Generaliter sancimus Cod. de Episcopis & Clericis*, sanxerit, eos tantum Clericos & Monachos immunitatis beneficio à cura & tutela gaudere, qui apud sacrosanctas Ecclesias vel monasteria permanent, non vagantes, & qui circa divina ministeria non sunt desides.

Nec hic habet locum regula Juris, quod quis possit per alium facere, quod per se ipsum potest: quia patitur exceptionem, quando electa est industria & opera personæ; ut in collatione beneficii semper electa intelligitur, *c. Is cui de officio iud. delegati in 6.* nam opera unius non est opera alterius, *l. Si non sortem §. libertus D. De condit. indebiti.* Exciipiunt tamen præstimonialia seu præstimonialia portiones habentes: cum enim hæc ex sua institutione non videantur habere ullum servitium annexum, præter lectionem horarum, non videntur quoque requirere residentiam, Garzias *de benefic. 3. p. cap. 2. n. 2.*

3. Dixi de jure communi; quia ex generali totius Ecclesiæ consuetudine beneficia simplicia residentiam non requirunt Gloss. in d. *c. Conquerente ad V. deserviat.* Flaminio *de loco n. 67.* Ideoque potest quis per substitutum illis deservire.

4. Hinc quoque fit, quòd, ubi fundator in erectione alicujus Cappellanæ, vel alterius simplicis beneficii disposuerit, ut, contingente ejus vacatione, conferatur alicui, qui celebret tot Missas in hebdomada vel mense, non tenetur talis provivus esse sacerdos, nec possit cogi per Episcopum, ut per se celebret: nisi fundator disertis verbis expresse, ut per se celebret, aut ut Capellanus sit actu sacerdos. Cappellania fit sacerdotalis, ut præsentandus sit sacerdos, vel quid simile, uti latè docet Gonzal. *ad Reg. v. 111. Cancell. Gloss. 5. à nu. 74.* ubi de hoc refert declarationem Cardd. Et ratio est, quia cum aliàs fundator se semper censeatur conformare dispositioni juris civilis seu universalis consuetudinis, *l. 2. ibi. ad jura reseruit, Cod. de hered. instituend. l. 6. Cum quidam fin. §. quemadmodum C. De verb. signif.* secundum quam beneficia simplicia non requirunt residentiam; ideo per verba illa, *celebret tot vel tot Missas*, non prohibet, ne per alium celebretur; nec ea verba important obligationem sacerdotii, nec celebrationem per ipsummet Capellanum, sed designant onus ipsi Capellanæ seu simplicis beneficii, quod per alium expleri potest, nisi aliter fundator expresse disposuerit.

5. Quod si Prælati vel alius Clericus, residentia adstrictus, ab Ecclesia sua aut beneficio, residentiam requirente, sine justa causa abfuerit, monendus est per superiorem, ut ad Ecclesiam redeat: qui tum, si intra tempus congruum, sibi præfixum, non redierit, jure suo ac beneficio privati potest, atque alius eligi, & beneficium alteri conferri, *cap. Ex parte 8. cap. Qualiter 9. & cap. ult. hoc tit.* idque remotà quoque appellatione, *cap. Relatum 4. & cap. Conquerente 6. eod.* quamvis sit Cardinalis, *cap. 2. eod.*

6. Si verò nesciatur, ubi terrarum degat Clericus, tribus edictis publicis Ecclesiæ ejus valvis affigendis, citandus & evocandus est: qui si intra sex menses non revertatur, beneficio suo exui potest, *cap. 1. cap. Ex tua devotionis 11. hoc tit.* Idque in simplici etiam beneficio obtinet quia licet illud non requirat residentiam ex generali consuetudine, tamen ob delictum vacationis potest quis coprivari. Zerola 1. p. *V. Privatio.*

Dixi, absque justa causa, quia sunt nonnullæ causæ, ob quas quis à sua Ecclesia vel beneficio abesse potest: veluti causa studiorum in aliqua Universitate, petitâ tamen prius à Superiore licentia, *c. Tua fraternitatis 12. hoc tit.* si item in aula summi Pontificis quis degat, citque inferviat, *c. Cum dilectus 14. eod.* si in pro-



prii Episcopi servitio commoretur, *c. Ad audientiam* 15. *eod.* vel propriæ Ecclesiæ curet negotia, *c. Ex parte* 13. *eod.*

7. Similiter abesse quis potest ob pestem grassantem in loco beneficii : ob capitales inimicitias, post beneficium obrentum ortas : ob aëris intemperiem, vel justam & rationabilem corporis necessitatem, vel ob morbum, *c. i. inf. De Clerico aegrotante.*

8. Ex aliqua harum causarum, vel alia simili, absentes etiam grossos, ut loquuntur, fructus beneficiorum suorum percipere poterunt, *d. c. Tua fraternitas, & d. c. Cum dilectus* ; sed distributiones amittunt quotidianas (quæ aliâs manualia beneficia seu victualia nuncupantur, *c. unico eod. in 6.*) exceptis casibus à Jure expressis : quia illæ debentur presentibus dumtaxat pro officio divino, cui statim horis intersunt, *c. De cetero* 7. *in fine h. t.* & qui aliter nomine distributionum quicquam receperit, dominium illius non acquirit, imò tenebitur ad restitutionem, *d. c. unico eod. in 6.*

Cujus Capituli decretum, quod Bonifac. VIII. auctoritatem habet, in usum revocat Conc. Trid. *Sess. 24. cap. 12. De refor.* Vide omnino Anallysin ad *d. Constit. Bonifac. V. Cl. Steph. Weymsl.*

9. Dixi, exceptis casibus à Jure expressis; quia in *d. c. unico* tres casus seu causæ excipiuntur, ob quas absentes à divinis officiis percipiunt distributiones. Prima est, corporalis languor & infirmitas gravis, ob quam quis interesse divinis non possit, de qua postea latius. *Tit. De Cler. aegrotante.* Secunda est justa & rationabilis corporis necessitas: quam distinctam esse causam à priori ostendit Weymsl. *ibid. n. 16. & segg.* Tertia evidens Ecclesiæ utilitas. Adde senium, ob quod quis nequit divinis interesse, Weymsl. *ibid. n. 20.* Prædictis tamen causis non obstantibus, si Ecclesia patiatur defectum ministrorum, qui officium divinum peragant, possunt & illi ex justa aliqua causa absentes revocari ad Ecclesiæ ministerium, & compelli ad hoc per subtractionem fructuum, *c. pen. hoc tit.*

10. Denique quia juxta veteres Canones, quia aliquantisper absunt, quia statim revertuntur, abesse non videntur, *can. Non oportet, & can. seq. vii. qu. 1.* idem Concil. Trident. hac in parte modum statuit, multa que circa residentiam Clericorum innovavit: veluti de residen-

tia Primatum, Patriarcharum, Metropolitanorum & Episcoporum, *Sess. 6. c. 1. & Sess. 23. c. 1. De refor.* de residentia vero eorum, qui obtinent beneficia, de jure vel consuetudine requirunt residentiam, *Sess. 6. c. 2. De refor.* & de residentia obtinentium Dignitates, Personatus, Officia, *Sess. 21. c. 3. & Sess. 22. c. 3. De refor.* Denique de residentia obtinentium Canonatus, Præbendas aut portiones, *Sess. 24. cap. 12. & de pœnis non residentium iisdem locis.*

## TITULUS V.

### De Præbendis & Dignitatibus.

#### §. I.

#### Quid sit Præbenda & Beneficium Ecclesiasticum.

1. Præbenda propriè quæ dicatur, & variâ illius acceptiones.
2. Quæ Canonica seu Canonicatus.
3. Quid sit beneficium Ecclesiasticum.
4. In eo tria considerari, primò Officium.
5. 6. Deinde jus percipiendi fructus, & ipsos fructus.
7. Beneficium ex sua institutione perpetuum esse debet.

DE bonis Clericorum internis tam animi, quam corporis, jam dictum est. Dicendum nunc est de bonis eorum externis, nempe de Præbendis & Dignitatibus, cæterisque beneficiis, in quibus residere debent.

1. Præbenda propriè dicitur Canonica portio, *c. Vacante* 26. *c. Dilectus* 27. & aliis *h. t.* & significat eam portionem, quæ de communi bonorum proventuumque Ecclesiasticorum massa sumitur, & præbetur singulis pro sua portione, *c. Cum M. Ferrariensis* 9. *sup. De constitut. cap. Relatum* 9. *hoc tit.* Distinguitur à Beneficio Ecclesiastico, quia nomen illud antiquius est nomine Præbendæ, sic propriè appellatæ, ut declarat Boët. *Epo Comment. in c. 1. inf. De testam. num. 33. & segg.* In hoc verò Titulo capitur generaliter pro omni beneficio, Eccle-



Ecclesiastico, sicut & in *c. Majoribus* 8. *c. Tuus* 99. 23. *hoc tit.* Quin etiam subinde capitur pro quadam fructuum perceptione, à Canonico seu Canonica sejuncta: quæ licet ex Ecclesiæ bonis præsterur; non tamen ratione officii divini, sed pro temporaliali aliquo labore benè meritis de Ecclesia datur, *c. fin. inf. De Magistris, can. Possessiones* 161. *xvi. qu. 1. d. c. Majoribus*, & *d. c. Dilectus* Ea- que in significatione etiam laicus est capax præbendæ, & subinde in jure nostro præbendam habere dicitur: cum alioquin præbendæ, id est, portionis Canonice, ut est spiritualis, ratione Canonice, cui annexitur, sit incapax.

2. Canoniam autem seu Canonicatus propriè dicitur jus spirituale, eo ipso proveniens, quo quis recipitur in Canonicum, id est, adsumitur ad tale ministerium officii Clericalis, quale habent Canonici. Nisi cum Boët. Epone, *d. loco num. 37.* & 38. distinguere malis Canoniam à Canonico, ut Canoniam significet ipsum Collegium Canonicorum, id est, hominum Ecclesiasticorum, instar Monachorum certis regulis atque Canonibus viventium, *can. 1. & can. Nisi* 11. *Distinct.* 56. *& can. Eos qui* 1. *qu. 5.* Canonicatus verò dicitur ipsum Canonicorum vel munus, vel officium, vel vocatio, vel honor, vel status, personas ipsas Canonicorum concernens, non autem bona. Planè voces illas, Præbendam, Beneficium & Canoniam; sæpe confundi & sumi pro iisdem, quando de collegii vel corporis alicujus Ecclesiastici bonis eorumque massa communi quæritur, constat ex *can. Si quis dator*, & *can. Ex multis vers. Constitutus* 1. *qu. 3.*

3. Utigitur generaliter de beneficiis agamus Ecclesiasticis, omissis variis Beneficii significationibus, Ecclesiasticum hoc loco Beneficium dicitur jus perpetuum percipiendorum fructuum quorumcumque ex bonis Ecclesiasticis seu Deo dicatis, propter aliquod officium spirituale, auctoritate Ecclesiæ constitutum.

4. Unde pater in beneficio Ecclesiastico tria distingui. Primum est ipsum officium seu obligatio, quâ quis tenetur spirituales aliquam functionem obire, veluti horas Canonicas legere, Sacramenta administrare. Et hoc est omnino spirituale; non tamen est beneficium, sed fundamentum & causa beneficii:

nam beneficium datur propter officium, *c. fin. de rescriptis* in 6.

5. Secundum est, jus percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis, quia æquum est, ut qui altari servit, de altari etiam vivat, *c. Cum secundum* 14. *hoc tit.* Ideoque si Episcopus aliquem admitterit ad Ordines absque titulo seu beneficio, qui non habeat de suo, unde vivat, tenetur ipse eundem providere, & subministrare necessaria ad subsidium vitæ, *c. 2. hoc tit.* donec aliunde suppetat. *c. Episcopus* 4. *hoc tit.* Hinc etiam in Ecclesia plures esse Clericos non oportet, quam ali possunt: & ei, qui in Canonicorum numerum receptus est, absque præbenda seu portione canonica, uti fieri quâdoque solet, primo quoque tempore præbenda seu canonica portio est assignanda, *d. c. Relatum* 9. & *c. Dilectus* 19. *ead.* Hoc autem jus propriè Beneficium dicitur, & est spirituale, quia oritur ex spirituali officio, tanquam causa sine qua non, cui inseparabiliter est annexum.

6. Tertium sunt ipsi fructus, percipiendi ex bonis Ecclesiasticis, id est, ex bonis Deo dicatis, & Ecclesiæ donatis; & sunt quid temporale. Constatque eos olim divisos fuisse in quatuor portiones, & ex illis auctoritate Ecclesiæ postea fuisse beneficia erecta, singulis titulis certâ portione fructuum assignatâ. Lesius 2. *De lure & Iustitia* cap. 34. *Dubit. 1. num. 1. & 2.*

7. Dicitur, jus perpetuum; saltem ex sua institutione, *can. Precepta* *Distinct.* 55. *can. Sanctorum* *Distinct.* 70. & *similibus.* Ideoque quod beneficia regularia sunt ad nutum superioris amovibilia, exceptis curatis & electivis, id non habet ex sua institutione, sed ex eo, quod ea obrinentes sunt subiecti superioribus suis, quoad officia, habitationem, & vitæ directionem. Quod si auctoritate Pontificis beneficium aliquod sæculare fiat amovibile, desinit esse propriè beneficium. Et similiter si quod ex fundatione, constitutione, vel statuto erigatur temporale, non erit propriè beneficium, de quo Canones loquuntur, licet quidam aliter sentiant.



## §. II.

## De divisione Beneficiorum.

1. *Dividuntur in Majora & Minora.*
2. *In Curata & non Curata.*
3. *In Duplicia & Simplicia.*
4. 5. 6. 7. *Quid sit Dignitas, Personatus & Officium.*
8. *Item dividuntur in Sæcularia & Regularia.*
9. 10. 11. *Quodnam censeatur Regulare.*
12. 13. *Regulare quando Clerico sæculari conferri valeat, & contrà.*
14. *Regula, Sæcularia Sæcularibus, Regularia Regularibus conferenda.*
15. *Præterea dividuntur in Collativa & Electiva.*
16. *In Manualia & non Manualia.*
17. *In Patrimonialia & non Patrimonialia.*
18. *In Monocula & non Monocula.*
19. *In ea, quæ sunt juris patronatus, & ab eo libera.*
20. *In beneficia villa murata & non murata.*
21. *Item Ecclesiarum Collegiarum & non Collegiarum.*

1. Beneficia Ecclesiastica variè dividuntur; Primò in Majora & Minora. Majora sunt Papatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatia; Minora sunt his inferiora.

2. Secundò, in Curata & non Curata. Curata dicuntur, quæ curam animarum annexam habent: idque vel propria, seu quoad forum interius, quia beneficiatio sit data potestas populo, certis limitibus distincto, sive parochiæ suæ Sacramenta administrandi, & verbum Dei annuntiandi, citra ullam aliam jurisdictionem, *Clement. 2. §. verum De sepulturis*: vel improprie, seu quoad forum exterius aut contentiosum, quia scilicet beneficiatus ea exerceat, quæ sunt jurisdictionis spiritualis, qualia sunt inquirere, suspendere, excommunicare, absolvere. Vide Concil. Trident. Sess. 23. cap. 1. *De reformat.* Talem curam habet Archidiaconus, *c. 1. sup. De officio Archidiaconi*. Archipresbyter, *c. 1. sup. De officio Archipresbyteri*. Non Curata sunt, quibus nulla ejusmodi cura annexa est. Et in dubio beneficium censetur non curatum; ac proinde assenti curatum incumbit illius probatio.

3. Tertiò, alia sunt Duplicia, alia Simplicia. Duplicia dicuntur omnia illa, quæ curam animarum, vel administrationem, vel dignitatem, vel personatum, vel officium adjunctum habent. Unde eorum subdivisio oritur in membra jam enumerata.

4. Dignitatem habent, quæ præminentiam, seu administrationem rerum Ecclesiasticarum cum imperio ac jurisdictione; ut Præpositura, Decanatus, Archidiaconatus, Abbatia secularis & regularis. Et Dignitas non est aliud, quàm hujusmodi præminentia seu administratio.

5. Personatum habent, quæ præminentiam sedis & aliorum, absque jurisdictione; v. g. honorificum locum in Choro, in Processionibus, in suffragiis, ut Cantoria, & similia. Et Personatus dicitur hujusmodi præminentia.

6. Officium habent, quæ administrationem rerum Ecclesiasticarum, sine jurisdictione, præminentia atque honore, ut Sacrista, Custos. Et Officium dicitur hujusmodi administratio licet administratio etiam latius sumatur, ut comprehendat alia quoque beneficia, *c. 2. sup. De astate & qualitate ordinis*.

7. Cæterum licet hæc tria, Dignitas, Personatus & Officium jure Canonum subinde ita distinguantur, id tamen non est perpetuum; verum interdum eodem jure pro uno & eodem accipiuntur, ut in *c. Cum accessissent 8. sup. De constitutionibus*. Ideoque tutius erit, quoad vim istorum nominum, spectare consuetudinem cujusque Ecclesiæ, juxta communem sententiam: sic ut beneficium illud censetur habere dignitatem vel esse dignitas, quod ex consuetudine pro tali habetur, maximè quando in creatione illius non reperitur assignata beneficio dignitas.

Sed & illud hic notandum, hodie de consuetudine plerosque personatus inter simplicia beneficia censeri; aded ut etiam minoribus astate conferantur, teste Zypæo, *Tit. De Clericis non sistent. n. 5.*

8. Quartò, dividuntur in Sæcularia & Regularia. Sæculare est, quod additum & debitum est sæcularibus Clericis, id est, qui nullam sunt professi Regulam, sed in sæculo militant & serviunt Deo: idque vel ex fundatione, vel consuetudine aut præscriptione, *c. Cum de beneficiis*.



fitio: *ead in 6.* præscriptione inquam xl. annorum, cum bona fide & titulo, *c. Cum Ecclesia sup. Decussis possit & propriis juncto c. Vigilanti sup. De præscriptionib.*

9. Beneficia verò omnia censentur sæcularia, nisi contrarium probetur: veluti primò, quia in fundatione ita cautum repetitur, vel quia præsumantur esse regularia ex xl. annorum decursu quo per Regulares ei deservitum fuit, Navar. *Conf. 3. De præbend. Gonzal. ad Reg. viii. Cancell. Glof. 7. in prime. Zerola V. Beneficium 2 p. n. 11.*

10. Potest tamen beneficium Regulare, & Regularibus professis in titulum conferri solum, etiam Clerico sæculari conferri, modò is quoque emitat professionem, *c. Cum causam 27. c. Officii 38. sup. De elect. Abbas ibid. n. 5.* Idque non à Papa dumtaxat, sed ab aliis quoque Ordinariis Collatoribus, juxta declarationem Cardd. quam refert Gonzal. *ad d. reg. Glof. 8. nu. 78. Piafec. 2. p. cap. 5. art. 3. n. 27.* Exciipiuntur, juxta eandem declarationem, Abbatia & beneficia administrationem habentia, quæ non nisi Professis secundum Canones per inferiores Ordinarios conferri possunt, Piafec. *d. loco.* Tenetur autem sæcularis, eo modo promotus, intra sex menses profiteri, Conc. Trid. *Sess. 25. c. 21. De Regularib. vel aliud tempus, juxta arbitrium Superioris, pro diversitate qualitatis ipsarum personarum, Glof. in d. c. Officii in V. competentem, Piafec. d. loco n. 29.*

11. Similiter Regularis quoque præficitur Ecclesiæ sæculari, causâ necessitatis id exigente, deque consensu Superioris, *Clement. 1. juncta Glof. in V. facularis De electione.* Non tamen licet Regularibus, etiam de licentia sui Superioris, absque dispensatione summi Pontificis, obtinere curatum beneficium, etiam ad tempus, juxta declarationem Cardd. quam refert Gonzales *Glof. 7. n. 25. & Piafec. d. loco n. 30.*

12. Secundò, Beneficium præsumitur Regulare, si sit Capella erecta in monasterio, per Regularem regi solita, Nam si per sæcularem regalis Cappella sit solita, idque quia is fuerit primus Clerici status, Gonzal. *d. Glof. 7. n. 1.* beneficium erit sæculare.

13. Regulare itaque beneficium est, quod regi debet per Regularem, vel ex fundatione, vel Ordinarii seu Superioris institutione, *cap. 2. & ibi DD. inf. De capellis Monachorum: vel annorum*

xl. præscriptione cum bona fide & titulo, *arg. d. c. Vigilanti sup. De præscript. & d. c. Cum de beneficio h. 1. in 6. \* 14.* Hinc Axioma illud juris, Sæcularia beneficia Sæcularibus & Regularia Regularibus esse conferenda, *c. Cum ad nostram 37. c. Officii, 38. sup. De electione d. c. Cum de beneficio, Conc. Trid. Sess. 14. cap. 10. De reformat.*

15. Quintò, Beneficiorum Ecclesiasticorum alia sunt Collativa quæ scilicet collatione, aut alio quàm electionis modo, obtrinetur: alia sunt Electiva, quibus providetur per electionem, à Superiore confirmandam, potissimum dum in electione servatur forma, *c. Quia propter 42. sup. De electione.* Ejusmodi sunt Papatus, Patriarchatus, Episcopatus, collegiarum Ecclesiarum Præposituræ: nifialiter ex fundatione, consuetudine, præscriptione legitima, aut privilegio obtineat.

16. Sextò, alia sunt Manualia, alia non Manualia. Manualia vocantur, quæ ad nutum conferentis avocari possunt. Et hæc diximus non esse propriè beneficia, quia non sunt jura perpetua percipiendi fructus. An autem tunc causâ quis possit amoveri à beneficio manuali, latè disputat Riccius in *Praxi Decis. 398.* ubi affirmativè resolvit. Cætera autem, quæ adimi nequeunt, nisi certis de causis, à jure permixtis, dicuntur non manualia, *Glof. in Clement. Quia regularia De supplenda velig. Prælator.*

17. Septimò, alia dicuntur Patrimonialia, alia non Patrimonialia. Patrimoniale dicitur, non quod patrimonii naturam & rationem habeat, sed quia non potest conferri nisi Clerico, ex patria, loco, vel parochia oriundo. Videatur Covar. *Præf. quæst. c. 35. n. 5. & c. 38. n. 4. Garzias De benef. 7 p. c. 15.* Non Patrimoniale dicitur, quod cuilibet sive ex patria, sive ex loco, sive ex Parochia oriundo, sive externo, conferri potest.

18. Octavò, aliud vocatur Monoculum; aliud non Monoculum. Monoculum dicitur, quando Prælatus tantum illud habet ad conferendum. Unde facit colligitur, quod nam sit non monoculum.

19. Nonò, dividi possunt in ea, quæ sunt juris patronatus, & ea, quæ non sunt juris patronatus, sed ab eo libera.

20. Decimò, dividi quoque possunt in beneficia villæ muratæ & non muratæ: quæ divisio maximè consideratur in Gallia. Vide Pet. Greg.



Tholosanum *Synagma juris universi lib. 17. c. 3.*  
*& Tract. de beneficiis c. 10. n. 17.*

21. Undecimò, in beneficia Ecclesiarum collegiatarum, & non collegiatarum: de qua divisione vide Tholosan. *dictis locis*; sicut & de illa, quâ dividuntur in Nominata & Innominata.

Denique subjiendum hic foret, quibus modis beneficia acquirantur, qui quibus conferant: verum de his non minus commodè dicetur postea ad *Tit. de Institutionibus*: ex quo, quæ ibidem proponemus de Collationibus, revocari huc poterunt.

## TITULUS VI.

### De Clerico ægrotante vel debilitato.

1. Clerico ægrotanti debentur fructus & distributiones.
2. Qualis esse debeat infirmitas.
3. Quomodo probari.
4. Coadjutor incurabili morbo laboranti dandus.
5. De Clerico debilitato.

**D**ixi antè, omnes omnino Clericos qualemque beneficium Ecclesiasticum habeant, de jure communi teneri ad residentiam, & præbendas, aliaque beneficia, non nisi iis, qui per se residere valeant, esse conferenda: imò beneficia ob non residentiam Clericis esse auferenda: quid igitur statuendum de Clericis ægrotantibus vel debilitatis? \* 1. Dico, tantum abesse, ut tales morbo tali laborantes, ob quem officium & ministerium suum obire aut residere nequeant, beneficiis suis exuendi sint; quin potius omnes eorum fructus atque etiam distributiones quotidianæ cedere eis debeant, perinde ac si sani essent & residentes *c. 1. & 2. h. t. c. unico De Clericis non resident. in 6, Abbas Consil. 70 per tot. lib. 1.* quia afflictio, non est addenda afflictio, imò potius ipsius miseriæ miserendum, *c. Ex parte h. t.*

2. Infirmitatem oportet esse gravem, & quæ

sit immediata causa absentia: ut scilicet Clericus ægrotans, dum sanus est, solitus sit interesse divinis: alias levis infirmitas, veluti febricula aliqua, aut quartana in veterata, aut morbus sonnicus, non excusatur neque excusat, quando infirmitas non est vera & immediata causa absentia, ut si Clericus infirmus, dum sanus est, non sit solitus interesse divinis: nam tunc, durante ægitudine, non recipiet distributiones, Covar. 3. *Var. resol. c. 13. num. 8. versic. Sexto, ubi alio citat. D. De communiter in d. c. unico De Clericis non resident. in 6.*

3. Probatur autem infirmitas præcipue per juratam assertionem ipsius infirmi, nisi sit persona suspecta, cui non sit deferendum juramentum. Præterea per attestationem Medici: per aspectum corporis, veluti quia facies appareat admodum extenuata: denique per domesticos. Semel autem infirmus semper præsumitur infirmus, donec contrarium probetur, Mascard. *De probat. Conclus. 897.*

4. Itaque si Ecclesiæ Rector, sive Episcopus sive alius Episcopo inferior, lepræ maculâ inficiatur, aut alio gravi & incurabili morbo ita laboret, ut munus suum obire nequeat (cum injustum sit, quem ob molestiam corporis intuentem privari honore suo, & nusquam Canones præcipiant, ut ægrotans & amoto Prælati alius succedat) datur ei Coadjutor, qui vices ejus suppleat. *can. 1. vii. quæst. 1. c. 3. & 4. hoc tit.* Sic & Prælati senectute gravato Coadjutor dandus est, *c. unico eod. in 6. can. Nihil h. ecce & duobus can. seqq. vii. quæst. 1.* item furioso, *d. c. unico eod. in 6. si vero*; & paralytico, *c. ult. hoc tit.* Et hic ex fructibus beneficii ægrotantis, si opulenti sit, minus, ab Ecclesia, cui servit, ali debet, *d. c. 3. & 4. hoc tit. d. c. unico eod. in 6. Concil. Trident. Sess. 21. cap. 6.* Datus autem sine futura successione Coadjutor, censetur datus & datur in Ecclesiæ ac Prælati favorem. Quando autem datur cum futura successione, datur in favorem ipsius Coadjutoris, & ideo dari prohibetur à Conc. Trident. *Sess. 26. cap. 7. De reformat.* nisi urgens necessitas aut evidens Ecclesiæ utilitas postulet, & in Coadjutore dando concurrant omnes qualitates, quæ à Jure ipsoque Concilio in Episcopo & Prælati requiruntur.

5. Quod si Clericus sacerdos debilitatus aut mutilatus, fortè truncatus sine sua culpa digi-



cissem divinam facere & Missam celebrare nequeat, fructus nihilominus beneficii sui percipiat, & ceteris ordinis sui muneribus, quibus sine scandalo & offensione populi licet, fungi potest, *c. 1. h. t.*

## TITULUS VII.

## De Institutionibus.

## §. I.

## Quid sit Institutio &amp; Collatio.

1. Beneficia duobus modis acquiri, *iuste & injuste*.
2. Institutionis variae acceptiones.
3. Generaliter accepta comprehendit quamlibet provisionem.
4. Collatio quid sit, & quoruplex.
5. in quo differat ab electione, presentatione, & postulatione.
6. Beneficium à quo acceptari possit.

DE præbendis & dignitatibus atque aliis beneficiis in genere dictum est antea. Deinceps dicendum est, quomodo beneficia Ecclesiastica acquirantur, qui ea conferant, & quibus conferri debeant:

1. Duobus modis in genere beneficia acquirantur, scilicet *iuste* vel *injuste*. *Iuste* per Canonicam institutionem: *injuste* vero sine Canonica institutione, veluti per Simoniam, per preces hæreticorum, per injuriam. Regula autem Juris est, Beneficium Ecclesiasticum non possit acquiri sine Canonica institutione obtineri, *c. 1. de R. l. in 6.*

2. Pro cuius intelligentia observandum est, Institutionem interdum sumi pro libera collatione beneficii Ecclesiastici, ut *passim in hoc tit.* Interdum pro deductione in possessionem corporalem ipsius beneficii, quam alias investituram appellant, quæ jure communi ad Archidiaconum spectat, quando scilicet collatio vel institutio collativa seu auctoritabilis, ut vocant, præcessit, *c. 7. de officio Archidiaconi*, Quamquam hodie plerisque in lo-

cis ea Archipresbyteris seu Decanis ruralibus demandetur; & passim Collegia ac Capitula suos collegas in possessionem mittant & titulum admittant, a patronis fortè datum, quod est vice Canonice institutionis. Aliquando verò pro collatione beneficii, non libera, qualis est ea, quæ fit ad præsentationem patroni, & specialiter Institutio appellatur: eique similis est ea, quæ fit ad nominationem vel mandatum alterius, puta Principis aut Pontificis.

3. Igitur *in d. c. 1.* nomen Institutionis sumitur generaliter, ut comprehendat quamlibet provisionem seu modum, quo acquiritur beneficium, sive sit electio specialiter dicta, cum confirmatione sequenti; sive postulatio cum admissione; sive nominatio ac præsentatio patroni, cum institutione secuta: sive collatio libera: sive provisio Papæ: sive Permutatio: & sic de similibus.

Dicitur autem Canonica, quia fieri debet secundum Canones, id est, ritu Canonico, in album seu matriculam illius Ecclesiæ vel altaris admitti is, cui collatum est beneficium, *cap. 2. & 3. h. tit.* Ut verò sit Canonica, requiritur potestas in instituente, & habilitas ex parte ejus, qui instituitur, cum aliis solemnitatibus à jure requisitis. Neque seipsum quis instituere potest, cum inter dantem sive instituentem & accipientem debeat esse distinctio, *c. ult. h. tit.*

Porro, omissis aliis modis acquirendi beneficia Ecclesiastica, de quorum nonnullis libro 1. egimus, ut de Electione, Postulatione, Translatione, hic potissimum agendum de Collatione atque Institutione, specialiter sumptâ.

4. Collatio specialiter dicta est assignatio seu concessio beneficii vacantis, facta ab habente potestatem. Dividitur in Liberam & non Liberam. Libera dicitur gratuita beneficii vacantis concessio, facta ab habente potestatem, seu quæ fit solo jure Prælati. Unde & donatio dicitur, *c. fin. de officio Vicarii in 6.* Non Libera, quæ fit ad præsentationem, nominationem, aut mandatum alicujus, seu quæ non fit solo jure Prælati.

5. Differt Collatio ab Electione, Præsentatione & Postulatione, quod per Collationem acceptatam, etiam ante adeptam possessionem, acqui-



acquiratur jus in re, c. Si tibi absenti 17. De prae-  
bendis in 6. sicut & per institutionem: per Ele-  
ctionem verò & Praesentationem acceptatam  
tantum jus ad rem. At per Postulationem nul-  
lum jus acquiritur postulato. sicut nec per Prae-  
sentationem ante acceptationem.

6. Potest autem acceptari beneficium non  
tantum ab eo, cui collatum est, sed & ab alio  
ejus nomine, puta procuratore, sive Ecclesiasti-  
co sive laico, qui in hoc nudum ministerium  
praestat; modò tamen speciale mandatum ha-  
beat ad acceptandam possessionem, licet spe-  
cialiter beneficium aliquod in eo nominatum  
non fuerit: alioqui generale mandatum etiam  
cum libera administratione non sufficit. Vide  
Covar. lib. 3. var. resol. cap. 16. n. 4. Quamquam  
beneficium absenti collatum, & ab alio, qui  
mandatum non habuit, ejus nomine accepta-  
tum, censetur acquisitum à die acceptationis  
modò intra tempus ad acceptandum secuta fue-  
rit ratihabitio; Covar. lib. 5. Piafec. p. 2. c. 5. n. 3.  
n. 10. & seq.

## §. II.

## Qui conferre beneficia possint.

1. Conferre potest indistinctè beneficia omnia sum-  
mus Pont.
2. Legatus à Latere in provincia sibi decreta.
3. Episcopus in sua diocesi.
4. Nisi sint beneficia reservata aut affecta.
5. Cathedralis Ecclesia praebeatas confert simul  
cum Capitulo.
6. Similiter Ecclesiarum Collegiarum Praelatus  
& Capitulum.
7. Capitulum, Sede vacante, quatenus conferre pos-  
sit.
8. Item Vicarius Episcopi.
9. Et sequester.
10. Bona item fidei possessor.
11. Interdum jus conferendi aliis competit, etiam  
laicis.

**V**T collatio sit Canonica, fieri ab eo debet,  
qui conferendi habet potestatem. Itaque  
nunc videandum, quis beneficia vacantia con-  
ferre possit. Variè autem conferuntur, pro con-  
suetudine alia atque alia in singulis Ecclesiis.  
Sed extra consuetudinem, quid de jure obtineat,  
videamus.

1. Et quidem in primis summus Pontifex  
tanquam Vicarius Christi & D. Petri succel-  
sor, cum summam & amplissimam potestatem  
habeat, quoad ea, quae in beneficiis juris sunt  
positivi, c. Licet De praebeatis in 6. Clement. 1. *Pro  
littera pendente* & c. omnia & qualiacumque be-  
neficia, sive electiva sive collativa, sive juri  
sint patronatus, conferre potest, non modò in  
perpetuum seu ad vitam collatariis, sed & ad tem-  
pus, c. Si gratioso De rescriptis in 6. Unde bene-  
ficia omnia, respectu illius, dicuntur manualia.

Potest etiam juri patronorum, sive Eccle-  
siasticorum sive Laicorum, itemque juri Or-  
dinariorum derogare: cum Ordinarius cumu-  
lativè concurrere, eosdemque in mensibus  
eorum, etiam alternativis, praevire, ita ut  
collatio prior à Pontifice facta praefertur col-  
lationi posteriori Ordinarii, nisi proviso à Papa  
obstet regula de viciniliis notitia, Garzias De  
benef. p. 6. cap. 1. Potest insuper beneficia non  
vacantia promittere & conferre. Rursus bene-  
ficia suae collationi reservare, sive generaliter,  
sive specialiter, ut constat ex Extrav. Extra-  
bilis Ioan. xxii. De praebeatis & Extravag. Ad regi-  
men. eod. tit. in communib. c. Licet 2. & c. Praesent  
34. eod. in 6.

2. Secundò, Legatus à Latere potest con-  
ferre beneficia in provincia sibi decreta, tem-  
pore Legationis vacantia, & in eorum colla-  
tione concurrere cum Ordinario, c. 1. & 2. De  
officio Legati in 6. prout latius docuimus, lib. 1.  
eod. tit. §. 3.

3. Tertiò beneficia conferre possunt ordina-  
rii Collatores inferiores, qui suo jure ea confe-  
runt, sive jus illud habeant à jure, seu Cano-  
ne, sive à Papa, sive à consuetudine vel praescrip-  
tione. Et quidem de jure communi Episcopus  
est Collator ordinarius beneficiorum in  
sua diocesi, can. Omnes basilica & seq. xvi.  
q. 7. c. Conquerente 16. sup. De officio lud. et c. Et  
frequentibus 3. h. t. Piafec. 2. p. c. 5. art. 2. nu. 10.

4. Certis tamen casibus ea conferre nequit:  
veluti si sint reservata vel affecta, si juri patro-  
natus, vel alia de causa spectent ad aliorum col-  
lationem.

5. Ceterum an collatio praebendarum in Ec-  
clesiis Cathedralibus ad solum spectet Epi-  
scopum, variant Interpretes. Probabilior sen-  
tentia est eorum, qui volunt spectare ad Epi-  
scopo.



Episcopum & Capitulum simul, per *c. Grave nimis* 29. *6. Cum Ecclesia* 3. in fine *sup. De elect.* & ibi *Gloss.* quia cum Episcopus & Capitulum sine unum corpus æquum est, ut simul concurrant in collatione præbendarum: nisi consuetudine, privilegio, vel statuto, quæ servanda sunt aliud obtineat, *4. Cum Ecclesia*: prout passim obtinere videmus.

Non obstant jura, quibus alii nituntur in contrarium: quia illa non sunt clara: & quædam loquuntur juxta consuetudinem ac speciale jus Ecclesiæ, de qua agebatur, & quidem narrative, non dispositivè, Vide Garziam 5. p. cap. 1. nu. 52. *6. leg.*

Quando autem collatio ad Episcopum & Capitulum simul spectat, tunc Capitulum habet dimidtam vocem, & Episcopus aliam dimidiam, id est tantum valet vox Episcopi, quantum vox totius Capituli, vel majoris partis, *c. Pastoralis*, & ibi *Gloss. sup. De rescriptis*. Adde ut, si Episcopus uni consulerit & Capitulum alteri, neutra subsistat collatio, licet etiam Canonici aliquot ad suffragium accesserint Episcopi. Quamquam intra semestrem, datum ad conferendum, si interim Papa non consulerit, possunt consentire in unum: si non consenserint, devolvitur collatio ad superiorem, *c. Pastoralis inf. De concess. præbende*. Si verò præbendam hujusmodi, ad collationem utriusque spectantem, Episcopus solus contulerit, nec intra semestrem Capitulum contradixerit, subsistat collatio.

Potest autem Episcopus beneficia ad suam collationem spectantia, etiam dum moratur in aliena diocesi, conferre: sicut & eorum relegationes admittere, quia utrumque voluntariæ est jurisdictionis, *c. Novit juncta Gloss. in V. terminis sup. De officio Legati*, *Piafec. 2. p. cap. 5. art. 3. n. 87.*

6. Quartò, licet nonnulli velint collationem ac provisionem Canonieatum & dignitatum in Ecclesiis Collegiatis spectare ad Episcopum, juxta *d. can. Omnes basilica*: vetius tamen est præsentationem seu electionem ad ejusmodi beneficia spectare simul ad Prælatum Ecclesiæ, veluti Præpositum, & Capitulum, institutionem verò seu confirmationem ad Episcopum, *cap. Ex frequentibus 3. hoc tit.* Nisi Ecclesia Collegiata careat Prælato, & subijcia-

tur immediatè summo Pontifici: quo casu spectabit electio ad solum Capitulum. Et hæc ita de iure communi: nam ex consuetudine, ut dixi, quæ alia atque alia est in singulis ferè Ecclesiis, vel ex privilegio aut præscriptione aliter obtinuit, ut scilicet provisio vel ad solum spectet Capitulum, vel ad solum Episcopum, vel ad Prælatum Ecclesiæ, vel ad hebdomadarium seu turnarium; ut vocant, vel ad Capitulum & Episcopum alternatim. Aliorum verò beneficiorum in Ecclesiis inferioribus collatio ad solum Episcopum de iure communi spectat, etiam sine consensu Capituli, si sint minora; sin majora, non nisi de consilio sui Capituli, juxta *cap. Novit inf. De his qui sunt à Prælato sine cons. Capituli*. Videatur plenius de his Garzias. 5. p. cap. 4.

7. Quintò, Capitulum, Sede vacante, vel suspenso Episcopo, potest conferre ea beneficia, quæ sunt necessariæ collationis, non etiam ea, quæ ad liberam collationem spectant Episcopi, ut postea dicemus latius. Beneficia tamen, quæ sunt simultaneæ collationis, id est, quæ spectant simul ad collationem Episcopi & Capituli, liberè conferre potest, *c. unico Ne sede vacante &c. in 6. Piafec. d. c. 5. art. 2. n. 42.*

8. Sextò, Vicarius Episcopi potest conferre beneficia necessariæ collationis, non etiam ea, quæ sunt liberæ collationis, absque speciali commissione & licentia Episcopi, *c. fin. juncta Gloss. in V. commissio De officio Vicarii in 6.* Unde confirmat electos, instituit præsentatos: imò etiam uni ex præsentatis gratificari potest, *Piaf. d. loco n. 37. & seqq.*

9. Septimò, Sequester conferre beneficium potest, quando collationis est capax: nam laicus citra privilegium spiritualia tractare prohibetur, *c. 2. sup. De iudiciis*. Vide Garziam d. p. 5. cap. 6.

10. Octavò, Bonæ fidei possessor; quia collationum numeratur inter fructus, qui ad bonæ fidei possessorem spectant. Adeoque provisus à possessore bonæ fidei præfertur provisio à proprietario, *cap. Quarelam sup. De elect.* Videatur Garzias d. p. 5. Gonzales ad Reg. VII. *Cancell. Gloss. 45. §. 2.*

11. Quandoque etiam Abbatibus, Prioribus, seu aliis inferioribus Prælatibus ex singulari iure seu privilegio competit ius beneficia

M m

confe-



conferendi, *Clement. unica de supplenda neglig. Pralat.* imò etiam laicis ac mulieri ex privilegio & indulto Apostolico, Boetius *Decis.* 32. n. 10. *Cassad. Decis.* 1. tit. de jure patronatus.

At verò Imperator, Rex Franciæ, vel alii Principes habeant jus conferendi beneficia in suis regnis, vide Boetium *Decis.* 32. & Rebus. *Tract. de Regia ad Pralat. nominatione in V. Cathedralibus.*

## §. III.

Quibus conferri beneficia debeant?

1. *Conferri debent Clericis idoneis.*
  2. *Præferendus doctior minùs docto.*
  3. *Et quandoque minùs Doctus doctiori.*
  4. *Nemo instituendus, nisi examinatus & idoneus repertus fuerit.*
  5. 6. *Nisi Episcopus aliquem nominaverit: & de hoc quaestio.*
  7. *Institutio de jure ad Episcopum spectat.*
  8. *De consuetudine ad Archidiaconum.*
  9. *Semel examinatus, iterum ab eodem vel successore non examinandus.*
1. **C**onferri autem beneficia debent Clericis dumtaxat, iisque idoneis, qui Deo & Ecclesiis velint & valeant gratum impendere famulatum, & *Grave* 29. *sup. De prob.* sive nobiles sint, sive ignobiles: etiam si invaluisset consuetudo in Ecclesiis aliqua, ut quædam beneficia tantum nobilibus conferantur, quia non generis, sed virtutum nobilitas, vitæque honestas Deo gratos facit. *penult. eodem tit.* Hinc rescriptum summus Pont. pueris non posse beneficia Ecclesiastica conferri, id est minoribus xvi. annis, quia tales ad deservendum in Ecclesia non sunt idonei, & *Super inordinata* 35. *hoc tit.* Hinc etiam Conc. Trid. *Sess.* 22. c. 4. *in fine* generatim statuit, ut non aliis fiat collatio seu provisio, quam qui jam ætatem & ceteras habilitates integrè habere dignoscantur, aliterque facta sit irrita.
2. **P**ræferendus propterea est doctior minùs docto, cæteris paribus. *Covarruvias in c. Peccatum* p. 2. §. 7. n. 4. *De R. l. in 6. & Pialec. in Praxi* 2. p. c. 5. art. 3. n. 10.
3. **Q**uamvis dignus & minùs doctus, ejus noti & probati sint mores, præferri possit digniori & doctiori, ejus vita ignoratur, ex declaratione Cardd. quam ibidem refert Pialecias. Item idoneum ex eadem civitate, vel de gremio Ecclesiæ, vel si de genere fuerit

fundatoris, externo magis idoneo præferendum docet ibidem Pialecias post Lambertin de *jure patronatus* lib. 1. p. 3. art. 6. & Zecchum de *benefic.* c. 12. n. 26.

4. **S**tatuit etiam Concil. Trident. *Sess.* 7. cap. 13. ne præsentati seu electi vel nominati à quibusvis Ecclesiasticis personis, etiam Sedis Apostolicæ Nuntiis; ad quævis Ecclesiastica beneficia instituantur, nec confirmantur aut admittantur, etiam virtute cujusvis privilegii seu consuetudinis, nisi fuerint prius à locorum Ordinariis examinati & idonei reperti; neve ullus appellationis remedio se tueri possit, quo minùs examina subire teneatur. Præsentatis, electis seu nominatis ab Universitatibus seu Collegiis Generalium Studiorum exceptis, de quibus Rebus. in *Praxi Benefic.* de rescripto in forma pauperum.

5. **S**i tamen nominatio ad Episcopum spectet, & institutio ad aliquem inferiorem, fuerit satis, si Episcopus Clericum nominet & offerat, secundum *Abbatem in c. Significasti* 18. *inf. De jure patronatus*: quia præsentando approbat, ejusque est approbare Clericos suæ diocesis, & *ult. sup. De Clericis peregrinan.*

6. **V**erùm si nominatio spectet ad unum Episcopum, & institutio ad alium alterius diocesis, in qua situm est beneficium, an etiam sola sufficiat nominatio & oblatio, ut instituitur? Sufficere quidam putant, quia verum sit, eum approbatum esse ab Ordinario Azorius l. 2. *Institut. Moral.* c. 22. q. ult. Attamen verius videtur ex Concil. Trid. examinandum & approbandum ab Ordinario loci, in quo situm est beneficium: quia non statim ex eo, quòd quis sit idoneus in uno loco, inferre licet æque idoneum fore in alio: ipsumque Conc. mandat præsentatum & electum à Nuntio Apostolico, qui & Ordinarius est intra limites suæ legationis, examinari ab Ordinario loci, quippe cui magis exploratum sit, quàm idoneis in sua diocesi opus habeat Clericis & ministris. *Zyp. h. n. 3.*

7. **C**um etiam præsentatus sive electus alium pro obtinenda institutione adire non possit, quam Episcopum, loci ordinarium, qui super hoc habet fundatam intentionem in jure: & quidem sub pœna nullitatis, nisi ex privilegio vel aliter institutio pertineat ad alium Prælatum, inferiorem Episcopo, Conc. Trident. *Sess.* 4. c. 13. *De reformat.* Quo tamen casu



casu instituendus non nisi ab Episcopo examinari potest super idoneitate, maxime ad beneficia curata, nam ad eum spectat examen non ad alium inferiorem, Conc. Trid. Sess. 25. c. 9. *De reformatione*. Piafec. p. 2. c. 5. art. 2. n. 27.

8. Ubi verò ex consuetudine institutio beneficiorum spectat ad Archidiaconum, ut in his locis passim ei per dictum Conc. non derogatur.

9. Ceterum non potest Episcopus examinare promotum ad Ordinem vel beneficium à suo antecessore, nisi post promotionem supervenerit aliqua causa, ut in c. *Accepimus* sup. De aetate & qualitate ordinand. Sic enim & sacra Congregatio declaravit, Regularem semel examinatum & idoneum repertum ad confessiones audiendas, non debere ab eodem Ordinatio vel ejus successoris denuò examinari, Zecola 1. p. V. Confessor. §. 2.

## §. IV.

In quibus consistat idoneitas Clericorum ad beneficia.

1. Consistit ea in ordine, aetate & ceteris qualitatibus.

2. Incapaces beneficiorum enumerantur.

3. Inter eos etiam filii sunt haereticorum.

4. Item excommunicati, interdicti, & irregulares.

6. Qui orao & quae aetas requiratur, remissive.

7. Quae scientia & litteratura.

8. Beneficia quadam certa familia debita sunt.

9. Praevisi tenentur facere Fidei professionem.

1. **C**onsistit igiturabilitas seu admittendorum ad beneficia Ecclesiastica, in ordine, aetate, scientia, morum probitate, natalibus, & aliis, quae ad quadraginta septem cumulat Caesar. Lambertinus, referente Gonzales ad Reg. VIII. *Cancell. Gloss. 4. n. 109.* ubi subjungit, Quis est hodie, in quo illa concurrunt, & laudabimus eum! Sed illa moraliter accipienda sunt, ut scilicet secundum mores humanos adfuerint, quatenus fieri potest.

2. Ut verò summatim perstringam, consistit primum idoneitas in defectu canonici impedimenti. Hinc incapaces sunt beneficiorum Ecclesiasticorum, Primò, non baptizati, c. 1. sup. *De presb. non baptizato.* Secundò, non insigniti tonsura, c. *Ex litteris* sup. *De transact.* Tertio illegitimi, quive defectum patiuntur natalium, c. 1. & 2. *De filiis presb. ip. 6.* Cum iis tamen potest dispensare Episcopus ad minores Ordines,

& ad simplex beneficium, d. 8. t. Vide suprà l. i. eod. tit.

3. IV. Filii haereticorum, & qui in Jure dicuntur credentes haereticis, veluti haereticorum fautores, defensores, receptatores, c. *Quicumque* 2. §. *haeretici* c. *Statutum* 15 *De haeres. in 6.* Intellige de filiis haereticorum, qui tales esse, vel tales etiam decessisse probantur; deque illis haereticorum fautoribus & receptatoribus, quos similiter per sententiam in judicio constiterit fuisse & obfuisse tales, d. c. *Statutum*; idque usque ad secundum gradum in linea paterna; in materna verò ad primum dumtaxat d. c. *Statutum*. V. Conjugati, sup. *de Clericis conjugatis* §. 2. VI. Bigami, sup. *de bigamis non ordin. in fin.*

4. VII. Excommunicati, c. *Postulasti* 7. *In princ. inf. De Clerico excommunic.* Covar. inc. *Alma mater* p. 1 §. 7. n. 1 Si tamen conferatur beneficium excommunicato, ignoranti se esse excommunicatum, poterit illud retinere post absolutionem, dispensante eo, ad quem collatio spectabat. Riccius in *Praxi Dec.* 184. n. 173. ubi subjungit, posse quem acceptare beneficium, si biente excommunicationem collatum, & post absolutionem idem possidere ac retinere VIII. Suspendi, c. *Dilectus* sup. *De consuetudine.*

5. IX. Interdicti & violatores interdicti, c. 1. sup. *De Postulat. Pralat.* X. Irregulares, ex quocunque irregularitatis capite. Idque procedit, licet quis ignarus & nescius sit hujus irregularitatis. Et collatio facta irregulari nulli ei tribuitur, proindeque fructus receptos tenetur restituere; non tamen privatur prius acquisitis, nec impeditur ab actu jurisdictionis, sed Ordinis dumtaxat. Ita latè Riccius *Dec.* 185. Piafec. p. 2. c. 3. art. 3 n. 16. XI. Hostiliter persequentes, insequentes, percutientes aut capientes S. R. Ecclesiae Cardinalem, & ejus criminis socium item & filii & nepotes in recta linea, c. *Felicitis* in *princ. De poenis* in 6. Huc referuntur percutientes, capientes, bannientes Episcopum, ejusque criminis socii, consilarii, fautores & defensores; nam hi omnes iteq; filii ac nepotes redduntur ipso facto inhabiles ad acquirenda beneficia in ea Ecclesia & diocesi, in qua Episcopus praesidet, non etiam in aliis, *Clem. 1. in princ. De poenis* & *Gloss. ibid.* XII. Caeci, qui horas Canonicas recitare nequeunt. Denique Simoniaci, & alii similes.

Quantum ad ordinem & aetatem attinet ordinam.

M m 2



dinandorum, & præficiendorum beneficiis, videri possunt, quæ alibi de his diximus, *lib. 1. tit. 14. §. 3. & 5.* Quibus illud hic addo, semper ar- tendi eum Ordinem oportere, quem ipsa digni- tas vel beneficium ex sui natura vel consuetu- dine aut statuto requirit, non autem, quem for- te requireret aliud beneficium eidem unitum: nam hoc non alterat, sed sequitur naturam ejus, cui unitum est, prout in simili declara- vit sacra Congregatio Cardd. Interpp. Conc. cujus declarationem refert Piafec. p. 2. cap. 5. art. 5. n. 17.

7. Scientia verò talis requiritur, quæ ad mu- nus beneficio annexum ritè & debitè obeun- dum est necessaria, arbitrio Episcopi & exami- natorum: ideoque major vel minor, pro di- versitate munerum. Piaf. c. d. art. 3. n. 11. & seqq. Reperenda hic quoque sunt, quæ de qualitate scripsimus ordinandorum, *d. lib. 1. tit. 14. §. 2.* Quod autem DD. communiter asserunt, col- lationem factam illiterato esse nullam, limitan- dum puto ad omnimodam illiteraturam cum quis Grammaticus non est, vel nescit legeret alioqui quando vel mediocrius est doctrina ac litteratura, existimo tenere collationem, sed beneficiatum beneficio privandum, tene- rique ad renuntiandum, c. *Dudum sup. De electio- ne, c. ult. sup. De atate & qualis. & c. 1. Nisi sup. De renuntiatione.*

8. Videndum etiam est, ut, si beneficia de- beantur certis personis, seu certo generi per- sonarum, ex fundatione (cujus forma servanda est in provisione beneficiorum, Garz. 7. p. c. 15. n. 4 & 5.) institutione, statuto, consuetudine vel privilegio, iis conferantur, modò scilicet sint habiles, arg. l. *Vi gradatim versis ut si lege D. De muneribus & honoribus*, Garz. d. loco n. 2. & 3. *juncto rum. 12.* nam aliàs præsentatio vel pro- visio facta non habenti qualitates, ex funda- tione requisitas, est invalida, nempe si quis, eas qualitates habens, contradicat & sibi pro- visionem fieri petat. Videatur plenius Garz. d. loco.

9. Præterea observandum est, Concilium Tridentinum Sess. 24. c. 12. statuere, ut provisi de beneficiis quibuscunque, curam animarum habentibus teneantur à die adeptæ possessionis ad minus intra duos menses coram Episcopo, vel eo impedito, coram generali ejus Vicario seu

Officiali publicam Fidei facere professionem: provisi autem de Canonicatibus & dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus non solum coram Episcopo seu eius Officiali, sed etiam in Capitulo idem præstare teneantur, sub pœnis ibidem sta- tutis. Vide Piafec. d. cap. 5. art. 3. num. 89. & Zy- præum, *Tit. de præbendis n. 3.* Denique subjicien- dum hoc loco foret de modo quo conferri debe- ant beneficia, sed quia de eo pro parte agitur in- fra in Tit. *Vi Ecclesiastica beneficia sine diminu- tione conferantur.* idèd hic dicenda; ut simul, & se- mel ea de re tractetur, ad eum Tit. rejicimus.

## TITULUS VIII.

### De concessione præbendæ & Ecclesiæ non vacan- tis.

#### §. I.

#### Beneficia quando conferenda.

1. 2. Beneficia non conferenda aut promittenda, nisi vacent.

3. Licet in genere quis promittat.

4. 5. Expectativa sublatæ, etiam olim in Belgie.

**S**olent præbendæ ac dignitates, aliaque bene- ficia Ecclesiastica conferri aut promitti, an- tequam vacent; & quandoque, dum vacant, non conferri: sequitur proinde, ut videamus tam de promissionibus & concessionibus non vacantium, quàm de negligentia circa concessiones vacantium, & tradamus breviter, quando conferri debeant, vel non.

1. Conferri autem debent, quando vacant, & non antè, quia non vacantis beneficii collatio, tanquam continens totum captandæ mor- tis alterius, (quod est contra bonos mores, l. ult. c. de pactis) est ipso jure reprobata & nul- la, c. 1. & 2. & per tot. hoc tit. can. Non solum vii. qu. 1. Adeò quidem, ut si quis impetret scien- ter, aut se patiatur in beneficium viventis insti- tui, ab Ecclesiastica communione sit arcendus & de-



& deponendus, id est, sacris ordinibus, quibus initiatus est, spoliandus, *d. c. 1. h. t.* sitque inhabilis, etiam eo mortuo, ad illud consequendum absque dispensatione summi Pontificis, Panor. mit. *ibid.*

2. Si verò non patiat quidem se institui, sed tantum promissionem beneficii non vacantis acceptet, jus nullum ad beneficium requirit, quia vetat etiam Canon beneficia non vacantia promitti, *d. c. 2. Et Ex tenore 13. h. t.* Conc. Trid. *Sess. 14. cap. 10. De reformat.*

3. Nec refert, an generaliter, an specialiter fiat beneficii non vacantis promissio, *d. c. 2.* Ideoque non obstante tali promissione, potest beneficium, simul arque vacat, alteri, quam cui promissum est, conferri; non obstante etiam appellatione, cui promissum est, *c. Rejatum 3. h. t.* Et licet jure Decretalium Greg. IX. Prælati, qui promississet fortè in genere se alicui de beneficio prospecturum, videatur ad hoc obligatus, *c. Accedens 14. h. t.* cò quòd promissio hujusmodi non ita adjunctum habeat votum captandæ mortis, cum multis aliis modis adimpleri possit, quam per mortem alterius, veluti si beneficium adhuc obtinens coadjutorem petat, *c. De rectoribus 3. sup. De Cler. agrotante*; si præbendam opulentam inter duos Episcopos dividat, *c. Vacante 26. sup. De præbendis*; tamen jure Decretalium Bonif. VIII. talis promissio est verita, *c. Detestanda eor. in 6.*

Non obstat *d. cap. Relatum*; quia ibi Episcopus jam recepto in Canonicum promiserat præbendam, ad quam conferendam etiam sine promissione tenebatur, cum Canonicatus non debeat nec possit esse diu sine præbenda.

4. Sed nec expectativæ dari amplius possunt ad primum beneficium vacans: quia illas novissimè dari vetuit Concilium Tridentinum *Sess. 14. cap. 19. De reformat.* ut etiam frustra Ordinarii accedat consensus, uti ex declaratione Cardd. tradit Gonzales *ad Reg. viii.* Cancell. *f. 1. proæmialium 63.* ubi subjungit eandem Congregationem declarasse, ex eodem decreto expectativarum prohibitarum seu abrogatarum non posse erigi Canonicatum supernumerarium ad futuram præbendam: atque in super illud decretum tolli omnes mentales reservationes; quales erant, quando Papa referebat beneficium vel in specie, vel in genere, per

Bullam vel per Breve, ad providendum personæ, quam non exprimebat, sed in mente retinebat.

5. Sed & hic in Belgio nostro jam olim prohibitas fuisse expectativas per Maximilianum Imperatorem *litteris Edicti datis Mechlinia 12. Septembris, 1485.* & regressus ad beneficia resignata, reservationes pensionum, translationes, insens & invit. s. qui gravata beneficia possiderent, refert Zypæus *De lure Pontif. novo lib. 3. h. t. in fin. e.*

## §. II.

## Quibus modis beneficia vacent.

1. Vacare contingit beneficia variis modis.
2. Qui ad tria vel quatuor genera revocari possunt.

Variis autem modis vacare contingit beneficia; Primò, per mortem naturalem beneficiarii. Secundò, per renuntiationem simplicem, vel ex causa permutationis, ita tamen, ut, si beneficium sit juris patronatus, consensus interveniat patroni; quem sufficit supervenire postea. Riccius *latè Decis. 219* Tertio per privationem & depositionem. IV. Per electionis cassationem. V. Per translationem. VI. Per ademptionem secundi incompatibilis pacificam. VII. Si quis habens parochialem Ecclesiam non fuerit promotus intra annum. VIII. Si beneficiatus contrahat matrimonium vel sponsalia per verba de presenti, modo antea explicato. IX. Si quis per vim obtineat seu occupet secundum. X. Per ingressum Religionis, Professionem securâ XI. Si electus intra mensem, à tempore presentatæ electionis, vel à tempore præstituto, non consenserit, vacat Prælati, & si intra tres menses, post consensum electioni datum non petierit confirmationem, ipso jure amittit jus sibi quæsitum per electionem. XII. Vacant beneficia Episcopi electi & confirmati, post menses tres; dados ad petendam consecrationem. XIII. Quando beneficium habetur pro derelicto. XIV. Quando quis alienat res beneficii sui. XV. Per crimem hæresis, Gemoniæ, læsæ Majestatis, sententiâ declaratoriâ præcedente: & pluribus aliis modis, quos vide apud Staphilæum *De literis gratia Tit. De variis modis vacationis.* Rebuffum



*in praxi benef. Tit. requisit. ad collationem bonam*  
à n. 49. & *Tract. De Regia ad Pralaturae nomina-*  
*tione. § monasteriis V. Vacantibus, ubi enumerat*  
*triginta & unum modos.*

2. Possunt tamen omnes hi modi revocari ad tria vel quatuor genera. Nam beneficia vacant vel de facto tantum, vel de jure tantum vel per sententiam Judicis, vel denique de jure & facto simul. Ipso facto tantum vacat beneficium, quando quis de facto, vi vel metu, cogitur relinquere sui beneficii possessionem, vel vi de possessione deicitur, c. 2. & 3. *sup. De his, quae vi metus ve causa fiunt.* Ipso jure tantum vacare dicitur, quando ab ipso jure inducitur vacatio, seu quando, certo aliquo casu adveniente, ab ipso jure declaratur quis privatus beneficio, ita ut absque alia declaratione Judicis aut monitione vel citatione illud alteri conferri possit, licet is, qui jure privatur, possideat beneficium. Per sententiam Judicis vacat, quando ab ipso Judice ob aliquod delictum inducitur vacatio, seu privatur quis beneficio. Ipso jure & facto vacat per mortem beneficiarii vel per reavocationem vel resignationem veri tituli.

### §. III.

Intra quod tempus conferri debeant.

1. Conferri debent intra sex menses
2. De beneficiis in Commendam dari solitis.

1. Conferri beneficia debent intra statuta tempora, id est, intra sex menses: alioquin iis elapsis, ab Episcopo, si ad eum spectet collatio, ea devolvitur ad Capitulum, & contra à Capitulo ad Episcopum. Hinc ad Metropolitanum, c. 2. h. t. & ab hoc ad Patriarcham, cui Metropolitanus subijcitur, vel, si nulli Patriarchae subijciatur, ad summum Pontif. Hoc tamen tempus sex mensium computatur non a die vacationis, sed à die, quo collator scivit vel scire debuit beneficium vacare: neque illud legitime impedito currit, c. *Quia diversitatem* §. h. t. c. 3. *sup. De supplenda negligentia Pralator.* Quod si collator post tempus sibi praefixum contulerit beneficium adhuc vacans alteri, sustinetur quidem eo casu collatio, sed ex patientia, dummodo contulerit idoneo.

2. Quandoque verò beneficia vacantia non

conferuntur in titulum, sed commendantur. Et autem commendare nihil aliud, quam depocere, l. *Commendare* 108. D. *De verb. signif.* l. *Lucius* D. *Depositi, can. Ne quis arbitretur* xxii. *quasi.* 1. cap. 1. *inf. De Deposito, Glos. in cap. Nemo* *sup. De electione in V. Commendare* Sed quia de commendatione beneficiorum nec tempus, nec brevitatem, cui studeo, fusius agere permittit, videri potest Azor. 2. p. *Instituti. moral. lib. 6. c. 3.* & alii, quos citat Gonzal. *ad Reg. viii. Cancell. Glos. §. 8. m. 62.* & Garz. *De benef. 4. p. cap. 4.*

Illud tamen notandum, quòd beneficium commendatum, si ve ad tempus, si ve in perpetuum, morte commendatarii non censetur vacare per obitum. Latè Gonzales *d. loco à nam.* 48. Quodque, ut in Gallia nihil penes frequentius est Vicariis perpetuis, ita nihil quoque videatur Ecclesiae Gallicanae esse perniciosius, dum ut plurimum pueris & infantibus dignitates & beneficia in Commendam dantur. Prudentius sanè Principes Belgici Ecclesiae consulunt, dum hujusmodi Commendas non concedunt, nec ullis nisi Professis Regularibus dignitates conferunt: tantaque circumspectione indulto suo quoad nominationem & primarias dignitates utuntur, ut ipsae Ecclesiae sperare non possint à Cleri electione meliorem sortem, quàm à nominatione Principali, ut rectè scribit Zypæus, *Tit. de Clerico agrotante* 3. subjungens 4. jam olim in Brabantia Ordines à Principibus suis stipulatos fuisse, ne ipsi vallas dignitates in Commendam darent, aut permitterent dari; idque summo Reipublicae bono, quamvis in Burgundia non nihil ab hujusmodi voto deflectatur; ex vitio vicini, inquit, aëris.

### §. IV.

De pluralitate & incompatibilitate beneficiorum.

1. Beneficia quaedam compatiblea, quaedam incompatiblea.
3. Incompatiblea vel sunt primi generis.
4. In quibus solus Pont. dispensat regulariter.
5. Vel sunt incompatiblea secundi generis, id est quoad retentionem.
6. In quibus Episcopus dispensare potest.
7. Compatiblea sunt simplicia beneficia.

8, Dum



8. *Dummodo alterum non sit sufficiens ad sustentationem.*  
 9. *Nec tunc dispensatione opus est de consuetudine.*  
 10. 11. *Quoddam dicatur sufficiens.*  
 12. *Difformia sub eodem tecto esse compatibilia.*  
 13. *Nullus triplex esse potest in eadem Ecclesia.*  
 14. *Ex quibus causis beneficia sine dispensatione sibi compatiuntur.*  
 15. *Ex quibus cum dispensatione.*

Non abs re fuerit, hic aliqua de pluralitate & incompatibilitate beneficiorum subnectere.

Et tamen si varii essent Juris textus, quibus probari videatur, beneficia omnia esse incompatibilia, quia quodlibet beneficium de jure communi personalem requirit residentiam, unde potissimum resultat incompatibilitas, & quia multitudo præbendarum invitet ad dissolutam vitam, & divagationem de Ecclesia in Ecclesiam, contineatque magnum animarum periculum, cum unus occupet stipendium aliorum, qui Ecclesiae etiam deservire valeant, sed præoptio non possunt, *c. in tantum 3. h. t.* non desunt tamen alii, ex quibus probari potest, eorum quædam esse compatibilia, quædam incompatibilia, ut in *c. Gratia sup. De reformat.* in *clement. Gratia eod. tit.* Unde & Conc. Trid. Sess. 7. cap. 4. *De reformat.* supponit quædam esse compatibilia.

2. Dicuntur autem compatibilia, quæ vel ex jure communi, vel ex consuetudine, vel statuto aut fundatione, simul obtineri ac retineri possunt. Incompatibilia verò, quæ nec de jure communi, nec ex consuetudine, statuto aut fundatione, simul possunt retineri. Talia sunt duo beneficia curata, duæ dignitates, duo personatus, duo officia, sive in eadem Ecclesia, sive in diversis; & pleraque alia, personalem residentiam requirunt, *c. Ad hac 13. c. Præterea 14. c. Cum non ignoret, c. De multa 28 sup. De præbendis.*

3. Incompatibilia duplicis sunt generis: nam alia ita sunt incompatibilia, ut per adeptionem secundi pacificam, unâ cum libera fructuum perceptione, aut ubi per beneficiarum steterit, quò minus acceperit possessionem, vacet prius ipso jure. Talia sunt duo curata beneficia, duæ dignitates, duo personatus, duo officia, & alia,

quæ jurisdictionem aliquam annexam habent, ut visitandi, corrigendi, excommunicandi *d. c. De multa*, & *Extravagante Execrabili Ioann. xxii. De præbendis.* Item unum cathedrale cum parochiali, ex nova dispositione Concilii Tridentini, Sess. 24. c. 17. *De reformat.* Item duo uniformia sub eodem tecto, id est, in eadem Ecclesia, ad eandem functionem instituta, idemque onus & officium habentia, eodem tempore explendum; cujusmodi sunt duo Canonici, duæ Capellanæ in eadem Ecclesia. Alioquin ad inducendam hujusmodi incompatibilitatem non sufficit, quòd sint in una Ecclesia, vel quòd simili nomine nuncupentur. Navar. *Consl. 16. De præbendis.* Pialec. 2. p. c. 5. art. 3. n. 72. Vide latè Riccium in *Praxi Decis. 41.* Et hæc vocantur *Incompatibilia primi generis*; & prius, quòd vocat ipso jure per adeptionem secundi, referatur Sedi Apostolicæ, *d. Extravag. Execrabilis.*

Intelligitur autem tunc demum vacare primum, posteaquam quis fuerit nactus pacificam possessionem secundi, cum libera fructuum perceptione, fraude cessante. Unde si fructus secundi ex aliqua causa alteri ad tempus debeantur, non censetur vacare primum, *cap. Si tibi absenti De præbendis in 6. c. ibid.* Franc. Gemin. Dias in *Praxi c. 42.* Pialec. d. loc. n. 74.

4. In hujusmodi verò beneficiis simul retinendis non potest dispensare Episcopus, cum id aperte prohibeatur in *d. c. De multa*; & quia prohibitio est Concilii, contra quòd dispensare non potest Episcopus, *c. Cum dilectus junctâ Gl. in V. in acate sup. De Elect.* nisi gravis subiret necessitas, quæ legem non habet, aut evidens utilitas; potissimum ubi Pontifex consuli nequit, qui alioqui solus relaxare potest commune potest, non etiam Episcopus vel Legatus. Pialec. d. loc. n. 78. ex Archid. Staphil. Rebuffo, quos citat.

5. Alia sunt incompatibilia quoad retentionem tantum: quia scilicet simul retineri non possunt absque dispensatione. Non tamen ita sunt incompatibilia, ut per acceptionem & possessionem pacificam secundi vacet prius ipso jure, sed datur optio habenti, ut eligat retinendum; altero verò potest per superiorem privari. Et hæc vocantur *incompatibilia secundi generis*: hujusmodi sunt dignitates & Canonici in diversis Ecclesiis & reliqua, residentiam

qui-



quidem personalem requirentia, non tamen habentia curam animarum, dignitatem, personatum, vel officium annexum; nec sunt uniformia sub eodem tecto, licet simplicia sint.

6. Et quoad retentionem huiusmodi beneficiorum dispensare potest Episcopus, juxta Gloss. communiter receptam in c. Dudum in V. intitulatam sup. De elect. cum nullibi prohibeatur, imò & consuetudo iusta in talibus excusare potest; cum eodem modo consuetudo, quo dispensatio derogare jure possit, c. ult. sup. De consuet. Piafec. d. loco n. 81.

7. Compatibilia sunt simplicia beneficia quæ ex statuto, vel consuetudine, vel fundatione, personalem residentiam non requirunt, vel quorum unum requirit residentiam, alterum non utrique.

8. Quando scilicet alterum non est sufficiens ad congruam sustentationem beneficiati: alioqui si unum sufficiat, retineri simul de jure communi nequeunt, c. Conquerente 6. sup. De Clericis non resident. can. Singula Distincta 89. & similibus; quibus statuitur, ut singula Ecclesiastici iuris officia singulis quibusque personis conferantur, & ne aliquis in duabus Ecclesiis intuleretur, ut loquitur summus Pont. in can. Sacramentorum Dist. 70. & can. Clericus XXI. qu. 1. Concil. verò Trident. Sess. 24. c. 17. de reformat. statuit, ut in posterum singulis unicum dumtaxat beneficium conferatur: quod quidem statuitur vitæ eius, cui confertur, honestè sustentandam non sit sufficiens, liceat eidem aliud simplex sufficiens, dummodò utrumque personalem residentiam non requiratur, conferri; non contra, ut habenti beneficium sufficiens concedatur aliud insufficiens.

9. Et generali consuetudine obtrinit, ut in talibus simul retinendis non petatur dispensatio, sed conscientie cuiusque relinquatur, ut secum iudicet, an unum non sufficiat ad sui sustentationem, quo excusari possit apud Deum Piafec. d. loco n. 84. ubi tamen subiungit, tutiorem & communiorem sententiam esse, ut hoc in arbitrio sit iudicis, isque æstimet sufficientiam beneficii, consideratâ qualitate personæ, loci & temporis, cum unum & idem beneficium, respectu temporum & personarum, nunc magnum & sufficiens, nunc parvum seu tenue videri possit.

10. Interim illud sufficiens dici potest, ex quo Clericus, pro gradus sui conditione, se, suos-

que familiares, parentes, fratres, & consanguineos egentes, honestè sustentare valeat, non etiam augere studeat, ut ex Concil. Trident. Sess. 25. cap. 1. de reformat. tradit Zypæus de jure Pontif. novo lib. 3. Tit. De Clericis non resident. num. 7.

11. Præterea in dijudicanda sufficientia huiusmodi non est habenda ratio bonorum patrimonialium, cum illa, fructusque eorum reservare sibi beneficiatus possit, & ex fructibus solus vivere beneficii, secundum communem DD. sententiam, teste Piafec. d. loco n. 86. ubi Felin. Covar. Navar. & alios citat.

Cæterum memorat Zypæus d. loco n. 4. ex ceteris & iustis causis indultum esse Canonis Antverpiensibus privilegium, ut plura beneficia possint obtinere & retinere, modò non sint contraria, aut personalem residentiam de jure vel consuetudine non requirant; atque illi hodieque locum esse.

12. De beneficiis difformibus sub eodem tecto, an ea sint incompatibilia, dissentiunt Interpretes. Verius est, de jure communi esse compatibilia, si modò alias sibi mutuo non pugnent, ratione residentie aut servitii, Lessius 2. De iur. & iustitia cap. 34. num. 44.

Dixi, de jure communi; quia sunt quædam declarationes Cardd. quibus difformia sub eodem tecto declarantur ex mente Concil. Trident. esse incompatibilia: secundum quas declarationes, si à summo Pontifice sint approbata, consequenter dicendum, post Concil. Trident. per afflictionem secundi, cum pacifica possessione & libera fructuum perceptione, vacare ipso jure primum.

13. Non potest tamen quis in eadem Ecclesia habere triplex absque dispensatione summæ Pontificis; nec valet consuetudo aut statutum in contrarium, c. 1. De consuetud. in 6. Garzias. 11. c. 5. num. 23.

14. Porro, ut summatim dicam, certis casibus, plura simul beneficia obtinere quis potest aut sine dispensatione, aut cum dispensatione. Sine dispensatione; Primo quando sunt parva simplicia, etiam Canonici, quorum neutrum sufficiat ad congruam sustentationem beneficiati, & alterum non requirit residentiam, sive ex institutione, sive ex præscripta consuetudine: imò etiam quando unum est sufficiens, modo non sit Canonicatus & alterum



rum insufficiens non requirat residentiam.

1. Vbi observandum, quod licet ante Conc. Trident. duo cutata beneficia ita tenuia, ut non possent Rectorem alere, potuerint retinere absque dispensatione, *c. Eam te sup. De arate & qualitate ordin.* tamen post Concil. Sess. 24. c. 17. *De reform.* nequeant retineri absque dispensatione summi Pontificis.

Secundò, si Ecclesia Cathedralis vel parochialis, aut dignitas, propter angustias tenuitatemque non sufficiat sustentationi congruæ sui Rectoris, potest simul cum ea obtineri beneficium simplex, non requirens residentiam Colligitur ex Conc. Trident. *d. Sess. 24. cap. 13. & 17.*

Tertiò, quando dignitati aut Canonicali accessorie annexa est parochialis, quæ per Vicarium administrari solet: quia beneficium unum alteri perpetuò & accessorie censetur unum cum illo, & naturam ejus induit, licet simplex fuerit; imò prædium ejus reputatur, ut proinde hoc casu magis unicum beneficium obtineatur, quam plura.

Quartò, si unum detur in titulum, alterum in commendam ad tempus, veluti sex menses, quamvis sit parochialis Ecclesia, quia commendam ejusmodi non dat titulum, nec inducit incompatibilitatem, *can. Qui plures, xxxi. q. 1. c. Dudum 54. circa fin. sup. De elect. & ibi Glos. in V. institutam, c. Nemo eod. tit. in 6. Piafec. d. art. 3. n. 76.* Et tamen casu videtur requiri saltem Ordinarii dispensatio. Commenda vero perpetua quia titulum dat Canonico, Joan. Monach. in *c. Nemo deinceps De elect. in 6.* beneficium reddit incompatible; habetque locum in hujusmodi commendis *cap. De multa hoc tit. Piafec. d. art. 3. n. 77. Vide Concil. Trid. Sess. 7. De reform. cap. 4.*

Per dispensationem vero incompatibilia quis obtinere potest, ex justa causa: veluti ob Ecclesie necessitatem, ut quia alii idonei desint; vel ob magnam utilitatem, ut si non sint alii potentes satis ad Ecclesie tuitionem; vel ob meritum evidentem prærogativam, qualis est nobilitas, dignitas personæ, litteratura insignis, industria, prudentia, *c. De multa 28. & d. Extravag. Execrabilis.* Sed hæc causa revocatur ad secundam. Dispensat autem in incompatilibus primi generis solus Pontifex regulariter, ut antea monuimus; in aliis etiam

Legatus vel Episcopus, modo utrumque personale residentiam non requirat. Conc. Trident. *d. Sess. 24. cap. 17.* Carterum conniventia possidenti plura nihil prodest, quia hæc non est aut intelligitur dispensatio, *c. Cum jam dudum 18. in fin. sup. de præbendis.*

## TITULUS IX.

## Ne sede vacante aliquid innovetur.

1. Capituli nomine quia hic intelligatur.
2. Sede vel Ecclesia vacante nihil innovandum.
3. Capitulum sede vacante beneficia conferre nequit.
4. Potest tamen conferre beneficia devoluta.
5. Potest & dare ei commendam ad tempus.
6. Sede vacante administrat & jurisdictione Episcopali jungitur.
7. Unde judicat & c. item confirmat vel infirmat electos.
8. Recipit resignationes beneficiorum & instituit præsentatos.
9. Dispensat cum illegitimo quoad Ordines minores.
10. Unius beneficia.
11. Absolvit à casibus Episcopo reservatis.
12. Non tamen exercet ea, quæ sunt ordinis Episcopalis.
13. Ex decreto Concil. Trid. Capit. Sede vacante Oeconomum & Vicarium constituit.

Constat ex antedictis, collationem præbendarum & dignitatum de jure communi pertinere ad Episcopum. Unde dubitari poterat, an Sede vacante, id est mortuo Episcopo vel etiam excommunicato, aut suspensio ab officio, Capitulum succedat Episcopo in eorundem collatione.

1. Vbi pro clariori intelligentia præmittendum est, nomine Capituli hic intelligi ipsum Canonicorum Collegium, seu Canonicos congregatos: nam soli Canonici (non etiam alii Clerici, quantumvis in eadem Ecclesia beneficiati) unà cum eo, qui illis præest, sive

N<sup>o</sup>

Decano



Decano, sive Præposito, pro diversa Ecclesiæ consuetudine, Capitulum constituunt, 10. And. & alii passim in *c. Ex eo de elect. in 6.* Et hinc quoque qui eis præest, sive Decanus, sive Præpositus nomine Capituli venit, *c. Novit inf. De his quæ sunt à Prælati sine consensu Capituli.*

2. Hoc præmisso, dicendum, regulariter, vacante Ecclesiâ, nihil esse innovandum, id est faciendum, quod præiudicat Ecclesiæ vel Prælati defuncti successori, *c. 1. §. attendentes hoc t. aded ut iudicium contra Ecclesiâ, Sede vacante, eaque de causâ legitimo defensore carentem, habitum, sit nullum, d. c. 1. hoc tit.* Sicut & iure civili sententia est nulla contra minores, tutorem vel curatorem non habentes atque in defensos (quibus Ecclesiâ carens Prælati comparatur in *d. c. ult. lata, l. Adh. 43. D. De re iudicata.*

3. Similiter dicendum, Capitulum non posse beneficia vacantia, quæ de iure communi vel consuetudine ad solius Episcopi collationem spectant, conferre *c. 2. hoc tit.* tum quia id nusquam invenitur cautum in iure *c. 2. hoc tit.* tum quia collatio illorum beneficiorum inter fructus Episcopi connumeratur, *c. fin. De officio Vicarii in 6.* quos Capitulum dilapidare non potest, sed futuro Episcopo reservare tenetur, *c. Cum vos 4. sup. De officio Ordinarii, c. Quia sapè 40. De elect. in 6.* Idque obtinet, etiam si alias Episcopus non consuevisset talia beneficia conferre sine consilio & assensu Capituli. Et nec Archiepiscopo quidem, Sede vacante vel suspensio Episcopo, in beneficiis huiusmodi conferendis sese ingerere licet, nisi in certis causis devolutionis, *Piasecius p. 2. c. 5. art. 2. num. 28. & seqq.*

4. Potest tamen Capitulum conferre beneficia, quæ vel ad Episcopi collationem, per negligentiam inferioris collatoris, devoluta sunt Abbas in *d. c. 2. hoc tit.* quia cum talium collatio non proveniat ex ipsa dignitate Episcopali, sed ex accidente, scilicet negligentia inferiorum, non potest dici fructus aut inter fructus dignitatis censeri, Zypæus *De iure Pontif. novo hoc tit. n. 7.* vel quæ simul ad collationem Episcopi & Capituli spectant, nam tunc totum jus Capitulo accrescit, *c. unico eod. in 6.* Videatur Garz. *5. p. cap. 4. n. 49. §. 50. & 51.*

5. Potest etiam Sede vacante, beneficium, spectans ad collationem solius Episcopi, com-

mendare ad tempus, donec alius succedat, *Piasec. d. loco num. 43.*

6. Præterea quia, Episcopo mortuo, non statim illi alius sufficitur, ideo, ne mora hæc vacanti Ecclesiæ damnosa sit, prudenter à sacris Canonibus statutum fuit, ut interea ejusdem Ecclesiæ Capitulum in jurisdictionem & administrationem tam spiritualium quam temporalium rerum, exceptis casibus à jure denegatis, succedat, *c. 3. De supplenda neglig. Prælat. in 6. c. Cum olim sup. De majorit. & obed. & similibus.* Idemque obtinet, Episcopo à paganis & schismaticis capto, & nondum Ecclesiæ suæ restituto, nisi aliter ea de re consultus Pontifex statuerit, *d. c. 3.* Similiter propter absentiam vel etiam subinde propter delictum Episcopi, *Glozm. d. Abolendam inf. De hæres.*

7. Hinc Capitulum iudicat, condemnat, absolvit, excommunicat, Sede vacante, vice Episcopi, perinde ac si Episcopus viveret, *c. Hu quæ sup. De majorit. & obed.* Similiter electos Prælatos Ecclesiæ, quæ sunt in diocesi Episcopali, confirmat vel infirmat, *c. Cum olim, junctâ Gloz. in V. capitulo sup. d. tit. Piasec. d. loco num. 44.* Adeoque si electio spectet ad Capitulum, & confirmatio ad Episcopum; Capitulum, jure capitulari eligit, & confirmabit jure Episcopali, *arg. l. Si consul. D. De adeptionibus.*

8. Pari modo permutationes seu resignationes beneficiorum ex causa permutationis recipere potest, Abbas in *d. c. Cum olim, ibi, Sexto dubitatur, Piasec. d. loco num. 45.* licet & instituere præsentatos à patronis, *c. 1. de Instit. in 6.* quia hoc, sicut & prius, est quid necessarium & debitum, nec sicut ullum futuro Episcopo vel Ecclesiæ creatur præiudicium; imò levatur illo onere.

9. Potest & dispensare cum eo, qui defectum patitur natalium, ad minores Ordines & ut simplex beneficium obtineat.

10. Unire beneficia, vel unioni auctoritatem præstare, dummodo juri Episcopali nihil detrahatur, *c. unico hoc tit. in 6. Piasec. d. c. 5. art. 3. n. 61. ubi alios citat.*

11. Potest insuper absolvere, à casibus, Episcopo reservatis, & dispensare in censuris & irregularitatibus, in quibus dispensandi facultas comperit Episcopo, cui Capitulum succedit in his, quæ sunt necessariae & contentiosæ jurisdictionis, *Panormitanus in 6. 2. circa fin. hoc tit.*



*hinc. Cum olim sup. De majorit. & obed. Sunt autem casus reservati Episcopis alii de iure, alii de consuetudine, alii denique, quos ipsi sibi reservant. Videtur Pia fec. p. 2. cap. 1. art. 3.*

12. Dixi autē. Exceptis casibus à Jure denegatis, quia quædam excipiuntur à Jure: nam, præter enumerata jam antè, non potest exercere ea, quæ sunt ordinis Episcopalis, puta ordinare Clericos, consecrare Ecclesias, & eiusmodi alia; licet possit efficere, ut ea expediantur per Episcopos vicinos, sine præiudicio futuri successoris, *e. l. uni 24. De elect. in 6.*

13. Observandum postremò hîc est, quòd Conc. Trid. Sess. 24. cap. 16. *De reformat. m. ad. ut capitulum*, Sede vacante, ubi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, Oeconomum unum vel plures fideles ac diligentes debeat, qui rerum Ecclesiasticarum & proventuum curam gerant; eorum rationes ei, ad quem pertinebit, reddiduri. Item ut Officialem seu Vicarium infra octo dies post mortem Episcopi constituat, vel existentem confirmet: de cuius officio lib. 1. egimus satis. Currit autem octiduum illud à die notæ vacationis, etiam per translationem, nondum adeptâ quoque possessione, ex congregat. Concilii, Quaranta *V. Capitulum q. 12.*

Cæterum de administratione Capituli. Sede vacante, plenius videre licet Panormit. & alios ad *d. c. Cum olim. sup. De majorit. & obed. Patavin. Tract. de hære. & Conc. Trident. d. Sess. 24. cap. 1. & 16.*

## TITULUS X.

## De his, quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli.

1. Prælatus in arduis pleraque expedire nequit sine consensu Capituli.
2. In levibus negotiis solo consilio est opus.
3. Vt & in statutis condendis.
4. Nisi in casibus à Jure expressis.
5. Decretum Conc. Trid. de judicanda persona Capitulari.

6. 7. 8. *Quanam in condendis statutis servan. & sint.*

9. *Qualiter Episcopus Capitulo quid proponat ad deliberandum.*

Quemadmodum, Sede vacante, nihil est innovandum per Capitulum: ita è diverso Sede non vacante, Episcopus vel alius Prælatus de rebus Ecclesiæ pro arbitrio disponere, sine consensu aut consilio Capituli. \* 1. multa que alia expedire nequit. Veluti ardua inprimis: qualia sunt, Abbates & Abbatissas, aliasque personas Ecclesiasticas in beneficiis instituere vel destituere, *e. Novit 4. h. t. collationes beneficiorum & electiones confirmare, e. Quanto 5. h. tit. Ecclesias, sibi aut suæ Ecclesiæ subiectas, aliis Ecclesiis, etiam Monasteriis attribuire, e. Tuam nuper 8. & c. Pastoralis 9. eod. veteres dignitates suppressas in sua Ecclesia suscitare: Ecclesiæ statum mutare. Sic irrita est Episcopi donatio, venditio, commutatio rei Ecclesiasticæ absque tractatu, consensu & subscriptione totius Cleri vel Capituli, *e. 1. & d. c. Tuam nuper. Modice tamen res quasdam Ecclesiæ donare potest, etiam absque consensu vel consilio Capituli veluti quinquagesimam partem proventuum Ecclesiæ in alios pios usus, puta ad alendos pauperes, e. penult. in fine h. tit. Item si Prælatus ad tempus tantum res quasdam Ecclesiæ alicui conferat, non est opus consensu Capituli, modò non contradicat, & postea ratum habeat, *e. 2. & 3. h. tit. Ita etiam tenet donatio, quam facit laicus, decimas Ecclesiæ alicuius in feudum obtinens, iam ante Concilium Lateranense, cum solius Diocessani seu Episcopi consensu, e. Cum Apostolica 7. h. t.***

2. In levibus etiam negotiis non requiritur consensus capituli, sed satis est consilium adhibere, quod tamen sequi non tenetur, Innoc. in *e. fin. sup. De majorit. & obedien*

3. Similiter in statutis condendis opus quidem consilio est Capituli, *d. c. Quanto h. t. & ibi Abbas n. 4. nec valeret consuetudo in contrarium, secundum Hostiens. in Summa h. t. n. 2. verum id quoque non tenetur sequi, nisi in casibus à Jure expressis, prout sacra Congregatio respondit apud Pia. 2. p. cap. 2. art. 2. n. 7.*

Casus autem à Jure expressi sunt hi. Inprimis de iure requiritur non tantum consilium, sed



sed & consensus Capituli, quotiescunque illius vertitur in interesse particulare, *cap. ult. h. t.* Ideoque si collatio beneficiorum spectet junctim ad Episcopum & Capitulum, non potest Episcopus sine consensu Capituli quicquam de illis disponere, *c. Ea no scitur 6. h. t.* Secundò, nihil potest sine consensu Capituli in casu, quo diminueretur Ecclesiæ auctoritas, seu ei præjudicium fieret, *cap. Dilecti sup. De majorit. & obedient.* nec enim Episcopus potest facere Ecclesiæ suæ conditionem deteriore, Tertiò, in casu, quo agitur de alinatione bonorum, Ecclesiæ damnosa, *d. c. 1. h. t.* vel de obligatione Ecclesiæ, *c. Quod quibusdam inf. de fideiussoribus.* Quartò, ubi ageretur de præjudicio, quoad subjectionem vel exemptionem Capituli, *c. ult. sup. De majorit. & obed.* Denique in casuum seu causarum criminalium agitationes, *caus. 17. q. 7. per tot.*

5. Et in judicanda persona aliqua capitulari non nisi de consilio & assensu duorum, à capitulo in principio ejuslibet anni ad hoc deputandorum; Episcopus vel ejus Vicarius procedere potest, ex nova ordinatione Conc. Trid. Sess. 25. c. 6. *De reformat.* Quod si capitulum eam deputationem neglexerit, tum, post monitionem præviam de electione in principio anni faciendam, potest Episcopus procedere & judicare solus, *Piafec. d. loco n. 9. ex declarat. Cardd. Interpp.* Et procedit dictum decretum sine distinctione in delictis tam gravibus, quam levibus, etiam ubi absque forma judicii proceditur. La- ré Riccius in *Praxi Decis.* 566. ubi subjungit Decreto illi locum esse quoad capitula exempta dumtaxat. Deputatio tamen Procuratoris fiscalis etiam hoc casu ad solum spectat Episcopum, absque consilio Capituli, *Zerola m. V. Fiscus §. 3. ex sacra Congreg.* Sed & quando totum capitulum deliquit, non est locus Decreto, potestque Episcopus solus procedere contra capitulares, absque adjunctis: modò delictum non sit in personam vel contemptum Episcopi, vel Episcopus non habeat interesse, nam tum ea facultas procedendi devolvitur ad proximum superiorem.

6. Illud quoque specialiter advertendum esse tradit *Piafec. d. loco*, ut quam rarissime in condendis statutis Episcopus pœnas apponat excommunicationis, ne ex frequentia abeant in contemptum: sed ut potius pœnas utatur tem-

poralibus; rarius pecuniariis, ad evitandam avaritiæ suspicionem, quæ ab Episcopo ab esse debet longius, *c. Cum ab omni 10. sup. De vita & honest. Clericorum.*

7. Et quia statuta Episcopi ligant tantum quoad pœnam, non etiam quoad culpam, idèò necessum est, ut virtutem sui statuti declararet a- pertius.

8. Denique abstinere debet à multitudine statutorum & præceptorum, quia quemadmodum, ubi plures sunt Medici, plures existere morbi solent, ita etiam, ubi plurimæ leges, plurimum est vitiorm. Et interdum toleranda sunt potius mala aliqua, ne eveniant graviora, quia, ut *Prov. 30. ait Sapiens: Qui multum emungit, eluit sanguinem, can.* Denique *dist. 4. & qui multum corrigit, offendit.* Leviter castigatus reverentiam exhibet castiganti, asperitatis autem nimia increpatio nec increpationem recipit, nec salutem, *c. Cum beatus 8. dist. 45.* Ideoque meminerit semper Prælatus illius B. Chrysostomi, apud *Piafec. d. loco n. 10. Circa vitam tuam esto asperus circa aliorum benignus. Audiant te homines parva mandantem & grandia facientem.*

9. Quod si Episcopus aliquid Canonice ad deliberandum velit proponere de re nec ad suum, nec suorum commodum spectante, poterit ipse capitulum convocare, vota exquirere, & juxta ea concludere. Absente verò Episcopo, omnino hoc ab iis, qui sunt de capitulo, ad quos illud de jure vel consuetudine spectat, perficiatur, nec ad id Vicarius Episcopi admitatur, secundum Conc. Trid. Sess. 25. c. 6. *De reformat.* nisi fortè Præses capituli fuerit Vicarius: quia tum eà qualitate id facere posset, *Zyp. h. t. in fine.*

## TITULUS XI.

### De his, quæ fiunt à majore parte Capituli.

1. *Requiri ad hoc consensum majoris & sanioris partis.*
2. *Majorem dici respectu totius Capituli.*
3. *Non sufficere majorem partem, nisi & sanior sit.*

4. *Ad*



4. Admittitur tamen contradictio minoris partis.

Occasione eorum, quæ superiori Tit. dicta sunt de his, quæ sunt à Prælati & Capituli, vel de consensu aut consilio Capituli, quæritur hic, quid juris sit circa consensum vel consensum eorum, qui sunt de Capitulo, si plures sint.

Et dicendum ad hoc, ut Universitas aliqua, collegium & capitulum, aliquid censetur facere, vel consensum suum præbere, ubi is requiritur, non semper exigi totius Universitatis, collegii vel capituli consensum, sed sæpè sufficere, si maior & sanior pars consentiat: c. 1. hoc tit. l. Quod maior D. Ad municipalem, & similibus.

1. Major verò pars & sanior quæ dicatur, repetere ex lib. 1. tit. 6. §. 4. De forma & modo electionis. Quibus illud adde, maiorem partem capituli dici respectu totius capituli, non autem respectu partium, Zerola 1. p. V. Capitulum §. 13. Ideoque si duodecim sint Canonici, & tres eligant Titium, tres Sempronium, sex verò Mævium, nulla istarum partium potest dici maior pars capituli; sed necesse est, ut saltem sint septem ad maiorem partem constituendam. Quamquam obtineat aliud in maiori parte patronorum, sive laicorum sive clericorum, quando præsentant, ut singuli: nam tunc sufficit habere maiorem partem, respectu minorum partium; veluti si ex sex patronis duo præsentent Titium, unus Sempronium, & tres Mævium, hi tres prævalent.

3. Deinde notandum, quodd, ubi ad actum aliquem consensus requiritur maioris & sanioris partis, non sufficiat Consensus majoris, nisi ea simul fuerit & sanior; c. 1. & ult. hoc tit. quia ubi duo requiruntur coniunctim, alterum eorum non sufficit, §. Si illud & illud Instit. de hered. instituta l. Si heredi plures D. de condit. instit.

4. Quod verò à maiori & saniori parte Universitatis, collegii vel capituli sit, regulariter prævalet, nisi minor pars vel etiam unus aliquis de capitulo iusta de causa ab eo appellaverit, aut expressum contradixerit, c. 1. & c. Ex hoc tit. quo casu si coram superiore iustam causam appellandi vel contradicendi probaverit, rescindetur id, quodd à maiore & saniori parte secus, quam oportebat, factum fuerit,

d. c. 1. hoc tit. vel si negotium tangat omnes, ut singulos, iuxta regulam iuris. Quod omnes tangit, ab omnibus approbati debet.

In Collegiis tamen passim obtinuisse, ut, quodd maior numerus non respectu totius sed minoris partis decreverit, ratum sit, & plenum habeat vigorem, testatur Zypæus hoc tit. num. 1. quamvis inquit, in electione Monialium aliam opinionem secuta sit congregatio.

## TITULUS XII.

### Ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.

1. Beneficia sine diminutione aut reservatione fructuum conferenda.
2. Nisi ex causa necessitatis vel alia iusta.
3. Potest & ex causa imponi pensio beneficii.
4. In collatione faciendâ servari debet forma eidem præscripta.
5. De concursu & examine quoad curata beneficia juris patronatus.
6. Debent beneficia conferri gratis, sine modo & conditione.
7. Non ad tempus; & limitatio huius.
8. Quatenus sub conditione fiat collatio & presentatio.
9. 10. Debet & conferri liberè, non subreptitiè aut obreptitiè.

PRæcedentibus Titulis abunde actum fuit de collationibus beneficiorum, quinam conferre beneficia Ecclesiastica possint, sive Episcopus conferat, vel solus, vel cum Capitulo aut consensu capituli, sive ipsum capitulum solum vel qui libet alius collator: nunc videndum est, quo pacto conferri debeant.

1. Et in primis tenetur quilibet collator conferre beneficium Ecclesiasticum sine diminutione, c. unico hoc tit. cum similibus, quia Conc. Turonensi vetitum est, ne beneficium dividatur in duos, c. Majoribus, c. Vacante 26. c. Cum causam 36. sup. de præbendis. Adcò ut ex eo neque sibi



aut nepoti, neque alteri cuilibet reservare possit partem aliquam proventuum ex beneficio, cum illud confert, quia hoc vetuit Concil. Lateranense d. c. unico, & c. Prohibemus 7 inf. De censibus ex act. & c. aut collationem differre, ut ipse interin percipiat fructus c. Extirpanda 30. in fine sup. De prabendis, d. c. Prohibemus in fine inf. De censibus

2. Attamen si iusta subit causa & necessaria, veluti si Ecclesia ære alieno supra modum gravetur, vel alia urgeat necessitas, potest ad tempus, priusquam beneficium conferatur, pars fructuum in usus Ecclesiæ servari, c. pen. inf. De verborum signif. d. c. unico, & ibi Innocent. & Abbas. Imò potest Prælatus, de consensu sui capituli, iusta & necessaria causa id postulante, beneficium aliquod extinguere in perpetuum c. Cum accessisset 8 sup. De constit. vel ad sustentandam suam dignitatem Episcopalem, antequam beneficium conferat, partem aliquam fructuum sibi retinere ad tempus, Gloss. in fin. d. c. unico. Quamvis in talibus foret tutius, petere concessionem à Sede Apostolica, Piafec. p. 2. c. 5. arg. textus c. Tua nobis de verb. significat. Verum hæc retentio fructuum non debet fieri à Prælato, paciscendo cum eo, cui beneficium confert, quia hoc saperet simoniacam pravitatem, d. c. unico circa finem.

3. Potest etiam Episcopus, iusta subsistente causa, beneficio conferendo imponere pensionem, puta ob bonum pacis & utilitatis, vel ad sopiendam litem, quando beneficium est litigiosum, idque ad redimendam vexam, ut loquuntur, c. Nisi essent 21. sup. De prabendis; c. Audivimus inf. De collat. deteg. Piafec. d. loc. n. 64. vel ut subveniatur & alimenta præstentur parcho seni, qui amplius deservire nequit, Gigas De pensionibus qu. 6. n. 3. post Anchazan. Consil. 279. vel in permutatione beneficiorum, ratione inæqualitatis, si beneficium alteri præponderet in fructibus, c. Ad quæst. 6. inf. de rerum permut. Alias pensio, per Episcopum sine iusta causa beneficio imposita est nulla, Garzias 1 p. c. 5. nu. 296. Gonzal. ad Reg. v. 111. Cancell. Gloss. 5 cap. 5. ubi plenius de impositione pensionis videre licet.

4. Insuper in collatione seu provisione beneficiorum servanda est forma, à iure, statuto, consuetudine, aut fundatione præscripta; nam alias provisio esset nulla, Garz. 9. p. cap. 1. Et in

provisione Ecclesiarum parochialium servanda est forma, à Concil. Trident. tradita, Sess. 24. c. 18. De reformat. alias quoque provisio præter contrariam formam, præsertim quoad concursum & examen instituendum, facta, erit nulla, ex constitutione Pii V. quam refert Piafec. d. loc. num. 4. ubi etiam tradit num. 5. ex dilatione Card. quam refert, ne quidem Doctorem vel Licentiatum, in aliqua Juris vel Theologia professione, excusari ab hoc examine, petentes sibi providi de Ecclesia Parochiali: & in beneficiis curatis, Sedi Apostolicæ, vel cuicumque alteri reservatis vacantibus, similem concursum sive examen posse institui ab Episcopo & eligi digniorem, instituendum à Sede Apostolica, seu alio, cui fuerit reservatum beneficium, De curatis tamen inquit, vacantibus in curia, si ve per resignationem in manibus Papæ, solet Dataria providere sine concursu, præmisso solo examine.

5. Quantum ad curata beneficia attinet, quæ juris sunt patronatus; ea vel sunt juris patronatus Ecclesiastici quæ si vacent in mensibus Apostolicis, illis quoque per concursum & examen providendi debet: si verò vacaverint in mensibus non reservatis, patronus nominabit plures examinandos, vel etiam Episcopus alios invitabit ad concursum, & tunc demum, quem patronus digniorem inter probatos ab examinatore judicaverit, eligit & præsentabit Episcopo, instituendum in beneficio vacante Piafec. d. loc. num. 7. vel sunt juris patronatus laicorum; & tunc non requiritur hujusmodi concursus, sed tantum examinari debet præsentatus, & admitti, si idoneus receptus fuerit, Concil. Trident. d. Sess. 24. c. 11. §. Quod si jus patronatus. Nisi plures sint præsentati, quia tunc institui potest concursus inter præsentatos tantum, ex declarat. Card. Ubi subjungit, in parochialibus Ecclesiis quæ Regularibus conferri consueverunt, non requiritur concursus, sed solum examen sufficere: ut & quando cura animarum spectat ad Collegium, vel est annexa alicui præbendæ seu beneficio ex natura simplicis.

6. Præterea beneficia oportet conferri gratis id est non interveniente pretio, vel aliquo, quod pretio sit æstimabile: taliterque beneficium obtinens, tamquam simoniacus, ipso jure est excommunicatus, & collatio ipso iure nul-



nulla, *Extrauag. Cum detestabile De simonia.* Item purè, id est sine conditione, sine pacto, non alternativè, *can. Quam pio 1. q. 2. c. fin. sup. De pactis c. 2. De elect. in 6.* quia talia quoque redolent simoniam. Item sine modo, quia hic accedit prohibitæ conditioni, *c. Verum 4. inf. de coadi. appositis.*

7. Item in perpetuum seu ad vitam collatus, non verò ad tempus, *c. unico juncta Glof. in V. perpetui de capellis Monach. in 6.* Rebuff. *de requisitis ad collationem num. 13.* Vicarius tamen vel Oeconomus ad tempus dari solet, *c. Cum cor. 4. sup. De officio Ordinarii.* Beneficium etiam curatum dare potest Episcopus in commendam ad sex menses, *c. Nemo 15. de elect. in 6.* & talis Commendatarius non dicitur verus Prælati vel curatus, sed Depositarium & Procurator; nec fructus facit suos, sed eos colligere, & in necessitates Ecclesiæ, dispensare potest, *Glof. in d. c. Nemo in V. Commendare.* At verò beneficium simpliciter etiam ad vitam commendare potest Episcopus, *c. Si consisteris 13. inf. de accusat. quod & Pont. in majoribus beneficiis sæpè facit.* Et talis Commendatarius dicitur verus Prælati; habet eandem auctoritatem & potestatem iurisdictionis & administrationis, quam habet obtinens beneficium in titulum; & facit fructus suos, potestque uti baculo & mitra, si hoc competat beneficio commendato ex illa loci vel alla ratione, *Piafec. d. loco num. 40. c. 41.* Datur etiam beneficium ad tempus, quando datur coadiutor ægroto, seni, illiterato, *c. penult. c. sup. De Clerico ægroto;* ubi vide, & quæ lib. 1. ad Tit. de officio & potest Vicarii §. 7. de Coadjutore diximus.

8. Potest etiam fieri collatio sub conditione quæ ipso iure vel statuto, vel fundatione, institutione, aut consuetudine legitima inest, & eo modo exprimitur, quo inest, cum conditio, quæ sui natura inest, non efficiat contractum conditionalem: veluti si parochiale beneficium conferatur alicui sub conditione, ut aliud simile deponatur ut residat: vel sub conditione, si vacet, sit dignus, *Glof. in cap. 2. De elect. in 6. in V. incerta* Rebuffus *de requisitis ad collationem num. 2.* Piafec. *d. loco n. 37. in fine.* Similiter valet præsentatio, non modò alternativa, sed etiam conditionalis, incerta, dubia

& obscura, dummodò intra tempus, quod datur ad præsentandum, conditio purificetur: incertitudo, dubietas & obscuritas tollatur.

9. Ad hæc conferri debet beneficium libere, id est, non per metum, non per vim, *cap. 2. Ad aures sup. De his quæ vi metusve causa sunt:* quia collatio est quædam donatio, quæ liberaliter fit.

10. Denique non subreptiè aut obreptiè, si fiat à Papa, vel ejus Legato, sub pœna nullitatis, *c. Cum adeo sup. De re judicata.* Nam collatio Ordinarii, qui motu proprio & Ecclesiis, non personis, uti Pontifex & Legatus ejus, providet, non potest impugnari subreptionis, *c. Clement. 2. de officio Ordinarii.*

### TITULUS XIII.

#### De rebus Ecclesiæ alienandis vel non.

##### §. I.

##### De non alienandis rebus Ecclesiæ.

1. Clericis omnibus prohibita alienatio rerum Ecclesiasticarum.
2. Episcopus tenetur facere inventarium bonorum suæ Ecclesiæ.
3. Et jurare de non alienando.
4. Nomine alienationis quid hic intelligatur.
5. Etiam jura alienari nequeunt.
6. Pœna alienantium res Ecclesiæ.

**D**E collatione præbendarum ac beneficiorum, & modis, quibus ea fieri debet, factis superque dictum est. Deinceps videamus, quid juris Clerici in beneficiis suis, & maxime in rebus Ecclesiæ & bonis beneficiorum suorum habeant, potissimum circa alienationem talium bonorum. Inscriptio vero Tit. hujus duplex membrum habet, De alienandis rebus Ecclesiæ, vel non alienandis.

1. Quod ad secundum hoc attinet, aliena-



rio ista à sacris Canonibus vetita est Clericis, *totò hoc tit. in 6. Clement. & Extravag.* Non tantum simplicibus, sed etiam Prælaris, Episcopis & Archiepiscopis, *e. Si quis presbyterorum 6. e. Ad audientiam 9. hoc t.* & multò magis laicis, id est, Regibus & Principibus, in quorum territorio res tales sitæ sunt, *e. 2. h. t.* non tantum in extraneum vel laicum, verum etiam in aliam Ecclesiam, vel personam Ecclesiasticam, *e. 1. h. t.* Ea ratione, quod bona Ecclesiæ sint in dominio ipsius Ecclesiæ, non Clericorum, qui ante distributionem & applicationem, sibi legitimè factam, sunt tantum administratores & procuratores, *can. Si privatum ult. xii. q. 1.* qui nequeunt, donare seu remittere, *e. 2. inf. De donat. l. Filiusfam. D. cod. tit. l. contra iura 28. §. 2. l. Imperatores 37. D. De pactu l. Pactum curatori 22. Cod. De pactis l. Praeses 12. Cod. de transact. Gartz. de benef. p. 3. e. 3. n. 46.* Unde neque Episcopus, vel alius Clericus, sibi ea bona usurpare potest, *d. can. Si privatum, can. Monemus xii. q. 2.* sed custodire tenetur, & vel cum vitæ periculo defendere, *can. Conventior 12. junctâ Glosin V. pro altaribus xxii. qu. 8.*

2. Tenetur item Episcopus curare fieri repertorium seu inventarium omnium donorum & jurium suæ Ecclesiæ & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum suæ diocesis, & construi archivum, in quo hujusmodi jura deponantur & adservantur. *Piafec. 2. p. 6. §. 2. n. 2.* ubi refert de archivo in Ecclesia Cathedrali construendo emanasse Constit. à Sixto V. incip. *Provida*, publicatam Romæ anno 1587. die 8. Junii.

3. Soletque Episcopus in promotione sua jurare in hæc verba: *Possessiones vero, ad mensam meam pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo etiam cum consensu Capituli Ecclesiæ mee, in consilio Romano Pontifice.* Et si ad aliquam alienationem devenero, pœnas in quadam super hoc edita Constitutione contentas, eo ipso incurrere volo. *Chc. Piafec. d. loco num. 5.*

4. Nomine autem alienationis licet propriè veniat omnis actus, per quem transfertur rei dominium, hic tamen id latius sumitur, ut contineat donationem, venditionem, permutationem, emphyteusim, infeudationem, usufructum, hypothecam, locationem ad longum tempus, *Nulli 5. §. alienationis h. tit. l. ult.*

*C. De reb. alienis non alienan.* Hæredis item institutionem, legatum, fideicommissum, *e. 1. e. Cum in officiis cum duobus segg. sup. De transact. etiam transactionem, quando per eam res traditur: secus, quando per eam res tenetur, Rebus in compendio alienationis rerum Ecclesiæ 2. Imo & juxta Extravagantem *Ambrosio 1. h. t. in communibus*, locationem ultra triennium quando scilicet res quotannis dat fructum. Alioquin res alternis annis dumtaxat fructum ferat, potest locari ad sexennium: sicut &, quando quis est conditionis, ut non nisi quolibet triennio ea fructus percipiantur, ad novennium, *Covarr. Variar. resol. cap. 16. n. 6.**

5. Sed nec jura, actiones vel nomina debitorum alienari permittuntur, Abbas in *d. c. Nulli. 9. h. t.* Neque etiam servitus aliqua de novo Ecclesiæ imponi potest. *Piafec. d. loco n. 2.*

6. Quòd si Clericus, vel etiam Prælati, non obstante hac prohibitione, alienaverit res Ecclesiæ suæ, ea alienatio ipso jure est nulla, & tam alienans, quam qui accepit, nisi mox restituat res una cum fructibus, excommunicatur, *Si quis hoc sit.* Et quilibet Clericus Ecclesiæ illius, cujus res est alienata, imò etiam ipse Prælati, qui alienavit rem, potest eam à quolibet possessore repetere, una cum fructibus, perceptis à tempore alienationis, *d. c. Si quis.* Quia etiam emptor, licet fortè bona fide emperit, ignorans rem esse Ecclesiæ, cogitur eam restituere, non recepto ab Ecclesia, cujus res est, pretio, sicut & jure civili emptor rei alienæ, *l. Si mancipium Cod. De rei vindict.* Quia alienans rem meam, sine meo consensu, non potest mihi nocere & damno esse, *l. Non debet 74. D. De regulis iuris.* Poterit tamen emptor bonæ fidei pretium repetere ab auctore suo, id est ab eo, à quo emit, *e. Ad audientiam 9. hoc tit.* At malæ fidei emptor, id est qui rem sibi venditam non ignoraverit esse Ecclesiæ, cogitur & rem restituere, & pretium, quod solvit, amittere; quod cedit non lucro venditoris, sed Ecclesiæ, cujus res alienata est, *l. Interimus 14. §. 1. Cod. De sacrosanct. Ecclesiis.* Neque contraria consuetudo alienandi juvat alienationem, quia censetur irrationabilis, *Glosin c. Cum Causa in V. prejudicati sup. de sent. & re judicata Piafec. d. loco num. 13.*

§. II. De



¶ II. De alienandis rebus Ecclesiæ quibus scilicet casibus permitta sit alienatio.

1. Res qua servando servari non possunt, licite alienantur.
2. Res item in feudum dari solita de novo infeudari.
3. Item res exigui valoris.
4. Vt & res nondum quæsitæ Ecclesiæ.
5. Vt relictæ incapacibus, veluti mendicantibus.
6. Ususfructus bonorum, durante vita Prælati.
7. Aliis non possunt, nisi ex justa causa & solemniter.

Sequitur alterum membrum de alienandis rebus Ecclesiæ, quia regula de non alienandis patitur certis casibus exceptionem. \* 1. in primis licite alienantur res mobiles, quæ servando servari non possunt, id est quæ sine notabili deterioratione non durarent, quæque utendo adsumuntur, ut sunt arborum fructus, vinum, oleum, frumentum, iumenta & pecora singularia, Piasec. d. loco n. 19. Pecunia etiam regulariter numeratur inter res, quæ servando servari nequeunt, cum retenta nihil operetur, Panormi in c. Nullis, n. 11. hoc sit. nisi rei immobili comparandæ, voto, juramento, aut præcepto superioris destinata sit, quia tum inter res immobiles numeranda est, Piasec. d. loco ubi refert ita decisum fuisse in Rota. Similiter arbores grandes, quæ non consueverunt cædi annoverantur immobilibus, Choppin. De sapientia lib. 8. tit. 3. n. 12. nec possunt etiam silvæ cædug. taliter excindi, quod bona Ecclesiæ deteriorentur Panormi in d. cap. Nulli, Navar. Consil. 6. num. 2. eod. tit.

2. Præterea res ante infeudari vel in emphyteusim dari solita, feudo huiusmodi vel emphyteusim expirante, iterum in feudum seu emphyteusim dari potest, absque solemnitate iuris ad alienationem præscripta, modò id fiat in Ecclesiæ evidentem utilitatem, & antequam illius rei fructus Ecclesiæ incorporentur, quia tum non censetur nova alienatio, quæ à jure prohibetur, sed continuatio quædam alienationis antea factæ. Ut autem res dicatur in feudum vel in emphyteusim dari solita, sufficiunt duoactus confessionis factæ, vel unus sollemnis

cum xi. annorum decursu, Piasecius d. loco n. 10. Vbi subjungit, quod, cessante causa primæ concessionis, non possit de novo concedi: quæque, si major offeratur census vel canon, non debeat concedi pro antiquo canone; neque cum tali conditione, quæ gravior sit Ecclesiæ, quàm antè fuit; neque pro feminis, si masculis tantum concedi consuevit.

3. Terrulæ quoque, vineolæ, & aliæ res, siue immobiles, siue mobiles, modici & exigui valoris, si id postulet Ecclesiæ utilitas & necessitas, alienari possunt, can. Terrulas xii. qn. 2. Cui neque per Extravag. Ambrosiana in Communib. hoc sit neque per Concil. Trident. derogatum esse, idque declarasse sacram congregat. Cardd. testatur Quaranta V. Alienationis 14. & ex eo Piasecius d. loco n. 24. Quæ autem dicatur res, modici & exigui valoris, arbitrio relinquatur Judicis seu boni viri, qui consideratis Ecclesiæ alienantis facultatibus, valore rei alienandæ, & loci consuetudine, æstimet & judicabit, an res sit modica seu modici valoris, arg. c. exstus in c. Caterum inf. De donat. Piasec. ibid. n. 5.

Pari modo potest terra Ecclesiæ non fertilis dari in emphyteusim hæredibus eius, cujus studio primum ad culturam est redacta, cap. Ad aures 7. hoc sit.

4. Potest etiam licite alienari res, nondum quæsitæ Ecclesiæ, id est, nondum cepta possideri ab Ecclesiâ: sic enim remitti potest legatum, vel hæreditas relicta testamento Ecclesiæ, maxime si timeantur odia, vel scandala. Etenim in acquirendis potest Prælati præiudicare Ecclesiæ suæ: nisi legatum communiter serviret Episcopo & Capitulo, quo casu illi Episcopus renuntiare non posset in præjudicium Capituli.

5. Similiter relicta Ecclesiæ incapaci, v. g. Mendicantibus, licite alienantur, Piasec. d. loco num. 32. Ubi subijcit, posse etiam Regulares bona sua vigore privilegiorum sibi indultorum alienare; ac specialiter Gregorium XIII. indulsisse Partibus Societatis Jesu, ut possint bona sua alienare arbitrio sui Præpositi Generalis, nulla alia petita licentia à Sede Apostolica vel loci Ordinatio.

6. Denique usum fructum bonorū mensæ suæ Prælati ad beneplacitum suum, vel vita sua durante licite alteri concedit, Piasec. d. loco n. 35. Cetera.



Cæterarum verò rerum, cum immobilium, tum etiam mobilium, si pretiosæ sint, & servando servari possint, ut sunt vasa aurea, argentea, casula, tapetes, & quæcumque triennio non corrumpuntur, vel notabiliter non deteriorantur, alienatio non aliter permittitur, quam ex iusta causa, & servata forma à jure præscripta, *c. unic. 17. Extravag. hoc tit. can. Sine exceptione xii. qu. 2.* Quæ duo ad validitatem alienationis conjuncti requiruntur, ut unum sine altero non sufficiat, & altero deficiente alienatio sit ipso jure nulla, *c. ult. hoc tit.* De utroque proinde inde specialiter nunc videamus.

## §. III.

Quæ sit iusta causa & solemnitas requisita ad ejusmodi alienationem.

1. Iusta causa alienandi res Ecclesiæ.
2. Solemnitates quæ servanda in ea alienatione.
3. An in consilio Pontificis alienatio sit licita, & quatenus.
4. In dubio præsumuntur servata solemnitates.
5. Enormiter lasa Ecclesiæ restitui potest.

1. Iusta igitur causa alienandi res Ecclesiæ est quadruplex, Prima est Necessitas, cui aliter succurri nequeat, *Clement. 1. hoc tit. c. 1. in f. de pignoriis*: ut si Ecclesiæ ære alieno gravata sit, nec habeat res mobiles ullas, unde solvat. Secunda, Utilitas manifestatur si res aliqua Ecclesiæ alienatur ad aliam meliorem emendam, *d. Clement. 1. c. d. can. Sine Exceptione, c. Vi super 8. in fine h. t.* Tertia, Pietas, veluti ad redimendos captivos, pauperes tempore famis alendos, *can. Aurum, can. Gloria 71. xii. q. 2.* Quarta est Incommoditas, ut sitis Ecclesiæ ut sumptuosa, & parum utilis; sed hæc revocatur ad secundam.

2. Solemnitas seu forma consistit in his quatuor; Primò, ut à Prælato cum Capitulo vel Clero super re alienanda fiat tractatus, an expediat eam alienari, *d. can. Sine Exceptione*; & sufficit unus tractatus. Secundo, ut Capitulum consentiat expressè in alienationem; saltem pro majori & saniori parte, *d. c. 8. in fine hoc tit. c. c. Quanto sup. De his quæ sunt à Prælato sine con. Capit.* Tercio, ut Capitulum sublembat: hoc

tamen non requiritur, nisi in donatione, venditione, & permutatione. Imò jam consuetudine receptum est, ut sufficiat subscriptio Notarii. Quod si alienetur res Ecclesiæ, habentis Rectorem unum, eo quoque in consilio vel invito, alienari res nequit, *c. Placuit 51. xii. qu. 2.* ne quidem vacante Ecclesiâ, *can. ult. x. qu. 2.* Quartò, ut Superioris accedat auctoritas; quin non exemptis est Episcopus, à quo saltem in iuditionibus concedi facultatem alienandi res ad Ecclesiâ sibi subjectas spectantes, testatur Zypæus *hoc tit. num. 2.* In exemptis est Prælati, cui Ecclesiâ vel Monasterium immediate subest. In alienatione tamen rerum Monasterii non tantum opus est consensu Capituli & Abbatis, sed & Episcopi, qui cognoscat, an expediat Ecclesiæ fieri alienationem, *can. Abbatum x. 1. qu. 1. can. In venditionibus xvi. qu. 7.* In patronatis tamen Ecclesiis consensum Patroni non necessarium requirit, tenet Abbas in *c. unico sup. Vi Zel benef. ne dimittat, cons. Pias. d. loco num. 16.* nisi quoad bona, quæ ab ipso patrono proveniunt: quo pacto intelligi potest Chop. *De sacra polit. lib. 43. d. 2. num. 28.* ubi confessum requirit patroni.

3. Præter hanc formam Paulus II. in *d. Extravag. Ambitiosa* statuit, sub gravibus poenis, ne ulla fiat alienatio concessioque bonorum Ecclesiasticorum aut pii loci, in consilio Romano Pontifice; & ut facta aliter nullas sit rationis & momenti. Hæc tamen Extravagans non videtur passim usu recepta, præsertim quoad locationem & quoad poenas, Sylvester in *Summa V. Alienatio §. 15.* Navar. in *Manualis. 27. n. 149.* Covar. l. 2. *Var. resol. c. 16. num. 6.* Neque opus est hac consultatione in rebus momentis nec quando de facili adiri & consuli Pontifex non potest, vel ubi constat alienationem esse necessariam & in mora periculum esset, veluti pro alimonia pauperum, urgente fame vel alia necessitate, pro redemptione captivorum, *can. Gloria Episcopi xii. qu. 2. Pias. d. loco num. 28.* Necitem in alienatione summæ pecuniaræ ad pium usum, quantumvis ea magna sit, si ad mensam pertineat Prælati, Lessius *De iust. & iure lib. 2. c. 24. Dubit. 11.*

4. In dubio autem præsumuntur servatæ solemnitates, ex diuturnitate temporis. Nec id mirum, cum temporis etiam diuturnitate nempe XL. annorum præscribi res Ecclesiæ



possint, Piasce. ibid. num. 17. ubi alios citat.

Nec obstat Constitutio Pauli IV. quam refert Petr. Marthæus in suo VII. Decretal. lib. 1. tit. 3. c. 2. quæ omnes alienationes bonorū quoniamvis Ecclesiasticorum, sine requisitis solemnitatibus, & in damnum Ecclesiarum factas, revocavit, nulla quæ temporis præscriptione validari possit decrevit: quia illam Constitutionem Pius IV. revocavit & reduxit ad terminos Juris communis, Piasce. ibid.

Multò magis præscripta censetur res Ecclesiæ, si à tempore alienationis intercesserit tempus immemorabile, vel centum annorum, etiam contra Ecclesiam Romanam, c. Ad audientiam sup. De præscript. etiam in casu, quo lex prohiberet præscriptionem, quia talis prohibitio non excludit immemorabilem, nisi & hæc expresse nominetur, Piasce. d. loco n. 18. Si tamen ex instrumento alienationis appareret injustus titulus, qui causaret malam fidem, tum non induceretur præscriptio, c. fin. sup. De præscript. Navar. Conc. 3. c. 5. de censibus.

5. Observandum postremò hic est, si quid in ritu & solemnitate, requisita ad alienationem rerum Ecclesiasticarum sit omisissum, alienationem esse ipso jure nullam, etiam si ex justa causa fuerit facta c. ult. hoc tit. Quemadmodum enim quod sit contra leges, jure civili habetur infecto, l. Non dubium Cod. De legib. ita & quod sit contra Canones est ipso jure nullum. Ac proinde alienatio ipso quoque jure nulla erit, facta quidem secundum solemnitates, à jure requisitas, sed non ex justa causa alienandi, puta necessitate vel utilitate Ecclesiæ postulante, quia Canones conjunctim, ut dixi, requirunt hæc duo, ut & solemniter & ex justa causa fiat alienatio, c. Vt superius in fine hoc tit. & can. Sine exceptione XII. qu. 2. Quòd si verò subsistat quidem alienatio, quia facta sit & ex justa causa, & solemniter, id est servatâ formâ à jure præscripta si tamen per eam Ecclesia inveniat enormiter læsa, poterit restitui in integrum, & rescindi alienatio, c. Ad nostram 11 hoc tit. exemplo minorum, quibus Ecclesia compa-  
ratur,

## TITULUS XIV.

## De Precariis.

1. Nomen contractus aliquando propriè, quandoque latius sumi,
2. Contractuum alii Nominati, alii Innominati,
3. Item alii bona fidei, alii stricti jura.
4. Alii Re, alii Scriptura, alii Verbis, alii consensu perficiuntur.
5. Precarium quid sit.
6. In quo à commodato differat.
7. Sumi pro contractu, & pro re, quæ precariis datur.
8. In quo à Precaria seu Precariis differat.
9. Precaria quinto quoque anno renovanda.
10. Et ex causa revocari potest.

Quoniam superiori Tit. dictum est, alienationem rerum Ecclesiæ regulariter esse prohibitam: ideo nunc sequitur de quibusdam alienationis speciebus seu contractibus quibus fit alienatio: & quidem primò de Precariis, quia cum per eas non transferatur dominium, sed solum utilitas, dubitari potest, an sint licitæ, an non.

1. Pro pleniori autem intellectu eorum, quæ hoc Tit. & aliquot sequentibus dicuntur, præmittendum est, Contractum aliquando sumi propriè pro obligatione ultero citroque, quæ Græcè *ἀνταρτία* vocant, l. Labeo 19. D. De verb. significat. id est pro conventione, quæ utrimque obligationem parit: nam obligatio non est propriè contractus, sed ejus effectus: aliàs verò latius sumi nec distingui à Pacto, nihilque aliud esse, quam duorum pluriumve in idem placitum consensum, seu conventionem, siue pariat utrimque obligationem, ut Emptio-venditio, Locatio-conductio: siue ex altera parte tantum, ut Donatio, Promissioque accepta, Depositum, Precarium. Et in hac acceptione Contractus in primis dividitur in Nominatum & Innominatum.

2. Nominatus contractus dicitur, qui certum & distinctum ab aliis contractibus non

Q. O. 2

habet



haber. Cujusmodi sunt Emptio-venditio. Locatio-conductio. Commodatum, Depositum, Mutuum, Pignus, Fidejussio, & nonnulli alii, l. 1 § fin & l. 7. circaprin D. De pactis. Quibus adjicitur Precarium, Precaria seu Precaria, Feudum & Donatio, licet Feudum quidam numerent inter innominatos.

Innominatus contractus dicitur, qui quantumvis nomen generale habeat, vel circumscriptio aut circumlocutione aliqua designetur, tamen in certum aliquod & proprium nomen contractus non abiit, quamvis subsit causa, cur nascatur obligatio, puta quia alter alteri quippiam fecit aut dedit. Hujus quatuor genera recensentur, Do ut des, Facio ut facias, Do ut facias, & facio ut des, d. l. 7. de quibus in hoc jure Pontificio nihil peculiariter traditur. Huc referri potest Permutatio, de qua hic quoque agitur.

3. Secundò dividitur in contractum bonæ fidei & stricti juris. Nam licet ad omnem contractum bona fides requiratur, l. Bonam 4. C. De oblig. & action. tamen bonæ fidei contractus specialiter dicitur, in quo exuberat bona fides, & in quo potest multa Judex ex æquo & bono arbitrari, nempe illa, quæ ex bona fide, ex æquo & bono alterum alteri præstare oportet, quamvis de iis nihil sit conventum, ut in emptio Locatio, Societas, Commodatum, Depositum & alii, qui in §. actionem insunt. De Actionibus numerantur.

Stricti juris sunt, in quibus Judex ad verba contractus adstringitur, nec alter alteri in plus obligatur, quam inter contrahentes actum est. Tales sunt omnes stipulationes, contractus emphyteuticus, feudalus &c.

Tertiò, alius perficitur re, alius scriptura seu literis, alius verbis, alius consensu. Re perfici dicitur, in quo obligatio non oritur ex sola conventionem seu consensu, sed ex ipsa rei traditione. Hujusmodi sunt Commodatum, Depositum, Mutuum, Permutatio: nam hi contractus ante traditionem rei dicuntur nuda pacta, nec pariunt obligationem; nec in plus potest quis per hos contractus obligari, quam acceperit. De Mutuo non agit Pontifex.

Scriptura perficitur, qui ante scripturam ratum non habetur, ut Emphyteusis, & omnis a-

lius contractus, quem contrahentes nolunt concludere, nisi coram Notario, qui de eo instrumentum conficiat.

Verbis dicitur perfici, qui præter consensum requirit certam verborum formulam, ut omnes stipulationes, quæ constant præviâ unius interrogatione & alterius subsequuta responsione, ut, Promissu dare centum? promitto, Facies? faciam; Fide jubes? fide jubeo; Et sic de cæteris, Et de his duobus generibus contractuum, nihil quoque specialiter tradit Pontifex, legibus contentus civilibus.

Consensu perficitur, ad cujus substantiam non requiritur interventus certæ formulæ verborum, nec scripturæ, nec rei traditio, sed sufficit consensus, l. Consensu D. De oblig. & action. ut Emptio-venditio; Locatio conductio; Mandatum, Societas. Ideoque licet ad omnem contractum requiratur res aliqua qua in contractum deducatur non tamen contractus omnis dicitur re perfici, quia scilicet non est necesse, ut ejus traditio ad substantiam contractus interveniat, prout intervenire debet ad substantiam contractuum, qui re inveniunt, seu perficiuntur.

Potriò tripliciter quæri de contractibus potest & solet: primò de ipsis inveniendis & inter se distinguendis: secundò de eorumdem accessionibus: & denique de iisdem dissolvendis atque finiendis.

5. His præmissis, accedamus jam ad ipsum Tit. in quo Pontifex agit de Precariis, qui regulariter fructus rerum Ecclesiasticarum dari possunt precario. Estque contractus, quo alicujus rei usus petenti gratis conceditur, ad arbitrium ipsius concedentis revocandus, l. 1. & 2. D. De precario, c. fin hoc tit. Nam de natura precarii est, ut danti restitatur, quando cumque ei libuerit, pactumque in contrarium repugnat naturæ precarii, nec concedentem obligat, quò minus pro arbitrio suo precarium revocare possit, d. c. fin. l. Cum precario D. eod.

6. Atque ita in hac parte distinguitur Precarium à Commodato, quod non nisi expleto usu, ad quem datum est, repeti potest: sicut & in eo, quod Precarium concedatur sine præfixione temporis aut certi usus: & ideo durat, donec revocetur à concedente, vel dum moriatur, qui precarium acceperit, c. ult.



*in prim. hoc tit. l. Cum precario 12. D. De precario.* Commodatum vero datur ad certum & determinatum usum, *Glos. in c. 1. in V. commendato.* Quod si vero is, qui precarium dedit, moriatur, tunc non finitur precarium, sed transit ad hæredem concedentis, *d. c. ult. in verbis, non tamen concedentis; l. Quasi sum §. quod Titio D. eod.*

7. Sumitur autem precarium non solum pro contractu, prout illud jam definivimus, sed etiam pro re ipsa, quæ precario datur & accipitur. Ita sumitur à *Glos. in c. fin. in V. precarium huius tit.* dum dicit precarium esse, quod precibus ad utendum datur, quamdiu pariter is, qui concessit. Ita etiam sumitur, quando dicimus precarium danti esse restituendum, quando cumque ei liberetur.

8. Cum precario affinitatem habet Precaria, quæ tamen ab eo inter cætera distinguitur, quod non possit revocari pro arbitrio concedentis, sitque contractus, quo veluti precarius usufructus prædij Ecclesiastici alicui conceditur, quinto quoque anno renovandus, *c. 1. hoc tit.* Idque vel ad remunerandam donationem ab eo Ecclesiæ factam, vel in gratiam ministrorum, quæ Ecclesiæ præstiterit, vel spectetur præstiturus.

Et quamvis Hostien. distinguat Precarias in plurali numero à Precaria in singulari, quasi Precariæ sint contractus, quo veluti precarius usufructus prædij Ecclesiastici conceditur alicui, etiam pleræ vitæ, quinto quoque anno renovandus, *d. c. 1. can. Precaria x. qu. 1. & can. Longinquitate xii. qu. 2.* Precaria vero sit contractus, quo conceditur alicui usufructus prædij alicuius Ecclesiastici in tempus vitæ dumtaxat, ad triplum vel duplum fructuum ipsius rei, quam Ecclesiæ dedit, *d. can. Precaria & Glos. ibid.* qui de quinquennio in quinquennium non renovetur. Venit tamen est, non differre, Abbas in *d. c. 1. nu. 3. secundum communem DD. opinionem*: prout hæc duo, Precarias, inquam, & Precariam confundit etiam Cuiacius *lib. 1. De feudis Tit. 5.* Quamquam variis modis, & potissimum tribus, quos recenset Abbas *d. loco.* precaria fieri possit.

9. Dixi autem precariam seu precarias renovandas de quinquennio in quinquennium: quod sit non tam de juris dispositione, quam secundum consuetudinem, ut patet ex *d. c. 1.* Idque ad perpetuam rei memoriam, ne scilicet,

cum ad hæredes & de persona ad personam precaria transeat (nisi ad vitam alicuius concessa fuerit, quod non constituit diversam speciem ab ea, quæ ultra vitam conceditur, sed modum dumtaxat diversum) facile ejus inducatur oblitio, *arg. d. can. Longinquitate xii. qu. 2.* dicatque tandem rem accipiens, vel ejus hæres, eam esse propriam, & non Ecclesiæ. Ideoque sicut non petens investituram à novo domino, cadit jure suo: ita non petens renovationem precariæ, elapso quinquennio; etiam si in diuturnius tempus concessa fuerit, Abbas in *d. c. 1. nu. 5.*

10. Potest verò precaria, revocari, irrationaliter facta fuerit, & quidem ab ipso concedente. Est enim singulare in alienatione rei Ecclesiasticæ in Ecclesiæ præjudicium, ut possit alienans rem alienatam reperere, & contra factum proprium venire, *cap. Si quis sup. De rebus Ecclesiæ non alienandis.*

Denique licet precaria jure civili videatur incognita, tamen vestigium ejus extare videtur apud Justinianum in *Novella 120. §. si vero aliquis.*

## TITULUS. I.

## De Commodato.

1. Commodati accoptiones.
2. Definitio ejusdem explicata.
3. Commodatarius tenetur de dolo, de culpa, lata, levi, & levissima.
4. Actio commodati directa & contraria.

1. **Q**uemadmodum jus percipiendorum fructuum ex prædio Ecclesiastico concedi alicui precario potest, ita & Clericis singulis concessum est de fructibus beneficiorum suorum quosvis inire contractus, tam nominatos, quam innominatos. Vbi primo loco occurrit commodatum, quod cum Precariis multum convenit; cum & Commodatum ad preces alterius & recipientis gratiā regulariter fiat, *§. Item si cui Insistit. Quibus modis re contrahitur obligatio. 2.* Et sicut Precarium diximus sumi quandoque pro ipsa re precario data, ita



ra, interdum verò pro contractu, quo aliquid precario datur: ita etiam ista vocabula Commodatum, Depositum, Mutuum, Pignus subinde accipiuntur pro ipsa re commodata (quasi ad commodum utentis data, *Glos. in e. unico in Vi commodatum hoc tit.* vel quasi cum modo & prescripto sine data) deposita, mutua, pignori data; interdum verò pro ipso contractu commodati, depositi, mutui, pignoris.

2. Et in hac posteriori acceptione Commodatum est contractus nominatus, quo res aliqua gratuito alicui utenda conceditur ad tempus, finem, ac modum certum, ea lege, ut eadem res specie reddatur, *d. §. si cui, l. 1. §. item si cui, D. de obligat. & action.* Atque is quidem, qui sic rem suam alteri ad utendum concedit, dicitur Commodator seu Commodans; qui verò accipit, Commodatarius.

Per particulam *gratuito*, excluditur locatio, qua quidem res utenda datur, sed mercede constituta. Per particulam *utenda*, excluditur Pignus & Depositum; & similiter contractus innominati, quia in his contractibus non datur res ad utendum. Per particulam, *ad tempus, sine ac modum certum*. Excluditur Precarium, ut constat ex ante dictis. Et quia commodatum datur ad certum usum, ideo res commodata, antequam usus expletus sit, repeti non potest, quia commodatarius iuvare beneficio, non decipi oportet, *e. unico in fine hoc tit.* ex *l. in commodato §. si cui in fine D. eod.* ubi Paulus l. c. ait, commodatum quidem ab initio, id est antequam contractum sit, esse voluntatis, id est pendere ex libero arbitrio commodatoris, sed contractum esse necessitatis, quia scilicet repeti res commodata, nisi expleto usu, non possit. Præterea quia res commodatur ad certum usum, ideo si quis re altere utatur, quam commodata sit, tenetur non tantum commodati, sed etiam furti, *l. si ut certo §. quinimo D. Commodati.*

Postremis verbis, *ea lege &c.* excluditur Mutuum, in quo non eadem res, sed alia ejusdem generis & qualitatis redditur. A quo distinguitur insuper commodatum, quod in mutuo transferatur rei dominium; in commodato vero nec rei dominium seu proprietas, nec etiam possessio, *l. rei commodata §. D. eod.* sed tantum usus conceditur. Ideoque si res commodata casu fortuito, sine culpa commodatarii perierit, non commodatario, sed commodanti perit, quia res

perit suo domino, *l. Pignus Cod. De pignorat. ad. & debitor speciei interitu ejusdem liberatur.*

3. Cum autem commodatum commodatarius tantum gratia contrahi soleat, ideo etiam regulariter commodatarius tenetur de dolo, de lata, levi, & levissima culpa, *d. l. si ut certo §. nunc videndum.* In qua hæc regula traditur, ut in contractibus inestur solius dantis gratia & commodo, ut scilicet deposito, tum præstetur dolus & lata culpa tantum; exceptis quibusdam contrahibus, nempe mandati, tutelæ, negotiorum gestorum, ob specialem in his rationem si verò solum gratia accipientis, prout regulariter fit in commodato, tum præstetur & dolus & culpa omnis lata, levis & levissima; excepto precario, in quo, quia ad libitum concedentis, vocari potest, non nisi dolus & lata culpa præstatur, ut si rem precario accipiens, gravatus in uno, releveretur in alio: si denique gratia utriusque, ut in pignore, præstetur dolus, item culpa lata & levis, non etiam levissima. Hinc etiam in commodato præstabitur dolus & lata culpa tantum, si detur gratia solius commodantis, *l. g. ad excipiendos ejus amicos.* Casus vero fortuitus ex natura contractus regulariter non præstatur nisi æstimatio rei in contractum venerit, vel conventio aut culpa vel mora aliqua præcesserit, *d. l. si ut certo §. nunc videndum, l. Contractus 2. §. D. De R. l. c. d. c. unico h. t.*

4. Ex commodato dux oriuntur actiones civiles, una directa, altera contraria, quæ ex proposito respiciens directam. Directa datur commodatori, vel ejus heredi, ad versus commodatarium, & ejus heredem, *l. in commodato §. si ex hoc jacto D. hoc tit.* ad rem commodatam, finito usu, integram salvam, & cum accessoriis, omni que utilitate, si quæ contigerit, repetendam, Contraria datur commodatario, & ejus heredi, contra commodatorem, vel ejus heredem, ad id, quod sua interest si res commodata ante usum expletum auferatur, aut non permittatur commodatarius ea uti ad eum usum, ad quem commodata fuit: item ad consequendum damnum, si quod vitio rei commodatæ, celato à commodatore, illatum fuerit, & simul ad repetendos sumptus, in rem commodatam factos: exceptis tamen cibariis, & modicis impendiis, quæ naturali ratione ad eum, qui re utitur, pertinet, *Vid. Welfenb. D. eod. tit. Tl.*



## TITULUS XVI.

## De Deposito.

1. Depositum unde dicatur, & quid significet.
2. Definitio.
3. Depositum teneri de dolo regulariter.
4. Aliosque depositi directi & contraria.

**P**recarium & Commodatum diximus esse contractus, qui sunt gratia recipientis: sequitur Depositum, quod sit gratia concedentis.

Depositum, inquit Juriscons. in lib. 1. D. hoc sit, quod custodiendum alicui datum est. Dicitur ex eo, quod ponitur; prepositio enim arguit Depositum, ut ostendat totum fidei ejus esse commissum, quod ad custodiam rei pertinet. Sed ibi sumit Juriscons. Depositum pro ipsa re deposita, hic autem illud sumitur pro contractu.

2. Depositum igitur est contractus, reinitus, quo aliquid alicui custodiendum datur. Traditur, nulla mercede data aut promissa. Ideoque cum in deposito res alicui tantum ad custodiam datur, si depositarius utatur, actione & depositi & furti tenebitur; nisi pactus sit cum deponente, ut uti possit, l. si factum 33. D. Depositum: & deponens rem poterit eam repetere a depositario, quandoqueque luente: adeo ut exceptioni compensationis adversus deponentem aut deductioni locus non sit, l. ult. C. De compensat. c. 2. hoc sit, ne contractus, qui ex bona fide nititur, ad perfidiam referatur, d. c. 2. §. sane. Et propterea non obstat, quod regulariter secus obineat in aliis contractibus, l. 2. §. 3. D. de compensat.

3. Cum autem depositum regulariter contrahatur gratia solius deponentis, ideo depositarius tenetur prestare dolum, l. Contractus 23. D. de regulis juris: etiam si pactus esset, de dolo teneretur, quia eiusmodi pactum contrarium est & bonæ fidei, in omnibus contractibus requiritur, d. l. Contractus, & bonis moribus, l. 1. §. si convenit D. hoc sit. Absente vero bonæ fidei tunc præsumitur, si v. g. rebus tuis salvis depositas res amiseris, d. cap. 2. Potest tamen dolo præteritus, etiam admissus, pacto remitti ab eo,

cujus interest, quia hic periculum non est, ne depositarius inviteretur ad peccandum in rem depositam, ut in priori casu.

Teneri etiam de lata culpa, quæ est, non intelligere, quod omnes intelligunt, l. Lata culpa 223. D. de verborum signif. Ut si aperto ostio, ubi res est deposita, domum deserat, quia, ut Paulus J. C. ait in l. Magna negligentia 26. D. de verb. signif. magna negligentia culpa est, magna culpa dolus est. Non quod lata culpa sit verus dolus, sed quia in Jure comparatur dolo, l. 1. versic. sed et si D. Si mens for & c.

4. De culpa levi ac levissima depositarius non tenetur, quia depositum regulariter gratia deponentis, non depositarii, contrahitur, d. l. Contractus D. De R. I. Dico, regulariter, quia certis casibus etiam de levissima vel levi culpa tenetur, contra depositi naturam. Nam primum si aliquid mercedis sibi dari pro custodia pactus sit, aut receperit quid, tenetur de levi culpa, d. c. 2. h. t. l. Si ut certo §. nunc videndum D. Commodati, quia tam non deponentis tantum, sed & depositarii gratia contrahitur, de levissima tamen culpa non tenetur. Secundum, si se ultro deposito obtulerit, d. c. 2. l. 1. §. si pactus D. eod. Tercio, si convenerit inter deponentem & depositarium, ut hic de levi ac levissima culpa teneantur, quia pacta dant legem contractibus. Quarto, si sit in mora restituendi depositum, licet fortuito casu res perierit, d. c. 2. Alias casum fortuitum nunquam præstat depositarius, nisi id convenit, d. c. 2. §. d. l. 1. §. si convenit, D. eod.

De deposito apud Clericum, si forte dolo aut culpa ejus perierit res, vel deterior reddita fuerit, non tenetur Ecclesia cui Clericus depositarius servit, sed ipse Clericus: sicut nec de mutuo, quod Clerico datum fuerit, nisi quatenus probatur in Ecclesiæ utilitatem versum, c. 1. hoc sit pa. nult. in f. De fidejussorib. ne hoc casu Ecclesia locupletior fiat cum alterius injuria, l. Nam hoc natura D. De condit. indeb. Alias delictum personæ non debet redundare in damnum Ecclesiæ c. Cui venerabilis §. licet autem sup. De except. arg. c. 1. ibi Glos. in f. facturam de præscrip. c. Si Episcopum xvi qu. 6.

5. Ex deposito duæ similiter oriuntur actiones, directa & contraria. Directa est, quæ datur depositori, vel ejus hæredi, adversus depositarium, vel ejus hæredem, ad repetendam rem de-



positam, vel ejus æstimationem, vel damnum, vel quid simile. Et hæc rursus est vel civilis, bonæ fidei, rei persecutoria & perpetua; vel Prætoria, Welenb. *ad D. hoc tit.* Contraria datur depositario, adversus depositorem, ad repetenda impendia in rei depositæ, custodiam facta Welenb. *d. loco.*

## TITULUS XVII.

## De Emptione &amp; Venditione.

§. I. Quid sit Emptio - Venditio, & requisita ad eam.

1. *Frequentia & utilitas hujus contractus.*
2. *Definitio & requisita ad hunc contractum.*
3. *Cur solo consensu contrahi dicatur.*
4. *De emptione-venditione scripto contracta.*
5. *In quibus à permutatione differat.*

Visum est de contractibus nonnullis, quæ incutuntur, & alterius partis tantum gratia: deinceps videndum est de contractibus, qui consensu & utriusque partis causâ contrahuntur. \* I. Et in primis de emptione-venditione: quia is præ cæteris contractibus & frequentior est & utilior: nam lex XII. Tabb. emptionis nomine omnem alienationem complexa fuit, *l. Statu liberi D. De statu liberi*; & veteres emptionis ac venditionis nomine promiscuè utebantur, *l. Veteres §. D. De actionibus empti*; & ibi Gothof. omnisque hodie mercatus præcipue emptione & venditione sustinetur.

Licet autem hic contractus sit unicus, tamen diversâ consideratione duplex nomen sortitus est: nam respectu eementis dicitur Emptio respectu vendentis Venditio nuncupatur.

2. Emptio-venditio igitur est contractus Juris gentium, nominatus, bonæ fidei, de re pro certo pretio habenda. Ad cuius substantiam tria hæc requiruntur. Primum, Res, quæ veneat sive illa nunc existat, sive futura sit, ut fructus nascituri; sive etiam solum sit spes futuram

esse: nam sine re, quæ veneat, nec emptio, nec venditio intelligi potest, inquit Pomponius *l. Nec emptio D. h. r.* Secundò Pretium: nam & sine pretio nulla est emptio-venditio, *l. Intra partem i. D. eod.* Et hoc consistere in pecunia debet numerata, §. *retium Instit. eod.* Tertio, Ut in rem & pretium venditor & emptor constent, verè non simulatè, *c. Ad nostram §. b. f.* quia plus valet, quod agitur, quam quod simulatè concipitur, *toto tit. Cod. Plus valore quid agitur*, &c. Interdum & arrha intervenit in hoc tractu, daturque vel in signum celebrari contractus, *l. Quod sup. §. 35. D. De contrah. empt. aut inchoari, postmodum perficiendi: quæ de re de Welenb. D. ad h. r.*

Cæterum licet ad emptionis-venditionis substantiam requiratur res, ut diximus, rectè nihilominus solo consensu contrahi dicitur, quia non est necesse, ut ad ejus substantiam & perfectionem interveniat rei traditio, aut verba, aut litteræ, sed mox atque de re ac pretio coarctaverit, etiamsi non tradatur res. contractus hic accipit perfectionem suam, quoad vim scilicet obliganti & actionem producendi, quia tunc efficax nascitur obligatio & actio, nec potest alter, altero invito, ab emptione discedere, *l. De contractu Cod. De resci. vendit.* omneque periculum ac commodum, quod rei venditæ accidit, ad emptorem pertinet, cum re non tradita.

4. Aliud dicendum, si placuerit emptionem fieri in scriptis, ut plerumque fieri solet in emptionibus rerum immobilium: tunc enim non antè perfecta censetur, quam instrumentum emptionis fuerit omnibus numeris suis absolutum, §. 1. *Instit. eod.*

5. Ex prædictis facile fuerit distinguere emptionem & venditionem à permutatione: nam in emptione res pro pecunia, in permutatione res pro re datur: in illa ex sola conventionione seu consensu nascitur obligatio, in hac non nisi re tradita: in illa venditor tantum tenetur ad possessionem tradendam, in hac permutator ad dominium transferendum: illa potest consistere in traditione rei alienæ, non item hæc, prout ista patet

*ex l. 1. D. De verum permitt.*



## §. II.

Quæ res vendi possint, & ad quid  
teneatur uterque contra-  
hentium.

1. *Vendi possunt res etiam alienæ.*

2. *Quævis conditionem usucapiendi transfert  
venditor.*

3. *Tenetur quo de evictione regulariter.*

Quarumlibet autem rerum, quas habere,  
possidere, quasi possidere, aut persequi  
possumus, rectè sit venditio, modò eas  
vel natura, vel ius gentium, vel mores civita-  
tis commercio hominum non excluderint, *l. Si in  
emptione 34. §. omnium D. eod.* vel nisi aliunde,  
sive iure, sive statuto, vendi prohibeantur. I-  
deoque nihil interest, an res sit mobilis, an im-  
mobilis, an corporalis, an verò incorporalis,  
veluti hereditas, servitus, obligatio, actio, &  
similes, *l. 3. Et ibi Glos. in V. corporalia D. De ac-  
quir. rerum dominio*, an item sit propria, vel aliena.  
Neque enim qui vendidit necesse habet rem  
facere emptoris propriam, seu transferre in eum  
rei dominium: sed satis est, quod faciat emp-  
torem licere habere, *l. Si ita distrabatur 25. D.  
de contrahend. empt.* Emptor vero solvendo rei  
pretium, dominium illius transfert in accipi-  
entem. Nec agere perfecta emptione potest  
emptor ad versus venditorem, ut rem tradat,  
nisi pretium conventum integrum offerat, *l.  
Iulianus 13 §. Offerre D. de act. empti.*

2. Si tamen venditor sit rei dominus, tra-  
dendo rem, transfert in emptorem ejusdem  
dominium, quia traditionibus ex iusta causa fa-  
ctis rerum dominia transferuntur, *§. per traditionem  
40. Instit. de rerum divis.* Si autem rem ven-  
diderit alienam, tradendo non nisi usucapiendi  
conditionem transfert, id est solum facit, ut emp-  
tor eam rem legitimo tempore possit præscri-  
bere.

3. Teneturque hoc casu venditor emptori de  
evictione *d. l. Iulianus*, id est si contingat cur-  
rente tempore præscriptionis rem à domino e-  
vinci & avocari ab emptore, teneatur ei vendi-  
tor quanti interest, ipsius rem evictam non fu-  
isse. Idque sive sciverit venditor esse alienam,  
sive ignoraverit: ignorantia enim hic non ex-  
cusat venditorem, quia in culpa est, quod a-  
lienam rem vendiderit, cum scire unusquisque

teneatur conditionem rei, quam vendit *l.  
Quisquis Cod. de rescind. vendit.* alioquin si uter-  
que sciverit esse alienam, ex neutra parte con-  
trahitur obligatio, *d. l. Si in emptione §. Item si  
emptor.* Si vero emptor solus sciverit, non co-  
necetur ei venditor, nisi de evictione convenerit,  
*l. Si fundum 27. C. de evictionibus.* Imputate e-  
nim sibi debet, quod sciens rem emerit alienam.  
Alios casus, quibus venditor non teneatur de  
evictione, enumerat Pontifex in *c. ult. hoc tit.*

Primus est, si emptor in ius vocatus non de-  
nuntiaverit venditori, sibi litem motam esse:  
potuisset enim venditor, facta sibi denunti-  
atione, emptori in iudicio adfuisse, & defende-  
re cum emptore, ne vinceretur. Secun-  
dus, si denunciaverit quidem, sed emptor: ex  
propria contumacia condemnatur. Tertius si  
per injuriam iudicis condemnatur emptor, qui  
his casibus nulla intervenit culpa venditoris,  
quàm præstare teneatur.

## §. III.

De rescindenda venditione.

1. *Lesus ultra dimidium iusti pretii quæ al-  
ter.*

2. *Venditor vel emptor lesus ultra dimidium  
ad quid teneatur.*

3. *Quatenus contrahentibus alteri alterum  
circumvenire liceat.*

**A**liquando vero recedi potest ab emp-  
tione-venditione perfecta, rescisso con-  
tractu propter læsionem ultra dimidium iusti  
pretii. Nam licet emptio-venditio taliter con-  
tracta valeat ipso iure, tamen potest deceptus  
petere eam rescindi, sive is venditor, sive emp-  
tor fuerit, ut habet verior sententia. Ver-  
ius quoque est, cum emptorem tum ven-  
ditorem dici deceptum ultra dimidium iusti  
pretii, quando non accepit dimidium ejus,  
quod dedit: v. g. emptor dicatur deceptus  
ultra dimidium, si rem, valentem decem, e-  
merit viginti uno; venditor vero, si rem, va-  
lentem decem, vendiderit tantum quatuor: si-  
quidem neuter his casibus accepit dimidium e-  
jus, quod dedit. Unde facile refellitur opinio  
volentium emptorem dici ultra dimidium  
deceptum, si rem, valentem decem, emerit  
sedecim: nec enim potest dici tum deceptus ul-  
tra dimidium ejus, quod dedit, cum plus quam  
dimi-

P p



dimidium illius acceperit. Igitur in aestimatione lationis ultra dimidium spectari debet non solum pretium, ut volunt, sed & res ipsa, eaque conferenda cum pretio dato: nam hac consideratione patet emptorem, qui pro re, valente decem, dedit viginti unum, esse deceptum ultra dimidium, quia non acceperit dimidium ejus, quod dedit; quamvis tum etiam dici possit deceptus ultra duplum, si solum pretium spectetur.

2. Attamen præcisè agi non potest ad rescindendam venditionem ex capite lationis ultra dimidium, sed emptor deceptus potest vel rescissâ venditionem restituere, repetito pretio, vel, mancante venditione, repetere partem pretii, quam ultra dimidium solvit. Similiter si venditor deceptus sit, in electione & arbitrio est emptoris, vel supplere, quod iusto pretio deest, vel rem restituere, *cap. Cum dilecti versic. quia vero h. r.*

3. Porro tamen si ob lationem infra dimidium iusti pretii lex, ut dixi, non rescindat venditionem, sed talem lationem toleret: tamen non ideo licet alterum contrahentium usque ad dimidium iusti pretii circumvenire, sed iusto pretio res vendi & emi debet. Nec obstat *l. In causa 16. D. De minor.* quia quod ibi dicitur, licere contrahentibus naturaliter se circumvenire, intelligi debet infra latitudinem iusti pretii, quod est vel summum, vel medium, vel infimum. Neque enim licet vel plus vendere, vel minoris emere, quam valeat, ne quidem infra dimidium iusti pretii. Ideoque qui vel plus vendit, quam res summo pretio valeat, vel minoris emerit, quam valeat infra infimum pretium, peccat procul dubio, & tenetur ad restitutionem. *D. Th. 2. 2. qu. 77. art. 1. Unde & Pont. inc. 1. hoc tit.* vetat, ne quis carius vendat transeuntibus, quam aliis. Verum neque lex, neque etiam Canon, rescindit emptionem, licet supra summum pretium, res vendita sit, dummodò non ultra dimidium iusti pretii.

## §. IV.

Quæ res vendi non possint.

1. *Vendi non possint res spirituales, sacra, publica, &c.*
2. *Res item dotales regulariter,*

3. *Duplex ex hoc contractu actio nascitur, empti, & venditi.*

1. **P**ORRO cum antè dixerim, quamlibet rem vendi posse, nisi vel natura, vel ius gentium, vel mores civitatis eas commercio hominum exemerint, paucis hic quoque proponendum, quænam sint ejusmodi res. In primis itaque res, quæ non est, nec futura spectatur, servus, vel equus mortuus, vendi non potest. Secundò, Res spirituales, ut jurisdictionis Episcopalis, beneficia, ordines Ecclesiastici. Tertiò, Res sacra, religiosas, sanctæ, ut vasa sacra, vestes, altaria, reliquæ Sanctorum. IV. Homo liber V. Publicis usibus destinata, seu res universitatis, ut forum publicum, via publica, basilica: à privatis scilicet hominibus; alioquin talia vendi ab universitate ipsa possunt. VI. Res dotalis, vel donata propter nuptias licet uxor consentiat. Exceptis certis casibus: uti in *c. Pervenit hoc tit.* veluti si pretio aestimata sit dos, & maritus, alia bona habeat, si vendat dotem ex causa necessaria, non voluntaria; si convertat in utilitatem uxoris, vel si uxor consentiat, jurjurando adhibito, sive per se, sive per procuratorem, cui ad hoc dederit speciale mandatum, *c. ult. de procurat. in 6.* aut maritus ad divisionem fundi dotalis provocetur à socio, qui habeat sibi fundum communem. VII. Litigiosæ res, vel restitutioni obnoxie. VIII. Venena, nisi alterius materiam adjectione possint fieri salubria, *l. Quod sepe 35. §. veneni D. hoc tit.* IX. Non licet iudici iudicium justum vendere, vel testi testimonium. Advocato tamen permissum est vendere patrocinium justum, & iuriconsulto consilium justum. *can. Non licet xi. qu. 3.* & sic de similibus, quæ brevitate causæ omitto.

3. Denique ex hoc contractu duæ oriuntur actiones: una dicta ex empto, quæ datur emptori contra venditorem, ad petendam rem venditam: altera dicta ex vendito, quæ datur venditori contra emptorem, ad petendum pretium; de quibus in *Tit.*

*D. De actionib. empti & venditi.*



## TITULUS XVI.

## De Locatione &amp; Conductione.

## §. I.

Locatio-Conductio quid sit;

1. Locatio-conductio quid sit; quia Locator & quia Conductor.
2. In quibus distinguatur ab emptione - venditione.
3. Locator perfectio contractus ad quid teneatur.
4. Ad quid conductor.
5. Locationes, anticipatis solutionibus facta sunt nulla ex Conc. Trid.
6. Successor quando stare teneatur locationi sui predecessoris.

Emptioni - venditioni proxima est Locatio-conductio, iisdemque fere juris regulis consistit: adeo, ut in quibusdam quæri soleat, an sit emptio-venditio, an vero locatio - conductio, *l. 2. D. locat.*

1. Est autem Locatio - conductio contractus solo consensu initus, quo aliquid utendum-fruendum vel faciendum datur, certâ mercede constituta.

Dico, solo consensu initus; quia simul atque inter contrahentes convenit de mercede seu pensione solvenda pro usu alicujus rei vel opera hominis, jam perfecta est locatio-conductio, etiam si nec res, nec verba, nec litteræ interveniant; ita ut à contractu alter, altero invito, non possit rescire. Locatorem existimant quidam esse illum, qui mercedem accipit; Conductorem eum, qui dat: sed verius est eum dici Locatorem, qui aliquid utendum-fruendum, vel faciendum dat: Conductorem vero, qui aliquid utendum-fruendum vel faciendum suscipit, uterumque det vel accipiat pecunias. Sic enim qui fulloni dat vestimenta polienda, locator dicitur, & tamen pecuniam dat. Similiter dominus locat domum ædificandam, & pecuniam dat. E diverso qui vestimenta polienda vel domum ædificandam suscipit, conductor dicitur, & tamen pecuniam accipit,

2. Distinguitur Locatio-conductio ab emptione-venditione, quod in emptione-venditione transferatur dominium, secuta traditione, si venditor sit dominus rei venditæ: non item in locatione, saltem ad modicum tempus; quodque in hoc solum datur aliquid utendum-fruendum, faciendum. Et ideo licet Clerico non sit permittum vendere bona Ecclesiæ, et tamen locare potest ad modicum tempus, *c. de vestra hoc tit.* Præterea in emptione-venditione pretium consistere debet in pecunia numerata: in locatione merces potest consistere etiam in rebus fungibilibus, *l. Si olei 22. Cod. eod.* id est quæ pondere, numero aut mensurâ constant, vel etiam in quota parte fructuum; ut si colonus pro prædio conducto solvat annuæ certam partem fructuum, ut secundam, tertiam, aut quartam.

Non obstat *l. 1. §. si quis servum D. Depositi*, ubi dicitur, mercedem locationis consistere in pecunia: quia ibi nomen pecuniæ sumitur generaliter, ut etiam comprehendat res fungibiles: ut & *l. fin. Cod. De constituta pecunia, l. 1. §. creditum D. de reb. creditis.*

3. Perfecta itaque locatione tenetur & cogi potest locator rem locatam præstare conductori, ut ea utatur-fruatur ad tempus conventum: nec ante tempus conductionis finitum regulariter expellere conductorem licet, *c. l. h. tit. Dico*, regulariter: quia tres casus enumerat Pontifex in *c. Propter §. verum h. tit.* quibus permittum est locatori cogere conductorem, ut ante tempus conventum emigret ex prædio conducto. Primus, si superveniat locatori necessitas aliqua, v. g. domum rescindi, quæ tempore locationis non imminabat, vel si ipse habitare in prædio locato velit. Secundus, si conductor in re conductâ male versetur. Tertius, si ubi locatio plurimum est annorum, conductor toto biennio mercedem non solvat, *l. Ade 3. Cod. eod.* etiam si convenerit ab initio, ne intra tempora conductionis inviteret, *l. Quaro 54. §. inter D. eod.* quia hoc pactum ita intelligitur, modo pensionem debito tempore solvat. Si verò locatio sit ad minus tempus, statim quoque decurso tempore, ob defectum solutionis, expelli conductor potest.

Aliàs si locator vel non præstet rem locatam, vel cogat migrare conductorem ante tempus locationis finitum, tenetur conductori præ-

P p 2

stare



stare, quanti ipsius interest, non posse uti-frui re conducta, quodque migrare ante tempus conventum fuerit coactus, *l. Si tibi alienam 7. D. eod.* nisi conductori aliam habitationem non minus commodam præstet, *l. Si quis domum 9. D. eod.* Et ideo locator, volens prædium locatum vendere, potest illud vendere ea lege, ut emptor sinat conductorem explere tempus suæ conductionis, *l. Si merces 25. §. qui fundum D. eod.*

4. Contra, conductor prædii tenetur statis temporibus pensionem seu mercedem solvere. Cujus tamen subinde facienda est remissio: veluti si sine culpa conductoris seu casu fortuito, vel vitio rei contingerit sterilitas, quæ cum ubertate præcedentis vel sequentis anni, ubi plurimum annorum est locatio, compensari non possit, *c. Propter sterilitatem hoc tit.* veluti si vel tempestate, vel luc aliqua, vel hostium incursu segetes vehementer corruptæ fuerint. Modicum tamen sterilitatem ac modicum damnum æquo animo ferre debet colonus, cui immodicum lucrum non auferitur, *d. l. Si merces 25. §. vis major D. eod.* Neque enim ob magnam anni sequentis ubertatem, augeri pensionem oportet, *Cast. ad d. §. vis major.* Ratio autem, cur locator pensionem remittere pro rata damni debeat, casu fortuito dati, cum casus fortuitus à neutro contrahente sit præstandus, est, quia casus iste seu sterilitas contingit in ipsa re locatoris, nempe in fructibus adhuc pendentibus; quorum est dominus, eum sint pars fundi: ideoque casum illum ferre ipse debet, *juxta l. Pignus Cod. de Pignoribus.* Aliud proinde esset, si fructus à colono percepti, & in horreum coniecti pereant aut perierint, *l. Damnum 12. Cod. hoc tit.*

5. Observandum autem hic, Concil. Trident. *Sess. 25. cap. 12.* omnes locationes, antequam solutionibus in præjudicium successorum, & quascunque locationes rerum Ecclesiasticarum in damnum Ecclesiæ, contra Canonicas sanctiones factas, etiamsi confirmatæ sint à Sede Apostolica, decernere nullas & irritas.

6. Insuper notandum, successorem stare locationi prædecessoris sui non teneri, quando is nomine proprio & in suam utilitatem locavit fructus & redditus suæ dignitatis, beneficii, vel officii, nisi in casu, quod non esset inte-

gra: ut si consiti sint agri, si pendente fructus vel inchoatus sit annus. Latè Riccius in *Praxi Decis. 112.* Vide varios citatos à Gallemeit ad *d. ca. 11. Conc. Triad.*

Denique ex hoc quoque contractu oriuntur actiones: una, quæ dicitur ex locato vel locati, & datur locatori adversus conductorem: altera ex conducto vel conducti, quæ datur conductori adversus locatorem de quibus vide Welenb. *D. h. r.*

## §. II.

### De Emphyteusi.

1. *Emphyteusis unde dicatur, & quid sit.*
2. *In quo distinguatur ab emptione-venditione, & locatione-conductione.*
3. *Emphyteuta amittit jus emphyteusis, si non solvat canonem.*
4. *Si item vendat rem non facta denuntiatione domino directo.*
5. *Cui propter alienationem solvitur 50. pars pretii seu laudemium.*

**A**D Tit. de locato retulit Pont. Emphyteusis, ob maximam eius cum locatione-conductione affinitatem.

Emphyteusis Græcè idem valet, quod Implantatio seu Insitio: diciturque ager dati in emphyteusim, quando datur, ut conseratur arboribus, vel segetibus. Inde verò accommodatum est hoc nomen ad significandum contractum, quo res in emphyteusim datur.

1. Definiri itaque Emphyteusis potest, ut sit contractus juris civilis, bonæ fidei, quo scriptura interveniente, fundus aliquis alteri fructudus in plures annos, quam decem, aut in perpetuum traditur, ea lege, ut eum meliorem, fructuosiusque reddat, sub onere annuæ pensionis, tradenti seu domino directo solvendæ.

Est autem contractus hic veluti medius inter emptionem-venditionem & locationem-conductionem: aded, ut cum olim dubitaretur, essetne emptio-venditio, an verò locatio-conductio, ob similitudinem, quam cum illis habet, tandem Zeno Imperator distinctum & specialem contractum fecerit.

2. Differt ab emptione-venditione, quod in emphyteusi non transferatur dominium directum, ut in venditione: à locatione vero,



## TITULUS XIX.

## De rerum permutatione.

1. *Definitio permutationis.*
2. *Quæ res permutari possint.*
3. 4. *Permutari possunt beneficia cum beneficii auctoritate superioris.*
5. *Dummodo alia etiam concurrant.*
6. *Et nihil admisceatur temporale.*

**P**osteaquam Pont. egit de nonnullis contractibus nominatis, aliquid etiam subijcit de innominatis, & nominatim de permutatione. Quod nomen licet videatur proprium, tamen generale est, nec significat aliquam certam speciem contractus, quandoquidem quilibet contractus, in quo aliquid ultro citroque præstatur, permutatio quædam sit: nam in emptione res vendita verè permutatur cum pretio; in locatione merces cum opera; & sic de cæteris. Hic autem sumitur specialiter, prout distinguitur ab aliis contractibus.

1. Quo pacto definiti potest contractus Juris gentium, innominatus, bonæ fidei, re & consensu constans, in quo certa species cum alia certa specie commutatur. Nam si genus cum genere vel specie commutetur, existimant quidam esse contractum Do ut des, ex quo oritur actio stricti juris, cum ex permutatione oriatur actio bonæ fidei.

2. Possunt autem permutari omnes certæ species, quæ sunt in commercio hominum, modò permutantium sint, nec permutari prohibeantur: non tantum res corporales cum corporalibus, sed etiam corporales cum incorporalibus; dummodò merè temporales sint, ut v. g. fundus cum annua pensione permutari possunt.

3. Dico, dummodo merè temporales sint: nam temporalia cum spiritualibus absque simulationis labe permutari non possunt, sed bene spiritualia cum spiritualibus, ut beneficia cum beneficiis inter personas idoneas, auctoritate tamen Superioris, c. *Quæsumus* 5. c. *Ad quæstiones* 6. hoc tit.

quod non tantum usus, sed etiam utile dominium transferatur; directo manente apud dominum. In cujus directi dominii recognitionem cum emphyteuta solvat canonem seu pensio, penam annuam, non autem in compensationem fructuum, quos ex fundo percipit, uti conductus mercedem solvit; ideo propter sterilitatem non fit ei remissio, sicut fit conductori: nec potest imponemata sive meliorationes, quas fecit in fundum emphyteuticum, alteri vendere, nisi cum consensu domini, à quo cum in emphyteusim accepit. Cum enim sit directus dominus, nec interlit emphyteutæ à quo pretium meliorationum accipiat, an à domino directo, an verò ab alio; merito præfertur cuilibet alteri. Et ad hoc, ut secum deliberet, an eas velit emere, an non, habet spatium duorum mensium, c. *Potuit* h. t. l. 3. *Cod. De jure emphyteut.*

1. Id quoque receptum est in emphyteusi, ut emphyteuta, solutionem canonis ultra biennium protrahens, emphyteusim Ecclesiasticam amittat, nisi celeri satisfactione moram solvens canonis purgaverit, d. c. *Potuit* §. *fin.* Idque etiam, tametsi ei, ut canonem solveret, non fuerit nuntiatum, quia hoc casu dies pro homine interpellat. Civilem verò amittit, si per triennium cessaverit: nec in hac videtur posse mora postmodum oblatione purgari, quia longius tempus hic præstitutum merito loco purgationis censetur.

4. Similiter excidit emphyteuta jure suo, si emphyteusim vendiderit nulla denuntiatione facta domino directo, aut facta quidem, sed non expectato termino duorum mensium, qui domino conceduntur ad deliberandum, num velit oblato pretio emphyteusim recipere ad se, d. c. *Potuit* §. d. l. 3. *C. De jure emphyt.*

5. Cæterum quando emphyteusis ex consensu domini alienatur, solvitur ei quinquagesima pars pretii, d. l. 3. quæ pars vocari solet Laudemium. Videatur Julius Clarus §. *emphyteusis* qu. 23. §. 25. & Georgius Frantckius *Tract. singulari de Laudemio.*



Sic quoque alia res Ecclesiastica cum aliis item Ecclesiasticis permutari possunt, etiam addito pretio, ad æqualitatem fructuum & reddituum compensandam, *d. c. Ad quasiones in fine*.

Quia verò permutatio species est alienationis, ideo in permutatione rerum Ecclesiæ eadem solemnitates requiruntur, quæ in earumdem alienatione: & ubi alienatio permittitur, à fortiori permitti debet permutatio, modò ratio, cur alienatio permittitur, ad permutationem adaptari possit, *c. 1. 2. 3. & 4. h. t.*

4. Dixi autè, spirituum cum spiritualibus & beneficiorum cum beneficiis permutationem fieri posse auctoritate Superioris; quia licet beneficiati de suorum beneficiorum permutatione faciendâ agere & tractare valeant, tamen permutationem ipsam privata auctoritate facere aut concludere nequeunt, quia talis permutatio semper labem continet simoniæ; & proinde uterque suo beneficio permutato privari potest, *d. c. Quasium, & c. Cum olim hoc tit.*

Neque obstat, quòd, Cum beneficium datur pro beneficio, detur aliquid spirituale pro spirituali, quod dictum est esse licitum, *d. c. Ad quasiones*; tunc verò simoniam contrahi, cum spirituale datur pro aliquo temporali, *c. ult. hoc tit.* Nam is, qui ex pacto beneficium suum permutat cum alio beneficio, ideo incurrit simoniam, quia pro re spirituali, ut pro beneficio, dat aliud beneficium, spirituale quidem, sed habens aliquod admixtum temporale, scilicet fructus: quo casu etiam contrahi simoniam constat, *c. Præterea sup. De transact.* Neque in permutatione beneficiorum inter se dici potest, quod in *d. c. Ad quasiones* rescriptit Pont. de permutatione duarum Parochialium Ecclesiarum inter se, attributis utrimque possessionibus, suppleto pretio pro minus valentibus, quia ibi duo inveniuntur contractus permutationis, qui inter se nullo modo miscentur. Verum cum beneficium datur pro beneficio, unica inquit permutatio, scilicet beneficii ad beneficium, non duæ permutationes, nempe una officii & ministerii Ecclesiastici, cum alio officio ac ministerio, & altera Fructuum unius beneficii ad fructus alterius Fructus enim beneficii Ecclesiastici se habent ad beneficium, ut accessorium ad principale, adeò ut à beneficio separari non possit,

5. Ad beneficiorum verò permutationem plura requiruntur. Primum, ut uterque permittentium jus habeat in beneficio, quòd permittat, *c. Cum univ. for. 8. in verbis, prabend. suarum hoc tit. l. 1. D. eod.* Adeò ut alter, qui beneficium suum resignavit, ex causâ permutationis, possit sine nova collatione ad illud redire, *d. c. Cum univ. for. 8. Si beneficia De prabend. in 6.* Secundò requiritur, ut beneficia utrimque resignentur in manibus Superioris; & ut is utrimque ex causâ permutationis resignatum & vacans alteri alterius beneficii conferat: alioquin si conferat alicui tertio, collatio est nulla, *c. unico hoc tit. in 6.* etiam si is tertius habet expectativam ad primum beneficium vacans, quia beneficia ex causâ permutationis resignata, non simpliciter resignata sunt, nec vacant, sed sub ea conditione dumtaxat, ut alter alterius beneficium consequatur, *d. c. unico.*

6. Nec obstat, quòd resignatio beneficii debeat esse pura, absque ulla conditione vel pacto, *d. c. Quasium*; quia hoc verum est, quando adjectetur conditio, modus vel pactum ab ipsis resignantibus, citra auctoritatem Superioris: & ubi conditio non admittitur à Jure, ut fit in permutatione, *Clement. unica eod. tit.* Quòd si resignatione ab una parte facta, alter nolit ex sua parte eam adimplere, prior ad beneficium suum redidit, *d. c. Univ. for. 8.* Utrunque factâ resignatione, si unus nolit alterius beneficium habere, alter utrumque obtrinebit.

## TITULUS XX.

### De Feudis,

#### §. I.

#### Quid sit Feudum.

1. Contractum feudalem esse nominatum.
2. Definitio Feudi.
3. In quo contractus feudalis ab emphyteusis differt.

**S**unt qui ad contractus innominatos referant contractum feudalem, quia à jure scripto proprium nomen non habeat: imò si proli-



profectus incognitus. \* 1. Verius tamen & communius obtinuit, esse nominatum: quia tamen si à jure scripto non habeat nomen, habet tamen à consuetudine, nempe hoc Feudum. Quod licet frequentius ita sumatur, pro ut significat rem ipsam, quæ in feudum conceditur: tamen quandoque etiam sumitur, ut ipsum contractum designet feudalem, seu pro ipso contractu feudali.

2. Atque hoc pacto sumptum nomen Feudi definitur potest, quod sit benevola & libera rei immobilis vel æquivalentis concessio, cum translatione utilis domini, retenta proprietate seu directo dominio, sub onere fidelitatis, & obsequii personalis exhibendi.

Dicitur, benevola & libera concessio: ut distinguatur à Locatione & Emphyteusi, in quibus utriusque rei conceditur, sed propter pensionem & annuum canonem. In puro autem Feudo non solvitur pensio vel canon, sed obsequium tantum personale exhibetur. Quod si aliquando in Feudo aliquid solvatur in recognitionem directi domini, ex ea parte declinat ad naturam emphyteusis, & deficit à natura Feudi.

Dicitur, rei immobilis; quia res mobilis in feudum dari nequit, *Tit. 1. lib. 2. De usibus Feudorum*. Nomine autem Rei continetur non solum res soli seu fundi, sed quicquid solo seu fundo cohaeret, ut ædificia, vineæ, arbores in superficie soli constitutæ, item ea, quæ immobilibus comparantur, ut servitutes: nam & in his quasi possessionem & quasi dominium esse dicimus, *l. Servitutes D. De servit. urban. prædiorum. l. Possessores 12. Cod. De fundu. patrimon. lib. 1.* Item annui redditus, qui ex aliqua re immobili debentur, vel saltem ex perpetua aliqua negotiatione, ut cum de cella vinaria feudum conceditur, *cap. 1. §. sciendum de feudi. cognit.* Si quis autem ignorans rem alienam, aut alteri obligatam, in feudum acceperit, potest agere, ut alia res ejusdem bonitatis & æstimationis sibi detur in feudum, cum prima evicta: secus, si sciens: nisi speciali pacto sibi prospexerit, *c. 1. Tit. de investitura dare aliena lib. 2.*

Dixi, sic ut in eum transferatur utile dominium: ut distinguatur ab usufructu simplici, qui jure servitutis debetur, & quo non transfertur utile dominium; estque servitus personalis, quæ morte usufructuarii extinguitur

cum interim Feudum transeat ad hæredes masculos, imo etiam ad fœminas, si de his nominatim sit dictum. Quia vero in Feudo transfertur dominium utile, ideo res alienari prohibita in feudum novum dari nequit, *c. 1. Tit. Per quos fiat investitura lib. 2.*

Additum est, sub onere fidelitatis, & c. quia si res aliqua in feudum detur, ea lege, ut nihil servitii præstetur domino, erit improprie Feudum, quod Francum; id est: liberum appellant. Teneatur autem Vasallus domino directo non solum fidelitatem promittere, sed & jurare: de quo juramento vide *Tit. De nova forma fidelitatis lib. 2.* Illud tamen de substantia feudi non est quia remitti potest, *Tit. 3. Per quos fiat investitura §. nulla lib. 2.*

3. Differt insuper contractus feudalalis ab emphyteusi in eo, quod, orta inter aliquos controversia de feodo, de ea dominus cognoscat: non autem in emphyteusi. Præterea Vasallus seu feudatarius non potest sine consensu domini feudum oppignorare; emphyteuta vero potest fundum emphyteuticum. Similiter feudatarius non potest alteri feudum absque consensu domini dare, quia manet domino obligatus, nec potest alium in suum locum subrogare, emphyteuta potest jus suum alteri cedere, quia non ipse, sed res emphyteutica est domino obligata. In Feudo fœmina non succedit, nisi sit fœmineum, aut nisi id expresse actum sit, quia nequit personale obsequium æquæ ac vir præstare: at vero tem in emphyteusi accipere potest, quia æquæ ac vir rem meliorare potest, qui est finis emphyteuscos. Feudatarius non cogitur domino obsequium præstare, nisi illo petente: emphyteuta verò tenetur constituto tempore pensionem solvere. Feudatarius denique potest se abdicare feudo, sine voluntate domini: non item emphyteuta emphyteusi.

## §. II.

Quis in feudum dare; & quatenus alienari possit,

1. Dare potest quilibet laicus, verum suum liber dominus.
2. Clericus quousque bona Ecclesiastica non item.
3. Excep-



## 3. Exceptio triplex.

4. Vassallus sine consensu domini feudum alienare nequit.

5. Quid juris de eo sit in Brabantia ac Flandria.

1. **C**oncessio feudi unicuique laico, qui liberam rerum suarum administratorem habet, permilla est; etiam feminæ, c. 1. *Per quos fiat investitura*, & arg. l. *In remandato* Cod. *Man-dati*. Quamquam non desint, qui rusticis & plebeis eam negent, Fachin. 7. *Contravers. cap.* 84. aliis tamen id affirmantibus.

2. Ecclesiastico verò infra summum Pontificem, sine ejus auctoritate, quoad bona Ecclesiastica, non ita permittitur dare in feudum, c. *unico de rebus Ecclesie non alienan in Extravag. commun. c. Per tuas inf. De donationibus c. 2. sup. De locato*: licet Abbas, Abbatissa, & Præpositus id facere potuerint, ut pater ex *Tit. 6. l. 1. Feud.* Ratio est, quia in feudum datio est alienatio: imò datio quædam, quæ facta à Prælato, in præjudicium Ecclesiæ, est ipso jure nulla. Adeoque Pius IV. excommunicavit omnes persuasores & mediatores infeudationis honorum Ecclesiasticorum 4. Kalen. Aprilis 1566. apud Petr. Matthæum 7. *Decretal. lib. 1. tit. 1. c. 6.* Et proinde non possit hodie Episcopus jus decimarum dare in feudum, ut colligitur ex c. *Prohibemus inf. de decimis*: ubi etiam prohibetur, ne laici decimas, quas ante Concilium Lateranense habuerunt, transferant in alios laicos.

3. Exciipiuntur tamen certi casus. Nam Prælatus Ecclesiæ, res in feudum dari solitas, si morte Vassalli vel aliter ad Ecclesiam redierint, priusquam factæ sint de mensa Ecclesiæ, potest iterum alteri in feudum dare, si modò id ex Ecclesiæ utilitate esse arbitretur, c. 2. *h. t.* etiam si jurasset, res Ecclesiæ de novo non daturum in feudum, in conspectu Romano Pontifice: quia illud juramentum intelligi debet de iis rebus, quæ antea non sunt solite in feudum dari.

Secundò, si illicite à Vassallo alienatum fuerit feudum, & sic ipso jure amissum, potest Prælatus idem alteri dare, etiam filio vel consanguineo ejusdem Vassalli.

Tertio, Feudum Ecclesiæ ita alienatum, ut facile recuperari non possit, potest alicui laico potentiori concedi, qui illud recuperet & ab Ecclesiâ recognoscat.

Quin autem Clericus in propriis bonis, id est quæ non intuitu Ecclesiæ acquisivit, possit feudum constituere, non est dubitandum, c. 1. in *prin. de Clerico qui investituram* &c. cum hæc bona nihil à laicorum bonis distent, c. *Quia nos, c. Relatum inf. de testamentis*.

4. Non potest autem Vassallus feudum sine consensu domini alienare vel oppignorare: & si id fecerit, feudum amittit: sicut & qui feudum domino negat. Cum consensu verò domini potest illud alienare, vel etiam pignori dare, tam directo domino, quam extraneo, c. 4. *h. t.* Quod si directo domino pignori det, dominus abstinendo à vassalli servitio, fructus ex feudo perceptos non tenetur computare in sortem, id est non deducit eos de principali debito, quia scilicet eos percipit pro fidelitate & servitio, ad quod obligatus est Vassallus, d. c. 1. Licet alias regulariter creditur fructus ex pignore perceptos computari in sortem.

5. In Brabantia potest quis ex indulto Principali feudum, cui libuerit, testamento relinquere, vel alias inter vivos alienare. In Flandria vero non nisi jurata coram feudaliibus necessitate, quod scilicet non possit juxta suam qualitatem se exhibere, nisi feudo vendito. Ut proinde allodialia, si quæ habeat, præcedere debeant: adeò ut si vere necessitas non fuisse probetur, alienatio debeat declarari nulla, prout in Parlamento Mediolanensi anno 1617. factum fuisse testatur Zypæus *De iure Pontif. novo lib. 3. h. t.* ubi subiungit, existere quandam Ordinationem Comitris Flandriæ Ludovici, innovatam per Philippum Bonum 27. Augusti 1460. ne feuda alienentur sine indulto Principis, neve pro debitis subhæstentur, nec à proximo agnato haberi possint, etiam quæ sunt ex providentiâ majorum, nisi is hæres fuerit. Quod si possideat feudum nobile, quod servitium personale debeat, monasterium ingrediatur, illud statim amittit, c. *unico de Vassallo milite qui bellica arma deposuit*. Allodia vero venerabilem domum sequuntur, si ea bonorum sit capax, *Novella 76. c. 12. c. 38.* Si vero feudum fuerit nobile, nec servitium personale debeat, retinet usumfructum ad vitam naturalem, & postea transmittit ad proximum agnatum, ita Zyp. d. loco ex Alvaro.

19 & DD in d. c. unico de vassallo milite.

TITU.



## TITULUS XXI.

## De Pignoribus &amp; aliis Cautionibus.

## S. I.

## Quid sit Pignus, &amp; quotuplex.

1. Cautio multiplex est.

2. 3. Pignus &amp; Hypothecam sapius confundi, ac tripliciter usurpavi.

4. 5. Contrahi pignus vel expresse vel tacite.

6. Pignus aliud Prætorium, aliud iudiciale.

7. De hypotheca obligatione ex moribus hodiernis.

Sequitur nunc de his, quæ contractibus perfectis, tam nominatis quam inominatis, ad eorum maiorem securitatem adhiberi solent, cuiusmodi sunt, simplex promissio, & Juramentum seu iuratoria cautio de solvendo vel adimplendo debito: item Pignus & Fidejussio; & quodem nominatim de duobus posterioribus, ac primo loco de Pignoribus, quia plus cautionis est in re, cuius accessione contrahitur pignus, quàm in persona, cuius accessione contrahitur fidejussio, l. Plus cautionis 5. D. de regulis juris

1. Inscribitur autem Tit. De pignoribus & aliis cautionibus, quia præter pignus multiplex est cautio. Nam cum cautio significet securitatem, quæ quis redditur securus de eo, quod sibi promittitur vel debetur, & hoc multipliciter contingere solet, fit, ut multiplex quoque resultet cautio; alia simplex, quæ fit sola promissione: alia iuratoria, quæ quis promittit se daturum vel facturum aliquid præstito iurjurando, alia fidejussoria, quæ fit datis fidejussoribus: alia hypothecaria, quæ fit cum hypotheca: & sic de aliis. Pontifex tamen hic ferè agit de pignoribus tantum, non etiam de aliis cautionibus in particulari.

2. Et si verò nomina hæc Pignus & Hypotheca sic distinguantur, ut Pignus propriè dicatur rei mobilis, inspecta etiam notione nominis, quia pugno id est de manu in manum traditur: Hypotheca verò rei immobilis, & non tra-

ditæ, quæque nuda conventionione contrahitur, §. Item Serapiana Instit. de actionibus, l. Si rem §. propriè D. de pign. action. tamen sæpius confunduntur, \* 1. Et utrumque tripliciter usurpatur: Primo, pro ipsa re, mobili vel immobili, creditori in securitatem debiti obligata: Secundo, pro ipso contractu seu conventionione, quæ pignus vel hypotheca contrahitur. Tertiò pro obligatione seu jure, quod ex contractu in re nascitur, quoque creditor nominè ejus, quod sibi debetur, rem obligatam tenet.

Secundo modo sumptum definiti potest, quod sit contractus, juris gentium, nominatus, bonæ fidei, quo creditori jās in re alicujus constituitur, ut debitum ei sit tanto tutius.

4. Contrahitur autem pignus vel Expresse, vel Tacite, Expresse iterum dupliciter, vel mutua partium conventionione, quo casu non est opus præsentia vel traditione rei, l. 1. D. De pign. act. Vel citra conventionem: idque vel jussu testatoris, volentis rem aliquam creditori suo esse pignori: vel decreto Iudicis aut Magistratus, per missionem in possessionem & detentionem rei. Et hoc vel est Prætorium, vel Iudiciale.

5. Prætorium dicitur, quando Judex expremo decreto, nulla præcedente sententia, mittit creditorem in possessionem rei. Iudiciale, quando ex sententia præcedente vel rejudicata mittit agentem ex primo decreto. Ita distingui, convincunt diversi Tituli Codicis, De Prætorio pignore, & Si in causa iudicati pignus cap- tum sit. Alioquin utrumque largo modo dici potest Iudiciale, eo quod à Judice detur: vel etiam Prætorium, ut colligitur ex l. 1. & 2. Cod. De Prætorio pignore, & l. Non mirum D. de pign. act.

6. Tacite contrahitur pignus, quando ex vi & dispositione legis vel statuti introducit. Hoc pacto omnia bona debitoris: Fisci vel Principis, ratione sive contractus sive tributi sunt ipsi tacite oppignorata. Excepto minori, qui si aliquid emerit à fisco, sola res emptæ manet obligata pro pretio. Similiter bona tutoris, curatoris, administratoris Ecclesiæ, civitatis, sunt tacite obligata pupillo, minori, Ecclesiæ, civitati, pro administratione. Item bona mariti, uxori pro dote restituenda, c. Ex litteris, 5. h. t. bona item patris, filio pro administratione bonorum adventitiorum filii: bona defuncti, legatario pro legato: emptum pecunia pupilli,



ipſi pupillo, pro pretio: idque cum privilegio prælationis ante omnes creditores, in re empta hypothecam habentes. Similiter fructus rei conductæ, domino ſudi, pro penſione: inventæ & illata in prædium, pro penſione & dampnon rei locatæ conductæ in urbanum quidem indiſtinctæ: in ruſticum, ſi domino ſciente inventæ ſint: & ſic de ſimilibus, de quibus vide Neguſant. *De pignori p. 2. memb. 4.*

Rurſus utrumque pignus ſeu hypotheca, id eſt tacita vel expreſſa, eſt duplex, nempe alia Univerſalis, alia Particularis. Univerſalis eſt, in qua omnia bona, non modò præſentia, ſed & futura, obligantur. Ex hæc non impedit rei alienationem, quia in locum ejus ſuccedit prædium. Particularis eſt, quando res aliqua particularis obligatur. Et hæc ſemper afficit ipſam rem, ad quemcumque poſſeſſorem deveniat donec debitum fuerit ſolutum, aut obligatio fuerit condonata vel præſcriptione extincta.

7. Notandum verò hic ex Zypæo *De Iure Pont. novo lib. 3. hoc tit.* hodie ex Ediſto Caroli V. an. 1529, & multarum provinciarum moribus, non contrahi hypothecæ obligationem, niſi coram Magiſtrato loci, ubi res ſita eſt; ac proinde non eſſe ordinem prælationis inter generalem hypothecam habentes. Verum Ediſtum illud locum habet dumtaxat in hypotheca conventionali, non autem legali. Factaque obligatione coram Judice loci, non opus eſt alia rei apprehenſione: prout nec rerum dominium acquiritur ex diſto Caroli Ediſto, repetito per Ediſtum Albertian. 1611. 12. Julii art. 14. & 15. & uſu hic inveterato, niſi coram Magiſtrato loci, adhibitis conſuetis ſolemnitatibus.

## § II.

### Quæ res oppignorari poſſint.

1. Oppignorari poſſunt res omnes, alienari non prohibita.
2. Prohibentur res ſacræ, ſancta religioſa.
3. Res Eccleſiæ.
4. Ius patronatus.
5. Res pupillares, minorum, litigioſa, &c.

1. Obligari vel dari pignori poſſunt res omnes, quæ ſunt in dominio vel quaſi domino debitoris, vel in quibus juſ aliquod ha-

bet, ſive æ mobiles ſint, ſive immobiles, ſive corporales ſive incorporales, ut cenſus, decima ſeu nomina, tam futura quam præſentia, reſtigalia, & ſic de cæteris: niſi à natura, vel lege, vel ſtatuto, aut perſona, alienari prohibeantur. Nam rem dare pignori eſt alienare, & oppignoratio eſt quædam alienatio: licet enim debitor proprietatem rei oppignorata non tranſferat in creditores, tranſfert tamen & alienat juſ pignoris, quod eſt juſ reale, afficiens & ſequens ipſam rem, ad quemcumque demum poſſeſſorem pervenerit: manetque ſalvum creditori juſ pignoris, ſi modò non conſenſerit in alienationem, l. Sicut 3. §. non videtur D. *Quib. modis pig. vel hypoth. ſol.* Quamò ipſum etiam pignus ſive juſ, quod in pignore creditor habet, obligari alteri poſſe, quamvis res, in qua pignus conſtitutum eſt, ſit debitoris, l. 1. & 2. Cod. *Si pignus pignori datum ſit.* Verum ſimulatque ſolutionem acceperit, deſinit ſecunda obligatio ſeu oppignoratio, quippe deſinente prima, in qua fundabatur ſecunda. Quòd ſi ager pignori datus ſit, etiam fructus ipſi oppignorati cenſentur, licet de iis nihil actum ſit.

2. Dixi, niſi à natura, vel lege &c. Hinc enim res ſacræ, ſanctæ, religioſæ, quia in commercio non ſunt, & alienari prohibentur, etiam oppignorari nequeunt, l. 3. Cod. *Qua res pignori dari non poſ. l. 3. Cod. De religioſ. & ſumptibus funerum.* Similiter liber homo, &c. hoc tit. licet ſit filioſamilias, l. Qui filius 6. Cod. *Qua res pignori &c.* Poſteſt tamen captus & redemptus ab hoſtibus ſuſum tradere in pignus, pro pretio, quod alimæ juſ nomine perſolvit, donec pretium vel obſequio vel pecunia reſtituerit. Poſteſt etiam dari obſes, poſſimū in cauſſa belli, ut pactis ſtetur.

3. Secundò, dari pignori nequeunt bona mobilia pretioſa, cultui divino dicata, atque alia res Eccleſiæ immobiles, alienari prohibita: niſi juſta aliqua cauſſa ſubſit, & adhibeantur ſolemnitates, ad alienationem rerum Eccleſiaſticarum requiſitæ, &c. l. h. s.

Alias ſi quid horum aut ſimilium fuerit à Rectore & per conſequentiore Eccleſiæ oppignoratum, poterit Eccleſia vel repetere & vindicare pignus à poſſeſſore, vel, ſi maluerit, cogere hæredem ejus, qui rem Eccleſiæ obligavit, ut eam redimat & reſtituat Eccleſiæ, l. 3. §. iii.



3. *ibi Glof. h. t.* Teneaturque hoc casu hæres in solidum, ob dolum aut culpam defuncti, qui oppignoraverit & alienaverit res quas scivit esse Ecclesiæ: quo modo & hæredes tutorum in solidum tenentur, *l. 1. §. 2. C. de hæredibus tut. vel curat.* Possunt tamen res Ecclesiæ obligari titulo generalis hypothecæ, pro observatione alicujus contractus, Panor *in d. c. 1. de colligitur ex c. Nulli sup. De rebus Ecclesiæ non alienandis.*

4. Jus quoque patronatus licet cum universitate bonorum vendi possit, dummodo ratione ejus non exigatur majus pretium, tamen oppignorari non potest; quia non est res, per quam debitum pecuniarium possit compensari. Ideoque si castrum, cui est annexum tale jus, oppignoretur, manet jus patronatus penes priorem patronum.

5. Tertiò, oppignorari nequeunt res pupillares, res minorum, litigiosæ, fundus dotalis, instrumenta rustica & ad cultum agri spectantia. Item, secundum aliquos, servitutes prædiorum tam urbanorum quam rusticorum, inter quas tamen alii discrimen constituunt. Insuper res fideicommissi subjectæ, præmium futuræ victoriæ, feudum sine voluntate directi domini: licet fructus feudi pignori esse posse receptum sit, *speculat. De pignori §. 1.* Res item alienæ, nisi ex voluntate domini. Si tamen debitor, qui rem alienam oppignoraverit, postea fiat ejus dominus, pignus convalescet.

## §. III.

## De Pactis pignorum.

1. Pactum antichresos improbatum jure Pontificio.
2. Dominus directus ex feudo oppignorato vel fructus percipit.
3. Pactum item legis commissoria in pignore utrumque jus improbat.
4. Quod si tamen juratum fuerit, servandum est juramentum.

1. Recipit contractus hic pactiones, conditionem ac diem, *l. Si convenis, D. De pignorat. ad.* dummodo legibus vel Canonibus non adversentur. Quod addo, quia licet pactum de lucrandis per creditorem fructibus, ex

re pignoratæ perceptis (quos creditor, quando pignus datur in securitatem tantum debiti, imputare in sortem tenetur, id est deducere de principali debito: nisi forte ratione lucri cessantis vel damni emergentis vel ex alia causa eos retinere permittatur, *c. 1. §. 2. inf. De usuris*) quod antichresin vocant, legibus civilibus approbatur, id tamen improbant Canones: adeo ut, si fructus percepti adæquant sortem, teneatur creditor, nulla alia expectata solutione, pignus restituere, *c. Cum contra 6. hoc tit.* Imo & pactio de lucrandis fructibus ex pignore ultra sortem, sub specie ac pallio venditionis, tamquam usuraria improbatæ est, *c. Illos 4. h. t.*

Dixi, quando pignus datum est in securitatem tantum debiti, quia si datum sit, ut etiam creditor eo fruatur interim, loco rei debitor, non tenetur imputare fructus in sortem, *c. Salubriter 16. inf. De usuris*: ubi gener non tenetur fructus pignoris, à locero recepti, pro dote promissa perceptos, in sortem imputare, quia non fuit ea mens loceri, ut ratione horum fructuum minueretur dos, sed ut gener illis fruere ad sustinenda opera matrimonii, donec illi dos repræsentaretur. Alioqui si constaret dedisse pignus tantum in securitatem dotis, nulla subesset ratio fructus illos retinendi, nisi ratione lucri cessantis, Vide Covarruviam 3. *Var. resol. c. 3.*

2. Sunt & alii casus quibus creditor fructus ex pignore perceptos in sortem imputare non tenetur, sed eos retinere potest, sorte manente integra, nempe quando feudum directo domino à Vaiallo est oppignoratum, & quando emphyteuta oppignoraverit directo domino rem emphyteuticam; *c. 1. sup. De feudis, c. Constitutus 8. inf. De usuris*. Ratio est, quia contractus feudalis & emphyteuticus inter alias tacitas conditiones, cum quibus semper censetur celebrari, nisi contrarium exprimatur, habent & hanc, ut, si feudum vel fundus emphyteuticus oppignorentur directo domino, possit ipse percipere fructus, sorte non minuta, idque ne res apud directum dominum existens fructificet alteri, quod non videtur rationi consonum.

Non debet tamen hoc casu, quo, inquam, vult percipere fructus directus dominus, exigere obsequium vel pensionem solitam,

Qq 2

acc



nec percipere fructus, quos res producit, quia parte ea melior est effecta per industriam emphyteutæ. Insuper non debent feudum vel emphyteus esse comparata magna pecuniæ summa, vel magnis obsequiis antecedentibus, sed bona ex parte concessa gratis. Videatur Navar. in *Manuali* cap. 17. n. 217. Covar. d. locorum. 4. post Innoc. in c. 1. de feudis, & Molin. ad consuet. Paris. Tit. 1. §. 1. Gloss. 9. n. 11. q. 3.

3. Præterealicit in emptione-venditione pactum legis commissoriae, id est, ut, nisi intra certum diem pretium solvatur, res fiat inempta, approbetur, Tit. D. De lege commissoria: tamen in pignore tam a legibus, quam Canonibus, tanquam usurarium, improbat, l. ult. Cod. De pact. pignoris. Significante 7 hoc tit. veluti si data mutuo pecunia, ejusque nomine pignore constituto, conveniatur, ut, nisi intra certum diem pecunia solvatur, pignus sit creditoris. Ratio est, quia cum pignus plerumque plaris sit, quam debitum, pro quo est obligatum, creditor per tale pactum verè pacificatur sibi aliquid ultra sortem dari: quod est usurarium.

4. Quod si tamen juraverit debitor, se, nisi intra certum diem pecunia debita solvatur, pignus non reperiturum, istud iuramentum si in esse non obscurè judicat Pont. in d. significante, in verbis, *iuramenti debitum adimplevit*, Ratio est, quia Jure Pontificio omne iuramentum servandum est, quod absque præjudicio tertii & dispendio salutis æternæ servari potest. Sic enim servandum est iuramentum de solvendis usuris, c. Debitores sup. de jurejur. quia easolvere non est peccatum, sed accipere.

5. Non obstat, quod pactum legis commissoriae in pignore sit nullum, utpote contra legem & Canonem: ac proinde & iuramentum nullius roboris, tanquam illius accessorium, videatur, arg. l. Cum principalis D. De reg. juris quia præterquam quod illa lex non habeat locum, ubi diversa est ratio accessorii & principalis, uti hoc casu, ubi dictum pactum est prohibitum in odium creditoris, aliquid ultra sortem exigentis: iuramentum vero spectat ad reverentiam divini numinis, ideoque servandum, cum non tendat in præjudicium tertii aut salutis æternæ: dicendum est, iuramentum hic non tam esse accessorium, quam principale,

quia primaria obligatio per illud acquiritur Deo, secundaria parti, Covar. ad. Quamvis De pactis in 6. §. 3. n. 3.

## §. LV.

## De Actionibus pignoratitiis, &amp; quo modo pignus dissolvatur.

1. Actio pignoratitia vel directa est, competens debitori.
2. Vel contraria, qua datur creditori adversus debitorem.
3. Hypothecaria actio qua fit.
4. In quo differat à pignoratitia.
5. Quando cumulari hæ actiones possint.
6. Quo modo dissolvatur pignus.

Constituto pignore, duplex ex eo oritur actio: una, quæ propriè vocatur Pignoratitia: altera Hypothecaria. Pignoratitia vel est Directa vel Contraria.

1. Directa datur debitori, persoluto debito, adversus creditorem, ut rem sibi pignoratam restituat, una cum fructibus, & damnum dolo culpave datum resarciat. Cum enim pignus utriusque gratia contrahitur, & ut creditoribus magis in tuto sit debitum, & ut debitoribus magis pecunia credatur, ideo dolo, lata, & levis culpa præstat, à creditore, non etiam levissima: sicut nec vis major aut casus fortuitus, arg. l. Si eares D. De actionibus empti. Nisi hoc casu culpa creditoris periisse rem debitor probet. Gloss. in l. Si creditor Cod. pignorat. act. Et hæc non datur debitori, nisi prius pignus sit traditum creditori, quia oritur ex intervenitu rei, Insist. Quib. modis re contrah. obligatio: vel saltem fingatur traditum, ut in locatore, cui singuntur tradita bona conductoris, quæ habet sibi obligata pro pensionem, etiam si verè tradita non sint, Negusant. De pignoris p. 7. membro 1. n. 2. Quæ autem veniant in actionem pignoratitiam: tradit idem auctor memb. 3. ejusdem partis.

2. Contraria datur creditori, adversus debitorem, ad id, quod sibi pignoris nomine abest: ut si sorte sumptus in rem pignoratam fecerit, aut res aliena sibi oppignorata fuerit. Et hæc datur, etiam si pignus ei traditum non fuerit, Negusantius d. loco num. 3. Varios vero casus quibus



quibus pignoratitia contraria competit creditori adversus debitorem, vide apud eundem *l. 7. membro 3. à n. 13* & *praesertim à n. 22.*

3. Hypothecaria actio datur creditori, ad vindicandum pignus à quocumque possessore debito non soluto; ut ita rei pignoratæ incumbens, si non solvatur debitum, possit eam distrahere, & ex ejus pretio, quod sibi debetur, decerpere: siue de ea distrahenda nominatim convenierit, siue non; imo etiam si convenierit, ne distraheretur, facta denuntiatione à legibus statuta seu servato Juris ordine.

4. Differt insuper Pignoratitia ab Hypothecaria, (quæ & Serviana & quasi Serviana appellatur) quod pignoratitia sit personalis, *l. fin. Cod. De distr. pign.* quia oritur ex contractu: sit bonæ fidei ac civilis, & cum sit personalis, tollitur præscriptione 30. annorum, *l. Sicut Cod. De prescript. pignorum.* Hypothecaria vero realis seu in re, *l. pignoris 18. Cod. De pignor.* Atque iuris, vel arbitrii, & Prætorii: tolliturque interdum decem annis, interdum 20. interdum 30. & interdum eo, ut in *l. 1. Cod. Si adversus creditorem.* Latius Negulant. *Dist. 6. in 2. membro n. 1. & 2.*

5. Illud etiam observandum hic, quod quando agitur contra debitorem, possunt cumulari in eodem libello personalis & hypothecaria, ut in *Novell. De fidejussorib. §. sed neque, latè Myns. cens. 1. Observe. §. 8.* non autem, si agatur simul contra debitorem & tertium possessorem, quia tunc prius agi debet contra debitorem & postea contra tertium possessorem, *Auth. Sed hodie Cod. De actionibus & obligat. Auth. Hoc ita si debitor Cod. de pignoris.* Nec potest agi contra tertium possessorem hypothecaria, nisi prius actum fuerit personale contra principalem debitorem, vel ejus hæredes, vel hereditatem jacentem, vel fidejussor, si existent, & nisi obrenta prius adversus eos sententia. Negulant. *Depignor p. 8. membro 1. nu. 9. & 10.* Facta autem executione principalis potest creditor experiri in solidum adversus quemlibet possessorem, etiam divisim & pro parte possidentem, prout latè tradit Guido Papæ *De off. 432.* Si tamen divisim semel petierit, amplius solidum à singulis non petet, *arg. l. Liberum fuit 16. Cod. de fidejussor.* Et si lite jam contestata debitor bona hypothecata alienaverit, possessor habens causam à debitore convenire poterit ante ipsum debitorem, Negulant. *à memb. 1. n. 10.*

6. Denique dissolvitur pignus integra debiti solutione, remissione, oblatione, consignatione & depositione, *l. 1. Cod. Qui potiores in pign. hab.* Item rei interitu, mutatione debitoris novatione voluntaria, domini impetratione, tempore, sententia vel jurejurando: ut si juratum vel judicatum sit, pignus obligatum non esse. Vide Wescub. in *Paras. Tit. Quib. modis pign. vel hypoth. solvitur.*

Quod si quæras, an re avocata per remedium legis 2. *Cod. De rescind. vendit.* resolvatur hypotheca, medio tempore ab emptore constituta? Revolveri verius est.

## TITULUS XXII. De Fidejussoribus.

### §. I. Quis dicatur Fidejussor.

1. Fidejussor dicitur qui pro alio accessorie se obligat.
2. In quo differat à Constitutore.
3. 4. A Mandatore & Expromissore.
5. A Correis debendi.

Fidejussor lata significatione is omnis dicitur, qui alterius obligationem in se suscipit, & sua fide esse jubet: indeque nomen existit, *l. Quamvis §. si mulier D. Ad S. C. Vellejan.* siue sit fidejussor proprie dictus, siue mandator, siue constitutus seu constitutor, siue expromissor.

1. Proprie verò dicitur fidejussor, qui per stipulationem pro alio accessorie se obligat.

2. Dico, pro alio: quia nemo pro se ipso, id est pro eo, quod ipsemet debet, fidei jubere potest. In quo differt in primis à Constitutore, quia potest quis constituere, quod ipsemet debet, §. *In personam Instit. De actionibus*, Sicut & in eo, quod possit quis constituere siue pro se siue pro alio: etiam nudo pacto, vel per epistolam; & constitutor principalem obligationem tantum sequatur.

3. Differt à Mandatore, quia mandator nudo consensu constituitur, etiam absens: fidejussor non nisi per stipulationem & præsens, *l. 12. C. h. t.* Rursus mandator suo nomine obligatur, & obli-



obligationem principalem præcedit; nam mandator dicitur, qui mandat alicui credi, vel cum aliquo contrahi, & id sua fide esse iubet, id est promittit se soluturum, si is, pro quo mandat, non solvat, l. 12. §. si post creditam D. Mandati. Fideiussor autem solum alio nomine obligatur, & plerumque sequitur obligationem principalem, quam tamen etiam præcedere potest, §. Fideiussor Instit. h. t.

4. Ab Expromissore vero differt, quod expromissor, etiam si pro alio obligetur per stipulationem, ita tamen obligatus sit, ut rem principalem liberet. Unde per expromissionem fit novatio, non etiam per fideiussionem, cum principalis maneat obligatus.

5. Denique à correis debendi differt quod correi suo nomine, & quidem principaliter, promittant, fideiussor pro alio tantum; & quidem accessorie; unde & adpromissor vocatur.

## §. II.

In quibus obligationibus adhiberi possit Fideiussor.

1. *Omni generi obligationum accedere fideiussor potest.*
2. *Etiam ex delicto descendit, si ad pœnam agatur pecuniariam.*
3. *Fideiussor dotis quando datur.*

**A**dhiberi fideiussor potest in omni genere obligationum, quomodocumque contractæ fuerint, §. 1. Instit. hoc tit. l. 1. 2. 8. §. 1. l. 26. D. eod. Nec refert, an obligatio, cui accedit, sit civilis tantum, an naturalis tantum, an civilis & naturalis simul; an Prætoria, an principalis vel accessoria, cum & fideiussor fideiussoris dari possit: an item sit contracta, an contrahenda, l. Stipulatus 6. §. adhiberi D. eod. Num licet fideiussio hæc de facto præcedat obligationem principalem, tamen quoad vim suspenditur, donec principalis obligetur.

2. Non refert quoque, an ex contractu, vel quasi, ex delicto vel quasi, oriatur. Salvo, quod in criminalibus non aliter adhiberi possit, quam si agatur ad pœnam pecuniariam, quia pro criminis pœna corporali exsolvenda (cum nemo sit membrorum suorum dominus, l. Liber homo D. Ad L. Aquiliam) dari fideiussor non potest.

3. Similiter fideiussor dotis, vel pro consecra-

vatione dotis, aliter dari nequit, quam si maritus ad inopiam notorie vergat, c. Per vestra inf. De donat. inter virum & uxorem. vel, ut aliqui volunt nisi ultro à marito offeratur. Et ideo dicitur fideiussorem recte adhiberi in omni genere obligationum, quia non in singulis obligationibus adhiberi potest. Quando autem dicitur, posse adhiberi in omni obligatione, hoc ita intelligendum est, ut sit distributio pro generibus singulorum, non autem pro singulis generum, ut loquuntur Dialectici.

## §. III.

Quinam fideiubere possint.

1. *Fideiubere omnes possunt, qui obligari.*
2. *Etiam Clericus pro laico.*
3. *Non tamen Religiosus.*

**F**ideiubere possunt omnes, qui obligari nisi specialiter prohibeantur, ut famina, milites, servi, & similes. Ut autem laicus pro laico vel Clerico fideiubere potest, c. Constitutus h. t. ita vicissim Clericus pro Clerico vel laico, si videat illum de fideiussore laborare, c. 1. eod. quia mutua benevolentia est Clericos & laicos mutuas tradere operas.

2. Nec obstat cap. 1. h. t. ubi dicitur Clericus ab Ecclesia abiciendus, qui fideiussionibus inservit, quia id accipiendum est de Clerico, qui frequentibus fideiussionibus se immiscet, & consequenter se nimium involvit secularibus negotiis, can. Te quidem x. l. 9. l. 1. c. Tu. Decretal. No Clerici vel Monachi sacul. neg. se immiscant.

3. Religiosus tamen fideiubere nequit; nisi impetrata facultate à suo Prælato, c. petuli. h. t. quia velle aut nolle non habet, nisi auctoritate Superioris, cui voluntatem suam subiecit. Adeo ut ne quidem sibi donatum aliquid accipere valeat, nisi Prælati annuat, can. Non dicatis x. l. 9. l. 1.

## §. IV.

Effectus Fideiussionis.

1. *In plus obligari non potest, quam principalis debet.*
2. *In maiorem summam ad sumptum teneri pro concurrente.*
3. *Etiam in partem debiti directe adsumitur.*
4. *Accepti simpliciter, si plures sint, singuli in solidum tenentur.*



5. *Hodie tamen eis competit beneficium divisionis.*  
 6. *Vi & beneficium ordinis, ne ante principalem conveniantur.*  
 7. *Fidejussor solvens habet regressum adversus principalem.*  
 8. *Etiā adversus Clericum.*

**D**ebet verò fidejussor esse par, aut saltem non deterioris conditionis, cum principali. Et ideo licet in æqualem quantitatem vel minorem, atque etiam efficacius se obligare possit, quam principalis obligetur: veluti cum intervenit pro naturaliter tantum obligato quo casu non modo naturaliter, sed etiam civiliter & proinde arctius obligatur: non tamen in maiorem quantitatem seu duriorē causam, vel in plus, quam debeat principalis, se obligare potest.

2. Quod si tamen ita fidejusserit aliquis, sicut, qui velint, fidejussionem in totum contrahere, *arg. l. Gracè §. illud. D. hoc tit.* ubi dicitur fidejussores in duriorē causam adhibitos omnino non obligari: nam *omnino* non idem est ac nullo modo. Sed verius est obligari, saltem ad concurrentem quantitatem: ut, si pro obligato in quinque fidejusserit pro decem, obligetur in quinque; quia minor quantitas inest majori, & qui interrogat decem, interrogat quinque, *l. 1. §. si stipulanti D. De verb. obligat. l. Regatus 33. D. Mandati, & l. Si a reo 70. in prin. D. h. t.*

Non obstat *d. l. Gracè*: quia verba citata ita sunt convertenda, & legenda, *non omnino obligari*: vel si retineatur vulgata lectio, ea intelligenda erit conformiter ad alias leges; ut dicitur, omnino non obligari, id est, nullo modo, in plus scilicet, quam debeat reus principalis.

Non obstat quoque, quod fidejubens pure, pro eo, quod principalis debet in diem vel sub conditione, nullo modo obligetur; quia non est par ratio. Neque enim in est dies aut conditio in obligatione pura, sicut minor quantitas inest majori.

3. In partem debiti recte quoque fidejussor assumitur, si hoc ipsum exprimat, *l. Fidejussor 2. D. h. t.* sicut & in id, quod minus creditor à suo debitore consequitur: quo casu fide-

jussor, nisi excusso principali, conveniri non potest *l. fin. & ibi DD. De Si certum petatur.*

4. Alioqui simpliciter acceptus, ad eod in solidum obligatur, ut licet plures pro eodem debitore accepti sint, singuli ipso jure in solidum teneantur, *§. Si plures instat. h. t. l. Reos Cod. eod.* Et ideo jure Pandect & Cod liberum erat creditori petere debitum à quo vellet.

5. Verum hodie ex epistola a D. Hadriani habent beneficium, ut vocant, divisionis, quo cogitur creditor dividere actionem, & accipere à singulis viriles partes, dummodò litis contestata tempore solvendo sint, idque ope exceptionis. Nec enim ipso jure creditoris dividitur actio, *l. Inter fidejussores 26. D. h. t.* Ideoque si omitta hac exceptione, unus solidum solverit, non repetet, *l. Si testamento 49 §. 1. D. eod.* neque à creditore, quia solvit ei, quod debebat; neque à confidejssoribus, quia sibi imputet necesse est, quod solverit solidum, nec exceptionem D. Hadriani objecerit.

Neque actione negotiorum gestorum repetere partem poterit, quia solvendo non tam gestit negotium confidejssorum, quam suum: solidum enim solvit, ut se liberaret ab obligatione.

Quod si tamen, priusquam solvat, petierit à creditore cedi sibi actionem, quam habet adversus confidejssores, poterit postea actione sibi cessā à confidejssoribus repetere partes, *l. Vi fidejussor 39. D. eod.* Sin autem creditor cedere actionem nolit, non nisi ad partem solvendam compelli potest, doli exceptione creditori agenti opposita, *l. 2. Cod. eod.*

6. Est & aliud beneficium, fidejssoribus competent, quod vocant beneficium ordinis. Quia enim fidejussor æquē ac principalis obligatur, ad id scilicet, quod tempore fidejssionis erat in obligatione, *l. 4. & 10. C. eod.* (quod addo, quia ne usurarum quidem nomine, vel ex culpa morave debitoris regulariter tenetur, nisi in omnem causam se obligarit, *l. Quæro 54. D. locati*) ideo jure veteri etiam ante principalem conveniri poterat *l. 2. 35. Cod. h. tit.* Hodie vero ex novella Constitutione Justin. 4. cap. 1. & Auth. Præsentia Cod. eod. non nisi excusso principali, nisi is sit absens à provincia, ut conveniri non possit *d. Novel. 4.* aut notorie non sit solvendo: aut ordinis beneficium



neſcio renuntiaverit fidejuſſor; & poſſimum, ſi juratò, Gaill. 2. *Obſ.* 17. *Mynſ. Cent.* 2. *Obſ.* 15.

Juvarur autem fidejuſſor hoc beneficio tantum ope exceptionis, hoc modo, Fidejuſſi quidem, ſed non teneor ſolvere, quia non excuſiſti principalem debitorem. Eaque non opoſita, valebit judicium, Gaill. *d. loco.*

7. Quod ſi verò debitor principalis vel abſit, aut ſit excuſus; vel aliàs conſtet eum non eſſe ſolvendo, cogitur fidejuſſor ſolvere: qui tamen ſolutione factà habet reſreſſum adverſus debitorem, ut repetat, quod ſolvit, & præterea omne damnum, expenſas atque intereſſe conſequatur, Bald. *in l. Si pro ea C. Mandati.* Adque vel actione mandati, ſi ſolverit pro principali, eo vel expreſſè vel tacitè mandante, ut puta præſente & patiente, *l. Inter cauſas 26. §. Si quis D. Mandati;* vel negotiorum geſtorum, ſi pro abſente fidejuſſerit, *l. Ex mandato 20. §. 1. D. eod. tit.*

8. Et hæc etiam locum habent, ſi quis pro Clerico fidejuſſerit, qui fidejuſſorem ſuum tenetur facere indemnem, & refundere, quod fidejuſſorio nomine ſolverit: adeò ut, ſi nihil aliud habeat, quàm fructus ſui beneficii, illi per judicem assignari poſſint fidejuſſori, donec ipſi ſatis fiat, *c. 7. h. t.*

Mec obſtat, quòd jure civili non liceat pignori obligari ſpem præmiorum eorum, quæ Athletis pro coronis penſitanda ſunt. *l. Spem eorum 5. C. Quæ res pignori oblig. poſſ.* quibus non abſimiles videntur fructus beneficiorum: quia licet dicta præmia obligari non poſſint, tamen capi ex judicato poſſunt, *l. Seipendia 4. Cod. De execut. rei judicata.* Adeoque & fructus beneficiorum ex cauſa judicati, id eſt, jam judicato & condemnato Clerico, ut fidejuſſori ſolvat, rectè addicuntur fidejuſſori, *d. c. 2. in fine.*

#### §. V.

#### Quibus modis extinguitur fidejuſſio.

1. Extinguitur variis modis, ſicut obligatio principalis.
2. Fidejuſſor priuſquam ſolutum ſit, quando liberetur à fidejuſſione.

**E**Xtinguitur porro iis modis fidejuſſio, quibus ſtipulatio vel contractus principalis

quod multifariam fieri poteſt, de quib. Tit. *lib. Quib. modis tollit oblig.* veluti integra ſolutione principalis debiti, novatione, actionis conſuſione, nempe ſi creditor ſuccedat principali debitori; ſi etiam fidejuſſor ſuccedat principali debitori; ſi etiam fidejuſſor ſuccedat debitori, quia extincta acceſſoria obligatione ſit ipſe debitor principalis, vel contra, ſi debitor ſuccedat fidejuſſori; & ſimilibus alijs, de quibus videatur Treutler. *Seleſt. Diſp.* vol. 2. *Diſp.* 28. *theſi* 7. Per Greg. Tholoſan. *Paratit. jur. Can. lib. 3. tit. 11. §. 2.*

2. Sed quæritur hic, an fidejuſſor, priuſquam ſolverit, poſſit convenire debitorem, ut ſea fidejuſſione liberetur, vel ſolvendo creditori, vel aliter ei ſatisfaciendo? Et dicendum, regulariter non poſſe, *l. Si pro ea 10. verſ. nulla juris ratione Cod. Mandati:* tum quia aliàs fidejuſſione beneficium eſſet debitori inutile, ſi ſtatim poſt fidejuſſionem poſſit agere ad liberationem: tum quia qui fidejubet pro alio, non tantum de pro eo obligat, ſed etiam promittit ſe pro eodem ſoluturum, ac proinde quamdiu non ſolvit, nondum perfecit, quod promittit. Atamen quatuor modis, quos enumerat Pont. *in c. Conſtitutos Gre. ult. hoc ut* compellitur debitor abſolvere à fidejuſſione ſuum fidejuſſorem. Primus eſt, ſi debitor ſolutionem nimis diu protrahat, *l. Luc. Titius 38. verſ. ſi diu D. Mandati,* quod arbitrio Judicis relinquatur. Secundus, ſi debitor principalis bona ſua diſſipare incipiat, *d. l. Luc. Titius.* Tertius, ſi fidejuſſor ſit condemnatus ſolvere, *d. l. Si pro ea C. Mandati:* quia tunc perinde habetur, ac ſi ſolviſſet, cum ſententia pararam habeat executionem, poſſitque fidejuſſor quolibet tempore abſque alio judicio cogi ad ſolvendum id, in quod ſemel fuit condemnatus. Quartus, ſi ita convenit ab initio,

#### TITULUS. XXIII.

#### De Solutionibus.

1. Nomen Solutionis generaliter & ſpecialiter ſumitur.
2. Debitor etiam eſt hæres debitoris principalis.



- 3.4. Quatenus Prælati teneantur ad æs alienum sui prædecessoris.  
 5. Quatenus cogi possit ad solvendum, qui solvendo non est.  
 6.7. Et quid de Clerico.  
 8. De eo, qui per errorem solvit indebitum.

Idum est hætenus satis de contractibus, quo modo incantur, & quo pacto cautionibus, pignoribus scilicet & fidejussoribus firmantur. Sequitur nunc de eorum solutionibus.

1. Solutio namque generaliter hic sumitur pro omni liberatione, quoquo modo contingat, *l. Solutionis verbum 54. D. h. t.* sive ipso iure, veluti solutione propriè dicta, novatione, confusione, transactione, & similibus; sive ope exceptionis, veluti pacto de non petendo, sententia, tempore, contingat liberari. Specialiter verò sumitur pro naturali præstatione ejus, quod debetur, *l. Solus am 49. C. l. penult. D. id.*

2. Debitor autem hic dicitur non tantum principalis, sed & fidejussor & hæres ille, quia sponte ad obligationem accedit; hic, quia succedit in locum & jus defuncti, quo debitum continetur, *l. fin. §. fin. verò D. De jure liberandi, l. hæredem 59. l. hæreditas 62. D. De reg. juris.* Equum verò est, ut ad quem devenerint bona defuncti, idem & opera ferat, *l. Secundum naturam 10. D. eod. tit.*

3. Unde etiam successor in Ecclesia vel beneficio velut hæres Ecclesiæ aut beneficii, tenetur solvere æs alienum sui prædecessoris, pro necessitate vel utilitate Ecclesiæ suæ contractum *c. 1. h. t.* Non quod in Ecclesia seu beneficio sit verus hæres sui prædecessoris, sed quia in administratione ærum Ecclesiæ seu beneficii, quod debito obnoxium est, succedat.

4. Dixi, pro necessitate vel utilitate Ecclesiæ; quia ipsa Ecclesia non tenetur pro alienis debitis. Imò Prælati, qui Ecclesiam suam obligavit pro debito alieno, cum sic abutatur officio boni administratoris, removendus est ab administratione rerum Ecclesiæ, *c. 2. h. t.* ut ne successor quidem eo nomine teneatur. Quamvis hæredem prædecessoris teneri supra dictum sit, *Ex præsentium sup. De pignorib.*

5. Sed quid si debitor non sit solvendo?

Olim qui non habebat in ære, luebat in corpore, & trahi in carcerem poterat; sed quia id satis durum erat, cum afflicto non sit addenda afflictio, ex benignitate quadam concessum fuit potestatem, ut bonis cedere posset, id est, permetteret bona omnia creditoribus suis distrahenda, ut inde consequantur, quod sibi debitum fuerit. Quo remedio duplex hoc beneficium consequitur creditor: prius ut non possit trahi in carcerem, *l. 1. Cod. Qui bonis cedere possunt.* alterum, ut non possit in plus conveniri & condemnari, quam facere potest, relicto debitori, qui cessit bonis, unde honestè pro conditione sua ali possit, *coto tit. D. C. Cod. De cess. bonorum.*

6. Quid de Clerico, qui solvendo non est? Plerique veteres, cum *Glos in c. Odoardus h. t.* putaverunt teneri etiam Clericum, ad evitandam carcerem, cedere bonis; quia scilicet Jure Civili ita constitutum sit, nec usquam Jure Pontificio id expressim correctum in Clerico repertatur, ut proinde in hoc Canones debeant imitari leges, *cap. 1. inf. De novi operis nuntiat.* Attamen benignior est aliorum sententia, qui volunt Clericum non indigere hoc beneficio, quia comparatur militi, qui condemnatus eatenus tantum solvere cogitur, quatenus facere potest, nec trahi potest in carcerem ob debitum civile, *l. Miles 6. C. ibi Zafius, l. Item miles 18. D. De re judicata.* Franc. Vivius *Decis 29. n. 17.* ut proinde nec ob simile debitum Clericus sit incarcerandus. Alioqui quia propter delicta incarcerari queat, dubium non est.

7. Probatur hæc sententia ex *d. c. Odoardus*, ubi summus Pont. jubet Clericum, non habentem, unde solvat, relaxari ab excommunicatione, recepta prius ab eo cautione idonea (juratoria scilicet) desolvendo, cum ad pinguiorem fortunam pervenit, nullâ factâ mentione cessionis: quam tamen procul dubio expressisset, si ea fuisset opus.

Dixi, juratoria: tum quia qui solvendo non est, quo modo fidejussorem aut pignus inveniet; tum quia qui pignus & fidejussorem dare potest, aut dedit, non potest dici non esse solvendo: quia si ipse non solverit, fidejussor solvet, vel pignus distrahetur. Hinc Ulpianus *in l. Nemo 95. D. reg. juris*, nemo dubitat, inquit solvendo videri eum, qui defenditur, quia scilicet idoneus defensor nemo est, nisi qui latet.



ris dederit, id est fidejusserit, §. Si vero in personam, Instit. De satisfactionibus. Vnde obiter notandum est, verba aliquando improprie sumi pro subiecta materia, ut in d. c. Odoar. ius verba adonea cautione.

Sanè Philippus Palcher, Rex Galliar, referente Choppino *Politia sacra* lib. 3. cap. 2. num. 2. vetuit bona mobilia Clericorum pro debito apprehendi, & venire publice seu subhastari, quantumvis Pontificibus iniunctis. Et Clemens VII. per Bullam incip. *Cum ex multorum*, decrevit causas cessionis vel discussionis bonorum, aut dilationis quinquennalis, expedendas infra brevem terminum. Paulus verò III. per Bullam incip. *Nota*, vetuit litteras moratorias per quoscunque Iudices concedi. Zypæus d. tit. ubi subjungit, Edicto anni 1540. presbyteros, si adsistant, quos vulgò Bancæ ruptos seu Fallitos vocant, eorumve occultent bona, puniri per apprehensionem temporalium; ac solutiones hodie non impediri per exceptionem non numeratæ pecuniæ: cui hodie locum non esse, censuit Concilium Brabantiar. 4. Septemb. 1545.

8. Alioqui si quis per errorem indebitum solverit, quia repeti solutum possit, dubium non est, toto Tit. D. De condict. indebit. Sed quia hoc casu actor intendit se debitum solvisse, & reus negat, quaritur, uter probare debeat, quod fuerit indebitum. Distinguit Pontifex in cap. ult. hoc tit. hoc modo: Si reus idemque creditor, fateatur sibi solutum esse, sed neget fuisse indebitum, quod solutum est, tunc actori incumbet probatio, indebitum solutum fuisse quia ei incumbit probatio, qui agit; contraque actorem præsumptio est juris, cum nemo præsumatur jactare suum, nec verisimile sit, quemquam tam esse supinum in rebus suis, ut solvat aliquid, quod non debet. Sin reus neget, sibi solutum esse, & actor probeat, tunc rei erit probare debitum fuisse, quod solutum est, quia jam præsumptio juris est contra reum, propter mendacium, l. Cum de indebito 25. D. De probationib.

## TITULUS XXIV.

## De Donationibus.

## §. I.

## Quid sit Donatio &amp; quoduplex.

1. 2. Donatio unde dicta & d. finitio.
3. Duplex est, mortis causa, & inter vivos.
4. Mortis causa donatio in quo legatis acquiparetur.
5. Donatio inter vivos qua sit.
6. 7. Illam facile revocari, hanc non nisi ex certa causa.

Quamquam veriùs sit, donationem de jure novissimo esse contractum, & quidem stricti juris, l. Eum 22. & l. Hereditatem 28. D. eod. (quamvis an contractus sit nominatus, an verò innominatus, disputent Interpp. Bart. ad l. Iurisperitum 7. D. De pactis, Jafon. ad l. Cum mora 6. Cod. De transact. tamen summum Pontificem imitari, rectè eam à contractibus separamus, & subijcimus Tit. De solutionibus: tum quia magis pertinet ad causam liberalitatis, quam obligationis seu contractus quandoquidem qui donat, non id agit, ut alterum sibi obliget, quod contractibus est proprium, sed ut donatarium, id est eum, cui donat, beneficio afficiat; nec aliam ob causam det, quam ut liberalitatem exerceat: tum ut paulatim à donationibus propriis de quibus hic agendum, ad ultimas voluntates, quæ etiam sunt quædam donationes, sed improprie, perveniamus.

1. Dicitur autem Donatio à Donando, quasi Dono datum vel Doni datto, l. Senatus 35. §. 1. D. De mortis causa donat.

2. Definiri proinde potest liberalitas, quæ nullo jure cogente exercetur, l. 1. in princ. l. Donari 29. D. hoc tit. l. Donari 28. D. De reg. juris. Exercetur inquam, donando vel remittendo: nam remissio certi alienius juris donatio est l. Si quis 12. D. de novationib. & similibus.

3. Donationum alia est mortis causa, alia inter vivos. Mortis causa donatio, est quæ fit propter mortis suspensionem; ita scilicet, ut donator exprimat se mortis causa donare, vel aliunde



aliunde ita donare constat: aliis enim præsumitur absolute & inter vivos donare, licet expressus & in extremis vitæ constitutus donec, *l. si in fine D. de mortis causa donat.* Ac propterea impropria hæc donatio est, quia non ex mera liberalitate, ut perpetuo res fiat donatarii, sed ut certis casibus ad donatorem redeat, *l. 1. D. d. e.*

4. Cum verò ob mortis fiat suspitionem, ad exemplum legatorum, modus acquirendi domini est civilis, quia dominium rei donatæ à morte donantis transfertur in donatarium extra traditionem, sicut legatum transit in legatarium, *l. 1. §. 2. D. de Publ. in rem act.* & fere legatis æquatur. Nam & eodem modo revocatur, & morte donatoris demum confirmatur, & Lex Falcidia, quæ legatis modum imponit, etiam ad donationes mortis causâ porrecta est.

5. Dico, fere quia naturâ & substantia differt donatio causâ mortis à legato. Neque enim perficitur nisi consensu duorum, scilicet donatoris & donatarii, cum legatum solius testatoris consistit voluntate. Et qui donat mortis causâ, potest sibi hanc legem imponere, ne rem donatam revocare possit, *l. si alienam 13. §. fin. D. de mortis causa donat.* quod non potest, qui legat, *l. si quis 12. D. de legat. §. fideicom. l. 3.*

6. Inter vivos donatio est, quæ fit sine ulla mortis suspitione, ex mera liberalitate, & ea meræ proposito, ut res donata statim fiat accipientis, nec ullo casu ad donatorem revertatur. Et ideo semel perfecta huiusmodi donatio temerè revocari non potest: in quo distinguitur à donatione causâ mortis, quæ faciliè revocatur. Primum quidem, si facta tali donatione in infirmitate, & valuerit dein donator. Latè Costalius ad *l. Non omnis 19. D. Si certum petatur* Secundò, si donatarius ante donatorem decesserit, *l. Si filios familias 23. de mortis causa donat.* Tertiò, si donatorem penituerit donationis, *l. Non omnis in princ. §. Qui mortis 35. D. d. e.* si quidem donans causâ mortis, mavult quidem donatarium habere rem donatam, quam hæredem suum, magis tamen se, quam donatarium. In quo posteriori rursus distinguitur à donatione inter vivos. Datur autem ad hanc revocandam conditio ob causam datæ, vel utilis in rem a *l. Qui mortis 30. §. d. l. Senatus §. 3. d. e.*

7. Dixi, non posse temerè revocari, quia ex

certis causis potest, veluti ob ingratitude[m] donatarii probatam; ut si probetur impius, inanus, vel atrocis inurias, vel grave damnum donatori intulisse, vel vitæ ejus insidiatum, revocari quidem tunc potest à donatore, non tamen ab ejus hærede, *c. ult. h. t. l. fin. Cod. eod.* Idque obtinet, licet adjecta esset clausula in instrumento donationis, de re non revocanda ob ingratitudinem. Quod si tamen aliquid horum factum sit à donatario, & donator tacuerit, nec revocaverit donationem, non poterit postea donatoris hæres donationem eo nomine revocare; cum revocatio illa fiat ad vindictam ingratitudinis, quæ vindicta cum persona donatoris extinguitur, *d. c. ult. in fin. h. t.*

Similiter probabile est, donationem omnium bonorum, vel maioris partis, (quam validam multi probabiliter existimant, per *l. 8. C. de revoc. can. 1. §. Cod. de inoffic. donat.*) revocari per subsequentiam liberorum, justorum scilicet, vel per subsequens matrimonium, non etiam naturalium aut beneficio Principis natalibus restitutorum, per text. in *l. Si unquam Cod. de revoc. don. ad quam latè Tiracq. etiam si facta esset Ecclesiæ, can. Licet & ibi Glos. xvii. qu. 4.*

## §. II.

Qualis in dubio fieri debeat interpretatio donationis inter vivos.

1. Donationes huiusmodi plenissimè interpretantur
2. Ultimas voluntates plenius.
3. Contractus plenè.

1. **Q**Uoniam verò donatio hæc inter vivos ex mera liberalitate proficitur donatoris, ideo in dubio, hoc est quando non constat satis ex verbis, quid donator senserit, latissima fit interpretatio pro donatario, *c. Cum dilecti 6. hoc tit.* ut accipiat id, quod donatio est commodissimum, nempe donatorem non id, quod est minimum, sed quod est summum, donare voluisse. Et propterea si quis donaverit aliquem ex suis equis, nec appareat, de quo senserit aut quem donare voluerit, optimus præstare debet, quia præsumit lex & Canon hanc fuisse mentem & intentionem donatoris, ut optimum donaret, cum ex mera liberalitate donet, *d. c. Cum dilecti* Pari modo si Episcopus cum consensu patris utatur

R r 2

hæc



hac simplicitate verborum, *Concedimus vobis illam Ecclesiam*, censetur uterque concedere totum jus, quod quisque habet in ea Ecclesia: patronus quidem jus patronatus; Episcopus verò quod temporaliter obtinet in eadem, *c. Pastoralis 7. h. t.*

2. Secus in ultimis voluntatibus, in quibus non plenissima, sed plenior fit interpretatio, *l. Testamentis 12. D. de reg. iuris*. Unde si quis equum aliquem legaverit alicui ex suis equis, nec expresse quem, datur quidem legatario electio, ut non cogatur pessimum accipere; non tamen potest eligere optimum, sed aliquem inter optimum & pessimum, *l. Legato generaliter 37. D. De legat. 1.* quia non intelligitur testator tam liberalis, quam qui donat inter vivos. Nam testator donatum, cum morietur, & cum amplius bonis suis frui non poterit, donator verò inter vivos etiam cum ipse uti possit.

3. In contractibus autem non plenissima, nec plenior, sed plena fit interpretatio, id est ut contractus potius valeat, quam pereat, *l. Quoties 12. D. De reb. dubiis*. Et ideo datur creditori electio: ut si, v. g. equum aliquem ex suis, quos domi habet, vendiderit, sine expressione ullius, possit tradere, quem velit etiam pessimum, quia id sufficit, ut contractus subsistat. Et hoc est, quod habet Regula juris, semper in obscuris quod minimum est sequendum esse, *l. Semper 9. D. de R. I.*

## §. III.

## Quo pacto Donatio inter vivos perficiatur

1. Iure veteri non nisi traditione rei perficiebatur donatio.
2. Iure novo etiam solo consensu.
3. Donatio excedens 500. solidos insinuari debet.
4. Exceptio.

1. Ceterum cum donatio inter vivos, proprie accepta, sit potius species traditionis, quam obligationis, quæri hic quoque potest, an qui donavit aliquid, quod non tradidit, obligetur donatario, ut cogi possit dare, quod promissit. Jure quidem veteri *D. & Cod.* donatio hujusmodi non perficiebatur nudo pacto seu consensu, sed traditione rei & hac sola ratione dici poterat modus naturalis ac-

quirendi domini, juxta §. *Per traditionem 40. Instit. de rer. divis.* nec aliter oriebatur actio autem traditionem, quam si donatarius fuisset stipularus, rem donatam sibi tradi, *l. Si tibi pecunia 20. D. de reb. cred. l. 1. & l. Quisquis C. eod.*

2. At verò Justinianus Imp. hoc correxit, voluitque donationem solo consensu seu voluntate, quovis modo manifestata, perfici, & habere in se necessitatem traditionis, ad exemplum venditionis, etiam si forte donatarius non fuisset stipularus rem sibi tradi, §. *Alia autem Instit. hoc tit. l. Si quis argentum Cod. eod.* idque conditione ex lege, vel ex stipulatu actione, si adjecta stipulatio fuerit. Quod etiam sequitur Pont. in *c. 1. hoc tit.* forte motus hac ratione quod ex communiori Interpp. sententia, jure Pontificio etiam ex nudo pacto datur actio, ut *l. cum sup. ad Tit. de pactis*. Unde pater, donationem inter vivos non esse modum acquirendi domini, sed causam, quia est causa traditionis, per quam dominium proxime acquiritur.

3. Quod si donatio hæc excederet quingentos solidos seu aureos, insinuati actis intervenientibus apud Magistratum debet ex eiusdem Justiniani Constitutione, in *l. penult. Cod. eod.* Nam olim, si excederet donatio ducentos solidos, opus erat insinuatione, ad obviandum fraudibus non nullorum, ne possent subornare falsos testes, falsum producere instrumentum aut chirographum. Ideoque simpliciter & nudo ei renuntiari nequit, *arg. l. Nemo potest 55. D. De legat.* Et facta absque insinuatione donatio est invalida, non quidem in totum, ut verius est novile per inutile vitietur, sed ex parte, quæ quingentos solidos excedit.

4. Ab hac tamen necessitate insinuationis excipiuntur quædam donationes: ut in primis eæ, quæ fiunt in redemptionem captivorum, in refectorem ædium, in ruina aut incendio consumptarum, vel à magistris militum factæ ipsi militibus, *l. penult. Cod. eod.* Secundò, donationes factæ à Principe, superiori non recognoscente, alicui privato, vel contra, *Gloss. in l. Sancimus & Authenti. Item Cod. eod.* Sed & insinuationis defectum supplet juramentum, Gaill.

2. Obf. 39.

§. IV. De



## §. IV.

## De divisione Donationis in Propriam &amp; impropriam.

1. Donatio alia Propria est, eaque irrevocabilis regulariter.
2. Alia impropria, quæ ex causa fit: veluti propter nuptias.
3. Donatio causa dotis remuneratoria.
4. Et donatio, quæ fit sub modo vel conditione.

**D**onatio, de qua dixi, proprie donatio est pura & simplex, quam scilicet donatur sine ulla causa, ex mera liberalitate ea mente pergit, ut nullo casu velit rem donatam ad se reverti.

1. Impropria donatio est, quæ fit ob causam aliquam sub modo vel conditione. Ob causam, ut Donatio propter nuptias, Donatio causa dotis Donatio remuneratoria, Donatio causa mortis.

2. Donatio propter nuptias est, quæ vir alii uxori dat, in vicem & securitatem dotis, ab ea, vel alio eius nomine, pro sustinendis oneribus matrimonii, acceptat. Et hoc olim vocabatur ante nuptias, neque post celebratas nuptias fieri poterat, cum prohibita esset donatio inter viros & uxorem. Hodie vero vocatur propter nuptias, quia Iustinianus Imp. permittit donationem huiusmodi non solum augeri constante matrimonio, sed etiam initium sumere: exemplo dotium, quæ constante matrimonio non solum augentur, sed etiam fiunt de novo, l. ult. Cod. de donat. ante vel propter nuptias, §. Et aliud genus Instit. h. t.

3. Donatio causa dotis est, quæ fit marito ab uxore, vel ab alio eius nomine, pro sustinendis oneribus matrimonii, l. Pro oneribus & passim Cod. De iure dotat. Unde & constante matrimonio revocari non potest, nisi maritus ad inopiam vergat, vel bona eius fisco inferantur, l. Si constante juncta, l. Si marito D. Solutio matrimonii.

4. Donatio remuneratoria est, quæ fit invicem præstiti officii; unde irrevocabilis est, l. A. quibus Cod. Si pater 34. D. h. t.

5. Donatio sub modo est, quæ aliquid cum certo modo, certa lege donatur, tot. Tit. Cod. de donat. quæ sub modo. Et hæc privato fa-

cta, si adiecto modo satisfactum non fuerit, à donatore impunè revocatur, l. ult. Cod. eod. Cæteroquin facta Ecclesiæ non revocatur, ob modum non impletum, sed agitur ad ejus impletionem: nisi ipsi modo adjecta sit clausula revocatoria, hæc vel similis. Et si modo non fuerit patitum, res donata repetatur, c. Verum inf. de condition. appositis.

## §. V.

## Quoniam donari possint.

1. Donare possunt rerum suarum plene domini.
2. Clerici prout res Ecclesiæ donare non possunt.
3. Nisi forte Episcopus construat & dotet Ecclesiæ.
4. Limitatio hujus.

**P**ostremo generaliter de donationibus quaritur, qui donari possint; Omnes scilicet & soli domini, qui liberam bonorum suorum administrationem habent, cum potestate alienandi. Hinc furiosus, & prodigus, cui bonis est interdictum, propter furiosum exitum, quem talis in bonis suis facere dicitur, donare nequit. Similiter nec minor xxv. annis, licet sit rerum suarum dominus. Sed neque permixta est donatio coniugibus inter se, tot. Tit. Cod. de donat. inter vir. & uxorem; nec invicem parentibus & liberis, in potestate constitutis, l. Cum de bonis 11. Et l. Si emancipatis 17. C. h. t. l. Donationes 25. Cod. de donat. inter vir. & uxorem. Licet his duobus casibus donatio morte donatoris convalescat, d. l. 17. Cod. h. t. l. 2. Cod. Si quis alieri vel sibi emerit. Sicut & juramento, c. Cum contingat sup. de iure iur. Gaill. 2. Observ. 18. Quin etiam donatio parentis in filium emancipatione confirmatur, d. l. 11. Et 17. C. h. t.

2. De Clericis verò hic specialiter quaeritur: quibus quidem de bonis propriis seu patrimonialibus & quasi patrimonialibus donare licet, quantum velint, vel alio quocunque modo disponere, cum eorum sint plene domini: verum res Ecclesiæ, etiam cui servantur, donare non possunt, cum donatio sit species alienationis, ut dixi supra ad Tit. de rebus Ecclesiæ non alienand. Adeo, ut ne quidem Episcopus aut quilibet Prælati eas donare possit, cum



non sit dominus, sed tantum procurator rerum Ecclesiasticarum, *c. Ex hereditate 2. h. tit. de proinde meliorem quidem Ecclesiam suam conditionem possit facere, deteriore non utique. Nisi rei quantitas seu modicitas, vel loci consuetudo, à Canonibus non improbat, donationem permittat, cap. 3. hoc tit. § 3. vel nisi Episcopus in sua diocesi Monasterium vel Ecclesiam aliquam construat quo casu, illud quidem ex rebus Ecclesiae, cui praesidet, usque ad quinquagesimam partem reddituum illius Ecclesiae hanc verò ad centesimam, & non ultra, dotare permittitur, *can. Bona rei 74. xii. q. 2. c. Apostolica h. t.**

4. Quamquam si per huiusmodi subtractionem fructuum Ecclesia Cathedralis graviter laedatur, talis donatio foret revocanda, *d. cap. Apostolica*. Et in his distinguitur Praelatus Ecclesiae à procuratore: cui licet à domino permilla sit libera rerum administratio nihil tamen earum, siue immobilium, siue mobilium, quae servando servari possunt, alienare potest sine consensu domini, *l. Procurator totorum 63. D. de procurator*. Res verò Ecclesiae non exiguas nullus Praelatorum aliter donare potest, quam cum consensu Capituli, & ex iusta causa: adeò, ut ne quidem Episcopus Ecclesiam, in sua diocesi sitam, pio alicui loco, veluti Monasterio, concedere possit siue consensu sui Capituli, *c. Pastoralis 7. hoc tit.* Quo modo & Hospitalarii, id est Religiosi, qui hospitalibus praesunt, cum consensu Capituli domum aliquam suam alii loco religioso donare possunt, *c. Inter dilectos 8. h. t.*

## TITULUS XXV.

### De peculio Clericorum.

1. Peculium quid sit.
2. Et ex quibus constet.
3. Constat vel ex bonis propriis Clericorum, quorum sunt domini.
4. 5. Vel ex bonis Ecclesiae, aut intuitu Ecclesiae acquisitis.
6. Clericos etiam illorum esse plene dominos probatur.

**N**on importune, ubi de donationibus egit Pont. & quia de testamentariis dispositionibus deinceps acturus est, interjicit hunc Titulum *De peculio Clericorum*, ut distinctius & melius intelligatur conditio bonorum, quae Clerici sibi acquisiverint, & quatenus ex his donare, testari, aliterve disponere valeant.

1. Dicitur autem Peculium, auctore Vlpiano in *l. Depositum §. 2. D. de peculio*, quasi pessilla pecunia. Illudque in primis Clericis competit, si veteres Canones spectemus, *can. Clerici can. Duo sunt xii. quast. 1.* Verum cum hodie per recentiores Canones Clericis rerum possidendarum amplior facta sit potestas, ideo peculium eorum triplex solet statui. Vel enim constat ex propriis Clericorum bonis, siue ea patrimonialia sunt, siue quasi patrimonialia, vel ex bonis Ecclesiae; vel denique ex bonis intuitu Ecclesiae acquisitis, *cap. hoc tit. can. §. 2. xii. qu. 3.*

2. Propria bona Clericorum sunt, quae vel ex successione hereditaria, legato, fideicommissio, donatione, aut alio quocumque titulo, dummodò non occasione Ecclesiae vel beneficii, Clericis obvenierint. Ac proinde eorum nomine comprehenduntur quasi patrimonialia, quae scilicet acquirunt ratione Clericalis ordinis vel officii, sed alia ratione quam beneficii, veluti celebrando, concionando, canendo, confessiones audiendo. Vicariae temporali deserviendo, aut alias similes actiones spirituales exercendo. Similiter ea, quae proprio labore & personali industria lucrantur, ex aliis, quam suorum beneficiorum, bonis.

3. Cum verò Clerici bonorum patrimonialium plene sint domini, perinde ut laici suorum, *can. Episcopi & duobus seqq. xii. qu. 1. c. Quia nos inf. de testam.* de his etiam liberrime, quantum volunt & cui volunt donare aut alio quovismodo, siue inter vivos siue ultima voluntate, disponere possunt, *d. can. Episcopi & alii, cap. 1. versic. Si autem cum seq. cap. Relatum 11. c. Requisisti. inf. de testam.* Idem dicendum de quasi patrimonialibus, juxta Navar. *de redditibus Ecclesiae qu. 1. monito 29.* quia illa dantur Clericis in mercedem laboris ac servitii & operae personalis praestitae, vel liberaliter in sustentationem, absque ullo onere, tacito vel expresse.



expresso, dandi superflua pauperibus. Idem etiam dicendum de iis, quæ beneficiatus sibi subtrahit ex debita sustentatione, parcius vivendo.

4. Bona Ecclesiæ dicuntur, quæ Ecclesiæ ejusdem Ministris consecrata vel destinata sunt, sive immobilia, sive mobilia, ut agri, domus, silvæ, calices, & alia, quæ quocunque titulo, sive donationis, sive emptionis, sive legati &c. ad Ecclesiam pervenerint. Inter quæ censendi sunt fructus pendentes, cum sint pars fundorum. Et hæc sunt in dominio Ecclesiæ: nec in iis quicquam juris, præter administrationem, sibi vindicare Clericus potest, cap. 2. sup. De donat. can. Episcopi, cau. Manifesta, can. fin. xii. quest. 1.

5. Bona intuitu Ecclesiæ acquisita sunt fructus & proventus beneficiorum, collecti & percepti, aliaque generaliter, quæ quavis Ecclesiæ vel beneficii occasione Clericis acquiruntur.

Et de his, quid juris in iis habeant Clerici, variant admodum Interpretes. Duæ sunt celeberrimæ sententiæ. Prima asserit, Clericos fructuum ejusmodi tantum esse usufructuarios, id est posse eos sumere inde, quantum necessarium est ad commodum sui sustentationem; reliquum vero ex lege, non solum charitatis, sed & Justitiæ, erogandum in pios usus, & usus pauperum; juxta illud D. Hieronymi, Tibi d. Sacerdos vivere de altari, non luxuriari permittitur, refertur Gratiano Dist. 44. in princ. Idemque apertius Dist. 42. in princ. Aliena capere con vincitur, qui ultra necessaria sibi retinere probatur. Adde ut Clericus non plus suum ex fructibus beneficii sui facere possit, quam quod sufficiat ad victum vestitum, ceterosque usus vitæ necessarios, can. Episcopus 23. xii. quest. 1. Panormitanus ad c. Cui usque inf. De testam. Altera & probabilior sententia est, Clericos fructuum, & proventuum omnium, quos ex beneficiis suis percipiunt, sive sint distributiones, sive fructus alii, esse absolute dominos; non solum quoad partem, congruæ sustentationi necessariam, verum etiam quoad redundantem: ita ut, si profane expenderint, non teneantur ad restitutionem, licet graviter peccent, sic expendendo, D. Thomas 2. 2. quest. 185. art. 7. Hanc sententiam tenet Sarmiento De rebus Ecclesiast. p. 2. cap. 1. & 2. & plures alii.

6. Quoad distributiones idem probatur ex c.

unico De Clericis non resident. in 6. Concil. Trident. Session. 22. cap. 3. De reformat. Similiter quoad alios fructus probatur ex eodem Concil. Session. 23. c. De reformat. & aliis tum ejusdem Concil. locis, tum Juris Pontificii textibus, in quibus indicatur, Clericos facere tales fructus suos, vel certis casibus non facere suos. Ideoque non rectè æquiparantur usufructuariis vel usufructuariis, aut non nisi certo respectu & secundum quid, ut loquuntur nam plus juris in iis habent, quam usufructuarii, quia Clerici fructus omnes perceptione suos faciunt, d. cap. unico De Clericis non resident. in 6. etiam ultra necessitatem suam, erogandos in usus pauperum & alios pios usus. Et licet sint domini fructuum, tamen minus juris habeant, quam usufructuarii, qui in vita & morte fructus suos cuicumque voluerint, relinquere possunt, absque ullo paupertatis aut pietatis intuitu: hanc enim potestatem non habent Clerici, ut constat ex Concil. Trident. Sess. 25. c. 1. De reformat. Vide Sarmiento d. loco.

## TITULUS XXVI.

## De Testamentis &amp; ultimis voluntatibus.

## §. I.

Quid sit Testamentum, & quod duplex ejusque solemnitas.

1. Testamentum unde dictum, & definitio.
2. Testamentum aliud scriptum aliud Nuncupativum.
3. Virumque vel Paganicum vel militare.
4. Testamenta hodierna esse nuncupativa.
5. Forma testandi jure Pontificio præscripta.
6. Per hoc non videri derogatum jure civili.
7. Cur proprius Parochus requiratur.
8. Favor testamenti etiam non solemniter ad piam causam.
9. An testamentum ejusmodi sit validum in foro conscientia.
10. Favor testamenti inter liberos.

**A**bsoluto tractatu de peculio Clericorum, id est de bonis, quæ Clericis ex propria industria



industria vel amicorum liberalitate aut successione obveniunt, de quæ modis, quibus inter vivos de iis bonis disponere licet, sequitur ut videamus, quæ ratione de iisdem testamento vel alia ultima voluntate disponere valeant.

1. Testamentum (ex eo appellatum, quod sit testatio mentis, quia declarat, quæ sit mens & ultima voluntas hominis, *testatur hoc sit in princ.*) est voluntatis nostræ iusta sententia, de eo; quod quis post mortem suam fieri velit, l. 2. *Qui testam. fac. poss.* Iusta sententia, id est, sollemnis & legitima, vel secundum legem præscriptam de testamento ordinata. Atque per hanc partem excluduntur ceteræ ultimæ voluntates, ut legata, codicilli, fideicommissa, donatio causa mortis, (quæ & ipsa inter ultimæ voluntates refertur, quia morte confirmatur, l. *Non videtur D. De mortis causa donatione* ad instat legat, l. ult. in fine Cod. hoc tit. licet aliàs sit contractus) quia non sunt sententiæ iustæ, id est sollemnes, nec regulis de testamentorum ordinatione conformes.

2. Rejicitur autem testamentorum generibus quæ apud veteres in usu fuerunt, ut quod calatis comitiis dicebatur, quod in procinctu, quod per æs & libram fiebat, tanquam antiquatis, & quæ in consuetudinem abierunt, dividi solet testamentum in scriptum, & Nuncupativum. Scripti testamenti sollemnitas de jure Civili consistit in eo, quod fiat uno tempore & contextu: ita ut nullus actus extraneus & alienus à testamento intermiscetur, l. *Harides* 1, in fine D. *Qui testam. fac. poss.* l. *Antiquitas* Cod. hoc tit. quod item fiat coram septem testibus, ad hoc vocatis & rogatis, d. l. *Harides* §. in testamento; qui nomina sua subscribant, & signent testamentum annulo, vel proprio vel alieno, aut alio signaculo, §. *Sed cum paulatim* Inst. hoc tit. Ac denique in hæredis institutione directa, hoc est ut nominetur aliquis, qui in universum Jus defuncti sit successurus, l. *Haridem* §. 9. D. de R. l.

3. Nuncupativum dicitur, quo testator, non interveniente scriptura, coram septem testibus, ad hoc convocatis, nuncupat & exprimit palam nomen hæredis & legatorum donationem, l. *Hac consultißima* 21. §. *per nuncupationem*, & l. *Iubemus* 29. §. *Quod si*, & §. *Oportet* Cod. h. t. & l. *Harides* §. *penult.* D. eod. tit. Atque ita di-

stinguatur à testamento scripto, quod ad substantiam hujus non requiratur scriptura, nec testium subscriptio aut subscriptio, sique ex mero jure Civili. Et propterea Prætor olim ex eo non decernebat bonorum possessionem, l. *Si ita scriptum* D. *De bonorum posses. secundum tabb.*

Utrumque testamentum, scriptum, inquam & nuncupativum vel Paganicum est, vel Militare. Paganicum est ejus, qui non est miles: & hoc regulariter requirit septem testes, eosque rogatos, d. l. *Hac consultißima* & *Iubemus*, ibidemque D. D. Militare est militis: & hoc si militæ fiat in expeditione bellica nullam requirit sollemnitatem ordinationis, Jure Civile requisitam, sed ad ejus validitatem sufficit, quod constet quoque modo de militis voluntate, si ve scripta, si ve non scripta, l. *Ex testamentis* §. *Militis* 15. Cod. *De testam.* Inst. eod. tit. in princ. quia arma magis, quam leges scire præsumuntur milites, nec sinunt occupationes bellicæ Jurisperitis adhibere, aut quid leges jubent inquirere, Quod quia facere possunt mulieres & rustici, etiam si imperiti sint Juris, non gaudet simili privilegio. Ut neque militi competit, si testetur post missionem, aut extra castra licet militet adhuc, verum tunc sollemni jure testari eum oportet, l. *penult.* Cod. *de testam.* milit. §. 4. Inst. eod. tit.

4. Hodie verò passim receptum est moribus, ut testamentum fiat coram Notario, & duobus pluribusve testibus. Quod testamenti genus esse nuncupativum vitiis est, quia testator voluntatem suam nuncupat & declarat coram testibus; Notarius verò voluntatem nuncupatam excipit scripto: non ad substantiam testamenti, sed ad rei gestæ probationem, nempe testamentum nuncupativum factum fuisse.

5. Similiter Jure Pontificio valet testamentum, factum coram Parocho & duobus tribusve testibus, potissimum si fiat ad piam causam, veluti si pauperes instituatur hæredes, vel Ecclesia aut Monasterium aliquod, d. l. *Relatum* h. hoc tit. Quo casu ad validitatem testamenti, etiam in foro externo, non requiri ullas sollemnitates, Jure civili introductas, sed sufficere ea, quæ juris sunt gentium, ut scilicet duo adfiant testes, nec aliam qualiter in testibus exigat, quam quæ ex ipso jure gentium insit, docet Co-



var. de testamentis c. 11. n. 9. Jul. Clarus §. Testamē-  
tum qu. 6. n. 1. & facit text. in c. Relatum 1. h. tit.  
Quinimodò ne quidem requiri duos testes, ad hoc  
ut testamentum sit validum, dummodò sit po-  
testas in disponente, capacitas in eo, in cu-  
jus favorem disponitur, & libertas in dispo-  
sitione, docet Lessius 2. De iust. & iure c. 19. dub.  
2. n. 7. Ita ut testes ad probationem dumtaxat  
sint necessarii; Idque obtrinet etiam, ubi tes-  
tamentum non sit principaliter ad piam caus-  
sam, veluti ubi laicus instituitur hæres, ut in c.  
Cum esses 10. h. t. quia, inquit, Pont. scriptum  
est, quod in ore duorum vel trium testimonium stet  
omne verbum.

6. Quamquam hoc casu quo, inquam, non  
sit ad piam causam testamentum, posita  
contraria consuetudine & usu, verius videatur,  
utrumque jus in suo foro servandum esse: Ci-  
vile quidem in foro civili, & terris Imperii;  
Pontificium verò in foro Ecclesiastico, & diti-  
onibus Romæ & Ecclesiæ, etiam quoad tempo-  
ralem jurisdictionem, subjectis, Jul. Clarus, d.  
§. Testamentum qu. 57. Nam decisio & responsio  
in d. c. Cum esses directa est ad Episcopum Ho-  
stiensensem qui in temporalibus subjectus est Ro-  
mano Pontifici.

Nec obstat illud Deuter. 17. & 19. Iean. 8  
& 1. ad Corinth. 13. quod in ore duorum vel  
trium testimonium stet omne verbum, cujus memi-  
nit Pontif. in d. c. Cum esses & d. c. Relatum: nam  
hoc ita accipi debet, quod non possit aliquis  
condemnari, nisi testes ad minimum duo vel  
tres contra eum testimonium dicant, non au-  
tem, quasi nullus actus celebrari queat, adhibi-  
tis pluribus, quam tribus vel duobus testibus, &  
quasi hoc sit contra legem divinam. Etenim  
Pontifex ipse, in d. c. Cum esses, præter duos tes-  
tes vult adhiberi presbyterum parochialem,  
Præterea non damnat consuetudinem Hostien-  
sis Episcopatus, requirentem ad testamentum  
septem testes, quasi divino juri contrariam, sed  
quia ea contra generale Ecclesiæ jus receptum  
non legitime inducta esset.

7. Loquitur verò Pont. in d. c. Cum esses de  
proprio Parocho, quia non est tanta præsum-  
ptio falsitatis in eo, atque in extraneo. Quod  
si tamen loco presbyteri interveniant duo alii  
testes, valebit testamentum, quia duo idonei  
testes suppleant vicem Parochi, majorisque sunt

auctoritatis, quam solus Parochus, arg. c. Licet  
ex quadam 47 sup. de testibus, Abbas, in d. c. Cum  
esses n. 7. Attamen alterius Confessarii, etiam a  
Parocho specialiter deputati, non sufficeret  
præsentia, secundum Choppin De sacra Polit. lib.  
2. tit. 1. n. 14. Et edictum Principum nostrorum  
anno 1611. art. 12. requirit Notarium, Pastorem  
aut ejus vicarium, certamque formam præscri-  
bit testamentis ordinandis, de qua vide Zypæ-  
um de jure Pont. novo hoc tit. num. 13. & 20.

8. Similiter licet ultima voluntas pendere  
ex alieno arbitrio non debeat, improbetque jus  
civile dispositionem testamentariam in alte-  
rius arbitrium relatum, l. illa institutio D. de hæ-  
red. instituendis: de æquitate tamen Canonica,  
favore piae causæ, is, qui extremam suam vo-  
luntatem in alterius dispositionem committit,  
non videtur decedere intestatus, c. Cum tibi 13.  
hoc tit. Bart. in l. 1. Cod. de sacrosanct. Eccl. Marc.  
Ant. Genuen. in praxi cap. 2. n. 13. per l. Theopom-  
pus D. de dote prælegata, l. Quem hæredi D. de  
rebus dubiis. Quamquam alii malint, d. c. Cum  
tibi intelligi de ipsa executione ultimæ vo-  
luntatis, non de dispositione. An autem tes-  
tamentum ad interrogationem alterius fa-  
ctum, etiam ab infirmo, in extremis constituto,  
valeat, disputat Alexand. Consil. 33. incip. Pon-  
deratis.

9. Illud quoque hic controversitur, an tes-  
tamentum factum ad causam non piam sit  
validum in foro conscientiæ, si desint solemnita-  
tes, Jure positivo requisita? Negat Covar-  
ruvias c. 10. n. 12. affirmat Lessius 2. De iure &  
iustis. c. 19. per l. Et si inutiliter Cod. de fideicom. &  
§. ult. Instit. de fideicom. hæredit. Ea ratione, quod  
ex tali testamento, juxta communem senten-  
tiam, oriatur obligatio naturalis, & solemnitas  
Juris tantum requiratur in testamentis, ut  
fidem faciat in foro externo, & falsitas omnis  
deceptioque evitetur: l. Quæstionem 32. Cod. de  
fideicommissis.

Nec obstat, inquit, l. Hæc consiliissima Cod.  
de testam. nec §. Ex eo Instit. Quib. modis testam.  
infringuntur. ubi tale testamentum dicitur esse  
nullum: quia illi textus loquuntur de nullitate  
in foro externo, in quo iustis de causis ex  
tali testamento, perinde ac si nullum esset  
non datur actio. Et si autem lex civilis tali tes-  
tamento non adsistat, non tamen ei resistit;  
§ 8 ideoque



ideoque oritur saltem obligatio naturalis, si-  
cut ex nudo pacto. Sic fideicommissum, si ex  
testamento nullo agnoscat, solvi debere, non  
ut ex testamento, sed quasi alia relinquendis vo-  
luntate, judicatum refert Charondas lib. 3. Re-  
spons. 47.

10. Denique ut in testamento ad pias cau-  
sas non requiruntur solemnitates Juris civilis,  
ita nec in testamento inter liberos utriusque  
sexus, d. l. *Hac consuetudine* §. ex imperfecto: sed  
tantum attenditur dispositio Juris gentium. I-  
deoque sicut in testamento ad pias causas duo  
sufficiunt testes, etiam non rogati, ita & in  
testamento inter liberos.

## §. II.

## De Institutione hæredis.

1. *Institutio hæredis est caput testamenti.*
2. *Codicillis institui hæres directè non potest.*
3. *Liberi, in potestate existentes, necessario insti-  
tuendi vel exheredandi.*
4. *Instituendi liberi in legitima portione, absque  
onere.*

1. **T**estamenti basis & fundamentum est  
hæredis institutio, sine qua inutile est  
testamentum, *Institut. De fideicom. hare-  
dit. §. 2* Quod & in hac causa, sicut & in nume-  
ro testium, distinguitur à Codicillis, in quibus  
sufficiunt quinque testes \* 2. nec continent hæ-  
redis institutionem, saltem directam. Quod ad-  
do, quia per fideicommissum hæreditas codicil-  
lis jure relinquatur, *Instit. de codicillis in fine, l. 2.*  
¶ *Si dicam C. eod. §. sicut & legata, fideicommissa,*  
& alia similia, *Instit. de sing. rebus per fideicom.*  
*relictæ* Unde si quis hæredem in codicillis insti-  
tuat ea institutio flectitur in fideicommissum cē-  
seturque hæres successurus ab intestato, rogatus  
restituere hæreditatem instituto in codicillis.

3. Tamen si verò quis, quem velit, hæredem  
instituere possit, cum nihil sit, quod magis ho-  
minibus debeat, quam ut supremæ volun-  
tatis liber sit stylus, l. 1. *Cod. de sacros. Eccles.* si  
tamen testator liberos habeat in potestate,  
qui etiam vivo patre rerum paternarum quo-  
dammodo domini existimantur, §. *Sui 2. In-  
stit. de hered. qualis* eos aut nominatim in-  
stituatur necesse est, aut exheredet nominatim &  
ex certa causa exheredationis, per scriptum

hæredem probanda, *Novel. 115. cap. 3.* Alioquin  
ex causa præteritionis testamentum est ipso  
jure nullum; quoad institutionem scilicet,  
nam legata & fideicommissa firma manent, d.  
*Novel. 115. c. 3. in fine, & Auth. Ex causa Cod.*  
*de liberis præteritis.* nimirum ut in eo puniatur  
testator, in quo peccavit. Si verò liberos præ-  
terierit emancipatos, testamentum quidem sub-  
sistet ipso jure, sed Prætor vel Judex dabit præ-  
teritis bonorum possessionem contra tabulas  
testamenti, §. *Emancipatos 3. Instit. de exheredat.*  
*liberorum.*

Non ignoro, existimasse quosdam, jure Pon-  
tificio non requiri necessariò, ut parens filium,  
quem in potestate habet, hæredem instituat vel  
nominatim exheredet, sed valere eo jure testa-  
mentum, in quo filius suppositus potestati patri-  
æ, fuerit præteritus, dummodo legitimam  
suam habeat portionem, relictam titulo vel le-  
gati, vel donationis, vel alio quolibet; eò quòd  
in *cap. Raynutus hoc tit.* non dicatur, filias fuisse  
institutas, sed tantum illis relictas legitimas  
suas portiones. Sed verius est etiam jure Pon-  
tificio filios esse hæredes instituendos, & legiti-  
mam titulo institutionis relinquendam, cum id  
nusquam illo jure decusum reperitur, & prop-  
terea dispositioni Juris civilis fieri debeat, *arg.*  
*cap. 1. inf. De novis op. nuntiatis.*

4. Institui proinde debent liberi etiam hoc  
jure, ut minimum in legitima sua portione:  
quæ olim fuit quarta pars *Instit. de inoffic. tes-  
tament. §. sed hæc ita:* hodie verò, si liberi sint  
quatuor aut pauciores, est triens, id est tertia  
pars, sint plures, quàm quatuor, est semis, id est  
dimidia pars ejus, quod habituri esset ab intesta-  
to. *Novel. 1.* Quod si minus quàm legitima vel  
quantacumque pars eis fuerit relictæ, tunc a-  
gere poterunt, non quidem querela inofficiosi  
testamenti, ut olim, l. *Papinianus §. quoniam*  
*D. de inoffic. testament.* sed ex Constitutione Ju-  
stiniani conditione ex lege, ad supplementum,  
l. *Omnimodo 30. l. Scimus 30. Cod. d. t. quæ non fi-  
nitor quinquennio, ut querela inofficiosi, sed*  
*durat triginta annis, uti omnes actiones perso-  
nales, d. l. Scimus.*

Hæc verò legitima portio nullo onere, velu-  
ti usufructu, fideicommissu, conditione, mo-  
do, aliave regravari potest. Quod si secus fiat,  
onus pro non adjecto habetur, l. *Quoniam*  
*in*



in prioribus 32. Cod. eod. cap. Raynaldus 17. in vet-  
bis istis in legitima non potuit aggravare hoc tit.  
Diciturque ibidem legitima jure natura debita :  
& natura debitum in c. Raynaldus 18. h. t.

## §. III.

De duplici detractioe legitimæ &  
Trebellianicæ.

1. Detractio hac jure Canonico fieri potest.

2. Probat etiam jure Civili illi locum esse.

4. Gravatus legatis detrahit quartam ex Lege  
Falcidia.

5. Episcopus ex legato Ecclesia detrahit portio-  
nem Canonice.

1. Quæ ratione si filius, à patre institutus  
hæres jussus sit hæreditatem alteri resti-  
tuere, non solum legitimam suam portionem  
ab hoc onere fideicommissi servabit liberam,  
sed præterea jure Pontificio quartam detrahet  
Trebellianicam, id est quartam partem totius  
hæreditatis, quam jussus fuerit restituere; &  
utramque portionem, cui voluerit, relinquere  
poterit, vel ab intestato ad legitimis suis hæ-  
redes transmittere, quia reliquum dumtaxat  
fideicommissi continetur, c. Raynaldus, c. Ray-  
naldus h. t. Habetque locum duplex hæc de-  
tractio etiam in testamentis liberorum, respec-  
tu parentum, ut scilicet casibus, quibus per-  
missum est liberis condere testamentum, arg. d.  
c. Raynaldus c. Raynaldus, juncta l. Nam et si pa-  
rentibus 1. §. in princ. D. De inoff. testamento.

2. Verum, an utraque hæc deductio seu de-  
tractio etiam jure Civili obtineat, admodum  
controversatur. Non obtinere, probari vide-  
tur ex l. Inratione 1. §. quod vulgo D. Ad L. Fal-  
cidiam, ubi unica quarta detrahitur, & l. iube-  
mus Cod. Ad S. C. Trebell., ubi jubentur liberi,  
qui rogati sunt restituere hæreditatem, do-  
drantem, id est novem uncias totius hære-  
ditatis restituere. Igitur servare sibi poterunt  
dumtaxat unicam quartam, id est tres uncias  
relinquas.

3. Attamen verius videtur, filium fideicom-  
misso gravatum etiam jure Civili posse detra-  
here utramque quartam, sive sub conditione  
vel in diem rogatus sit restituere, ut vult  
communis Interpp. sententia, sive purè, id

est, sive diversis temporibus quarta legitima  
& Trebellianica deducatur: legitima quidem,  
simulatque si filius paternæ hæreditati im-  
miscuerit: Trebellianica verò tunc demum,  
cum existerit conditio restituendæ hæredi-  
tatis: sive uno & eodem tempore deducenda  
sit utraque quarta, ut si filius purè rogatus sit  
restituere alteri hæreditatem paternam. Ete-  
nim tamquam regulare traditur à DD. ad l.  
Qui non militabat 78. D. De hered. institu-  
endum, quod, quando auxilia plura per leges promit-  
tuntur ex diversis causis, competant singula,  
nec unum per aliud excludatur, nisi per alias  
leges statuatur aliud. Ideoque, cum filios ha-  
beat legitimam ex una causa, nempe pro debi-  
to naturæ, ad excludendam querelam inofficio-  
si testamenti, & in super Trebellianicam ex alia  
causa, scilicet pro præmio aditionis, ad hæredi-  
tatem restituendam, poterit utramque deduce-  
re: sicut filius, cui aliquid prælegatum est, si ita  
gravetur legatis, ut legi Falcidie locus sit, præ-  
legatum suum retinet, & nihilominus de cæteris  
legatis quartam Falcidie detrahet, prælegato  
in Falcidiam non computato, d. l. Qui non mili-  
tabat, juncta l. Ex facto proponebatur 35. D. De  
hered. instit. l. in quartam 91. D. Ad L. Falcid., quia  
hæc duo ex diversis causis competunt: præle-  
gatum ex voluntate testatoris: Falcidia bebefi-  
cio legis.

Et hoc quoque videtur indicare Justinia-  
nus Imp. qui cum in l. Si pater & in l. Quo-  
nam in prioribus Cod. De inoff. testam. voluisset  
onere fideicommissi universalis gravatum,  
liberari ab eo onere, quoad legitimam, sic ta-  
men, ut legitima querelam inofficiosi exclu-  
dat: nihilominus postea in l. iubeamus Cod.  
Ad S. C. Trebell. eidem filio concedit quar-  
tam Trebellianicam, pro præmio aditionis.  
Ideoque sicut rogatus hæres, idemque credi-  
tor, alicui alteri hæreditatem restituere, non  
alia bona censetur rogatus restituere, quam  
quæ, deducto per hæredem debito proprio,  
superfunt (juris siquidem est notissimi, cu-  
jusque ea demum censeri bona, quæ deducto  
ære alieno superfunt: ita filius jussus restitue-  
re hæreditatem, non alia restituet bona,  
quam quæ, deducta legitimâ, tanquam  
sibi naturaliter debita, superfunt: cum ea  
fideicommisso gravati non possit: & deducet



Trebellianicam ex iis, quæ iustus fuerit restituere. Plura de hac quaestione vide apud Fachin. 5. *Controvers. cap. 2.*

4. Quemadmodum autem gravatus fideicommisso detrahit quartam Trebellianicam, ita gravatus legatis ultra dodrantem, id est novem uncias (omnis enim hæreditas cuiuscumque quantitatis in duodecim uncias à Jure distribuitur, totaque hæreditas venit Asis nomine) detrahit quartam Falcidiam, beneficio Legis Falcidiae.  *toto Tit. D. & Cod. & Institut. Ad Leg. Falcidiam.* Exceptis legatis piis, & nonnullis aliis, quæ deductionem illam non admittunt: de quibus latè DD. *ad l. In testamento cum Auth. seq. Cod. Ad L. Falcid.*

5. Denique observandum hic est, Episcopum de legatis Ecclesiæ, in sua diocesi sitæ detrahere portionem Canoniceam (quæ respectu consuetudinis cuiusque loci varia est, *Glos. in c. Requisisti 15. in V. quartam hoc tit.*) prout præscribitur in *c. Officii 14. hoc tit. d. c. Requisisti*: nisi citra faudem legata fuerint Ecclesiæ pro ornamentis, fabrica, cereis, luminaribus, vel aliis similibus piis causis, ut pro alendis pauperibus, maritandis, aut in monasterio collocandis puellis pauperibus, *c. ult. hoc tit. ubi fusiùs DD. sicut & in d. c. Officii* Vide & *Piasc. 2. p. Praxis Episcopalis cap. 5. art. 4. num. 40. & segg. &* quæ infra dicentur *ad Tit. De sepulchris. §. 6.*

#### §. IV.

#### De Substitutionibus.

1. Substitutio alia Directa, alia Indirecta, seu Obligua.
2. 3. Directa alia est Vulgaris, alia Pupillaris, eaque Tacita vel Expressa
4. 5. 6. Alia item Exemplaris, Reciproca, Compendiosa.

**P**otest verò testator plures gradus hæredum & institutionum facere, sed quælibet post primam vocatur Substitutio; quæ nihil aliud est, quam hæredis secundo gradu vel deinceps, in locum prioris, institutio.

1. Estque Directa vel Indirecta seu Obligua. Directa est quæ sit verbis directis seu qua hæreditas substituto deferretur directè & immediate à testatore, absque alicujus ministerio

qui illam alteri restituat, ut si testator dicat: *Titius hæres esto, si Titius hæres non erit, Cuius hæres esto.*

1. Indirecta est, quæ verbis sit indirectis, obliquis vel precariis, seu qua hæreditas substituto deferretur, per alterum, qui illi eam restituat, unde & Obligua & Fideicommissaria appellatur, ut si testator institutum a se hæredem roget, vel fidei ejus committat, ut hæreditatem alteri restituat.

2. Directa vulgo dividitur in Vulgarem, Pupillarem, Exemplarem, Reciprocam & Compendiosam. Quibus addi potest Militaris. Vulgaris est, quæ concipitur in casum, quo institutus hæres non erit, siue quia noluerit, siue quia non potuerit: atque in unum casum concepta etiam alium comprehendit. Dicitur Vulgaris, quia à quolibet testatore fieri potest cuilibet; & per eam substitutus sit testatoris hæres.

3. Pupillaris est, quæ sit impuberi, in potestate testatoris existenti, nec per mortem ipsius in potestatem alterius recasuro, instituto in casum, quo hæres erit, & ante pubertatem decesserit: & per hanc substitutus non testatori, sed impuberi sit hæres. Utraque hæc substitutio est vel Expressa vel Tacita. Expressa est, quando testator exprimit conditionem, quæ omni substitutioni vulgari vel pupillari inest: videlicet, *Si institutus hæres non erit, aut Si filius meus infra pubertatem moriatur.* Tacita est, quando conditionem illam non exprimit, sed subintelligitur ex præsumptione legis, præsumptionem esse voluntatem testatoris. Vulgaris utraque exprimit aditam hæreditatem; pupillaris verò non per additionem hæreditatis, sed demùm cum pubes sit, cui pupillariter facta est substitutio. Continent autem se mutuò vulgaris & pupillaris, quando casus utriusque in eandem personam concurrere potest: ut in impubere, si ei vulgariter substituitur, continetur tacita pupillaris.

4. Exemplaris est, quæ sit liberis furiosis aut mente captis; in casum, quo adhuc furiosi aut mente capri decesserint. Dicitur exemplaris, quia ad exemplum pupillaris, introita humanitatis, introducta est, *l. Humanitatis Cod. De impub. & aliu. substi.* Unde quasi pupillarem quidam vocant. Et hoc modo etiam mater & avus maternus substituere potest.

licet



licet non pupillariter, quia exemplaris substitutio non dependet à patria potestate, ut pupillaris.

5. Reciproca, quæ & Breviloua dicitur, est, quando plures hæredes instituti sibi invicem substituantur, ut si testator dicat: *Cajum & Sempronium hæredes meos instituo, & eosdem invicem substituo*. Dicta proinde Reciproca, quasi reflexa in se, & Breviloua quod brevibus verbis fiat.

6. Compendiosa est quæ plures quoad diversa tempora continet substitutiones, ut si dicat testator: *Instituo filium meum heredem, & quando cumque decesserit, substituo ei Cajum*. Unde distinguitur à Reciproca, quod illa contineat plures substitutiones quoad personas, pluresque similes substitutionum species continere possit; Compendiosa verò plures quoad tempora, respectu unius personæ & necessariò dissimiles, prout latius de his, & aliis discrimini-bus, videre licet *Glos. & DD. add. cap. Rayn- nius hoc tit.*

## §. V.

## Qui testamentum facere possint.

1. Prohibentur subjecti potestati alterius, filiis- fam, servi, Religiosi.
2. Quidam ob defectum animi vel corporis.
3. Quidam ob crimen.
4. Clericus de bonis patrimonialibus testari potest.
5. Item de iis bonis, quæ industria sua acquisi- vit.
6. Quæque vivendo parcius congrua sustentationi subtraxit.
7. De bonis intuitu Ecclesiæ quasi testari ne- quit.
8. Quatenus & quibus donare ex iis bonis possit.
9. Modis de consuetudine Clerici passim permessa facultas testandi.

1. Videamus nunc, qui testamentum facere, & testes in testamento esse possint. Te- stari possunt omnes, qui non prohibentur, l. 4. *D. Qui testam. fac. possunt*. Prohibentur autem quidam, vel quia potestati alterius subiecti sunt ut filiusfamilias, extra castrense & quasi ca- strense peculium, etiam consentiente patre,

*D. eod.* quia vult Lex xli. Tabb. ut qui testatur sit paterfamilias, & de re sua testetur. Et testa- mentorum iura per se firma esse oportet, non ex alieno pendere arbitrio, l. illa *insti.* 32. *D. De hered. instituen.* Ideoque non obstat, quod filius- fam. consentiente patre donare possit causâ mortis, quia, cum donatio talis magis sapiat naturam cuiusdam contractus, ac alterius pen- dere arbitrio potest.

Similiter Religiosi professi, *Auth. Ingressi Cod. De sacros. Eccles. can. Quia ingredientibus, & seqq. xix. qu. 3.* nisi ex concessione summi Pont. Unde Covar. de testam. ad c. 2. h. t. n. 17. & 18. *& ibid.* Boet. Eponem. n. 22. Navar. in *Commentario 2. de Regularibus* n. 58.

2. Servi item, l. 16. 19. & 20. §. 7. *D. Qui testa- mentum fac. poss.* Quin etiam de statu suo dubitantes vel errantes, l. 14. 15. *D. eod.* Capri ab hostibus, §. ult. *Quib. non est permittum fac. testam.*

Vel prohibentur propter defectum aliquem, eumque vel animi, ut impuberes, mente capti, furiosi, prodigi, quibus est interdicta bonorum administratio; vel corporis, ut surdi & muti à nativitate; item cæci, nisi certa aliqua observa- tione, quam præscribit Justin. Imp. in l. *Hæc consiliosissima Cod. hoc tit.*

3. Vel denique prohibentur propter crimen, ut si quis commiserit crimen aliquod, cui à Jure annexa sit poena, qua ipso facto, sit intertabilis, l. Is cui 18. & l. Cum lege 26. *D. eod.*

4. Præcipua hic difficultas est de Clericis bene- ficiatis. Et dubium non est, quin de bonis patri- monialibus & quasi patrimonialibus testamen- tum facere possint, c. 1. §. 4. c. Quia nos 9. c. *Rela- tum* 12. *hoc tit.* quemadmodum & donare ea pos- sunt inter vivos pro arbitratu suo, vel reservare con sanguineis, & vivere ex bonis Ecclesiæ, quan- tumvis divites sint, cum nemo teneatur propriis militare stipendiis, c. Cum secundum 14. *sup. de prabendis*, Piasecius 2 p. c. 5. art. 4. n. 45, ne qui- dem Episcopus; qui tamen mensa victuque frugali, & suppellectili modesta uti debet, Con- cil. Trident. Sess. 25. c. 1. *de reformat.* servata ra- tione qualitaris, personæ, nobilitatis, gradus, & consuetudine loci: quandoque enim quod uni sufficere honestè potest, non sufficeret alteri, *can. Clericum, juncta Glos. in V. necessitatem xx. qu. 2.* Navar. *de re diti. Eccles. qu. 1. n. 92.*

5. Pari modo testari Clericus potest de iis bo-



nis, quæ proprio labore personalique opera sibi comparaverit, etiam pereosactus, ad quos ipsum beneficium obligabat: ut si Curatus extra proventus sui beneficii aliquid lucretur, celebrando Missas, concionando, audiendo Confessiones, inserviando Capellanæ, Vicariatus officio fungendo, administrando Sacramenta, quia taliter quæ sita æquiparantur patrimonialibus, de quibus liberè disponere Clericum posse, peni- de ac laicum de suis, dictum est ante ad d. Tit. De peculio Cleric. per can. Episcopi xii q. 1. can. Fixum ibid. q. 5, c. Quia nos 9, hoc tit.

6. Idem dicendum de iis, quæ parcius vivendo ex proventibus sui beneficii congruæ sustentationi subtraherit. Navar. d. q. 1. n. 59. & dixi supra ad d. Tit. De peculio Cleric. Quantum autem requiratur ad honestam sustentationem cujusque, cum non possit illud certâ regulâ determinari, relinquitur arbitrio conscientie timorata, Piafec. d. loco n. 52. post Navar. d. loco q. 2. n. 20. Regulariter in beneficio modici valoris, ut ducatorum xxx. ultra victum nihil præsumitur superesse, & idè bona, quæ superiunt, censentur acquisita proprio labore, ut proinde de illis testari liceat.

7. Sed quæritur de bonis, quæ Clerici intuitu Ecclesiæ, cui serviunt, acquirerint, veluti de fructibus beneficiorum suorum, qui congruæ sustentationi superfluent. Et dicendum, quod licet eorum sint domini, c. unico De Clericis non resident. in 6. Conc. Trid. Sess. 22. cap. 3. & Sess. 24. cap. 12. De reformat. tamen Jure Pontificio ne quidem ad piam causam testari possint, c. 1. & 2. Cum in officiis 7. & Quia nos 9. c. Relatum 12. h. t. can. Episcopi xii q. 1. Adèd ut ne Pontifex quidem de redditibus sui Pontificatus testari consueverit, Piafec. d. loco n. 40. post Navar. d. q. 1. n. 27. & 73. Ratio est, quia Jus Pontificium voluit bona ejusmodi non alia lege cedere Clericis, quam ut inde sibi necessaria perciperent, & post mortem beneficiarii redirent ad Ecclesiâ, d. c. 1. in fine, & d. c. Cum in officiis in fine. Idq; ut averteret Ecclesiasticos ab accumulandis opibus, incitaretq; ad eas res invita liberaliter in pios usus expendendas. Et idèd Clericis donationem talium bonorum inter vivos ad pios usus permittit, can. Quod autem xx. q. 7. non autem testamenti factionem vel quasi, ad est, donationem causâ mortis. Nisi faculta-

tem de iis testandi à Summo Pont. obtinerint, qui eam concedere potest, & de facto sæpe concedit, Piafec. d. loco in fine, ex Navar. & Staphilto, quos citat. Neq; locum habet hic regula: Quod licitum est inter vivos, licere etiam in ultima voluntate, arg. texti Insti. De lege Can. testanda: quia dominium fructuum beneficii post Clerici mortem ipso jure redit ad Ecclesiâ, cui servivit, d. c. Cum in officiis in fine.

8. Possunt tamen Clerici, in ægritudine constituti, ex fructibus beneficiorum suorum non testamentaria dispositione, sed per modum elemosinæ donare & erogare aliquid etiam amicis vel familiaribus suis, ratione obsequii aut beneficii, sibi vel Ecclesiæ præstati; moderate tamen, c. Ad hac 8. d. c. Relatum 12. h. t. & quæritur Boet. Ep. imò & intuitu sanguinis consanguineis, si egeant, ad decentem eorum sustentationem, can. Non satis. can. Est probanda Distinctio. 86. consideratâ qualitate, quam tales acquirunt per promotionem ejus, qui donat, ad aliud beneficium vel dignitatem. Crescit enim Clerici promotione etiam consanguineorum dignitas; & in tali gradu non sufficeret eis ad decentem sustentationem, quod antea sufficere poterat, Piafec. d. loco n. 47. Attamen dari tantum non debet, quo augeantur & distendant, Conc. Trid. Sess. 25. c. 1. De reformat. Unde D. Ambrosius 1. Officior. can. 3. Melius est, inquit, ut ipse tuus subvenias, quibus pudor est ab alio sumptum deposcere, non tamen ut illi ditiores fieri velint ex eo, quod tu conferre potes in opibus.

9. At verò hodie generali ferè consuetudine receptum videmus, ut Clerici de fructibus beneficiorum suorum validè testentur, etiam ad profanos usus, ubicumque talis consuetudo legitime præscripta est, dummodò fines illius non transgrediantur, & congruentem portionem erogent in pauperes & pios usus. Ratio hujus, quia prohibitio, ne Clerici de talibus bonis testentur, non est juris divini, naturalis, aut gentis, sed reus merè positivi, ut proinde contrario jure positivo, nempe contraria consuetudine, tolli possit.

Nec potest dici, talem consuetudinem testandi, in profanos utique usus, tacitè improbari in d. c. Relatum: qui eadem alibi saltem ex parte videtur probari in c. Suscepti De elect. in 6. Vide Covarr. ad d. c. Cum in officiis. Boet. Epone De jure provent. Ecclesiast. ad c. 1. n. 84. & seq. & ad 4. Re-



Jul. Clarus §. Testamentum qu. 55. n. 3.

2. An autem in codicillis testis esse possit dubitatur quoque fuit: verum supra ad *d. Tit. de testibus d. § 2 num. 22*, respondi, id verius videri, ex quo non reperitur prohibitum, secundum *Gloss in l. fin. in v. cuique Cod. de codicillis*.

3. Docui ibidem, etiam in testamento patris inter liberos admitti testimonium mulieris, *Glos. in l. Hac consultiſſima §. ex imperfecto Cod. De testam. nri*: ut & in testamento nullius in acie testantis; quia in his remissa est solemnitas juris civilis, spectaturque solum jus gentium.

4. Sed quid de testamento ad pias causas ? Communis opinio mulierem hic quoque admittere videtur, quia & in eo jus gentium spectetur, *c. Cum esses* &c. *Relatum* 11. hoc tit. Contra tamen uiget, quod in *d. c. Relatum* exigantur duo legitimi testes, qualis non est mulier in testamento. Secundò, quod licet in *d. c. Relatum* derogetur solemnitati juris, quoad numerum testium, non tamen reperitur jus civile correctum, quoad habilitatem, ac proinde seruandum sit, *l. Sanctissimus Cod. de appellat.* Tertio, quod mulier non possit esse testis in testamento, ob sexus fragilitatem; quæ ratio hic æque militat, atque in quouis alio testamento. Quarto, quod si in testamento, in quo septem requiruntur testes, non possit cum aliis adhiberi (quo tamen casu puerus aliorum facile suppleverit ejus fragilitatem, *l. Si quis ex argenteis §. 1. D. de edendo*.) multò minus in hoc testamento, in quo minor numerus requiritur.

Ne est par ratio testamenti patris inter liberos : quia ibi causa intestati sovet causam testati, DD. in d. *ex imperfecto*, Facit textus in l. 1. Cod. de his qui sibi abscribunt in testam. in verbis, Si cum testam. nium scriptura non esset iustus successor futurus esset.

6. Nec verum videtur in testamento ad  
piam causam solum attendi jus gentium, cum  
ultra numerum duorum testium requiratur et-  
iam praesentia Parochi, quam non exigit  
jus gentium.

7. Secundo, prohibentur, impubes, servus furiosus, mutus, sordidus, prodigus, cui bonis interdictum est; item hæres scriptus, & qui eidem vel testatori ratione patriæ potestatis conjunctus est, *§. in testibus 9. et §. seq. infra.*

1. Prohibetur mulier testis esse in testamento.
2. Non in codicillis, remissivè.
3. In testamento patris inter liberos.
4. In testamento tamen ad piam causam rectè adhibetur.
5. Prohibetur & impubes, & servus, &c. item iste hæres. (res.)
6. Non verò legatarii & fideicommissarii singula.
7. Denique prohibentur, quos leges intestabiles esse jubent.

**T**estes similiter in testamento adhiberi possunt, qui non prohibentur. Prohibetur autem in primis mulier: quæ quidem in iudicio dicere testimonium potest, non rerum testamentis. *l. Quis. si testamento 20. §. 6. D. Quis testam. fac. poss. Et dixi sup. ad Tit. de testib. l. 2. v. 23.* non solum ob iudicium infirmum; sed et a iudicio repellenda esset: sed quia iuris publici, a quo testamenti factio est, communionem non habet. Præterea testamentis a omni calatis comitis fieri solebant, in quibus mulieres ius suffragii non habebant. Tum etiam propter fratres, quæ facilius in testamentis, quam in iudiciis, etiam criminalibus, committi possunt. Unde verius videretur, iure Canonico mulierem ne quidem in testamento, ad quas profanas condito, rectè adhiberi testem.



*fir. De testam. ord.*

6. Jure tamen speciali non denegatur testimonium legatario & fideicommissario singulari, eorumque filiis puberibus, & aliis, in potestate existentibus, §. *Legatariis autem Inst. eod.* quia cum plerumque testibus aliquid relinquatur, ut fideiiores existant & remunerandi causa, non debet destrui testamentum eo, quod ad confirmationem illius factum est. Neque hinc sequitur, eos esse testes in propria causa, saltem principaliter, & non nisi ex consequenti & secundario: de quo *sup. Tit. de testib. §. 2. n. 6.*

7. Tertio, prohibentur esse testes, quos improbos inestabilesque vocant, id est quibus leges denegant testamenti factionem, aut testimonii dictionem, l. *Is cui §. ult. D. Qui test. fac. poss.* Cujusmodi sunt damnati ob crimen famosum.

Denique notandum hic est, Edicto Principum nostrorum *anno 1611. art. 19.* cautum esse, ne probationes per testes fiant, tantum in contrariis, excedentibus summam trecentorum florenorum, sed & in testamentis, quasi plus dictum quam scriptum appareat. Insuper *art. 12.* requiri, ut non solum scribantur testamenta, sed & subscribantur à testatore & duobus testibus, ad hoc vocatis, si scribere noverint: cujus etiam mentio instrumento inserenda sit à tabellionibus & pastoribus.

#### §. VII.

#### De executoribus ultimarum voluntatum.

1. *Executores alij legitimi, alij testamentarii, alij dativi.*
2. *Intra quod tempus executio fieri debeat.*
3. *Nullo existente executore cogi potest haeres solvere legata.*
4. *Episcopi omnium piarum dispositionum sunt executores.*

**E**xplicatio jure testandi, sive disponendi in ultima voluntate superest jus testamenti exequendi sive mandandi executioni supremæ voluntatis elogio judicique defunctorum. Igitur executores testamentorum, sive sint haeres ipsi & *Si haeres 7. hoc tit.* sive alii, c. *Tua nobis 17. eod.* sive per testatorem dati (quos testamentarios non male appellaveris, ) sive

à Jure constituti, l. *Nulli C. de Episcopis & Clericis* (quos legitimos appellare licet) sive per judicem aut magistratum, quos dativos DD. vocant, l. *Solent iudices §. 1. D. de aliment. & cit. leg.* licet ab initio & re adhuc integra liberum eis sit suscipere officium, tamen eo semel suscepto cogi possunt, vel ab Episcopo suæ diocesis, ejusve Vicario, vel etiam à Principe seculari, ex eo qui ultimam voluntatem defuncti, c. *pen. h. t. juncta Nov. 131. de Ecclesiast. tunc cap. 10. & l. Haeres 50. D. de hered. petis.*

2. Idque intra tempus à testatore definitum: quod currit non à die facti testamenti vel mortis testatoris, sed à die aditæ hereditatis, l. *Statu liberos 3. §. si quis 11. D. de statu liberis.*

Alioqui nullo tempore à testatore ad exequendum testamentum definito, datur Jure Pontificio anni spatium, eoque elapso, si executores vota defuncti non adimpleverint, sed executionem protaxerint, jus exequendi devolvitur ad Episcopum, c. *Nos quidem 3. h. t.* nisi quod à pia legata dentur sex menses, secundum Panormit. ad d. c. *Nos quidem.*

3. Quod si nullus etiam testamento executor nominatus sit, potest ipse haeres cogi ab Episcopo censuram Ecclesiasticam, ut explet defuncti voluntatem, & legata solvat: & nisi exequatur, potest ei interdici administratio bonorum defuncti; imò & privari omni commodo, quod ex testamento fuerit consecutus, d. c. *Si haeres 6 h. t. Auth. Hoc amplius Cod. de fidei. commissis, desumpta ex Nov. 1. c. 1.*

4. Dixi cogendos executores, vel haeres defuncti, si executor nominatus non sit, ab Episcopo, ejusve Vicario, vel Principe; nam Episcopi esse executores ultimarum voluntatum, patet ex d. c. *Nos quidem & Si haeres 6. h. t.* ac statuit novissimè Conc. Trid. Sess. 22. cap. 8. de reformat. ut Episcopi, etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegati, in casibus à Jure concessis, omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate, quam inter vivos, sint executores. De principe vero seculari, etiam in piis causis, constat ex d. *Nov. 131. de Eccl. titulu c. 10 & 11. & d. l. Haeres 50. D. de hered. petis.* Ita ut hanc rem appareat esse mixti fori; sitque præventioni locus, Sanchez de matr. lib. 2. Diss. 250. n. 1. nihilque novi quoad hujusmodi piarum dispositiones Conc. Trid. statuisse videatur.

TITU.



## TITULUS XXVII.

## De Successione ab intestato.

1. Intestatus decedere quis dicatur.
2. Ab intestato vocantur primò descendentes, id est liberi.
3. Secundo ascendentes.
4. Tertiò laterales.
5. Quando vir uxori, & contrà succedit: ac postremò fiscus.
6. Clericis ab intestato quo modo succedatur.
7. Et quid de hac successione mores dicunt hodierni.
8. Basilardis intestatis succedit hodie Princeps.

Successio omnis jure civili vel ex testamento deferitur, quæ idèd dicitur testamentaria, vel ab intestato & à lege, unde & legitima nuncupatur: cui tunc demum locus est, quando certum est, ex testamento succedi non posse, *l. Quamvis 39. D. De acquir. vel omis. hered.* Idcirco postquam dictum est de successione testamentaria, rectè sequitur de successione, quam ab intestato deferit Lex vel Canon.

1. Intestatus dicitur decedere, qui vel omnino testamentum non fecit: vel fecit quidem, sed non jure, id est, non adhibitis solemnitatibus à jure requisitis: vel cujus testamentum ex post facto ruptum irritum ve factum est: vel denique ex cujus testamento nemo hæres exstiterit, *sex. in prin. Instit. De hered. qua ab intest. defer.*

2. Quod igitur ad hanc successionem attinet in bonis secularium, deferuntur in primis bona defuncti intestati iustis liberis, id est descendentibus ejus, ex legitimo matrimonio procreatis, aut per subsequens matrimonium, etiam in articulo mortis, legitimatis: & quidem in capita, si primi gradus sint; sin ulteriores, in stirpes, omni agnationis emancipationisve discrimine hodie sublato, *Novel. 118. c. 1.*

3. Iustis verò liberis non exstantibus, deferuntur ascendentibus, salvà gradus prærogati-

vâ, ita scilicet, ut proximiores excludant remotiores, v. g. pater avum paternum & matrem, & similiter mater avum paternum & matrem, *Covat. De success. ab intest. conclus. 3. & 4.* Et si plures parentes concurrant in eodem gradu, v. g. avus & avia materni generis, & avus paternus, distributio fiet in stirpes, non in capita.

An autem pater & mater ad filii intestati successionem æqualiter admittantur, variant Interpretes. Bartolus quidem partem ad bona paternam, vel patris intuitu acquisita, matrem ad bona maternam, vel matris intuitu quæsitam, admittit: Baldus verò, Cynus, Salicet. eos æqualiter admittunt, nullâ factâ bonorum distinctione; & hoc æquius est. Ut & in bonis per defunctum quæsitis omnes admittantur æqualiter. Vido *Mynf. Cent. 6. Obs. 55.*

Quod si defuncto sint fratres aut sorores, ex utroque parente sibi juncti, ii, exclusis aliis collateralibus ulterioribus, cum proximis gradu ascendentibus concurrent in capita, *d. Novel. 118. cap. 2.*

4. Deficientibus ascendentibus, primo loco fratres sororesve ex utroque latere juncti, si soli exstant, in capita; si verò cum fratribus filiis, concurrant, in stirpes, ad defuncti hereditatem vocantur. Quod si soli extent fratrum filii, eos ad patris intestati successionem vocari in capita potius, quam in stirpes, verius est, *Covat. d. loco & Fachin. 6. Controv. c. 3.* Non exstantibus verò fratribus utrimque junctis, vocantur uno tantum latere juncti; ita tamen, ut uterinis materna, consanguineis paternam bona deferantur.

Quod si neque fratres neque fratrum liberos defunctus reliquerit, tum proximior quisque consanguineus succederet usque ad decimum gradum, ex communi DD. sententia, *arg. §. fin. Instit. De success. cognat.* quamvis alii etiam remotioris gradus à latere junctos admittant, ad exclusionem Fisci, sublato sexus, item cognationis atque agnationis discrimine, *d. Novel. 118. c. 3. in fine C. 2.*

5. Omnibus verò his deficientibus, succedit vir uxori & contrà, *l. unica Cod. Unde vir & uxor*; & postremò Fiscus, *l. 1. & 4. Cod. De bonis vacantibus*: nisi consortes eum excludant, veluti Decurioni intestato succedit Curia; naviculario corpus naviculariorum. Et hæc quidem quoad successionem in bonis allodialibus secularium

T c



cularium: nam in feudalibus alius ferè est successio-  
nis ordo, ut patet ex c. 1. *D. natura success.*  
*Feud. & cap. 1. De successione Feudi.*

6. Clericis verò succedunt ab intestato, in bonis quidem patrimonialibus & proprio labore atque industria quæ sitis primo loco liberi, si quos habeant ex legitimo matrimonio, ut si Clericus ante sacros ordines conjugatus vixerit. His deficientibus secundo ordine parentes vocantur unà cum fratribus & sororibus germanis, hoc est utroque latere junctis. Quod si defunctus parentes superstitibus non habeat, tum tertio ordine succedunt à latere venientes, secundum gradus prærogativam, usque ad decimum gradum. Consanguineis verò usque ad decimum gradum deficientibus tum Clerico ab intestato succedit Ecclesia, vel altare, cui servivit, *can. fin. xii. q. 5. c. 1. & ibid. Gloss. & DD. h. a.*

In bonis autem intuitu Ecclesiæ quæ sitis succedit Collegium Clericorum, vel successor ipsius Clerici, si is bona separatim extra Collegium possidebat, uti Episcopus, Parochus & similes. *Relatum 12. sup. De testam. c. fin. De officio Ordinarii in 6. Clement. 2. De elect. Vide c. Quia sapè 11. De elect. in 6. cap. Quoniam quidam Distinct. 75. can. Illud cum seq. xii. q. 2. Latè Guil. Redoanus De spoliis Ecclesiæ q. 8.*

Quod si appareat demortuum & suo labore industriæque quæsiisse, & ex patrimonio habuisse bona aliqua, tum dividi ea debent in quatuor partes; quarum unam Episcopus, alteram Ecclesia, tertiam pauperes, quartam consanguinei capient *c. 2. h. 2. vel loci ejusque consuetudo attendi circa hæc debet, Palsac. 2. p. cap. 3. art. 4. n. 41.*

7. Plerisque hodie locis Clericis ab intestato decedentibus succedunt consanguinei hæredes, prout in tota Gallia obtinere, nisi sint bona comparata sub nomine & ad opus Ecclesiæ, testatur Zyp. *De iure Pontif. novo lib. 3. Tit. De testam. n. 1.* ubi subjungit, hic in Belgio Clericis intestato defunctis quoad bona mobilia succedere Capitula aut Episcopos: licet olim Comites Flandriæ Clericis testatis & intestatis in semissem mobilia succederent, usque ad Robertum Frisum, qui hoc onus remisit, sive ob metum Urbani II. sive ut scelera sua expiaret.

In Brabantia ac Comitatu Namurcensi hodie

na Clericorum bastardorum, etiam in sacris constitutorum, ex concordatis anni 1541. *Aug. 8. bona verò, nisi à Principe testandi licentiam obtinuerint, vel natalibus fuerint restituti, mobilia quidem spectant ad Principem & Episcopum, donec dejure vel consuetudine aliter fieri debere constiterit, Zyp. d. loco.*

8. Et moribus ferè passim obtinuit, ut bastardis seu naturalibus succedat Princeps, si modò sine testamento, sine legitima prole, sine matre, fratribus vel sororibus, ex eadem matre natis, decedant, quæ de re fusiis videre licet Grivel. *Decis Dolanæ 144.* In Brabantia tamen non videntur habere testamenti facultatem activam aliter, quàm inter liberos, nisi à Principe eam impetrent, ut testatur Zyp. *d. loc. Tit. De success. qua ab intestato defer.* ut nec passim etiam de jure habent, respectu patris, *Auth. Ex complexu Cod. De incestis nuptiis. Mynsing. cent. 1. Observat. 35. Zyp. & Grivel. aliis locis fuisse.*

## TITULUS XXVIII.

### De Sepulturis.

#### §. I.

#### Quid sit Sepulcrum ac Sepultura.

1. 2. *Quid sit Sepulchrum & Sepultura.*
3. *Olim ne in civitate quidem quis sepeliebatur.*
4. 5. *Hodie in Cæmeteriis, in & apud Ecclesiis.*

Us Sepulturæ, ut & jura decimarum, primitiarum & oblationum spectant ad bona Clericorum externa, quæ non ab Ecclesia accipiunt, sed à laicis ratione ministerii Ecclesiastici. Sed & de sepulturis ideo sequitur, quia spectat ad Episcopum, quem diximus antecessorem executorem ultimarum voluntatum, non solum ut bona testatorum atque intestatorum legitimè distribuantur, verum etiam, ut corpora eorum, si Christiani & Catholici pie in Domino obdormierint, juxta morem consuetam sepulturæ mandentur.

1. *Observandum in primis hic, Sepulcrum dici*



alio locum concavum, quo corpus ossaque hominis condi solent, à sepeliendo; ut simulachrum à simulando, Lavacrum à lavando: ejusque appellatione omnis locus sepulturæ contineatur. *Prator § sepulchri D. de sepulchro violato.*

1. Ipsa verò sepultura quandoque sepulchrum significat, *can. Aurum xii. q. 2. can. Secundum xxiv. q. 8 cap. penult. h. t.* quandoque actum ipsam sepeliendi, seu officium, quod sepeliendis corporibus impenditur, *can. Præcipiendum xiii. q. 2 c. Non satis inf. De Simonia*, ubi prohibetur venditio sepulturæ. Hinc Cicero in *Veterni*; *Disco mercedem funeris ac sepulturæ constitui nefas fuisse.* Quo pacto autem Sepulcrum à Monumento distinguatur, tradit Florentinus *J. C. in l. Monumentum 24. D. de relig. & sumpt. funerum.*

3. Olim nec in Ecclesiis, nec in civitate quidem sepulcra fieri permittebantur: sic enim ait *Lex xxi. Tabb. Hominem mortuum in urbe ne sepelito, neve urito.* Cicero *lib. 2. de Legib.* Quod ipsum vetarunt Dioclet. & Maximian. in *l. Mortuorum 12. Cod. de Religiosis & sumpt. funerum*, & Hadrianus, teste Ulpiano in *l. D. de sepulchro violato*: sex extra oppidum, more Græcorum, mortui sepeliabantur, & si introferrentur, id summo honori concedebatur, ut notat Cicero *pro Flacco*. Videatur hac de re Iulius Petrus *Græ. Thol. Syntag. Juris universi lib. 43. cap. 13.*

4. At apud Christianos hodie locus communis sepeliendis corporibus est destinatus, & Cœmeterium appellatur, à Græco verbo *Χμειον*, quod sopio significat seu dormire facio, quasi Dormitorium, quia mortui in eo dormire dicuntur, *1. ad Thessal. 4. can. Aurum xii. q. 2. can. Vivemus quo 26. & can. Qui divina xii. q. 2.* donec scilicet in resurrectione generali à Deo excitati evigilent. Et ideo nimia mortuorum lamentatio ex pusillanimitate & desperatione futuræ resurrectionis quodammodo provenit, *d. can. Vivemus quo cum seq.*

5. Sunt autem Cœmeteria per Episcopum ab aliis locis profanis & puris dividenda ac consecranda, juxta Ecclesias vel intra confinia earum, *can. Sicut xvii. q. 4. ad sepeliendos Christianos, d. can. Aurum xii. q. 2.* Idque iustis de causis; veluti ut mortuorum cadavera minus ab immundis vexentur spiritibus, & mortui Sanctorum illorum commendentur parocci-

niis, quorum nomini consecrata est Ecclesia, in qua vel ejus cœmeterio sepulti sunt, *can. Non existimemus xii. q. 2.* Præterea ut defunctorum proximi, ad loca sacra venientes, suorum, quorum sepulcra contueantur recordentur, & pro iis piis Deo preces fūdant, *can. Cum gravia xii. q. 2.*

Unde & sepulcra seu cœmeteria apud illas Ecclesias & Monasteria ex antiquo disposita reperiuntur, in quibus Religiosorum Fratrum conventus sunt constituti, & orationes atque Missarum solemnities tam pro vivis quam pro defunctis frequentius celebrantur, *c. Fraternalitatem 3. h. t.*

## §. II.

## Jus Sepulturæ ad quam Ecclesiam spectet.

1. Sepeliendus quilibet in Ecclesia parochiali.
2. Etiam cum ruri agens ruralia exercendi causa, ibidem decesserit.
3. In loco interdicto nemo sepeliendus.
4. De peregrinis, exteris & scholaribus.
5. De Prælati & Religiosis.
6. De Clericis.

1. Regulariter autem sepeliendus est quilibet in Ecclesia parochiali, vel cœmeterio ejus, in qua recepit aut recipere debuit Sacramenta, & audire divina, *c. 1. c. In nostra 10. h. t. c. Is qui eod. in 9.* Quod si verò quis in una Ecclesia audierit divina, in alia perceperit Sacramenta, aut fuerit parochianus duarum Ecclesiarum, habentium jus sepulturæ (veluti si domicilia duo in diversis habuerit parochiis, & in utroque pariter habitaverit, aut habuerit domicilium partim unius, partim alterius parochiæ, juxta *Glos. in c. Cum quis id 3. notab. eod. in 6.*) locus erit præventioni, *arg. c. Duobus de rescriptis in 6 c. Cum quis, & Glos. ibid. divisa quarta inter dictas Ecclesias, d. c. Cum quis, & ibi Glos.* Alioquin de sepultura alicujus contēdētibus sese interponet Episcopus, & definiet, eo inspecto, ubi quis pro majori tempore habitare fuerit solitus.

2. Habens domicilium in civitate vel castro, seque ad villam conferens ruralem recreationis aut ruralia exercendi causa, ibique inopinato interitu, non electa sepultura, decedens non in Ecclesia parochiali dictæ villæ, sed sua seu civitatis, vel potius in sepulchro majorum, si alibi habeat,



habeat, sepeliri debet, dummodò absque periculo ad illud asportari valeat, *c. l. qui hoc tit. in 6. quartâ tamen data Ecclesiæ rurali, in qua percipit Sacramenta.*

3. Tempore verò interdicti Ecclesiastici, is quem aliàs in sepulchro majorum suorum sepeliri oportuit, sepelietur in Ecclesia parœciali, vel Cathedrali, si & ista non sit interdicta. Quod si hæc omnes interdicto subjaceant, in nulla earum sepeliri quis potest, *c. Vi privilegia sup. de privilegiis.* sed in Monasterio proximiori, Sylvest. in *V. Sepultura n. 8.*

4. Peregrini, si deferri commodè ad sepulchra majorum possint, in iis sepeliendi; sin minùs aut si majorum sepulchra ignorentur, præventis onibus erit inter Cathedralē & parœcialem Ecclesiam, nisi Sacramenta perceperint in parœciali, quia tunc tacitè censentur elegisse inibi sepulturam: quemadmodum & advenæ qui primùm venerint, animo manendi in eo loco. Idem dicendum est de Scholaribus aut damnatis ad mortem, nisi contraria sit consuetudo: deque exteris ac forensibus, habentibus hospitium in civitate, cum in ea Sacramenta percipiant: imò etiam de viatoribus transeuntibus, nec habentibus hospitium. Nam licet hoc casu Glos. & nonnulli alii jus sepulturæ asserant vindicantque Cathedrali: verius tamen est, spectare illud ad parœcialem Ecclesiam, præsertim si per presbyterum parœcialem fuerint administrata Sacramenta, Riccius in *Praxi Decis. 659.*

5. Prælati Regulares sepeliri debent in Ecclesia suâ Prælaturæ, vel, si in duabus Ecclesiis, Prælati existant, ubi moriuntur, Archid. in *d. c. Cum quis h. t. in 6.* Religiosi verò non peregrini in loco suæ religionis, vel alias in Monasteriis sui Ordinis, si illuc commodè transferri possint, aut in parœcia loci, in quo decedunt, *can. l. xvi q. i.*

6. Denique Clerici in Ecclesiâ, in qua sunt beneficiati, quia ibi censentur habere domicilium, *c. 3. de tempor. ordinat. in 6.* maxime Prælati, qui habentur pro viris & conjugibus Ecclesiæ, *can. Si vir v. n. q. ii.*

*l. c. 2. c. 3. sup. de translat.*

*Episcopi.*

### §. III.

**Electio nem sepulturæ unicuique liberam esse.**

1. *Libera cuique electio est sepultura.*
2. *Etiâ uxori, in consulto marito, & filio familia.*
3. *Non verò Religiosis, aut condemnatis per sententiam.*
4. *In hac electione variare licet.*
5. *Pœna sepelientis alienum parœcianum.*
6. *Electio sepulturæ alteri committi potest.*
7. *Ius funerandi quibus Ecclesiis competat.*

1. **R**egula superior, dictans quemque sepeliendum in Ecclesia parœciali, seu ejus cœmeterio, in qua recipit aut recipere debuit Sacramenta, & audire divina, fallit, si vel elegerit alibi sepulturam, aut alibi sepulchra majorum habeat: liberum enim est cuilibet, quo velit loco, dummodo vel ex jure communi vel ex privilegio jus funerandi illi competat, sepulturam sibi deligere, *c. l. in V. nulli tamen negamus, c. Cum super hoc tit. c. 2. §. fin. hoc tit. in 6.* Sic Christus natus in Bethleem, nutritus in Nazareth, *Matth. 2.* sepultus fuit Jerosolymis in sepulchro Joseph.

2. Aded autem electio sepulturæ libera est, ut etiam uxor, in consulto marito, & filius existens in potestate patris, modo sit puer, sine patris consensu hanc potestatem sibi vindicet, *c. De uxore hoc tit. c. 2. §. penult. eod. in 6.* quia effectus electionis conferatur in tempus, quo mulier solvitur à lege viri, & filius à patria potestate. In iis autem, in quibus attenditur effectus paria sunt, disponere tempore habili, vel inhabili, modo effectus in tempus habile conferatur, *l. Quod sponsa Cod. de donat. ante nuptias, l. In tempus D. de hered. instituendis.* Et propterea, sicut, liberum viro est eligere sepulturam, ita & mulieri, *d. cap. De uxore:* ob eandemque causam etiam servus sepulturam eligere potest, *Joan. And. in d. c. De uxore,* quia in spiritualibus cessat, patria aut dominica potestas, *cap. 1. infra De conjugio servorum.* Filio verò impuberi ob defectum iudicii pater sepulturam eligit, si id ferat loci consuetudo: alioquin eâ cessante in sepulchro majorum vel parœciali Ecclesia sepeliendus est, *d. c. penult.*

3. Religiosi quoque, cum non habeant velle aut nolle, eligere sibi sepulturam acqueunt,



nisi forte adeo remoti à suis degant monasteriis ut cum moriuntur ad ea commodè transferri non possint, *c. ult. hoc tit. in 6.*

Similiter nec ad iudicati morti per sententiam, *Lectus Zech. de Republica Christiana c. 28. versic. secundò fallit, licet Sacramenta percipere valeant Clement. 1. De pœnit. & remissionibus Vti nec fuisse, arg. cap. fin. sup. de successione ab intestato.*

Ceteroquin adeo libera electio est in ætatis adultis seu puberibus, siue masculis, siue feminis, ut etiam, antiqua sepultura dimissa totam eligere cuiuslibet liceat, & quidem in loco minus religioso; veluti in Capella, in qua rarius, aut semel tantum in anno celebratur, *cap. 2. § fin. hoc tit. in 6.* modò id malitiosè non fiat.

4. Quin etiam in hac electione variare quis potest usque ad extremum vitæ spiritum, licet promississet antè se tali loco inhumandum, vel aliam Ecclesiam non electurum, *cap. 1. hoc tit. in 6. c. 1. de pactis in 6.* Imò verò districte inhibetur Clericis ac Religiosis, ne quem inducant ad eligendum apud se sepulturam, vel jam electam alterius non mutandam: aliterque facta electio nullius firmitatis decernitur, iudeturque defunctus deferri ad eum locum, in quo, cessante tali electione, sepeliendus erat, *d. c. 1. hoc tit. in 6.*

5. Quòd si qui in alienum parochianum sepeliunt, quem sepelire non debebant, vel quia canonicam portionem suæ Ecclesiæ non reliquerit, *c. Fraternalitatem hoc tit.* vel quia ubi non elegerit aut potuerit sepeliri: *c. in nostra 10. versic. Et si demque b. t. tenentur illi, quicumque deum sunt, ad restitutionem cadaveris cum omnibus, quæ occasione sepulturæ quomodolibet acceperint, c. Ex parte 5. cap. Cùm liberum 6. b. t.* Quam nisi fecerint intra decennium, Ecclesiæ, in qua sepultus fuerit, simulque cœmeterium eo ipso Ecclesiastico subijcitur interdicto, quoniamque restitutioni satisfiat, *c. 1. hoc tit. in 6. & ibid. Glos.*

Nec etiam in potestate consanguineorum est, ut defunctum extra parochiam aut maiorem sepulcrum sepeliant: excepto patre, qui pro filio impubere sepulturam eligit, *c. De uxore 7. hoc tit. & c. Licet eod. in 6. 6.* Posse tamen quem sepulturæ suæ electionem alteri committere tradit Riccius in *Fraxi Dnsi* 663. ubi De-

cij § 9. subiecit, electionem sepulturæ probare etiam per testes singulares, & sepulchrum familiariz vel hereditarium probari ex inspectione litterarum, ipsi sepulcro inscriptarum.

7. Dixi antè, quemlibet sepeliendum in Ecclesia, quæ jus funerandi habeat: nec enim jus illud omnibus Ecclesiis competit, sed tantum habentibus populum seu parochianos, vel ex privilegio aliquo, *c. Nimis iniqua 16. & c. seq. inf. de excessibus Prælatorum, c. Vi privilegia 24. inf. de privilegiis.* Cujusmodi privilegium Prædicatoribus & Minoribus competit, *Clement. Dudum hoc t.*

8. An autem hi possint de jure communi processionaliter intrare parochiam, & per se, invito Pastore, accipere funus in sua Ecclesia sepeliendum, quæri potest. Posse tradit Emanuel Roderic. *Quæst. Canon. & Regular. tomo 3. & Oldradus Consil. 252.* Nihilominus nuper consultus in hac causa contrarium respondi, motus text. in *can. Ecclesiis xlii quæst. 1.* Idque etiam tradit & probat Oldradus sibi contrarius *Conf. 82.* Late Rebuff. *Ad Constitutiones Regias de sent. excommunicat. art. 3. Glossa 1. n. 3.* Si quæ verò sit hac in re consuetudo vel pactum, omnino servari debet.

## § IV.

## De Sepulcro majorum.

1. Conceditur etiam laicis habere sepulcra in Ecclesiis.
2. Sepulcra alia Familiaria, alia Hereditaria.
3. Pacisci non licet, ut quis solus in loco aliquo habeat sepulturam.
4. Qui veniant nomine Majorum quo ad sepulcra majorum.
5. Filii apud quos sepeliendi.
6. Vxor ubi sepelienda.

1. **C**essante dicta electione, si quis sepulcrum majorum habeat, in eo sepeliri eum oportet, *c. 1. hoc tit. cap. 1. eod. in 6.* Sic Abraham, Isaac & Jacob, in remotis existentes, voluerunt sepeliri in sepulcro majorum suorum, *Genes. 25. 49. & 50.* Et licet aliquando fuerit prohibitum laicos sepeliri in Ecclesia, *can. Præcipiendum xlii quæst. 2.* tamen ex humanitate quadam conceditur, ut etiam in Ecclesia aliqua vel cœmeterio sepulcra majorum habeant: quæ alio-



quin ipsis tamquam res spirituales competere nequeunt, nec quoad proprietatem, nec quoad possessionem aut quasi, Abbas in s. *Quanto ad finem sup. de iudicio.*

2. Hinc iuxta Caium J. C. in l. *Familiaria* 3. D. *De religiosis & sumpt. funerum*, distingui potest inter Familiaria & Hereditaria sepulcra, quod Familiaria sint, quæ quis sibi familiæque suæ constituit: quorum jus non transit ad cognatos vel affines, si non instituantur hæredes, l. *huius familiarum* Cod. de relig. & sumptib. funer. Hæredibus tamen, quamquam extraneis competit, l. *in consequenter* §. 1. D. *Familie erciscundæ*, l. *huius sepulchri* 13. Cod. d. tit. Hereditarium verò dicitur, quod quis sibi hæredibusque suis constituit, vel, ut Ulpian. ait in l. 6. D. *de religiosis &c.* quod paterfamilias iuri hereditario acquisivit.

3. Non potest tamen iniiri pactum, ut in sacello aliquo præter posteros fundatoris nulli alii sepeliantur. Quin tali pacto, tanquam turpi, non obstante, poterit Prælati urgenti necessitate, veluti si locus alius ad sepeliendum non sit, alios inibi sepelire, Archidiacon. in can. *præcipimus* xii. qu. 1. Lud. Rom. *Singul.* 189. Cessante verò necessitate, vel justa causa, non debet Prælati seu Rector Ecclesiæ electam vel propriam alicujus sepulturam eo invito alteri concedere, Bart. in l. 2. §. 1. D. *de operib. publ.* l. 2. & l. *si plures* D. *de relig. & sumptib. fun.* At deficiente familia concedi ea aliis potest. Zechus *De Republ. Christiana* c. 28. num. 6 dummodo insignia primi fundatoris non auferantur a sepulcro, ut ex aliis docet Zech. d. loco.

4. Cæterum Majores dicuntur pater, avus, & alii superiores l. *in iur. consulti* 10. §. *parentes* 7. D. *de gradibus*, l. *Quicumque* §. *parentes* D. *de in ius vocando*. Hic vero Major proprie dicitur pater & avus, eo quod in uno sepulchro procedat ex affectione, quæ inter vivos fuit, quæque major esse solet inter filium & patrem, nepotem & avum, quam inter alios superiores, Oldrad. *Consil.* 25. Ideoque si pater & avus sint sepulti in uno loco, pro avus & triavus in alio, sepelietur filius cum patre & avo: si pater in uno loco sepultus sit, avus & alii majores in alio, sepelietur cum avo. Zech. d. loco.

Frater autem & soror in eodem sepulchro sepeliendi sunt, can. *Vniquaque* xii. qu. 2. §. 5. Filii verò naturales in sepulchro patris, nisi is fuerit

in dignitate constitutus, arg. l. *Ex facto* §. *si quis* 4. D. *ad S. C. Trebell.* Spuri & legitimati a Principe sepeliuntur cum matre, nisi ea illustri sit, l. 1. D. *ad municipalem*; aut aliud petierit pater. Legitimi verò & naturales cum patre, licet hæredes ejus existant, can. *Ebron* xii. qu. 1. Oldradus d. *consil.* 25. & 257.

6. Quantum ad uxorem attinet, si sepulchram non elegerit, sepelienda est in sepulchro viri, d. can. *Vniquaque* xii. qu. 2. ut quos conjugii unum conjugium, quorumque mens una fuit in vita conjungat & sepulchrum, d. can. *Ebron*, & d. can. *Vniquaque*, nisi à viro separata aut vir ipse excommunicatus fuerit. Quod si plures habuerit viros, nec elegerit sepulchram, cum ultimo, cujus domicilium retinet & honorem, tumulanda est, l. *qui h. t.* in 6. licet vidua facta transtulerit se ad domum patris vel alium locum, si verò decedat ante virum, statim confuetudini, vel sepelietur in sepulchro majorum mariti sui, si is delectat se velle ibi sepeliri, vel alio loco, quem sibi elegerit pro sepultura. Si non constet, ubi velit sepeliri, sepelietur in sepulchro majorum suorum, Abbas in c. *de uxore sive finem h. t.* ubi dubitat, an vir, non electa sepulchra, sepeliendus sit in sepulchro uxoris.

## §. V.

## De portione Canonica, parœciali Ecclesiæ debita.

1. Portio Canonica ex quibus bonis detrahenda.
2. Quantitas illius.
3. Privilegiati an & quatenus exempti à Canonica portione.
4. Ex quibus non debentur dista portio.

1. Quid si quis extra Ecclesiam suam parœciam elegerit, vel quia sepulchram alibi elegerit, vel ob sepulchrum majorum suorum, tunc ex bonis, quæ illi loco seu Ecclesiæ in qua sepulchram elegit, etiam exemptæ, debetur portio, ut vocant, Canonico Ecclesiæ parœciali, in qua percepit Sacramenta, & audivit divina, vel percipere atque audire debuit, pro labore & cura animarum, quam Curatus gessit, cum sit æquissimum, ut consolationum sint socii, qui fuerunt passionum, juxta Apostoli dictum, cap. 1. c. *Relatum* 2. & ibi Innocent. Cum super 8. c. in postea 10. h. t. c. Cum quis



quod in 6. c. *Requiritur* 15. *sup. De testamentis*. Sed & cum quis, in agnitudine constitutus, se suam offert monasterio, debetur eadem portio Ecclesiæ parochiali, dummodò ex agnitudine illa decellerit, c. *De his* 7. h. t.

1. Portio autem Canonica quandoque est quarta pars bonorum, quæ defunctus reliquerit Ecclesiæ, in qua vel juxta quam sepeliri voluit, ut in d. c. *Cum super* 8. h. t. quandoque tertia, ut in c. 1. quandoque media, ut in c. 2. quandoque minor, ideoque in ejus quantitate definienda loci cuiusque spectanda est consuetudo, c. *Certificari* 9. & ibid. DD. h. t. Notatque Abbas, sufficere consuetudinem decem annorum, quia non sit contra jus, sed præter jus; maximeque attendi hic debent statuta & concordata, si quæ sint, c. *ult. De pactis* in 6. Et hinc Concil. Trident. Sess. 15. cap. 13. decernit, ut quibuscumque in locis jam ante annos quadraginta quarta, quæ funeralium dicitur, Cathedrali aut parochiali Ecclesiæ solita fuerit perfolvi, eadem integro jure & eadem portione, ut antè, eidem Ecclesiæ perfolvatur; non obstantibus concessionibus, gratiis, privilegiis, etiam Magni nuncupatis, aut aliis quibuscumque.

3. Estque hæc mens Pontificum, hujusmodi privilegia concedentium, ut iis privilegiati civiliter & urbanè utantur, ut scribit Zyp. h. t. n. 7. Unde quamvis à Pio V. & antè à Julio III. & aliis, quorum meminit Choppin. *Monast. lib. 2. tit. 1. n. 3.* per specialia privilegia Prædicatores, Minores, & ceteri Medicantes Ordines exempti videantur à quarta funeralium, quam antè de jure solvere tenebantur, juxta d. c. *In nostra* 10. hoc tit. & Clement. *Dudum versis*. Verum eod. tit. ubi jubentur solvere quartam parochialibus Ecclesiis tam de obventionibus quam funeralibus (id est iis, quæ cum funete deferuntur) quibuscumque & quomodocumque relictis, distinctè, vel indistinctè, ad quoscumque certos vel determinatos usus; etiam de quibus Canonica portio ab aliis Ecclesiis dari vel exigi non consuevit, vel non debet de jure, prout latius in d. Clement. *Dudum* *Glos. ibid. ad funeralibus*; ubi ostendit per d. Clement. *cotrigi* c. 2. in *Extravag. communib. h. t.* secundum cujus dispositionem etiam candelas sibi ex integro retinebant: tamen idem Pius V. Pont. declaravit mentem suam fuisse hanc, in-

vitandi scilicet Parochos, ut quoties eorum parochiani in Ecclesiis Mendicantium sepeliuntur, ipsi quoque præsentem interfuerint, ac propterea quartam partem consequantur omnium, quæ ab hæredibus defunctorum pro funeralibus dantur, Officiatamen mortuorum, & alia munia, quæ in hujusmodi monasteriis adhiberi solent, non à Canonicis, Parochis, aut Clero, sed ab ipsis Fratibus peragi debent. Mar. Antonius *Genuei in Praxi Neapol. cap. 62.*

4. Ceterum Canonica hæc sive legitima parochialis portio non debetur nec detrahatur ex iis bonis, quæ relictæ sunt aliis Ecclesiis seu piis locis, quam ubi quis sepelitur, *Glossa & Abbas in c. 1. in d. c. Cum super in c. Certificari* 9. h. t. Nec ex legatis pro ornamentis, pro fabrica, luminaribus, anniversario, septimo, vicesimo aut tricesimo die, sive aliis, ad perpetuum cultum divinum relictis, modò non subit fraus aliqua, nec jure suo privetur Episcopus vel Parochus, c. *fin. sup. De testamentis*, & ibi Boët. *Epo. c. Ex parte vestra* 32. *inf. De verb. significat.* Necitem ex donatis Ecclesiæ inter vivos Hostien. in d. c. 1. h. t. Non de quibus & armis, quæ indulta sunt militibus Jerusalemitanis seu Hospitalariis, in subsidium terræ sanctæ, c. *In nostra* h. t. Non de relictis pro incensis male ablatis. Debetur enim portio hæc ultra legatum, relictum Ecclesiæ parochiali, ab eo, qui sepulturam sibi elegerit alibi. Cujus rei ratio est, quia non testator debet eam portionem parochiali Ecclesiæ, sed Ecclesiæ vel locus ille, ubi sepeliri voluerit, *Clem. Dudum De sepulc.* Boët. *Epo. ad c. Officiu* 14 *sup. De testam. n. 14.* & seqq. Videatur plenius de histractans Lælius Zechius *De Repub. Christiana cap. 28. n. 18.*

## §. VI.

## De Canonica portione Episcopali.

1. Canonica Episcopalis portio quantæ.
2. Quatenus detrahere eam possit Episcopus.
3. Ex eo, quod Episcopo relictum est, quatenus Ecclesiæ debeat sua portio.
4. Non detrahatur portio Episcopalis ex relictis pauperibus in genere.
5. Non ex relictis pro restoratione & adificatione Ecclesiæ.
6. Non ex relictis pro ornamentis, luminaribus, &c.
7. Non ex legato pro maritandis virginibus.
8. Non ex legato, quod sit Regularibus.

9. Non



9. Non sit detractio, nisi deductis oneribus.

10. Consuetudine introduci potest, ne quarta Episcopo debeatur.

**R**epetit & alia portio Canonica in Jure Pontificio, quæ dicitur Episcopalis, quia Episcopo debetur, pro cura, quam in suam dioccesim impendit, ex relictis alicui Ecclesiæ, *c. Conquerente in V. mortuorum sup. De officio Ordinarii, c. Officij cum seq. sup. De testamentis.*

1. Et hæc quoque nunc est quarta, nunc tertia pars, *c. Requisisti 15. sup. De testamentis, can. Vobis, can. Concesso, can. Vulturana xii. q. 2. d. c. Conquerente: quandoq; media, can. Antiquos x. q. 1. c. 2. b. 1.*

2. Hanc autem portionem detrachere potest Episcopus, licet testator seu defunctus expresse, quod non velit aliquid Episcopo relictum sed Ecclesiæ, quia privata testatoris dispositio generalem Canonis constitutionem immutare nequit, *d. c. Requisisti vers. secus autem.*

3. Quemadmodum verò Episcopo competit sua portio, si quid Ecclesiæ relinquatur, ita si quid Episcopo relictum fuerit, ex eo Ecclesia Parochialis suam Canonicam detrahit portionem, nisi expresse testator, quod velit illud esse Episcopi tantum, aut præsumatur relictum Episcopo intuitu personæ, & non Ecclesiæ, veluti quia à conjuncto ac propinquo relictum ei sit, *d. c. Requisisti vers. Si verò relinquatur.* Alias quando relinquatur aliquid Episcopo intuitu Ecclesiæ, veluti ab extraneo, tunc ex eo portionem habebit Ecclesia parochialis, Quod si conjunctim Episcopo & Ecclesiæ Cathedrali legetur aliquid, de eo inter ipsos Canonica est divisio facienda: quemadmodum & si istud Episcopo; & illud Ecclesiæ relictum sit; nisi stare malint voluntati & dispositioni testatoris, *d. c. Requisisti, vers. Si verò istud.* aut testator jussit Episcopum sibi relictum contentum esse, *d. c. Officij.* Cum Ecclesiis verò inferioribus Episcopus non dividit sibi relictum, quia non est illi tanta communio cum talibus Ecclesiis, sicut cum Cathedrali: quartam tamen ex iis, quæ hisce Ecclesiis relinquuntur, rectè detrahit, *d. c. Requisisti h. Secus autem:* ubi de hac re plenius videre licet, ut & in Decisione Rotæ Romanæ, quam refert Piafec. 2. p. 6. 5. art. 4. n. 40. Ubi in primis dicitur regulare esse, \* 4. quod de iis quæ relin-

quantur pauperibus in genere, nulla debeat quarta. Cujus ratio est, quia quando relinquatur aliquid pauperibus in genere, illud relinquatur personis, non autem piis locis: de relictis verò personis non detrahitur quarta Episcopalis, *c. Ex parte 31. De verb. significat.* Nisi relictum esset pauperibus certi loci, quia legatum tunc videtur factum intuitu pii loci & ipsi loco.

5. In eadem Decisione resolvitur de relictis pro restauratione Ecclesiæ: matricis, adificatione & reparatione Ecclesiæ, Monasteriorum, Hospitalium, & aliorum piorum locorum, non deberi quartam, *per text. c. ult. ibi, seu fabrica sup. De testam. c. in d. c. Ex parte, ibi, vel ad fabricam.*

An verò, si de præsentī Ecclesiā non indigeat restauratione, debeat hoc causa quarta, dubitatum fuit. Et aliis negantibus, alijs affirmantibus, in eadem Decis. resolutum fuit, attendendam esse formam legati: v. g. si testator velit statim vel in singulos annos aliquid solvi pro restauratione Ecclesiæ, quæ reparatione non indigeat, ut tunc debeat quarta: non si pro restauratione Ecclesiæ ita legaverit, quoties ea indigebit.

6. Et ita quoque dicendum de relictis pro subventionē luminarium, ornamentorum, & aliorum, ad cultum divinum pertinentium, ex iis non deberi quartam, *d. c. fin. nisi usus esset indetermined, & non destinatus cultui divino, d. c. Ex parte c. d. c. Requisisti.*

An autem debeat ex relictis pro alijs pijs operibus in genere, pendet, inquit eadem Decisio, à futuro eventu: quia si executores distribuerint legatum in fabricam, luminaria, ornamenta Ecclesiæ, vel in concernentia divinum cultum, non detrahitur quarta, *d. c. fin. c. d. c. Ex parte: secus si in piorum locorum usum non privilegium.*

7. Sed neq; detrahitur ex legato relictum promittendis annuo quolibet duabus puellis, vel pro una puella consanguinea: quia vel sunt pauperes, & constat non deberi quartam, cum legatum sit factum personæ, & non loco; vel non sunt pauperes, & tunc quoque non debetur, cum ob eandem rationem, tum quia tale legatum non dicitur pium.

8. Non deducitur quoque ex legatis, quæ sunt Regularibus, *Extravag. l. h. i. in communib.*



De bonis vero relictis à Clerico intestato permittitur Episcopo retinere quartam, ubi talis est consuetudo, arg. c. ult. De officio Ordinarii in 6. a. Sancto. junctā Gloss. in V. morientium sup. De iur. ab intestato.

Sed & de bonis laicorum, ab intestato decedentium, potest Episcopus deducere quartam distigbendam in pios usus, ubi consuetudo talis riget, ut de consuetudine regni Neapolitani testatur Genues. in Praxis. 66. ubi refert responsum sacre Congregat. super tali dubio, & ex co. Pialec. d. cap. 5. art. 4. n. 42.

9. Deducenda autem hæc quarta est, d. d. utriusque oneribus, id est, solutis debitis, si quæ sint, & impensis in pompam funebrem factis, ceterisque, quæ fuerint necessaria pro servitoribus & ministris, d. c. ult. §. porro de officio Ordinarii in 6. Pialec. d. loco n. 42. in fine.

10. Potest denique consuetudine siue præscriptione legitima induci, ne quarta hæc Episcopo debeat, c. De quarta sup. de præscript. Consuetudo tamen, ne Ecclesia parochialis aliquid capiat nomine quartæ, est irrationabilis, secundum Pialec. d. loco n. 40. in fine ex Hostiens. in Summa h. s. n. 8.

## §. VII.

## Quibus deneganda sit sepultura.

1. Sepultura favorabilis, nec facile deneganda.
2. Denegatur omnibus excommunicatis, ut hæreticis, usurariis, &c.
3. Item Monachis propriariis.
4. Quosque in peccato mortali sine contritione decessisse constiterit.
5. In loco interdicti nemo sepeliendus.
6. Pœna contravenientium huic legi.

Quamquam ab Ecclesiastica sepultura nemo arcendus videatur, juxta illud Eccles. 7. Mortui non prohibeas gratiam, sciens quoniam omnes moriemur, ut habetur in can. In Ecclesiastico 4. xli. q. 2. tantaque fuerit cura apud Romanos in sepeliendis corporibus, ut hereditate indignum judicarent eum, qui defunctum debite non sepeliisset, l. Hereditas D. de hered. pet. l. Militis Cod. 604. \* 2. tamen ex juris dispositione nonnullis justè denegatur, imò planè interdictur Ecclesiastica sepultura: veluti paganis, can. Ecclesiam 26. cum seq. de consecrat. distin. 1. Judæis, hæreticis, etiam post

mortem damnatis, eorumque fautoribus & acceptatoribus, can. Sanè xxiv. q. 2. c. 2. De hæret. in 6. c. Excommunicamus §. credentes inf. De hæret. ceterisque excommunicatis, quia quibuscum non communicamus viventibus, cum eis nec mortuis communicare debemus, c. Ex parte, c. Sacru. h. c. Clement. 1. 604. c. Ad hac inf. De privilegiis: veluti usurariis publicis, nisi pœnituerit, & caverint de restitutione facienda, c. Quia in omnibus inf. De usuris, c. Quamquam eod. tit. in 6. Clement. 1. 604. tit.

Insuper denegatur sepultura iis, qui sibi ex proposito & sponte manus mortemque intulerint, can. Placuit xxi. q. 5. can. Quibus xlii. q. 2. secus si casu aut fatuitate, can. De occidendis xvi. q. 5. In duello item interfecit, Conc. Trid. Sess. 25. c. 19. De reformat. c. 1. inf. De torneamentis Item blasphemis impœnitentibus, c. Statuimus inf. De maledictis Raptoribus, non satisficientibus, c. 2. inf. De raptorib. Furibus & latronibus, in flagranti crimine occisis: secus, si comprehensi aut vulnerati, & confessi presbytero fuerint, can. Fures & latrones xli. q. 2. c. 2. inf. De furtis, \* 3. Monachis, qui in extremis cum peculio & habere proprium inventi fuerint, c. Monachi 2. c. Super quodam 4. c. Cum ad monasterium §. quod si proprietatis inf. De statu Monachorum. Nominatim interdictis, Clement. 1. De sepult. Tutorem testamento constitutis presbyterum, can. ult. Dist. 88. Ad hæc nec semel in anno peccata sua rite confessis, qui que ad minus in Paschate Eucharistiæ Sacramentum non sumpsissent, c. Omnis utriusque inf. De pœnis. & remiss. Exenteratis item, seu quorum ossa nudata & separata sunt à carne, aliò transferenda, c. 1. De sepult. in Extravag. communib. Ultimo etiam supplicio dampnatis, si moriantur impœnitentes; alias sepeliuntur, can. Quasitum xli. q. 2. l. 1. & fin. D. De cadaveribus punitorum: accedente tamen Principis aut Judicis auctoritate, qui subinde jubet ad exemplum aliorum cadavera eorum in loco supplicii remanere, l. 2. D. d. tit.

4. Denique iis omnibus, quos in gravioribus peccatis impœnitentes decessisse constiterit, can. Quibus can. Pro obediens xli. q. 2. nisi signa contritionis dederint, ad quod probandum sufficere unum testem notat Zech. de Rep. Christiana cap. 28. n. 26.

5. Sed & tempore interdicti generalis omnibus

V u

bus



bus in eo loco denegatur sepultura. Exceptis Clericis, qui si servant interdictionem, sine campanarum pulsatione accessantibus solemnitatibus omnibus cum silentio sepeliri in cœmeterio possunt, *can. Quod in te 11. inf. De pœnit. & remiss.* Similiter si Ecclesia, vel cœmeterium subjaceat interdictioni, nemo inibi sepeliri potest.

6. Quod si de facto sepeliantur, qui de jure prohibentur, Ecclesia vel cœmeterium polluitur, reconciliarique debet, priusquam alii Christiani ibi inhumentur, *c. Consulisti inf. De consecrat Ecclesia, & ossa eorum, si discerui queant, exhumari jubentur, c. Sacris 12. h. t.*

Qui verò hujusmodi personas, sepeliri prohibitas, contemptis Ecclesiæ clavibus, aut interdictioni tempore in Ecclesia aut cœmeterio sepelire ausus fuerit, ipso facto excommunicationis sententiam incurrit, à qua non prius absolvi potest, quam ad arbitrium diocesani Episcopi, eis, quibus injuria irrogata est, satisfactionem competentem exhibuerit, nullo exemptionis aut alio privilegio illi suffragante, *Clement. 1. h. t.*

Hæc tamen intelligenda sunt de iis, qui impenitentes decesserint, nec in articulo mortis reconciliati Ecclesiæ fuerint: nam si quis, dum in extremis ageret, legitime absolutus fuerit, ei cœmeterium aliæque Ecclesiæ suffragia minime deneganda sunt, *d. c. Sacris h. t.* Et si tales damnum aliquod aliis intulerint, non obstante absolute, hæredes eorum & propinqui, ad quos bona devenierint, ad restitutionem damni illati conveniri compellique per censuras Ecclesiasticas poterunt, *d. c. Sacris, & c. in litteris 5. inf. De reprobis.*

In eo verò, quem casus inopinatus oppressit, hanc regulam sequimur, ut cui communicabamus viventi, etiam defuncto communicemus, *c. Ex parte 11. h. t.* nisi constitit in peccato mortali cum improba impenitenti conscientia à vita migrasse, *Glos. & Panorm. ad d. c. Ex parte per text. in can. Non asserimus, can. Pro obventibus*

xlii q 2.



# §. VIII.

## An exigi aliquid pro sepultura possit.

1. Terram semel consecratam pro sepultura vendi non posse.
2. Quatenus consuetudo soleret pro sepultura exigere aliquid.
3. Vi & pro licentia sepeliendi quem alibi.

**T**amet si quis terram, profanam adhuc & puram seu nondum consecratam, sanctam aut religiosam factam: (per inhumationem scilicet alicujus corporis humani, *l. Parum Cod. de religiof. & sumptibus funerum*) possit pro sepultura emere, *can. Anrum xli. quest. 2.*

1. Tamen terram semel religiosam factam, seu cultui divino dicatam auctoritate Episcopi, pro sepultura vendere & emere absque Simoniacæ labe non licet: neque pro exequiis aut sepultura aliquid exigere, etiam prætextu alicujus consuetudinis, *c. Abolenda 13. hoc tit. cap. Summibus, & c. Audvimus, c. Non satis, c. Ad Apostolicam inf. De Simonia, can. Quæstia, can. In Ecclesiasticis, can. Præcipiendum, can. Postquam pretio xlii. q. 2.*

2. Quod tamen intelligendum est de consuetudine, proveniente ex coacta solutione: aliud enim dicendum de ea, quæ introducitur fuerit ex pia & laudabili devotione fidelium; nam illa servanda est, & populus ad illius observationem cogi potest, si non jure actionis, saltem officio Judicis, *c. Ex parte 18. inf. De censuris, laic. Riccius in Praxi decr. 665. n. 4.* Quare si sepeliendus aliquid Ecclesiæ, in qua vel ejus cœmeterio sepulturam elegit, vivens tradidisset, aut post mortem parentes, proximi, vel hæredes pro luminaribus vel elemosyna ultro dare voluerint, sponte oblatum accipi poterit, non etiam exigi, ne aut v. nalis dicatur Ecclesiæ, aut Clerici de hominum morte gaudere videantur, si ex eorum cadaveribus studeant quærere quolibet modo compendium; nisi, ut dictum est, pia & laudabilis consuetudo aliud dicat, *d. c. 1. ad Apostolicam* Hæc enim in recipiendis muneribus circa spiritualia inspicere debet, *can. Agatho Distinct. 63. can. Conquestus 19. q. 3.*

3. An autem pro concedenda licentia sepeliendi



hendi alibi eum, qui sepulturam non elegerit, aliquid exigi jure possit, quærit Riccius in *Praxi Decis.* 665. Et refert posse, itaque fuisse resolutum à Curia Romana, quia talis licentia peti solent causa consequendi honorabiliorem locum in alia Ecclesia; ideoque propter ejusmodi præminentiam posse honorem illum pretio æstimari & vendi: cum hoc casu non vendatur sepultura, quæ gratis præstanda est defunctis. Videatur fultius Petrus Greg. Tholosan. *Parit. Juris Canon lib. 1 Tit. 15 cap. 5. Zech. de Reput. Christiana cap. 28. num. 19. vers. carpeant nam.*

## §. IX.

De pœnis violentium sepulcra.

1. Duplex in violatores est pœna, Civilis & Criminalis.
2. Quibus modis sepulcrum violatur.
3. Arma & insignia à sepulcris amoveri non posse.

**P**ostremo sepulcrorum violatores & civiliter & criminaliter puniuntur, l. 3. §. 1. de sepulcro. D. de sepulcro violato. Civilis pœna est pecuniaria; solvenda iis, quorum interest vel denuntiantibus; estque centum aureorum, l. 3. §. 1. & si quis in sepulcro. §. d. l. de sepulcro, & quanti interest, l. Liborum D. de religiosis & sumpt. funerum. Criminalis est modo multa, modò capitalis.

2. Violatur autem Sepulcrum variis modis: ut si quis in sepulcrum alterius, eo invito, cadaver inferat: si dolo malo quis in eo habiter, aut ædificium, aliudne, quod causa sepulcri factum non est, habeat: si ossa alio transferat, non petita licentia à Pontifice, olim Principe, vel etiam à Magistratu, si causa rationabilis transferendi occurreret. Quod obtinet, quando cadaver ibi sepultum est eo animo, ut perpetuò illic maneat: alioquin si eo animo, ut postea aliò transferatur, licebit illud transferre sine licentia, nec sepultura temporalis locum religiosum facit. Item si quis sepulcrum demoliat: & si servus id fecerit, jubente domino, pœna est metallum; si absque jussu, relegatio.

Actio etiam de sepulcro violato infamiam irrogat, prout latius deducit & probat, aliaque eodem spectantia tradit Tholosanus *Syntagma juris universi lib. 33. cap. 23 à num. 11.*

3. An autem affixio armorum in propriis sepulcris prohiberi possit, quærit Riccius in *Praxi Decisione* 667. & resolvit non posse: subjungens, contra amoventes arma atque insignia ex sepulcris dari actionem injuriarum.

## TITULUS. XXIX.

## De Parœciis &amp; Parœcianis.

## §. I.

Quæ dicatur Ecclesia Parochialis, &amp; unde.

1. Ecclesiarum varia divisiones & differentie.
2. Curata Ecclesia quæ sit.
3. Quæ Parochialis.
4. 5. Parochus & Parochia, item Paræcius & Parœcia unde dicantur.
6. 7. Ratio instituendarum Ecclesiarum parochialium.
8. Substantialia Ecclesia Parochialis.
9. Parochia distincta esse debent.
10. Item dotata pro decente sustentatione: & ratio dotandi.
11. Unus dumtaxat præficiendus Ecclesia.
12. Parochianus seu Parœcianus qui censetur.

**O**missis Ecclesiarum variis divisionibus, differentiis, nominibus, pro varia ratione dignitatis, loci, formæ vivendi, & similibus (ut quoddam alia dicatur Romana, alia Primitialis, Patriarchalis, Archiepiscopalis, Episcopalis, seu Cathedralis, à Cathedra seu sede Episcopi: alia collegiata, eaque vel Regularis vel Sæcularis, alia non Collegiata; rursus alia Curata, alia Parochialis, alia Matrix, quæ subinde dicitur

V u 2



dicitur Parochialis Ecclesia, cui alia adjungitur in subsidium, ut in *e. Ad audientiam* 3. *inf. De Ecclesiasticis* 2. *c. Ex transmissa* 10 *sup. De praescriptis*. subinde verò eo nomine appellatur Cathedralis Ecclesia, ut in *e. Venerabili* *inf. De verborum significat* estque principalis, primaria ac major cæteris in loco aliquo, *Clement. 1. De sententia excommunicat.* breviter hic dicendum de Parochiali, eò quòd superiori Titulo tractatum sit de quodam ejus jure, quod consistit in funerando, dubitarique posset generaliter de aliis ipsius juribus.

2. Notandum verò Curatam Ecclesiam subinde sumi, ut à Parochiali distinguitur, & tum dici Curatam, quæ curam habet animarum tam interiorum, quam exteriorum, id est, tam in foro pœnitentiali quam contentioso. *Innocent. in e. Dudum* *sup. De electis*. Et ideo Præfectus Ecclesiæ Curatæ hoc modo sumptæ potest excommunicare, suspendere, interdicere, visitare, inquirere, facinorosos capere & in carcerem mittere, aliaque hujusmodi, quæ ad morum spectant correctionem, exercere, *d. e. Dudum* *versic. Sed cum in jure, ubi* *Gloss.* Et quidem Præpositus Regularis, Monachos suos; Sæcularis verò Clericos alios sibi subiectos habet.

3. Parochialis autem Ecclesia dicitur ea, quæ habet curam animarum interiorum seu in foro pœnitentiali, non autem exteriorum seu in foro contentioso: & quidem sine aliqua prærogativa vel prælacione; aliàs diceretur Dignitas vel Personatus.

4. Originem trahit à Græca voce vel *παροικία*, quasi à præbendo, vel *παροικία*, quasi à vicinia seu accolatu. Siquidem nonnulli, ut Budæus in *Annotat. postea ad l. fin. D. De muner. & honoribus*, volunt *Parœcum* scribi & dici, à Græco *παροικῶν*. Incola enim, inquit Pomponius in *l. Pupillus* 139. *f. 2. D. De verb. significat*. est, qui in aliquam regionem domicilium suum contulit, quem Græco *παροικων*, id est, juxta habitantem vocant: Ut *Parœcia* dicatur, quasi vicinia, & *Parœciani* quasi vicini & incolæ, seu habitatores ejusdem viciniae sacre & *Parœcus*, quasi præcipuus in ejusmodi sacra vicinia, seu in spiritualibus præpositus.

5. Alii verò existimant Parochum dictum à *παρῖχος*, id est Præbendo, Dicebantur enim apud Ethnicos Parochi, qui Legatis publicè

Romam missis, & aliis alicujus dignitatis hospitibus, saltem & ligna carere, & necessaria præbebant, ut notavit Acton ad illud Horatii *lib. 1. Serm. Sat. 5.*

*Et parochi, quæ debent, ligna, falemque.*

Hinc igitur à præbendo seu subministrando Parochum apud Christianos dici malunt, eò quòd commissæ sibi plebi, seu populo sacrum divini Verbi & Sacramentorum pabulum ad pascendas animas præbeat & ministrat.

Cum enim augeretur Romæ populus Christianus, distribuit Evaristus I. Pontifex teste Platina in *eius vita*, Sacerdotes per singulas Urbis curias, qui præberent Sacramentum & alia sacra populo, & vicissim ab illo necessariis ad victum acciperent; indeque partes illæ Urbis sic distributæ dictæ sunt Parochiæ, & subdivisi Parochi.

6. Deinceps circa ann. Domini 266. Dionysius Pontifex similem procuravit distributionem Parochiarum per universum orbem, Curionibus seu Parochis, pro necessariis ad vitam, assignatis decimis, quæ intra terminos Parochiæ ejusque continerentur, *can. 1. can. Ecclesiæ XIII. qu. 1. can. 1. Distinct. 60. can. Episcopi Distinct. 18. c. Pastoralis. sup. De his, quæ sunt à Prælato* & c. Petrus Greg. Tholosanus, *Synagoga juris Universalis lib. 16. cap. 8. num. 33.* Idque ut quis alterius parochiæ fines aut jus invaderet, sed quisque curam Ecclesiæque haberet sibi legitime assignatam.

7. Unde Abbas Parochiam dici vult, quasi portionem curæ quia cuilibet presbytero parochiali detur certa pars civitatis vel diocesis per eum curanda; qui inde & Curatus appellatur & subinde Curio à Curia, id est, regione ubi bis eorum præponitur in sacris, ut apud Varonem *l. 4. De lingua Latina*. Erant enim Curiones Romæ olim Curiarum sacerdotes, qui in Curias divina curabant, & ex lege Romuli Curiarum suffragio creabantur. Dionys. Halicarn. *lib. 2. Antiq. Roman.* Qui plura desiderat de Parochiarum Origine, consulat singularem ea de re Tractatum Joan. Filicaci Theolog. Patiensis.

8. Igitur licet Parochia subinde accipiat pro tota diocesi, *can. Si quis ordinandus cum duobus seqq. Distinct. 92. can. Licet in regulis XVI. quæst. 4.* hic tamen sumitur pro certa alicujus diocesis Ecclesia, quæ habet populum, ceteris



dis limitibus distinctum, cum potestate fori parochialis, id est ligandi & solvendi, subditis sacramenta administrandi, idque ex necessitate oneris Ecclesiae imposita: haec enim omnia simul requiruntur, ut Ecclesia dicatur & sit Parochialis, prout latius tradit Gonzales, ad Reg. viii. Cancell. Glos. 6. à n. 35. Chokier in Scholiis ad Praes. Imperiales criminales Sess. 2. in verbis, *Com cura*. Ideoque licet Ecclesia aliqua fontem habeat baptismalem atque etiam jus sepulchri, ex consuetudine vel auctoritate Superioris Antistitis, non tamen dicitur Parochialis, nisi habeat populum certis finibus distinctum: quem si olim habuerit, & nunc non habeat, vel ob bellorum calamitatem, vel pestem favientem, vel loci inundationem, dicitur Parochialis habitu, non actu, donec redierit populus. Hinc etiam licet Minoribus ac praedicatoribus ex privilegio competat jus audiendi confessiones, non tamen Curati dicuntur. Aliquando etiam sumitur pro loco ipso, in quo huiusmodi populus, Ecclesiae deputatus, degit: ut cum dicimus, hunc vel illum habitare in hac vel illa parochia.

9. Ceterum Parochia esse debent distinctae necordo Ecclesiasticus confundatur, neve una & eadem Ecclesia duarum quodammodo fiat diocesis, cum gravi incommodo subditorum. Et ideo quoque parochia diocesis unus, quacunque de causa alterius diocesis beneficio, aut Monasterio seu Collegio, vel loco etiam pio perpetuo uniti non potest, Conc. Trident. Sess. 14. cap. 9. de reformat.

Fines vero Parochiae & distinctio populi probantur per testes, deponentes, quod à tempore immemoriali tales fines fuerint observari. Et ubi de finibus, & his, quae finibus cohaerent, constat, nequeunt praescribi, c. Super eo 3. hoc tit. d. can. Licet in regulis xxi. qu. 4. Si vero Ecclesia Parochialis certos & proprios non habeat fines, nec ejus Rector proprium populum, quem regat, sed promiscue petentibus sacramenta administret, mandat Synodus Trident. Sess. 24. cap. 13. de reformat. Episcopis, ut distincto populo in certas propriasque parochias, unicuique suum perpetuum, peculiaremque Parochum assignet.

Insuper requiritur ad parochialem Ecclesiam, ut sit fundata auctoritate Episcopi, qui fines designet, plebem constituat, & Parochia-

lem nominet, c. nullus omnino xvi. q. 7. Conc. Trid. d. loco.

10. Praeterea oportet eam competenter dotatam esse, cap. 1. de praebendis in 6. c. Quisquis sup. de vita & honestate Clericorum, habitam scilicet ratione qualitatibus loci, personarum, & temporis. Si vero adeo tenues sint redditus, ut debitis oneribus nequeant sufficere, providebit Episcopus per unionem beneficiorum simplicium, vel etiam curam habentium, quae tamen regularia non sint, & si obtinentis praedictio Concil. Trident. Sess. 21. cap. 5. de reformat. & d. Sess. 24. cap. 13.

Quod si id fieri nequeat, providebit per adsignationem primitiarum, ad quas populum posse cogi certis casibus, dicam postea, aut decimarum, etiam infudatarum, secundum Choppin. De sacra Polit. lib. 3. tit. 4. n. 19. 21. & 22. Rebutus Tract. de decimis qu. 5. (quamquam secus statuitur tum ad Synodum Cameracensem anni 1586 art. 17. & Mechliniensem art. 15. & 16.) vel per Parochianorum symbola & collectas, aut qua alia commodior ratione, qua necessitati Rectoris aut Parochiae decenter succurratur.

Potent etiam unire duas Parochiales Ecclesias, una non sufficiente ad Rectoris decentem sustentationem, modo populus non ita sit numerosus, ut unus sufficere Rector nequeat: vel etiam novam parochialem Ecclesiam erigere, ubi id necessitas exigit, ob locorum distantiam & amplitudinem parochiae, erectamque dotare ex fructibus Ecclesiae matricis, si haec abundet, Concil. Trident. Sess. 21. c. 4. Piassec. p. 2. c. 3. art. 3. in fin.

Refert autem Zyp. hoc tit. n. 10. Pium V. statuisse, ut non infra quinquaginta & non ultra centum aureos haec provisio extendatur: Synodus vero Mechliniensem anni 1607. ut non infra triginta libras Flandricas & non supra quinquaginta, nisi Episcoporum judicio Parochiae amplitudo aliquid ultra requireret, computatis certis proventibus, & incertis, quo dicta provisio ad certam summam, inspectis tribus aut quatuor annis ultimis, redigi possit.

Ibidem tradit, in hac provisione procuranda summarie & sine strepitu iudicii procedendum esse: & quando ad collectas devenitur, implorandum subsidium Conciliorum provincialium.



Rurſus Eccleſiæ Parochiali inſtituta debet præſigi unus Sacerdos qui in ea baptiſmum & reliqua Sacramenta populo miniſtret, *c. 1. & alibi 4. c. can. Sicut in unaquaque xx1. q. 2.* curantque animarum proprio nomine, non alieno, exerceat. Alioqui ſi duo inſtituantur, neuter Curatus dicitur, Oldrad. *Conf. 69.* quia ut humana ſponſa duos conjuges habere nequit eodem tempore *c. 1. mſ. De ſponſa duorum*: ita Eccleſia duos Clericos ſponſos, qui ejusdem eodem tempore curam habeant, *d. can. Sicut in unaquaque.* Alioqui duo haberet capita, quod prodigioſum eſſet. Hinc cura animarum dicitur eſſe penes Prælatum non penes ejus Vicarium, licet is ſit perpetuus, Maſcardus *de probat. Concluſ. 489. num. 13.*

Qualis autem, quâ forma & quo ordine quis præſigi debeat Parochiali Eccleſiæ, videatur Concil. Trident. *Seſſ. 24. c. 18. de reformat. & ibid. declarationes Cardd.*

12. Denique Parochianus ſeu Parœcianus dicitur & habetur alicujus Eccleſiæ, quæ intra Parochiæ limites habitat, animo ibidem manendi, ita ut ſit verè tranſlatus, non juris fictione, ſive audierit ibi divina, ſive non, *can. 1. diſtinct. 28. c. 3. De ſepulturis in 6.* Etiam ſi ſit beneficiatus & Curatus alienæ Eccleſiæ, dummodo in ea non reſideat, Frederic. *de Senis Conf. 254.* Canonici tamen vel alius Clericus Cathedralis Eccleſiæ habitans in aliena parochia, ut reſideat in Cathedrali, non ſit Parochianus Eccleſiæ Parochialis, ſed Cathedralis, Læpus *Allegat. 63. ſup. finem verſ. Hos dico.*

## §. II.

### De juribus Eccleſiarum Parochialium, & munere Parochorum.

1. Parochiani in Eccleſia ſua baptizandi.
2. Et quid circa hoc incumbat Parocho.
3. Peccata ſua conſiteri & communicare debent in Paſchate.
4. Parochi circa agrotos officium.
5. Nuptia in Eccleſia ſolemniter celebranda.
6. Miſſa & divina in eadem audienda.
7. Mortui item ſepeliendi.

1. **I**us Eccleſiæ Parochialis conſiſtit in pluribus. Et primò quidem in eo, quod populus illi ſubjeſtus ſeu parœciani debeant in ea ba-

ptiſmum recipere, *\* 2.* Et ad hoc incumbit Parocho, fontem baptiſmalem diligenter mundeque cuſtodire, accurare, ut ſemper adſit ſufficiens aqua, cauteque occluſa: cavere inſuper ne ſua culpa quis decedat abſque baptiſmo, ſub pena depoſitionis, *can. Quicumque De conſecrat. Diſtinct. 4.* Habere librum, in quo nomina baptizatorum, parentum & patrinatorum diligenter deſcribat, Concil. Trident. *Seſſ. 24. cap. 1. de reformat. matrim.* notetque annum, meſem & diem, quo ſinguli baptizantur: ut & in ſuo libro nomina confirmatorum, parentum & ſuſceptorum.

3. Subditos præterea Eccleſiæ parochialis oportet ſemel ſaltem in anno ſacram ſuorum peccatorum confeſſionem facere, ſacrosanctum Chriſti corpus quotannis in Paſchate percipere, *c. Omnis utriusque inſ. De poenitent. & remiſſionib.* inſuperque juſto ac debito tempore ſacri olei unctionem petere, *Clement. 1. §. Dudum de ſepulturis.*

4. Et ad eum ſine incumbit Parocho diligenter viſitare inſimos, hortari ad poenitentiam, ad bene moriendum: graviterque puniri debet, ſi appareat aliquos ejus negligentia abſque ſuſceptione Sacramentorum mortuos eſſe, *can. Si præbyter xxvi. qu. 6.* Nullo ſiquidem caſu excuſari poteſt Parochus, quo minus adſit & miniſtret Sacramenta morientibus, ne quidem metu peſtis vel alterius contagioſi morbi, ut ex Ripa, *Tract. De peſte n. 147.* & aliis, tradit Piſſecius *2. p. cap. 2. art. 1. num. 27.* Et n. ſeq. reſert Conſtitutionem Pii V anno 1566. die 15. Martii, innovantis Conſtitut. Innoc. III. quâ præcipitur Medicis, ut, cum ad ægrotos vocari contingerit, ipſos ante omnia moneant, ut animarum medicos rocent, quibus omnia peccata ſua juxta ritum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ confeſcantur.

5. Ad hæc quia clandestina matrimonia Eccleſia ſemper deteſtata eſt, *can. Non omnia. c. can. Honorantur & can. ſin. xxxii. qu. 2.* ideo nuptiarum, qui matrimonio junguntur, non niſi ſolemniter & coram proprio Parocho, vel alio ſacerdote, de ipſius Parochi vel Ordinarii licentiâ, in facie Eccleſiæ celebrari debent, Concil. Trident. *Seſſ. 24. cap. 1. De reformat. matrim.* Mandatque Conc. Parocho, ut librum habeat, in quo conjugum, & teſtium nomina, denique & locum contracti matrimonii deſcribat,



scribat; quem diligenter apud se custodiri tenetur. Et Serenissimus Princeps noster edicto anni 1611. ad obviandum difficultatibus super probatione ætatis, temporis matrimonii contracti, aut obitus personarum, siue in ordine ad promotionem ad Ordines sacros, aut ad beneficia vel officia secularia, & alia similia, mandavit huiusmodi annotationis copiam authenticam quotannis in Archivis Episcopaliibus deponi. Eademque ex causa *art. 21.* decrevit, ut probationes Ordinum susceptorum, & votorum monasticorum, fiant per litteras, & non per testes, *Zyp hoc. n. 6.*

6. Diebus item Dominicis & Festis populus in Ecclesia sua parochiali rem divinam audire debet. *Vi. Dominicus 2. hoc tit. Concil. Trident. Sess. 5. c. 2. & Sess. 24. cap. 4.* Ubi mandat Episcopis, ut moneant populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi commodè id fieri potest, ad audiendum verbum Dei. Quamvis cogi ad hoc nemo possit, quia Conc. utitur verbo, *moneant* Et ita responsum fuisse à sacra Congregat. & à Leone X. refert Piafec. *d. loc. n. 21.* nempe satisfieri præcepto Ecclesiæ, si audiat Missa in Ecclesia Regularium.

Planè jam olim in Germania & Flandria ea de re fuisse controversiam inter Religiosos Mendicantes & Parochos, argumento est Constitutio Sixti IV. in *Extravag. communib. Vices illius, Detrenga & pace*, quæ eandem decedit sub certis formis & modis. Quamquam sic quidem, nostrâ etiam ætate, cessent lites, propter privilegia à posterioribus Pontificibus concessa Mendicantibus, de quibus videre licet Azor. *1. p. Institut. Moral. lib. 13. cap. 2.* quæ quantum ulus probaverit, vel abusus prorogaverit, non facile dictum est, inquit Zyp *h. r. n. 2.* Videri interim possunt, quæ de Missa in Ecclesia parochiali audienda ex veteribus Canonibus & Conciliis plerisque collegit Joan. Filescus in *Tract. de parochia cap. 6. & 7.*

7. Denique, ut alia omittam, in parochiali Ecclesia sepeliendi sunt mortui, *Clement. Dudum 6. verum de sepulchris*: nisi alibi sepulturam elegerint, iuxta ea, quæ Tit præcedenti de hac rediximus.

Quænam verò, ultra prædicta, ex decretis

Concil. Trident. incumbant Parocho, videre ibi passim licet, & colligit pleraque Piafec. *d. loco de visitatione Parochialis Ecclesiæ.*

## TITULUS XXX.

## De Decimis, Primitiis, &amp; Oblationibus.

## § 1.

Oblatio quid sit & quoruplex.

1. Oblatio in genere complectitur etiam Decimas & Primitias.
2. Oblatio in specie quid sit.
3. Species illius sunt tres.
4. Oblationes tertius ratiōis sunt de necessitate.

**R**ectoribus Parochiarum debentur Oblationes, quæ diebus Dominicis & Festis in Missa offerri solent, insuperquæ solvendæ sūt Decimæ ac Primitiæ: de quibus nunc ordine agendum est.

1. Et quidem primò de Oblationibus, tamquam generalioribus: nam Oblatio in genere videtur esse idem, quod alicujus rei non petitæ spontanea largitio. Quæ sit aut homini, & Donatio appellatur; aut Deo, & magis Oblatio in Jure Canonico vocatur, quia cum Deus sit rerum omnium dominus, nihil ei dari potest.

Oblatio in genere dividi potest in Oblationem specialiter dictam, contractâ voce generis in speciem, & in Decimas ac Primitias: quæ tria in solis Ecclesiæ bonis præcipuè numerantur, *e. Causa Carpentis 3. inf. de v. rb. signif. & Dei censetur, can. Salvator 1. q. 3.*

2. Oblatio specialiter dicitur, quidquid à Christianis de propriis & licitis ad divinum cultum vel honorem Deo vel Ecclesiæ datur, *d. c. Causa; Carpentis*, siue sit res mobilis, ut monilia, pecunia, ornamenta, & similia; siue immobilis, ut ager, prædium, fundus.

3. Et Oblationis huiusmodi tres sunt species siue modi potius. Prima, quando aliquid donatur Deo vel Ecclesiæ inter vivos, de qua supra Tit. de donationibus. Secunda, quando aliquid datur Deo vel Ecclesiæ causa mortis, de qua



de qua in *c. Officii & in c. Requisit* sup. De testam. Tertia, quæ fit ad altare vel manum Sacerdotis celebrantis, *can. Antiquos x. quest. 1.* Et hæc ex consuetudine specialiter Oblatio dici solet: & sine ea parochiani ad Ecclesiam diebus festis & Dominicis inter Missarum solemniam faciendam, juxta consuetudinem receptam, accedere non debent, *can. Quia Sacerdotes x. qu. 1.* Eaque consuetudo ex devotione populi, non ex exactione Clericorum, initium habuit.

4. Tamen si verò oblationes de sui natura sint voluntariæ, nemoque communi lege teneatur Dominicis Festisve diebus ad offerendum: tamen subinde sunt de necessitate, Primo, ratione consuetudinis receptæ, cui satisficit communiter, quando major pars populi, Capituli aut Collegii offert. Secundò, si ministri Ecclesiæ egeant: nec enim suis stipendiis militare tenentur, *c. Cum ex officii sup. De præscrip.* Tertiò, si concedatur fundus universitati aut congregationi seu communitati, eâ conditione, ut fiat oblatio Ecclesiæ, *can. Oblationes x. 11. q. 2.* Quartò, ex deputatione aut promissione, ut si quis inter vivos vel in ultima voluntate aliquid relinquat, Ecclesiæ solvendum aut offerendum, *can. Nulli x. 11. q. 2.*

## §. II.

## Quibus cedant oblationes.

1. Cedunt Parocho vel Prelato Ecclesiæ.
2. Etiam Capellæ.
3. Nisi intuitu ipsius Capellæ fiant.
4. Quatenus Episcopo debeantur.

1. Quæ quidem oblationes si fiant in Ecclesia Parochiali cedunt Parocho: si verò in alia Ecclesia, Prelato illius, *can. Quia Sacerdotes x. q. 1. \* 2.* Similiter si fiant Capellæ, intra limites Parochiæ, cedunt Parocho, non Sacerdoti Capellæ, Panormit. in *c. Pastoralis n. 2. sup. De his quæ fiunt à Prelato & c. Azor. 1. Instituit. Moral. lib. 7. cap. 27. q. 13* nisi Capella habeat bona distincta aut gubernationem separatam ab Ecclesia, ut ex Felino tradit Wamel. *Conf. 436. n. 9.* Idem dicendum, si fiant picturæ in pariete domus privatæ, intra Parochiam sitæ: nisi de consuetudine ad dispositionem spectent Episcopi.

3. Si autem offeratur quid altari seu Capellæ

in Ecclesia existenti, non intuitu Ecclesiæ, sed intuitu ipsius altaris sive Capellæ, habentis bona distincta, cedit illud usus illius altaris sive Capellæ, Felin. in *c. Dilectus n. 2. & 3. sup. De officio Ordinarii* Pias. 2. p. cap. 5. art. 4. n. 44. Cuius verò intuitu aliquid oblatum esse dicatur, ex conjecturis judicandum est:

4. Sed & de oblationibus, quæ sunt Ecclesiæ, participare potest Episcopus, *can. Concil. x. 11. q. 2.* nimirum ubi talis esset consuetudo. Alioquin regulariter Parochus habet intentionem fundatam de jure, super oblationibus, quæ fiunt intra fines parochiæ suæ, vel quæ fiunt circa benedictiones nuptiarum, purificationes post partum, in administratione Sacramentorum, celebratione Missarum, *can. Statuimus x. 11. q. 1.* etiam si hæc per alium, & non per Parochum, exerceretur, quia per se facere videtur, qui per alium facit, *c. Qui facit De R. 1. in 6. Pias. d. loco.*

Si verò Episcopus ipse celebret in Cathedra, vel in parochiali Ecclesia, vel aliqua quacunque, oblationes ei soli cedunt, *c. Super eo sup. de Parochiis.* Hostiens. in *Summa d. tit. n. 2.* Sicut & Archiepiscopo cedunt, quando celebrat in provincia, nisi consuetudo sit in contrarium, aut nimis frequenter ibi celebret. Ubi tamen Episcopo in Parochia celebrante oblationes ex consuetudine percipit Parochus, debetur Episcopo Canonica portio, *c. Conquerente sup. De officio Ordinarii.* Quod si Episcopus vel Archiepiscopus celebret in locis exemptis, oblationes cedunt ei, qui jus habet parochiale.

Porro parochianis nolentibus consuetas oblationes facere, non ideo subtrahere Sacramenta Parochus debet; verum iis ministratis, potest officium implorare Superioris sui, nempe Episcopi, ut suas obeant partes,

## §. III.

## A quibus recipi, quique recipere oblationes non possint.

1. Non ab hæreticis, excommunicatis &c.
2. Laicis oblationum incapaces.
3. Et Religiosi regulariter.

1. Recipi oblationes non ab omnibus promiscue possunt: non ab hæreticis, excommunicatis, Simoniacis, oppressoribus pauperum



perum raptoribus, usurariis manifestis, & aliis similibus, ut fufius videre licet apud Clem. Romanum, lib. 4. *Constitut. Apostolic. c. 6.* Idque in detestationem hujusmodi criminum: ut ita rejecti, respiciant, neve Ecclesia videatur delictorum faulrix, oblationes ex maleficio percipiendo.

Insuper non à publicis poenitentibus: nec item, secundum aliquos, à meretricibus: neque ab his, qui aliena offerunt, *c. Causa Carpentis, in verb. s. de propriis inf. De verb. signif. Sed & indignum est offerre Deo, quod non dignatur homo accipere, can. fin. Distinct. 49.*

Laicis autem interdictum est, sub poena Papalis excommunicationis, oblationes percipere, vel aliis percipiendas committere, *can. Quia sacerdotes 13. & seq. x. q. 1. Conc. Trid. Sess. 22. cap. 15. & cum sint eorum incapaces, non valent consuetudo in contrarium.*

Sed nec religiosi eas percipere possunt, nisi delicta Recloris Ecclesiae, vel per ordinationem Ecclesiae, vel tamquam ministri altaris. *Vi. de can. Oblationes cum duobus seq. xlii. q. 2. & pan. in canonibus xvi. q. 7.*

## §. IV.

## De Decimis, quid sint, &amp; quo jure debita.

1. Decima & in genere & specialiter sumitur.
2. Specialiter, prout est pars fructuum non taxata, & taxata.
3. 4. Decimas deberi solo jure Ecclesiastico.
5. 6. Multorum fructuum & insolitis non deberi decimas.

**D**ecima in genere nihil aliud est, quam cuiusque rei decima pars, quae Principibus, aut Sacerdotibus seu Ministris Ecclesiae persolvitur, quae detracta relinquuntur novem. Hic verò specialius sumitur pro decima sive decimis Ecclesiasticis, id est, decima parte bonorum omnium mobilium, seu fructuum, jure quæ sitorum, Ministris Ecclesiae quotannis persolvenda.

Dico, bonorum omnium mobilium; quia id colligitur ex *c. Non est 22. in verbis, & de omnibus bonis decima &c. o. Nuntios 6. ibi de apibus & de omni fructu, h. t. Dixi, jure quæ sitorum, ex cap. Transmissa 23. ibi, quia fidelis homo &c. h. t.*

Species enim furti est, de alieno largiri, & beneficii debitorem sibi acquirere, *l. Si pignore 54. D. De furtis.* Dixi, pro decima parte, ex *c. 1. & per tot. h. t.* quia licet subinde solvatur duodecima, vicesima vel alia, tamen portio illa semper habetur pro decima.

2. Ut autem intelligatur; quo jure debita sit Decima, notandum est, Decimam posse dupliciter considerari; primò quatenus est pars quædam fructuum, quos percipimus, non tamen certa & definita, sed tanta, quanta ad debitam Clericorum, nobis spiritualia ministrantium, & pro nobis preces Deo fundentium, sustentationem est necessaria, sive sit decima, sive octava, vicesima, vel alia pars. Et in hac acceptione satis convenit inter omnes, decimam deberi non modò jure naturali, sed & divino, quia utrumque jus præcipit, ut Ministris Ecclesiae, nobis spiritualia subministrantibus, necessariam sustentationem præbeamus, juxta illud Pauli, *1. Corinth. 9. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus, & illud Christi, Dig- gus est operarius mercede.*

Secundò, considerari potest, quatenus est certa & taxata pars fructuum, deque hac tota est difficultas, an debeatur jure naturali & divino, an verò solo Jure Canonico. Et quidem in veteri lege debitam & solutam fuisse decimam partem constat ex *Levit. 22. & 27.*

3. An verò etiam in lege Evangelica jure debeatur divino, non ita constat. Debet ergo jure communis est Canonistarum opinio; Primò ex *Matth. 23. v. 23.* ubi cum dixisset Christus, *Decimatis mentham & anethum*, subjungit, *Oportuit hac facere & illa non omittere*: nam verbum, oportuit, indicat obligationem juris divini. Secundò ex illo *Matth. 5. Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Phariseorum, non intrabitis in regnum caelorum*: nam inde sequitur, quod si illi solverint decimas ex præcepto divino, multò magis nos teneri. Tertiò ex variis Capitulis *h. t. 6. Parochianos 14. Tua 25. & seq. c. In aliquibus 32. in fine & aliis*; variisque Canonibus, ut *can. Decimas can. Decima, & can. ult. xvi. q. 1. & similibus*: ex quibus colligi videtur, decimas deberi ex constitutione divina, quippe quæ non ab hominibus, sed ab ipso Deo sint institutæ, in signum, inquit Pont. universalis dominii, quasi quodam



titulo specialit sibi Dominus decimas reservaverit. *Cum non sit 33. hoc tit.*

4. Attamen vetior & receptior est contraria Theologorum sententia, istam quotam tempore legis Evangelicæ solo jure Ecclesiastico, jam inde a temporibus Apostolorum debitam fuisse, & deberi: quam sequitur Covarruvias. *Par. resol. c. 17. & Canil. de Decimis 3. n. 7. & seqq.* quia in lege Evangelica nullum extat præceptum de hujusmodi quantitate fructuum persolvenda, sed dicitur dumtaxat, ministris rerum spiritualium congruam deberi sustentationem: nusquam autem habetur, an decima, vel alia pars fructuum debeatur. Deinde si juris esset divini, non posset consuetudine tolli aut minui, & tamen tolli aut minui posse, constat ex d. c. *In aliquibus 32. §. fin.*

5. Imò in quibusdam locis multorum fructuum, ut oleum, raparum, fabarum, & similia, sublatæ sunt decimæ. Erhinc Carolus V. Imp. anno 1520. edixit in Belgio, ne à subditis suis exigenter decimæ eorum fructuum, de quibus à quadraginta retrò annis nullæ exactæ aut solutæ, fuissent, licet non incogniti essent fructus. Et postmodum declaravit, ut de insolitis fructibus solverentur decimæ, si in aliis locis, ubi soliti sunt seminari & colligi, solitæ sint solvi. Deficiente verò consuetudine ad jus commune recurrendum est, quo jure decimæ debeantur de omnibus rebus, quas terræ gignit. Huc facit, quod ex Boerio, ad *Consuet. Bituric.* refert Zypæus *hoc tit. n. 2.* Episcopum Abbiensem, cum decimas exegisset crocorum, ac subditi solutionem detrectarent, eo prætextu, quod antea eas non solvissent, sententiam pro se obtinuisse, ea ratione, quod alijs in locis decimæ de croco solverentur. Memorat idem, Brabantæ Concilium 2. Aprilis 1365. pro Abbate Canonicorum Regularem S. Gertrudis Lovanii judicasse, non censeri novas decimas lignorum, in locis, ubi ex lignis decimæ solvantur, quamvis silvæ infra quadraginta annos plantatæ vel sponte enatæ essent. Addit ibidem, in materia panici judicasse eundem Senarum contra incolas de Willebroeck eamque sententiam quoad omnes jus facere, cum decidat qualitatem istius frumenti, scilicet quod sit decimabile.

6. Non obstat præceptum legis veteris de

decima solvenda: quam cum illud fuerit judiciale, & non morale, morte Christi abrogatum fuit licet auctoritate Ecclesiæ de novo fuerit constitutum, ut decima pars solveretur.

Non obstat quoque, quod ex Matth 23 allegatum fuit: quia Christus ibi loquitur de tempore illius legis, quo decimæ jure divino debite erant.

Pariter non obstat illud, *Nisi abundaverit justitia vestra &c.* quia debet esse major, non in solvenda decima (alioquin deberemus plus quam decimamolvere, quandoquidem illi accuratissimè decimam de omnibusolverint) sed in reformandis internis affectibus, quia justitia illorum solum erat externa, putabantque sufficere, si non occiderent, aut non mœcharentur, &c. interius verò negligebant.

Non obstant denique Jura in contrarium allata, cum alijs similibus: in iis enim decimæ dicuntur deberi ex constitutione divina, quia scilicet, quod debeantur, ortum habet ex constitutione & lege divina in veteri Testamento, ad cujus imitationem Ecclesia eas solvi præcepit in novo Testamento. Vel dicendum, in iis non sumi decimas, prout sunt certa & definita pars fructuum, quo pacto dicimus deberi solum jure Ecclesiastico, sed prout sunt pars fructuum, necessaria Clericis, ad congruam eorum sustentationem.

Dicuntur autem decimæ esse Dei & solvi Deo, quia solvantur ministris Ecclesiæ; quibus quod solvitur & datur, Deus sibi solvi & dari dicit.

Dicuntur etiam subinde non posse minui, quamdiu scilicet viget Ecclesiastica, quæ ad imitationem legis veteris hanc quotam justissimis de causis taxavit, præceptum jam abrogatum renovando.

#### § V.

Ex quibus rebus decimæ debeantur & quotuplices sint.

1. *Debentur ex omnibus omnino fructibus, & lucro negotiationis.*
2. *Decimæ alia Prædiales, alia Personales, alia Mixta.*
3. *Differentia inter has species.*

1. *Ure igitur communi debentur decimæ de omnibus fructibus terræ, veluti de frumento, græ.*



in grano, feno, vino, & leguminibus omnis generis, *c. De multiplici 3. & c. Non est 22. hoc tit.* Paralip. 12. de fructibus arborum, hortorum, pecorum, veluti de lana, apibus, gallinis, columbis, & c. *c. Non est, c. Cum homines 7. d. c. Ex multiplici & alius hoc tit.* de proventus molendinorum, *c. Peruenit; & c. Ex transmissa 23. h. t.* ex conductione ædium, prædiorum, & cuiuscunque rei, *c. Ex parte 22. c. A nobis 24. eod. à quocunque teneantur, nisi se exemptum specialiter doceat.* Deaique ex quacunque lucra, honesta tamen & legita negotiatione, *c. pastoral. 23. h. t.* atque adeo ex stipendio militum, *d. c. Non est.*

2. Hinc dividi decimæ solent in Personales, Prædiales & Mixtas. Prædiales sunt, quæ solvantur de prædiorum aut arborum fructibus, oblationibus molendinorum, locatarum ædium, aliorumque similium.

Personales dicuntur, quæ ex rebus, quas quisque sibi industria & opera sua acquirit, persolvuntur, *Ad Apostolicam 20. & c. Tua nobis 26. in fine. h. t.* veluti ex lucro negotiationis cuiuscunque honestæ, *d. c. Pastor ex stipendio militum, ex vocatione, aliave professione, d. c. Non est.*

Mixta dicuntur, quæ partim prædiales, partim personales sunt. Huiusmodi sunt, quæ ex fructibus pecorum, veluti ex coetu, lana, lacte, solvantur, *c. Peruenit; cum seq. h. t.* Sunt tamen, qui malint huiusmodi decimas revocare ad prædiales, quando animalia in pascuis pascuntur: ad personales verò, ubi domi portecto pastu aluntur; & tum demum constituere mixtum genus, quando utrumque æquè pascuntur, arg. *§ Tituli Institut. De rer. divisione.*

2. Differunt autem prædiales à personilibus, quòd prædiales, statim atque collectæ sunt, solvi debeant, & quidem integræ, sine ulla expensarum deductione, quæ fieri solent in colenda prædia, in quarendos & colligendos fructus, *d. c. Cum homines 7. & d. c. Non est 22. h. t.* Et solvi debent Parocho, in cuius parochia fructus crescunt & colliguntur, licet colonus alibi habitet, *c. Quoniam 13. h. t.* nisi consuetudine contrarium obtineat, quæ hoc casu servanda esset, *c. Cum sint homines 18. h. t.* Personales verò solvantur Ecclesiæ seu Parocho, in cuius ditione seu parochia quis percipit Sacramenta; deductis tamen expensis, in negotiatione

factis, causâ quarendarum, emendarum & convendendarum mercium, *c. Ad Apostolicam 20. & d. c. Pastoralis 28. eod.* Ratio differentiar, quoad deductionem expensarum, est, quòd fructus prædiales tunc & censeantur fructus, etiam non deductis expensis: secus in personilibus, quia in negotiatione nihil censetur acquiri, nisi quod superest, deductis expensis, *d. Mutui 30. D. pro socio.* At in prædiis nulli fructus acquiruntur, nisi salvâ decimâ, quam sibi dominus in signum universalis domini reservavit: *d. c. Pastoralis: & idèd prius solvenda sunt decimæ, quam census & tributa, c. Cum homines 7. & c. Cum non sit in homine 33. h. t.*

## §. VI.

## Quibus debeantur decimæ,

1. Decimarum incapaces sunt laici.
2. Decima primò debita fuerunt cunctis Clericorum in genere.
3. Postea singulis, ratione beneficii & tituli.
4. Ex lege iustitia debentur solis Curatis.
5. Qui ad aas de jure communi habent fundatam intentionem.
6. Prædiales decimæ debentur Ecclesiæ prædiali.
7. Personales Parochiali Ecclesiæ.
8. Licet quis in Monasteriis audiat divina & percipiat Sacramenta.
9. Habens plura domicilia vel in conspectu habitans qui decimas debeat.
10. Mixta decimæ cui debeantur.
11. Decima an debeantur baptismali Ecclesiæ: & qua sit baptismalis.
12. Decimæ quibus casibus Episcopo debeantur.
13. Et quando summo Pontifici.
14. Debentur autem Clericis, quantumvis divitiibus.

Quia verò jus decimarum est spirituale, cum propter divina & Sacramentorum administrationem decimæ solvantur, idèd laicis eas possidere non licet, *c. Quamvis 17. cap. Tua 23. & cap. Dudum 31. hoc tit.* Quod intelligendum est de decimis acquisitis post Lateran. Concilium: nam acquisitas ante Concilium illud etiam hodie retinere possunt, *c. Prohibemus 19. h. t.* Quamvis enim laici juris primariè decimarum (quod scilicet nascitur ex eo, quia ministris rerum spiritualium à populo



populo vicissim debeat sustentatio) tanquam spiritualis, & fundati in titulo spirituali, nempe in munere Ecclesiastico administrandi Sacramenta, & pascendi populum cibis spiritualibus, sint incapaces, *can. Revertimini* xvi. q. 1. sunt tamen capaces juris decimarum cujusdam secundarii, quod ab illo primario oritur. Et ideo laicis fructus decimarum ad firmam dari possunt, ut loquitur Pont. in cap. 2. sup. De locato & conducto, & cap. fin. inf. Ne Prælati vires suas &c. Et hujusmodi jus subinde Pontifices Imperatoribus, Regibus, aliisque Principibus ob beaemerita in Ecclesiam concesserunt: quas decimas Pragmatici vocant decimas infeudatas, Joann. Imbert. *Instit. forens. lib. 1. c. 25.* Extra quas laicis nullæ aliæ vel decimæ vel oblationes Ecclesiæ concedi possunt. Et Prælati contra faciens graviter puniendus ac deponendus est, *e. Quamvis sit grave* 17. h. t. Nec potest laicus transferre decimas in alium laicum, etiam si cum titulo illas possideat, *d. c. Prohibemus* 19. h. tit. nec etiam donare, licet sit Rex: adeo ut nec ex ejus titulo præstetur causa præscribendi, *dist. cap. Dudum.* Vide Covar. *lib. 1. var. Resolut. c. 17. n. 5.* & Gutierrez *l. 1. Quæst. civil. qu. 15.* ubi latè de intellectu *d. c. Prohibemus*, ut prober laicos ante Lateran. Concil. capaces fuisse decimarum: & q. 16. asserit, si dubitetur, an decimæ titulo feudi à laicis possessæ, fuerint concessæ ante vel post dictum Concilium, probatæ earum possessione à tempore immemorali, præsumi concessas ante Concilium.

1. Videamus igitur nunc, quibus debeantur decimæ. Ex prima quidem Ecclesiæ ordinatione debebantur cœtui Clericorum in genere, qui populo spiritualia administrabat, vel in hac administratione eidem assistebat, vel pro populo preces fundebat: hos enim omnes Ecclesia voluit ali ex decimis, omniumque eas impetravit relicta distributione, Prælati, quorum auctoritate dabatur singulis quantum opus erat, cum ex decimis, tum aliis fidelium oblationibus.

2. Verum postquam in Ecclesia divisio facta fuit beneficiorum, singulis Clericis debita est portio, titulo cujusque beneficii attributa & annexa.

3. Alioquin, seposita omni Ecclesiæ assignatione, præcepto & taxatione, ex lege Justitiæ iis solis debentur decimæ, qui

curam gerunt animarum, quia jus percipiendi decimas consequitur illud debitum, quo seminantibus spiritualia debentur temporalia. Et ideo etiam his ante omnes vel ex decimis, vel ex oblationibus, vel fidelium contributionibus, vel aliis bonis Ecclesiasticis est providendum.

4. Hinc postquam Dionysius Pontifex, distinctis parochiis, Ecclesias singulas & proventus earum singulis tribuit presbyteris, *can. Ecclesias* xiii. q. 1. *c. Pastoralis* 9. sup. De his que fiunt à Prælato &c. quilibet Parochus habet intentionem fundatam de jure communi ad has decimas, ut non teneatur probare eas ad se spectare, postquam à jure sunt attributæ Parochiis, *c. Anobis* 24. *c. Cum contingat* 29. &c. *siq. hoc sit* Rebuff. *Tract. De decimis* q. 7. n. 4. etiam contra Episcopum, *c. fin. sup. De Parochiis*.

5. Parochus quidem Ecclesiæ prædialis ad decimas prædiales, seu decimas solvendas ex fructibus prædiorum, intra fines suæ parochiæ licet non administret Sacramenta domino prædiali alicujus, si forte is moretur extra parochiam, teneatur enim orare Parochus etiam pro illis, qui prædia in sua parochia habent, ideoque de fructibus provenientibus ex hujusmodi prædiis debentur eidem decimæ. Tutius erit, in *can. 1 § ad hæc* xvi. qu. 1.)

6. Parochialis verò ad personales, idque ratione perceptionis Sacramentorum, quia tenentur in ea parochia quis audiat divina, & recipiat Sacramenta seu recipere debeat, per totum annu circulum *c. Quæst. xvi. q. 1.* Rebuff. *qu. 6. n. 2.* vel per majorem anni partem. Alioquin si æqualiter in duabus Ecclesiis divina audiat, dividuntur æqualiter hæ decimæ, aut alias prorata temporis Rebuff. *d. q. 6. n. 2.* Alex. Moneta *De decimis. c. 7. n. 9.*

7. Neque si quis in Monasteriis audierit divina, aut etiam perceperit Sacramenta, ut hodie fit, ideo decimæ personales illis debita sunt, si d. Ecclesiæ parochiali, in qua domicilium habet, cum in ea Ecclesia & divina audiat & Sacramenta percipi debeant, *c. 2. sup. De parochiis, &c. 1. Cum quis § 1. De sepulchris* in 6. parique sint, recipere, vel recipere posse, & per quem stare, quo minus recipiat, *l. Quedam* *Discretum* petatur, cum similibus: ut provide cum per Curatum non fiat, quo minus recipiat vel audiat, non sit ei imputandum, *l. in*



*luc. D. De reg. iuris*, latius Moneta *d. loco* 8. 10.

8. Quid si quis plura habeat domicilia in diversis parochiis? Tunc illi Ecclesie solvet decimas, in qua principale domicilium habet, ut ex Bolic. & Rebuffo docet idem Moneta *d. loco* 8. 11. Ubi subiungit, domo sita in confinio duarum parochiarum, utrique parochie deberi decimam personalem. Sin dubitetur, cujus parochie sit domus, inspiciendum esse situm januarum, & censeri domum illius parochie, in qua posita est janua anterior & nobilior.

9. Porro decimæ mixtæ dividendæ sunt inter prædialem & parochialem Ecclesiam, juxta quod de reali & personali decima participat. Videri possunt hæc fusius tractata apud Moneta *d. loco* n. 21. & Rebuffum *d. loco* 9. 6.

10. Sed quid si controversia oriatur inter baptismalem Ecclesiam & parochialem, quando ab ea est diversa? Pro resolutione notandum baptismalem Ecclesiam dici, in qua fons est baptismalis, & parochiani baptizantur, Glos. & Abbas in *c. Cum contingat* 29. h. tit. nec potest esse nisi una, cum suis Capellis, in una parochia, *can. Plures* xvi. q. 1. Et hæc licet regulariter sit quoque curata, non tamen necessario, nec semper: & tunc per Parochialem intelligitur illa, quæ intra fines baptismales posita est, sic tamen, ut in ea administrantur Sacramenta: & ab aliquibus Capella vel Oratorium, vel Succursus appellatur.

11. Hoc prænotato, dicendum, quod, licet siclusa consuetudine, conventionem, & privilegio, regulariter & in dubio, decimæ debeantur baptismali, *can. In diocesi* xiii. q. 6. *can. De decimis*, & *can. Statuimus* xvi. q. 1. Moneta *d. loco* num. 27. ubi alios citat, hac distinctione utendum videatur. Velenim prædialia, de quorum fructibus decimandis agitur, sita sunt infra limites Ecclesie baptismalis; & tunc dubium non est, quin illi decimæ debeantur: vel sunt sita infra limites Ecclesie parochialis, quæ non est sub limitibus baptismalis, & tunc quoque non est dubium, quin ad Ecclesiam spectent parochialem. Neque eo casu contendere debet cum baptismali Ecclesia, sed cum Episcopo, Moneta *d. loco* n. 28. Vel parochialis est sub baptismali, prædialia verò

sita sunt intra limites parochialis, & tunc iterum distinguendum. Vel enim baptismalis erecta fuit in baptismalem post parochialem, ita ut comprehendat sub se parochialem, tanquam capellam, & tum Ecclesia parochialis habebit suas decimas antiquas, quia non censetur erecta cum incommode & præjudicio jam antereclatarum. Et hæc quidem quoad decimas reales: nam personales dividendæ sunt inter Ecclesiam baptismalem, propter baptismum, & Parochialem, propter alia divina. Vel Ecclesia parochialis est infra limites baptismalis, constatque baptismalem prius fuisse erectam; & tunc, si etiam constet decimas assignatas fuisse parochiali in ejus constructione, eidem debentur, ut larius deducit & probat Moneta *d. loco*. Quod si dubitetur, an prius fuerit erecta parochialis, an baptismalis, tunc baptismalis de jure communi habet fundatam intentionem. Si verò baptismalis Ecclesia consenserit assignationi limitum & foundationi parochie, tum censetur remisisse jus decimandi, & alia jura parochialis, quoad illam portionem limitum, qui novæ Ecclesie assignati sunt: non tamen pro consensu hujusmodi accipere aliquid potest, Moneta *d. loco* 30. & 1.

12. Atramen certis casibus decima de jure debetur Episcopo. Primò, quando prædialium est situm in Parochia Ecclesie Cathedralis, & ad Episcopum proximè Ecclesie parochialis cura spectat. Alioquin alio illius Curato existente, ei decima debebitur. Rebuff. *q. 7. n. 7.* Moneta *d. c. 7. n. 7.* Secundò, quando prædialium in nullius parochia est situm, *c. Quoniam* 13. *Si ibi Abbas* n. 2. & *q. h. p. tit.* Rebuff. *d. loco* n. 8. & Moneta n. 9. Tertiò, quando parochie non sunt distinctæ; quia tunc tota diocesis est Episcopi parochia, *can. Omnes basilica* xvi. q. 7. Quartò, quando consuetudo id habet, ut ad Episcopum spectent decimæ, Moneta *d. loco* n. 12. & Rebuff. *d. q. 7. n. 10.* Quintò, decimis donatis Ecclesie Cathedrali, vel alio modo eidem debitis, tunc Episcopus de jure communi de illis habet fundatam intentionem, Moneta *ibid.* n. 13. post Rebuff. *d. q. 7. n. 13.* subjungens, illas decimas inter fratres, qui sunt Canonici Cathedralis Ecclesie, dividendas. Sextò, Episcopus similiter est fundatus de jure communi in sua Canonica portione seu quar-



ta decimarum Moneta d. l. n. 14. & Canis. c. 12. per c. Conquerente 16 sup. De officio Ordinarii & c. De quarta 4 sup. de praescript. c. Cum olim 19. inf. de censib. subjungens, hanc quartam deberi Episcopo, ratione conjunctionis & universalis curae, quam habet in Ecclesiis sibi subiectis per totam diocesim.

13. Sed & summo Pontifici debetur decima, si ipse eam, postulante necessitate, exegerit: pro ut exigere potest, triplici ex capite, nempe tanquam Pastor universalis omnium Christiani fidelium, tanquam supremus administrator omnium bonorum Ecclesiasticorum: & denique tanquam supremus Princeps in spiritualibus. Unde non solum ab Ecclesiasticis omnibus, sed ab omnibus omnino Christianis, non decimam dumtaxat, sed & plures, & in summa eam contributionem, quae necessaria est ad bonum spirituale Ecclesiae tuendum, exigere potest. Videtur Lessius 2. de iustit. & iure, c. 39. Dicit 5.

14. Porro decimae Clericis sive Parochiis debita sunt, non intuitu personatum, sed intuitu Dei & servitii, seu ministerii & officii Ecclesiastici, ideoque illis, quantumvis divitibus, persolvenda sunt, can. Decima xvi. q. 1. nec enim ob divitias alicui aufertur sua iura oportet can. 1. xxiv. q. 1. uti nec Principi aut Regi opulento tributa, vel creditori copioso pecuniae debita denegantur: licet etiam mali & improbi sint Clerici vel Sacerdotes, can. Si Episcopus xvi. q. 6. e. Tua nobis, ubi Gloss. Abbas & alii hoc tu. vel in malos usus convertant. Vide Rebuff. d. l. n. 16. & q. 13. in prin. Monetam loco citato n. 32. & duobus seqq.

#### §. VII.

A quibus debeantur decimae.

1. Praediales debentur ab omnibus, qui praedia possident & colunt.
2. Etiam a Iudaïs & Saracenis.
3. Modus eas solvendi.
4. Personales ab omnibus, qui divina audiunt.

**D**ebentur autem decimae generaliter ab omnibus Christianis, cujuscumque generis, ordinis vel gradus, etiam Religiosis, nisi speciali jure aut privilegio sint ab earum solutione exempti, c. Commissum 4. e. Nuncios 5. e. Ex transmissa 23. cum seq. & passim hoc tit. jun.

*Eloc fin. §. eorum cod. in 6* Et quidem praediales debentur ab omnibus, qui praedia possident in parochia aliqua, sive propria, sive aliena, c. Tua nobis 26. hoc tit.

2. Quia & Iudaei de agris, quos sub ditione Principum Christianorum colunt, vel qui ad eos pervenerunt, cum aurea decimis essent subiecti, solvere eas tenebantur, c. De terra 16. h. t. Idem tradunt DD. de Saracenis & paganis, quia cum decima sit onus annexum rei, transit illud una cum re ad quemcumque possessorem, can. Si quis laicus, cum similibus xvi. q. 1. Cum non sit 33. h. tit. Fructusque à solo separati, ad quemcumque transeant, simul cum onere transeant decimarum, c. Pastoralis 18. h. t. quia decimae sunt onus fructuum, non praediorum. Ne proinde in locatis praediis non domini praediorum, sed eorum conductores conveniri debeant decimarum nomine, c. Dilecti 8. e. Anobis 24. & d. e. Tua nobis 1.

3. Quod autem ad modum actinet solvere decimas istas, Carolus V. 7. Junii 1554. & Philippus II. 1564. 6. Junii sub gravi poena edixerunt, ut decimae integre solvantur, neque fructus ex agtis avehantur ante vel post Solis occasum, vel non monitis decimatoribus, vel antequam in manipulos colligantur & in acres componantur, & ut decimis suis pacifice uti frui Ecclesiastice sinantur, referente Zyp. hoc tit. n. 3. Quod & plures, inquit, sanxerunt Galliae Reges, quos refert Choppin. De sacra Politia lib. 2. tit. 4. n. 3. deque usu Germaniae & agri Ingolstadtensis testatur Canis. e. 7. n. 3. Etiam quoque de jure fieri oportere asserit Riccius, in Praxi Episc. Decis. 544.

4. Ad personales decimas tenentur omnes & soli illi, qui divina percipiunt vel audiunt, aut percipere vel audire debent in aliqua Ecclesia, quia decimae illae onerant personas, non res, DD. in cap. 2. h. t. late Rebuff. De decimis q. 5. ubi n. 11. adversus Gloss. tradit, etiam Judaeos teneri ad personales, quia quod divina non percipiant vel non audiant, non stat per Ecclesiam, quae nemini gremium claudit. Ut proinde potiori ratione & meretricis ex meretricio, & mimi atque histriones ex histriionio quaestu ad hujusmodi decimas teneantur: cum solius dantis turpitudine hic versetur, turpiterque faciat mulier, quod sit meretrix, non etiam turpiter accipiat, cum sit meretrix,



tit. l. 4. §. Sed quod meretur D. De condit. ob-  
scriptam causam. Vide Navar. in Manuali cap.  
17. num. 31. & seqq. & Canis. cap. 4. num. 11.  
& seqq.

## §. VIII.

Quibus modis quis eximatur à decima-  
rum præstatione.

1. Eximitur quis privilegio.
2. Limitatio illius.
3. Item consuetudo eximit.
4. Præscriptio.
5. Compositio.
6. Remissio.

1. **C**onstat igitur ex jam dictis, regulariter quemlibet teneri ad præstationem decimarum: id quod verum est, nisi quis specialiter sese exemptum docere possit, live Clericus sit, live laicus, quatenus scilicet decimæ iuris sunt Canonici seu positivi; etiam juxta ante dicta. Et primò quidem privilegio, non quidem Principis alicujus laici, c. A nobis 24. c. Tua 25. c. Dudum 31. hoc tit. aut Episcopi, quous Canonici relaxare nequit, sed Pontificis c. Ex multis pluri 3. c. Suggestum 9. cum c. seq. d. e. A nobis, & aliis hoc tit. Sic leprosi, communiter viventes, eximuntur à solutione decimarum de hortis & nutrimentis animalium suorum, cap. 1. inf. De Eccles. adificandis. Similiter Cisterciensibus, Templariis & Hospitalariis indultæ sunt decimæ laborum, id est, prædiorum suorum, non novalium, quæ propriis colunt manibus & sumptibus, c. Ex parte 10. c. ad audientiam 13. hoc tit. modò acquisita sin ante Concilium Lateranense, c. penult. hoc tit. Alii vero Religiosi in d. c. Ex parte conceditur, ne solvant decimas de hortis & nutrimentis animalium suorum, id est, de animalibus, quæ ipsi nutriunt, ut exponit Glossa, & de novalibus, quæ propriis manibus & sumptibus excolunt.

2. Hoc tamen privilegium non extenditur ad decimas, in quarum perceptionis possessione fuerit antea Ecclesia parochialis, vel alia, Odradus Consil. 268. Choppin. lib. 3. De sacra Pot. tit. 2. num. 7. Sicut non extenditur ad prædicia, ab aliis conductæ, c. Dilecti 8. hoc tit. Ne-

que privilegium super decimis laborum extenditur ad terras, quæ aliis colendæ traduntur, cap. Licet 11. eod. nisi id ipsum exprimat, prout refert Choppinus d. tit. 2. num. 7. privilegium Bonifacii VIII. quo indulgit Cisterciensibus, ne de tenis suis, quas aliis colendas concederent, de quibus tamen nullus decimas vel primitias percepisset, solverent decimas, aut earum cultores. Cujusmodi privilegium eis antea ab Eugenio III. indultum fuit. Refert ibidem num. 9. Bullam Martini V. qua ampliorem Cisterciensibus immunitatem à decimis concessit. Post Cistercienses verò similem immunitatem à decimis, quoad terras ab ipsis excoltas, obtinuerunt omnes Mendicantes Ordines, majoremque libertatem Collegiis Societatis Jesu concessit Gregorius XIII. Constitutione sua incip. Pastoralis 1. Januarii 1578. quam refert Pafecius p. 2. praxis Episcop. cap. 4. ars. 9. num. 17. Ceterum privilegium hoc non solvendi decimas revocatur, si ex post facto incipiat esse nocivum, & cessante causa privilegii c. Suggestum 9. hoc tit.

Secundò, eximitur quis à præstatione decimarum per consuetudinem legitime introductam. Hinc valet consuetudo, ut ex quibusdam fructibus vel bonis, uti minutis, v. g. oleis, rapis, fabis, & similibus non solvatur decima, vel non integra, sed minor, v. g. duodecima, vicecima, tricesima, c. Commisum 4. c. Dilecti 8. c. In aliquibus 32. hoc tit. Guidonis Papæ Consil. 284. Ideoque jura dicentia decimam solvendam esse cum integritate debita, c. Non est 22. c. c. Tua nobis 26. in fine, intelligenda sunt de integritate solvi solita. Hinc etiam valet consuetudo, ut Clerici nullas solvant decimas, ut laici non solvant personales, vel non nisi in fine anni, aut ut decima uni parochiæ jure debita solvatur alteri, c. Ad Apostolica 10. cum similibus h. t.

3. Planè personales decimas, seu ex lucro industræ, nullibi ferè solvi testatur Navarrus in Manuali cap. 21. num. 31. usumque in hac materia decimarum, si qua alia, valde variat, notat Zypæus hoc tit. sub num. 5. nam alibi decimas deberi lignorum, alibi animalium, alibi leguminum. Sic, eodem referente, maritimis locis harum ditionum consuetudo obtinere dicitur, quod is, qui terram aliquam



narantem, concedente Principe (in cuius alio-  
qui regalia ea trausit, dum mare aut flumen  
non recedit eodem impetu, sed longissimo tem-  
pore inundat, mutatque planè formam) vindica-  
cat à mari, & aggeribus munit, lucretur deci-  
mas, quando ab hominum memoria culta non  
fuit, & Ecclesia decimas nunquam habuit. Alio-  
quin si Ecclesia semel decimas habuerit, &  
Princeps concedat prioribus dominis vindica-  
tionem, tunc sicut proprietatis redit ad dominum,  
ita & decimæ ad Ecclesiam. Si tamen agri, ex  
quibus decimæ debebatur, maneant inculti per  
annos centum, & postea nascantur fruges, debe-  
buntur decimæ, quia hoc casu non fuit mutata  
forma, ut in priori per inundationem.

4. Tertiò, præscriptione: nam licet laici sint  
incapaces juris percipiendi decimas, ac proinde  
nulla præscriptione etiam immemoriali illud  
acquirere valeant, *c. Causam sup. De præscript.*  
tamen nullibi habetur expressum, quod sint in-  
capaces exemptionis ab earum præstatione: &  
idedò illam præscribere possunt sine titulo qui-  
dem tempore hominum memoriam excedente,  
quia juris præsumptio est in contrarium, *c. 1. De præscript. in 6.* cum titulo vero spatio qua-  
draginta annorum, quia non minori tempore  
contra Ecclesiam currit præscriptio, *c. 4. 6. 8. sup. De præscript.* nisi fortè ob specialem aliquam  
rationem, ut in *c. Si De terra inf. De privilegiis.*  
Vide Covarr. l. 1. *var. resol. c. 17. n. 10. & Camil. c. 17. n. 14. & seqq.*

5. Quartò, compositione, *c. Ex multiplici 3. c. Nuper penult. h. t.* Sic inter Clericos fieri potest  
compositio, ut uni, non alteri decima solvatur,  
*c. Dilecti 8. h. t. & ibi Abbas* modò nihil tem-  
porale ab altero præstandum intercedat, *c. fin. sup. de rerum permutat.* Eritque talis composi-  
tio perpetua, & ligabit successores, dummodò  
auctoritate Episcopi facta fuerit, *c. Statuimus sup. De transact.* Nec tollitur per privilegium  
sequens: nisi de illa mentionem faciat, *d. c. Ex multiplici*

Quintò, per remissionem. Sic Clerici à præ-  
statione decimarum Episcopatum per remis-  
sionem Canonicè factam, id est, de consensu  
Capituli & ex causa paupertatis eximi  
possunt, *cap. Quia circa 22. inf. De privilegiis, can. fin. xvi. q. 1.*

## §. IX.

De decimis novalium, deque actio-  
ne & cognitione decimarum.

1. 2. *Quid sit Novale.*

3. *Decima novalium debentur Ecclesia paro-*  
*chiali.*

4. *Privilegium de percipiendis decimis non com-*  
*prehendit novalia.*

5. *Præscriptio decimarum non extenditur ad no-*  
*valia.*

6. *Præscripta una specie decimabili etiam aliæ*  
*præscripta censentur.*

7. *Cognitio decimarum ad quem spectet.*

1. **D**ecimis quoque novalium hic aliquid  
subiiciendum est. Solet autem Novale  
varis modis exponi: nam Jurisc. in l. Silva 30.  
§. *novalis D. De verb. signif.* Novalem interpre-  
tatur terram præcisam, vel, ut legunt, proscis-  
sam, quæ anno cessavit. Quam interpretatio-  
nem sequitur Isidor. 15. *Etymolog. cap. 13.* Nova-  
lis, inquit, ager est primum proscissus, qui  
alternis annis vacat, novandarum sibi vinum  
caussa. Unde illud Virgilii 1. *Georg.*

*Alternis idem terras cessare novales.*

Et confirmat Varro lib. 4. *De Latina.* ei op-  
ponens agrum restibilem, id est, qui restituitur  
ac feritur quotannis. Interdum sumitur Novale  
pro terra, quæ singulis annis semine renova-  
tur. Valla lib. 6. juxta illud Virgilii *Ecl. 1.*  
*Impius hac tam culta novalia miles habebit?*

Alii Novale vocant silvam, quæ extirpatis  
arboribus ad culturam redigitur, per text. in l.  
*ult. in fine D. De termino moto.*

2. Nos hic in materia decimarum, unà cum  
Innoc. in c. *Quid per novale inf. De verbor. signi-*  
*ficat.* Novale sumimus pro agro de novo ad  
culturam redacto, de quo non extat memoria,  
quod aliquando cultus fuerit. Non tamen pro  
quolibet tali agro hic specialiter sumitur, sed  
pro eo, qui ante culturam vel modicum vel  
nullum fructum adferebat, *Glos. in c. Commis-*  
*sum 4. in V. pascuis h. t.*

3. Debentur verò decimæ novalium, seposi-  
to privilegio, præscriptione, consuetudine aut  
compositione, Parochiali Ecclesiæ, in cuius  
finibus exsurgunt. & quidem pro modo limi-



om, sicut & alia decimæ, *cap. Non est 22. cap. Cum contingat 29. hoc tit.* Ac proinde si novalia appareant inter duas Parochias, prout intra limites huius vel illius exsurgunt, ad hanc vel illam pertinebunt ex illis decimæ, pro modo limitum: adeo ut si tres partes novalium exsurgant intra limites unius Parochiæ, & quarta pars intra limites alterius, illa tres partes decimarum, hæc quartam habere debeat. Si verò nulli appareant limites, quibus novalia regi possint, cum sit inter eas divisio, ut voluit Henricus Bohic. *per cap. pervenit 5. h. tit.* aut Episcopus, cui volet, suo iudicio eas assignabit.

4. Nec privilegium concessum alicui, etiam Clerico vel Monasterio, de decimis in aliena Parochia percipiendis, comprehendit novalia, nisi rationabilis causa ostendatur, cur comprehendere debeat, *d. cap. Cum contingat.* nam verius est, ut docet Rebuffus *d. q. 1. n. 14. n. 13.* illum texum intelligi generaliter de omni eo, qui vel præscripsit, vel consuetudine, aut concessione etiam a Papa acquisiverit in aliqua Parochia, ut is novalium non habeat decimas, nisi has quoque ad se pertinere doceat.

5. Similiter si quis, sive Clericus, sive Laicus, sive Monasterium præscripsit decimas in aliquo loco, & fiant ibidem novalia, decimam eorum non habebit, sed illius loci Curatus, *d. cap. Cum contingat & ibi Glo. ac DD.* Ratio est, quia præscriptio in uno prædio non extenditur ad aliud, *d. Cum in tua 30. hoc tit.* nisi etiam possideret novalium decimas tempore immemoriali, sine titulo aut cum titulo, quadraginta annis, vel nisi præscripsit decimam in qua parte prædij & alia pars fiat novalis, *d. e. Cum in tua*; modo scilicet appareat esse unum prædium.

6. Ubi etiam notandum circa præscriptionem decimarum, eum, qui præscripsit decimas frumenti in aliquo prædio, si ibi seminetur avena vel alia species, habiturum etiam avenæ vel alterius rei ibi seminatæ decimam, ne res diverso jure censeatur, *d. e. Cum in tua 1. Eum qui D. De usu cap.* Et in dubio decimæ præscriptio est realis censenda, id est, terram concernens, non speciem fructuum perceptorum: ac proinde qui in certa terra decimam præscripsit, videtur quoad omnes illius terræ fructus præscripsisse. Qui plura de decimis novalium desiderat, videat Rebuffum *d. q. 14. & Alex.*

Monetam De decimis *cap. 4. à num. 50*

7. Denique circa actionem, quæ decimæ exigere possunt, & modum procedendi in earum exactione, videatur Rebuffus, *d. Tract. De decimis, q. 9.* Monetæ *c. 8. cum aliis quos citat.* Ubi tamen observandum ex Concordatis Brabantiæ, decimarum cognitionem in possessione ad Principem, in petitorio ad Ecclesiam spectare, si non agatur de decimis infeudatis, etiam per Ecclesiam possessis, *ex §. In causis merè in Concord. Brabant.* ubi inter decimas infeudatas maxime censent referendas, quæ ad ipsum Principis dominium spectant, de quo privative Concilium solet cognoscere Ita Zypæus *hoc tit. n. 2. in fine.*

§. X.

De pœnis detinentium vel non solventium decimas.

Quemadmodum detinentes tributa multis afficiuntur pœnis, ut in *can. Si tributum xi. q. 1. Tit. Cod. Sine censu vel reliquis fundum comparari non posse. & Tit. de annona & tributis lib. 10.* ita etiam non solventes aut detinentes decimas, quæ sunt tributa egentium animarum, *can. Decima xvi. q. 1. Tua 26. h. t.*

Ac primò quidem tamquam configentes Deum, humano more loquendo, *can. Revertimini xvi. q. 1. digni sunt animadversione divini iudicii, juxta e. Quamvis 17. h. t.*

Secundò, semper in fame & penuria maledicti erunt: nam timendum est, ut quisquis Deo debitum suum subtrahit, ne ei auferat Deus necessaria sua, *can. Admonemus xvi. q. 2.* Contrà verò eas solvens dives erit & benedictus, *d. can. Revertimini in verb. & effundam, &c.* Hinc majores nostri idèd copiis omnibus abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cæsari censum reddebant; modò autem quia decessit devotio Dei, accessit indictio filci. Nolimus partiri cum Deo decimas, modò autem totum tollitur. Hoc tollit fiscus, quod non accepit Christus. Ita Divus Augustinus *can. Majores xvi. q. 7.*

Tertiò, decimas non solvens infirmitatem & ægrotudinem, tandemque mortem etiam æternam incurrit: solvens verò sanitatem corporis & animæ ac cœlestia dona consequetur, *d. can. Decima.*

Quartò, non solvens decimam ad decimam

yy

revoca-



revocabitur, *d. can. Decima*, id est, tantum decima ei remanebit, aut dæmonibus, qui sunt decima pars Angelorum, associabitur, *ut ibid. exponit Gloss.* & impio dabit militi, quod dari non vult Sacerdoti, *d. can. Decima*.

Quintò, res invadit & rapit alienas: nam detinere injustè, idem est, quod rapere, *Glossa ad d. can. Decima*, imò sacrilegium committit, *can. fin. xvi. q. i. cap. Quisquis ibid. qu. 4. & can. Decimus ibid. qu. 7.*

Sextò, excommunicari potest & debet, *can. Omnes Decima xvi. q. 7. can. Statuimus ibid. q. i. e. Pervenit, e. Ad hac, & similibus, hoc tit. Clement. Dispensiofam De judicio, Concil. Trident. Sess. 25. cap. 12. De reformat.* Non verò ipso jure est excommunicatus, ut colligitur ex citatis Juribus, solum comminantibus excommunicatio-nem.

Denique indignus Ecclesiastica est sepultura: *Rebuff. De decimis qu. ult. n. 15. per c. Prohibemus 19 h. i. ubi Gloss. Abbas, & alii.*

De pœnis Religiosorum gravantium vel fraudantium Ecclesias circa decimas, videatur *Clement. 1. De decimis.*

### §. XI.

#### De Primitiis.

1. Primitia quæ dicantur.
2. Debitas esse ex præcepto.
3. Quantitas Primitiarum ex consuetudine definienda.
4. Debentur proprio Parocho.

**P**rimitiæ distinguuntur ab Oblationibus, quod oblationes, ut diximus sint, quæcunque de propriis & licitis rebus à fidelibus Deo offeruntur: Primitiæ verò vocentur primi fructus agrorum & arborum, Deo, ut largitori omnium bonorum, vel ejus Ecclesiæ dari priusquam alii ejusdem generis nostris usibus deputentur. Equum enim est, ut Deum, creatorum bonorum largitorem, primorum oblatione in signum grati animi recognoscamus. Sic Abel, de pecoribus, Cain de frugibus terræ obtulit, *Genes. 4.*

1. Et quidem primitias olim lege divinâ scriptâ debitas fuisse, constat ex variis Scripturæ locis, & nominatim *Malach. 3.* ubi conqueritur Deus de Judæis, quod decimas & primitias non solverent.

2. At verò Jure Canonico quidem eas non deberi existimant: alia contra, *arg. can. Decimas & can. Revertimini xvi. q. 7.* Sed verior sententia aliorum opinantium ex præcepto debitas esse duobus casibus, scilicet si sit consuetudo eas præstandi, & quando Ministri Ecclesiæ indigent: hisque duobus casibus eas retinentes excommunicari, *juxta can. Præter hoc §. 2. dist. 32.* alias autem esse de consilio.

3. Quantum vero ad quantitatem primitiarum attinet, probabilius est, eam non esse speciali nomine definitam à jure, ac proinde arbitrio offerentium relictam, aut recurrendum ad consuetudinem, quæ optima legum est interpret, ut ea pars solvatur, quæ usu & consuetudine præstari solet. Nam & parvam fuisse primitiarum quantitatem patet ex *d. can. Revertimini*, Nec obstat *c. 1. hoc tit.*, quia quod ibi dicitur non est definitio legis seu juris, sed magistrorum duntaxat traditio, ad occurrendum avaritiæ Sacerdotum. Vide *can. fin. xvi. qu. 4. & can. Diaconi dist. 93. & Azor. Instit. Moral. lib. 7. c. 29.*

Quod si magna sit penuria Parochi, seu ejus cui primitiæ debentur, nec aliqua inibi sit consuetudo, spectanda erit consuetudo vicinioris loci, ut in *c. Cum olim sup. De consuetudine*, Si vero vicinorum locorum diversæ sint consuetudines eligenda erit mediocritas, vel quod minimum est, aut arbitrio solventis standum. Latè *Boëtius Decis. 136. n. 4. §.*

4. Cæterum licet primitiæ Deo offerantur, tanquam bonorum largitori, *d. can. Revertimini*, tamen quia Deus suam partem dedit Sacerdotibus & Leviticis, cultui divino inservientibus, ideo solvendæ sunt & debentur proprio Parocho aut Clericis, qui pro offerentibus preces fundunt, *can. Ecclesias §. item cum dicimus xiii. qu. 1. & similibus.* Quarum quidem primitiarum solutionem non tenetur Parochus statim maturis fructibus acceptare, sed novem diebus debent esse apud matrem, id est, in spica, quæ est mater grani, *Glossa in l. Stipulatio ista §. 38. in V. incertam D. De verb. oblig.* maxime in primitiis & decimis vitulorum & agnorum, si voluerit Sacerdos tempus in solutione expectandū est, ut tam diu sint apud matrem, quam diu periculum est, ne pereant, si à matre separantur.

*Boëtius d. Decisione 236. sub*

*num. 2.*

TITU.



## TITULUS XXXI.

De Regularibus, & transeun-  
tibus ad Religionem.

## §. I.

Qui dicantur Regulares, & Mo-  
nachi.

1. Regulares dicti à Regula speciali.
2. Monachi & Moniales à solitudine.
3. Mendicantes non propriè Monachos esse.

Clerici in genere alii sunt Sæculares, de quo-  
rum moribus & bonis externis expostum  
est hætenus, alii Regulares, de quorum etiam vi-  
ta & moribus bonisque externis videndum est.

1. Regulares dicuntur à Regula speciali,  
quam profitentur; aliterque Religiosi appel-  
lantur, quia certæ Religionis adstricti sunt. Et  
inter hos alii sunt & dicuntur Abbates & Ab-  
batissæ, alii priores, iique vel Claustrales vel  
Conventuales, alii Superiores, alii simplices  
Monachi seu Religiosi aut Moniales. Tales  
quoque sunt Canonici Regulares, milites Ho-  
spitalarii, Teutonici, alique, qui sub certa  
& approbata à Sede Apostolica regula ad tria  
vota substantialia, paupertatis scilicet, obe-  
dientiæ & castitatis se obstrinxerunt, *c. fin. infr.*  
*De religiosis domibus juncto cap. unico eod. in 6.*

2. Monachi verò & Moniales solitudine  
claustris, cui se adstrinxerunt, nomen sortiti  
sunt, *can. 1. & 8. xv. q. 1.* Monachus enim Græ-  
cè dicitur, qui Latine est solitarius ac singula-  
ris, *d. can. 1. & 8.* non quòd seorsim, extra alio-  
rum Fratrum consortium, vivat vel vivere de-  
beat, cum id faci vetent Canones, *c. 1. De sta-  
tu Monach & similibus*; sed quòd se motus à vi-  
ta & moribus sæcularium, quasi mundo mor-  
tuis, soli Deo vivat, *d. can. 8. juncto can. Qui ve-  
rè 12. xvi. q. 1.*

3. Hinc nomen Monachi propriè non con-  
venit omnibus Religiosis, sed iis solis, qui vitæ  
contemplativæ dediti sunt. \* Adeoque Men-  
dicantes, cum assidue inter homines versentur,  
non sunt propriè Monachi. Multò minus, qui

ex instituto sunt Clerici seu Sacerdotes, uti  
Canonici Regulares & Religiosi Societatis  
JESV. Lell. 2. *De iure & iustitia c. 41. dubit. 1.*  
Alia enim, ut ibidem ait, est Religio Clerico-  
rum, alia Monachorum, *c. Licet 18. h. t. can. Nul-  
lus, con. Mandamur 19. q. 3. Galii juris*; quam-  
quam in favorabilibus nomine Monachorum  
veniant omnes Religiosi, ut docet Panormit,  
inc. *Ex parte sup. De postulat. Prælator.*, & quæ de  
Monachis à jure statuta sunt, pertineant etiam  
ad Canonicos Regulares, Eman. Roderic.  
*Quæst. Regul. tomo 2. q. 51. artic. 5.*

## §. II.

## Quo pacto fiant Monachi.

1. Fiant dupliciter, vel parentum oblatione, vel  
professione.
2. Professio vel expresse fit.
3. Vel tacite.
4. Dicitur Conc. Trident. de tempore professionis  
Monasticæ.
5. Quatenus Concilium admittat tacitam pro-  
fessionem.

1. Fiant autem Monachi vel parentum de-  
vota oblatione vel propria professione,  
*can. Monachum 22. q. 1. c. Cum virum 2. h. t.* Pa-  
rentum oblatione, veluti si pater vel mater fi-  
lium filiamve impuberem monasterio alicui  
tradat. Hoc tamen casu potest filius, major  
factus & ingressus annos pubertatis, dissentire,  
& ad sæculum redire, *d. c. Cum virum, cum  
similibus*; nam professio Religionis Monasticæ  
ante pubertatem emissæ non obligat, ob de-  
fectum iudicii, *c. significatum 1. hoc tit. & c. 1.*  
*eod. in 6.*

2. Professio propria duobus fit modis, ex-  
pressè vel tacite. Expressè, si pubes nomina-  
tim se Religionis alicui devoteat (quibuscum-  
que verbis utatur, modò per illa intendat se  
Deo & Religionis obstringere, Lell. *De iust. & iu-  
re c. 41. n. 57.*) in manibus Abbatis vel alterius  
Superioris, aut etiam simplicis Monachi, à  
Prælato mandatum habentis, prælenibus aliis  
ejusdem Monasterii Fratribus, aut si professio  
nem antea factam expressè ratam habeat, li-  
cet habitum non assumpsit nec assumat Mon-  
achalem, quia Monachum non habitus sed  
professio facit, *c. Porre dictum 13. c. Ad Apostolicam  
Y y 2*



*Et. Ex parte 22. hoc tit. imò licet antea Monasterium nunquam fuerit ingressus, c. Sicut nobis 17. eod.*

Nec obstat, quod intra tempus probationis (quod arbitrium est, quandoque annus, quandoque biennium, & subinde triennium, prout Prælati discreti visum fuerit expedire) professio nec fieri nec recipi debeat, *d. c. Ad Apostolicam*; quia illud obtrinet, ubi professio nondum facta est: alioqui facta & recepta teneret, juxta illud, Multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent, *d. c. Ad Apostolicam*.

Excipiuntur Ordines Mendicantium, veluti Minorum, Prædicatorum, aliorumque similium, in quibus singulari jure cautum est, ne quis intra annum probationis ad professionem admittatur: & si secus factum fuerit, ut nec receptus alligetur Ordini, & ipsi recipientes à professione aliorum recipienda sint suspensi, aliaque poena, pro gravioribus culpis infligi ipsis solita, puniendi, *cap. 2. & 3 eod. in 6.* Nam licet Alexander IV. id statuerit tantum in Prædicatoribus & Minoribus, tamen Bonifacius VIII. ad omnes cujusvis Ordinis Mendicantes prorogavit, *d. c. 2. eod. in 6.*

Tacite fit Professio, quando quis non verbis & scriptura, sed alio judicio mentem suam religionis à se susceptæ declarat: veluti si masculus major xiv. annis, femina xii. Religionis habitum gesserit per annum, ubi is habitus communis est & indistinctus novitius ac professis hoc ipso censetur tacite professus, *c. 1. hoc tit. in 6. Clement. Eos qui eod. vel, ubi distinctus & proprius est habitus professorum, si post annum xv. sciens & volens per triduum perseveret in eo habitu, c. 1. & 3 eod. in 6. c. Ad nostram 7. hoc tit. vel si actibus professorum propriis se ultro ingressus, c. Vidua 4. hoc tit. & Abbas ibid. ut si in Capitulo suffragium dederit: nec tunc requiritur triduum. Debent tamen ista fieri animo profitendi, & consentiente eo, cujus est admittere, *Less. 2. De iust. & jure cap. 41. dubitas. 7. n. 57. in fine.**

4. Et ita quidem de jure communi: nam Concil. Trident. cujus constitutione hodie utimur, *Sess. 25. cap. 13. De Regular. abrogando d. c. Ad Apostolicam*, statuit, ne in quacumque Religione, tam virorum quam mulierum,

professio fiat ante decimum sextum annum expletum, neve, qui minori tempore, quam per annum, post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur: & ut professio, antea facta, sit nulla, nullamque inducat obligationem, ad alicujus Regular vel Religionis, vel Ordinis observationem, aut ad alios quoscumque effectus. Et *cap. seq. decrevit*, ut nulla renuntiatio aut obligatio, antea facta, etiam cum juramento, vel in favorem cujuscumque piæ causæ valeat, nisi cum licentia Episcopi vel ejus Vicarii fiat, intra duos menses proximos ante professionem: nec aliàs intelligatur effectum suum sortiri, nisi secus professio, aliterque facta, etiam cum hujus favoris expressa renuntiatione, vel jurata, sit irrita & nullius effectus.

5. Unde patet, inter alia, per dictum decretum Concil. Trident. sublatam esse professionem tacitam, quæ intra annum probationis jure Decretalium fieri poterat, veluti per institutionem habitus proprii professorum ad triduum, vel quod deferens habitum sciens & ultro opus faceret proprium professorum, *d. c. Ad Apostolicam, & c. 4. hoc tit. & c. Constituitur eod. in 6. exemplo matrimonii carnalis, c. Is qui in fr. De sponsal. \* 6.* cum Conc. integrum annum requirat. Navarr. *Conf. 31. n. 5. De Regular. & Azor. Instit. Moral. lib. 12. cap. 4.* Alioqui si quis, probationis & ætatis anno sexto decimo expleto, per alium annum detulerit habitum, professorum & novitiorum communem, & non manifestè distinctum, censetur tacite etiam tunc professus, nec enim hanc tacitam professionem Concilium excludit: sicut nec illam, quæ inducitur per taciturnitatem quinquennii, à die professionis invalida, modo sciverit invalidam; sed eam approbat, *d. Sess. cap. 19.* Et aliàs invalidè professus, nisi, sciens invalidam fuisse professionem, eam postea ratam habuerit vel tacite vel expressè, potest absque scandalo habitum dimittere. Sed quia huic rei facilis fraus fieret, statuit Concil. *d. c. 19.* ut nemo audiar, nisi intra quinquennium tantum à die professionis, allegatis causis coram Superiore suo & Ordinario.

Mandar ibidem Conc. *d. c. 19.* ne ante professionem, excepto victu & vestitu, quocumque præ-



prætextu à parentibus vel propinquis aut curatoribus, aliquid monasterio ex bonis novitii tribuatur; ne hac occasione discedere nequeat, quod totam, vel maiorem partem substantiæ suæ monasterium possideat, nec facile, si discessit, id recuperare possit.

Imò mandat, ut abeuntibus ante professionem omnia sua restituantur, sub pœna anathematis. Ideoque dicendum, si ante professionem quis moriatur, restituenda bona esse quibus ea competunt Zerola p. 2. *V. Moniales* §. 1. post Navam. & Gutierrez *Can. g. lib. 2. c. 1. n. 107.*

Denique decreto Concil. Trident. d. c. 15. non comprehenduntur Ordines militantes ex declaratione Sacrae Congreg. quia non sunt in strictissimo rigore Religiosi, de quibus Concil. loquitur, uti patet ex *cap. seq.* quod loquitur de Religiosis, qui veram paupertatem vovent; quales non sunt hi Ordines, Sanchez *De matrim. lib. 7. disputat. 4. q. 4. n. 48.*

## §. III.

## De requisitis ad validitatem professionis.

1. Religionem ingrediens debet esse sui juris.
2. Episcopus, relicta Ecclesia, ad Religionem transire nequit.
3. 4. Proficisci nequit furiosus & illegitimus.
5. Liber & voluntarius ingressus esse debet.
6. Conc. Trid. circa hoc decretum.
7. Requiritur & consensus Capituli.
8. Vi nulla adsit conditio, repugnans substantia Religionis.
9. Vi contineatur tria vota, obedientia, paupertatis, & castitatis.
- 10 11. Beggines & Canonice feminas non esse Religiosas.
12. Potest quis professus in una ad strictiorem Religionem transire.
13. Quot admitti possint ad Monasterium.

Ad hoc verò, ut professio, sive expressa, sive tacita, sit valida & obliget profitemtem, præter ætatem legitimam & annum probationis, plura alia requiruntur. \* 1. Atque in primis, ut Religionem ingredi volens sit sui juris, & non alteri adstrictus. Hinc servus absque consensu domini, vel eo ignorante, Religio-

quæ secum introduxerit, intra triennium restituitur domino reperenti, fide tamen acceptâ de impunitate, *can. Si quis xvii q. 2.* Hinc etiam minus valida est professio facta ab impuberibus, id est, minoribus xiv annis, sine consensu parentum vel tutorum, quibus subsunt quoad vitæ dispositionem, *can. Puella xx q. 10. c. ad nostram* 8. *c. 11. h. t.* Adeoque monasterium ingressi & professi absque illorum consensu revocari intra annum possunt, *c. 2. h. t.* Puberes autem facti, id est, masculi maiores xiv annis, fœminæ xii, etiam illis invitis rectè ingrediuntur & proficiuntur, *c. Cum virum 12. h. t.* quia per pubertatem, quoad statum & electionem vitæ, efficiuntur sui juris & arbitrii. Ubi verò dura atque austerâ est Religio, requiritur plena pubertas, id est ætas xvii annorum, *c. Quia in infans, 6. h. t.*

2. Secundò, Episcopi, relicta suis Ecclesiis, absque Romani Pontificis consensu & auctoritate transire ad Religionem nequeunt, *cap. Licet. 18. in fine h. t. & arg. c. Nisi cum pridem sup. De renuntiat.* ubi inter causas concedendæ renuntiationis non numeratur ingressus in Religionem. Deinde, quia Episcopi sunt adstricti suæ Ecclesiæ, sicut maritus uxori; & proinde ut maritus non potest deferere uxorem suam absque ejus consensu, ita nec Episcopus Ecclesiam: quem consensum sumamus Pontifex tamquam omnium Ecclesiarum curam habens, sibi reservavit.

3. Tertiò, Conjuges, consummato matrimonio, de quo ad *Tir. seq.*

4. Quartò, Furiosus præstitendo non obligatur, ob defectum iudicii; nisi factus sanæ mentis ratam habuerit suam professionem, *cap. Sicut 15. hoc tit.*

5. Quintò, Illegitimus non admittitur ad Religionem, in qua pater ejus sive antè sive post nativitatem professus fuerit, si is adhuc sit superstitis.

6. Sextò, Debet voluntarius esse ingressus, & professio voluntaria & libera à metu, cadente in constantem virum, imò & reverentia, quando minæ accedunt. Quæ de re hæc statuit Conc. Trid. *Sess. 25. c. 18. De Regularibus*, anathemati subjiciendo omnes & quoscumque, cujuscumque qualitatis & conditionis qui quomodocumq; cogerint puellam, viduam, aut aliamquamcumq; mulierem in vitam, præterquam



terquam in casibus à Jure expressis, ad ingrediendum monasterium, emittendam professionem, quique auxilium, consilium vel favorem dederint. Simili quoque anathemati subjicit eos, qui volentes ingredi Religionem quoque modo sine justa causa impederint. Metus vero ab intrinseco proveniens, ut in voventibus ob metum mortis naturalis, vel naufragii, & similiter metus levis, non cadens in constantem virum, attentâ ingredientis personâ & qualitate, non invalidat ingressum, Covar in 4. *Decretal.* 2 cap. 3. §. 4. Sicut etiam non irritatur, si, cessante causâ metus, perseveret in Religione.

Sed & ut liberior sit Virginum professio, mandat Concil. Trident. d. Sess. 25. cap. 17. ut, si puella, habitum regularem assumere volens, sit major duodecim annis, ante susceptionem habitus, & rursus ante emissionem professionis examinetur, & exploretur virginis voluntas diligenter, an non coacta aut seducta fuerit, an sciat, quid agat: idque extra septa monasterii, in Ecclesia scilicet aut circa, presentibus Notario & duobus gravibus matronis, non consanguineis, nec puellâ conjunctis, Zerola ex *Congregat. Card. Interpp. p. Moniales* Teneaturque Præfecta monasterio, ne professionis tempus Episcopus ignoret, eundem ante mentem finiti novitatus certiores facere, sub poena suspensionis ab officio, quamdiu Episcopo videbitur Concil. Trident. d. loco. Quod si verò ea examinatio fuerit omissa, Ordinarius nihil à professa sciscitari debet, sed eam sibi relinquere, & animadvertere in Præfectâ, Zerola d. loco. Nullique permittitur professionem suam invalidam dicere, & ad libertatem proclamare, nisi intra quinquennium à die professionis; nec aliter, nisi deductis causis coram Ordinario & Superiore suo, ut ex eodem Concilio d. Sess. 25. cap. 19. antè diximus. Sin autem Ordinarius sit simul superior, veluti si monasterium sit Episcopatu unitum, tunc ille solus de nullitate poterit cognoscere, quia Concilium dum conjungit utrumque, supponit utrumque adesse, nempe quem simul esse Episcopum & superiorem. Post quinquennium tamen ex causâ justa potest quis restitui adversus professionem à se emissam per vim aut metum, vel ob aliam causam invalidam, veluti durante vi aut metu,

aut alio reclamandi impedimento, ultra quinquennium. Riccius *De off.* 657. Et idèd quod Concilium statuit, post quinquennium non esse quem audiendum, intelligi debet de communi via, non autem de extraordinario remedio rellutionis in integrum ex justa causa, Azor. p. 1. *Instit. Moral.* lib. 12. cap. 4. *versic. Postremò.*

7. Septimò, requiritur consensus Capituli, nec sufficit adhiberi consilium, c. Ea nescitur 6. *sup. De his, qua sunt à Pralato &c.*

8. Octavò, requiritur, ut fiat professio in Religione aliqua, per Sedem Apostolicam approbata, unico *Devoto* n. 6.

9. Nonò, ut nulla adsit conditio, substantiæ Religionis repugnans: qualis est, si profiteatur eâ lege, ut possit sua bona retinere, regredi suo arbitratu, ducere uxorem, & similes. Secus, si profiteatur absolute, licet antè pactus esset, ut sibi liceret habere pecuniam, vel manere domi, vel habere usum bonorum suorum; delicta tamen seu dependentia ab arbitrio Superioris, c. *Insinuante* 7. *infi.* Qua Clerici vel voventes &c. Verumtamen post Concilium Tridentinum talia pacta fieri nequeunt sine Pontificis auctoritate.

Decimò, requiritur, ut professio fiat de tribus votis substantialibus Obedientia scilicet, Paupertate & Castitate, & quidem in perpetuum c. *Cum ad monasterium* 6. *infi.* De statu *Monach.* Sufficit tamen ea fieri expresse vel implicite, ut latius deducit Less. lib. 2. *De Instit.* & *lure* c. 41. *dub.* 1. Hinc qui in monasteriis Conversi & Oblati dicuntur, non sunt verò Religiosi, si prædicta vota non emittant: \* 10. Uti nec quæ Begginae vulgò dicuntur, quippe quæ nullam approbatam regulam profiteantur, neque obedientiæ aut paupertatis voto sint adstrictæ: quarum statum, quoddammodo de mysteriis fidei nostræ sentirent, licet penitus abolendum decreverit Clemens V. *Clement.* 1. *De religiosis domib.* & *Clement.* 3. *De heret.* tamen eâ Clementis abrogatione non contineri eas, quæ culpâ carent, nec suspectæ sunt, declaravit Joan. xxii. c. *unice* *De relig. domibus* in *Extra. g. communib.* Et in d. *Clement.* 1. dicitur, quod si fideles aliquæ mulieres, promissâ vel non promissâ continentia, in suis hospitibus honestè conversantes penitentiam agere voluerint, & virtutum

Domini



Domino in humilitatis spiritu deservire, hoc eis-  
dem liceat, prout Dominus ipsis inspirabit.

11. Similiter ob eandem causam Religiosæ  
non sunt feminæ Canonice, seu Canonissæ,  
ut vocant, quæ vivunt exemplo Canonicorum  
secularium, nec renuntiant propriis, neque ul-  
lam professionem emittunt: unde nec ad clau-  
suram cogi possunt. Azorius lib. 13. *Instit. mo-  
ral. cap. 9.* Exeuntque libere & nubunt, excep-  
tis paucis, ut Abbatisa, Priore, Sacrista, Præ-  
posita, Decana, quæ virginitatem voverunt, ut  
dicunt. Et licet harum status improbari vide-  
atur per Innocentium II. in can. *Pernitiosam*  
xvii. *quæst. 2.* tamen eam vivendirationem non  
esse damnaram, etsi nec approbata sit, tradit A-  
zorus d. loco. Item licet Pont. in *Clement. Attenden-  
do De statu Monachor.* velit eas per locorum Or-  
dinarios, si exemptæ non fuerint, sua si vero ex-  
emptæ fuerint, Apostolica auctoritate visitari;  
non intendit tamen per hoc earum statum, Re-  
gulam seu Ordinem approbare: sicut nec in *e. In-  
demnitatibus § penult. De elect. in 6.* ubi decreto in  
Canonicis electionibus præscripta jubet servari  
in Abbatisarum seu alio nomine nuncupatarum  
Præfectarum. De his plenius videre licet apud  
Tholosanum *Syntag. juris universi lib. 15. cap. 17.*  
n. 9. *Caput. Zyp. hoc tit.* ubi plura etiam tradit de  
earum origine, ac norma vivendi: quæritque i-  
bid. num. 7. an tam Beggiæ, quam hæ Canonice  
censeantur personæ Ecclesiasticæ & Religiosæ,  
eo sensu, quo loca pia & congregationes religio-  
sæ dicuntur, ad eum scilicet effectum ut subiant  
Episcopo, & coram eo stare juri teneantur, nec  
foram Episcopi declinare valeant.

12. Undecimo, qui Religionem in Monaste-  
rio aliquo professi sunt ad aliud strictioris Re-  
gulæ & sanctioris vitæ transire possunt, non ve-  
ro Religionis laxioris, *e. Sane 10. &c. Licet 18.*  
*hoc tit. Conc. Trid. Sess. 25. c. 10. in fine De Regu-  
laribus.* Idque non nisi petita prius facultate à  
suo Prælato: qui si facultatem neget transeun-  
di, poterit nihilominus ad aliam Religionem  
migrare, *d. e. Licet*: quia unicuique, etiam Re-  
ligioso, liberum est eligere vitam duriorum, ut  
magis Deo placeat; essetque imprudentis Præ-  
lati hoc non admittere.

13. Denique, quod ad numerum attinet re-  
cipiendorum ad Monasterium aliquod, Boni-  
facius VIII. in *e. Periculoso § sande De statu Regular.*

in 6. statuit, ne in Monasterio feminarum, quod  
proprius habet redditus, plures recipiantur, quam  
de illius bonis sive proventibus possint sine pec-  
nuria sustentari; aliterque factam receptionem  
decrevit, irritam Concil. vero Trident. *Sess. 25.*  
*c. 3.* statuit, ut in Monasteriis & domibus tam  
virorum quam mulierum, bona immobilia pos-  
sidentibus, vel non possidentibus, is tantum  
numerus constituatur, & in posterum conserve-  
tur, qui vel ex redditibus propriis Monaste-  
riorum, vel ex consuetis elemosynis commode  
possit sustentari. Vide Zypæum *Tit. De Regula-  
rib. num. 34.* Lessius *De iure & iust. l. 2. cap. 35. dub.*  
12. Gutierrez lib. 1. *Canon 9. 32. num. 61 & seqq.*

## TITULUS. XXXII.

De Conversione Conjugato-  
rum.

1. Alter conjugum, invito altero, ingredi Religio-  
nem nequit.
2. Mutuo consensu etiam consummato matrimo-  
nio, licet.
3. 4. 5. 6. Quandoque altero etiam invito,

**N**ON tantum cœlibes Monasterium ingre-  
di ac Religionem profiteri possunt, sed  
& conjugati: de quorum tamen ingressu du-  
bitari poterat, ex quo Religio votum contineat  
castitatis, quod matrimonii usui repugnat.

1. Unde dicendum, conjuges, postquam con-  
summatum fuerit matrimonium, non posse  
absque mutuo consensu validè profiteri Reli-  
gionem: adeo ut, si maritus in vita vel igno-  
rante uxore profiteatur, reperti ab ea possit, co-  
gaturque ad uxorem redire ac debitum petenti  
reddere, licet illud exigere non possit. sed  
quantum in se est servare teneatur castitatem.  
Vnde mortua uxore non quidem cogendus est  
redire ad idem monasterium, quamvis ei con-  
gruentius esset ad salutem, si rediret, verum  
cum alia contrahere matrimonium non po-  
test



rest, propter votum continentiae semel libere emissum, *c. Quidam 3. & c. Placet 12. h. t.*

2. Muruo verò & libero consensu conjuges ingredi Religionem possunt: ita tamen, ut maritus consentiente uxore ingredi nequeat, nisi ipsa Religionem aliquam profiteatur, si utique juvenis sit, vel talis, quæ in sæculo manens merito de incontinentia possit fieri suspecta. Alioquin si senex sit & sterilis, aut talis, ut sine suspitione manere in sæculo possit, votum sufficit continentiae, in manibus Episcopi emissum, *c. Cum sis 4. & seq. cap. Vxoratus & alius hoc tit.* Et hæc omnia fieri debent, auctoritate vel Episcopi, vel Archiepiscopi interposita, *can. Si vir xxvii. q. 2.* Quamvis irrita non sit professio, si aliter facta fuerit: & maritus, consentiente vel sciente ac dissimulante uxore sua, Religionem ingressus & professus, eam mortuam, redire ad sæculum nequit, vel aliam sibi matrimonio copulare, *c. Ex parte 9. & c. Consultus seq. h. t. Vide Less. 2. De iust. & iure cap. 41. Dubit. 3. n. 23.*

3. Potest tamen certis casibus alter conjugum, altero etiam invito & repugnante, Religionem ingredi. Primò, si matrimonium necdum fuerit consummatum & tum potest unus ad Deum transire, & alteri in sæculo manenti licitum est ad secunda vota transire, *c. Verum 2. c. Ex publico 7. h. t.*

4. Secundò, etiam post consummatum, secundum probabiliorē sententiam, ingredi uxor potest, si maritus illud per vim coolumnaverit, ante expletos duos menses, qui ei à jure conceduntur, *d. c. Ex publico*: idque ob gravem injuriam, quam eidem sic intulit: ut propterea jure suo privari non debeat, Sanchez 2. De matrim., Disputat. 23. n. 6. ubi alios citat. Idem videtur dicendum, si per gravem metum extorserit consummationem, quia similis hæc injuria est.

5. Tertiò, si alteruter conjugum committat adulterium, tunc alteri innocenti licebit ingredi Religionem, *can. Agathosa xxvii. q. 2. & colligitur ex c. Constitutus, cum duobus seqq. h. t.* Ut tamen id ordinatè progredat, separatio illa auctoritate Judicis & causâ cognita fiat necesse est, partim ad vitandum scandalum, partim ne repeti possit, & cogi ad redigendum. Quod si alter quoque adulterium occultè commiserit, puta maritus, non poterit uxorem dimittere, ut

Religionem ingrediatur, quia paria delicta mutua compensatione tolluntur, *c. fin. inf. De adulterio*. Idem dicendum, si cognito uxoris adulterio, debitum petierit vel reddiderit, quia sic censetur eidem reconciliatus, ac remissum jus suum, *can. 1. xxxii. q. 1.*

Quartò, si alter incidat in hæresin, & judicio Ecclesiæ fiat separatio, potest innocens ad Religionem transire, etiam si ille converti voluerit. Si verò non fuerit facta separatio judicio Ecclesiæ, tum tenetur emendatum recipere, nec potest Religionem ingredi, *c. fin. hoc tit. jussu 1. De illa inf. De divorciis.*

## TITULUS XXXIII.

### De Conversione Infidelium.

1. Infidelis quis hic dicatur.

2. Infidelis convertus rectè contrahit cum fidei,

**P**raterea non tantum conjugari fideles, sed & infideles, id est, pagani subinde ad fidem Christianam convertuntur: de quorum proinde conversione dicendum quoque est aliquid.

Infidelis generaliter dici potest quilibet discrepans à fide, quia quidquid à fide discrepat Catholica, fidei Christianæ est contrarium, *l. Cæcorum in fine Cod. De iudæis & Cæciculis Hostien. in Summa hoc tit.* Hic autem specialiter sumitur pro eo, qui nunquam fidem suscepit, qualis est Judæus, Paganus, Saracenus, Et idem hæreticus non dicitur converti, sed reverti.

2. Si igitur infidelis convertatur ad fidem, poterit contrahere matrimonium cum fidei, nisi cum adhuc esset in infidelitate, machinatione & dolo maritum ejus occiderit: alioqui si absque machinatione, veluti in bello, occiderit maritum, nihil prohibet, quo minus illam convertus ad fidem in uxorem ducat, *c. 1. h. tit.* Quod si verò alter infidelium (inter quos potest esse matrimonium, ut contractus est civilis,



illis, non ut Sacramentum, *e. Gaudemus inf. De*  
*conversione* ) convertatur ad fidem Catholicam,  
 communis proles assignari debet converso ne  
 ab infideli inducatur in errorem, *cap. 2. hoc tit.*  
 Nam placuit summam esse rationem, quæ pro  
 religione facit, *l. Sum. persona 43. in fine ff. de relig.*  
*& sumptib. funerum.* Cæterum de matrimonio  
 infidelium, cum inter se, tum cum fidelibus, po-  
 sta fufus agemus.

## TITULUS XXXIV.

## De Voto &amp; voti Redemptione.

## §. I.

## Voti definitio.

1. Quid sit Votum.
2. Votum debet esse deliberatum.
3. Liberum & cum effectu.
4. Qui votare non possint.

Quia antè dictum est de Regularibus &  
 Religionem intrantibus, deque infideli-  
 bus, qui ad fidem convertuntur, qui om-  
 nes votum quoddam emittunt; illi Religionis,  
 quod Monachum facere dicitur & non habitus,  
*e. Correllum 13. sup. de Regularib.* hi verd fidei:  
 merito nunc sequitur de voto in genere, ejusque  
 redemptione.

Votum autem est alienius boni operis cum  
 deliberatione liberè Deo facta promissio, cum  
 animo scilicet obligandi se, & ab eo, qui se obli-  
 gare potest.

Dico, alicujus boni operis; quale est pe-  
 nerari ad loca sancta, eleemosinam dare, *e.*  
*l. 2. h. t.* quia in malis promissis frangenda fi-  
 des potius, quàm servanda, *can. in malis 11. c.*  
 94. Et si quid voveatur, quod corpori vel ani-  
 mæ certum adferat discrimen, non acceptatur  
 à Deo, nec obligat, *e. Inter ceteras sup. De jure*  
*jurando.* Hinc etiam votum debet esse de me-  
 liori bono, quàm sit ejus oppositum; ideoque  
 non obligat votum de non mutuando, de non  
 dando eleemosinam, non ingrediendo Religio-  
 nem, quia oppositum est Deo gratius.

2. Dixi, cum deliberatione; id est cum perfe-

cta & plena animadversione ejus, quod agitur,  
 quia nemo censetur sibi alienius obligationis  
 vinculum, quale est votum, imponere; nisi ple-  
 nè advertat, quid agat. Hinc qui in ætate tene-  
 ra, facilitate potius, quàm ex arbitrio discretio-  
 nis, voverat, facile fuit à voto absolutus *e. 2. eod.*  
 & fervore passionis vovens ingredi Religio-  
 nem, non obligatur, *can. Genjaldus 171. qu. 2.*  
 Sed neque furiosi vovendo aut profitendo obli-  
 gantur, nisi sanæ mentis effecti votum in futuro  
 emissum ratum habuerint, *e. Sicut tenetur sup. de*  
*Regularibus.* Idem dicendum de infantibus.

3. Dixi, liberè; quia votum metu vel dolo  
 injurioso extortum est irritum, *e. 1. & 2. sup. de*  
*his qua vi metus &c.* Idem dicendum de voto  
 per errorem emissio.

Dixi, Deo facta promissio; quia votum fit  
 & reddi debet Domino; adeoque homini facta  
 promissio non est votum, *e. Magna 8. ibi Voveto*  
*& reddite Domino Deo nostro h. t.* Nam vovere est  
 aliquid Deo sanctè promittere, ut constat ex  
 auctoribus Latinis, licet alias sumatur pro De-  
 siderare, & Votum pro Desiderio.

Dicitur verd promissio; quia ex sola boni  
 faciendi conceptione seu proposito, quantum-  
 vis deliberato, non obligatur quis, tamquam  
 ex voto, si ulterius ad promissionem non sit  
 progressus, *can. Quibona 171. qu. 1.* ne quidem  
 eo casu, quo quis Religionem intrat animo  
 & proposito in ea perseverandi ac perpetuo Deo  
 serviendi, Navar in *Manuali cap. 12. num. 26. &*  
*communiser Theologi;* & colligitur ex *e. Litteras u-*  
*ram 3. hoc tit.* ubi expressè dicitur, cum, qui ul-  
 tra propositum mutandæ vitæ non est pro-  
 gressus, voto non teneri Item Concil. Trid.  
 sess. 25. c. 13. ubi concedens novitiis annum pro-  
 bationis, vult eos toto ex tẽpore manere liberos  
 ad egrediendum, si putent disciplinam sibi non  
 convenire.

Non obstat, *e. Statuimus &c. Consulti sup. de*  
*Regularib.* quatenus ibi statuitur, novitio pos-  
 se liberè ad sæculum intra annum redire, nisi  
 evidenter appareat, quod tales absolute vo-  
 luerint vitam mutare & in Religione perpe-  
 tuo Domino servire: nec similiter *e. Beneficium*  
*eod. tit. in 6.* ubi dicitur, beneficium ingressi Re-  
 ligionem posse alteri dari, si constet absolute  
 voluisse vitam mutare: quia illis locis agitur  
 de proposito, quod promissione seu voto fir-



marum est, licet exterius verbis vel nullis vel nullam voti speciem præ se ferentibus fuerit expressum.

Addidi, cum animo se obligandi; quia actus agentium ex intentione non operantur ultra intentionem.

5. Denique additur, ab eo, qui se obligare potest; quia quidam sese voto obligare non possunt, vel absolute, ut infantes & furiosi, ob defectum iudicii; vel non ita valide, quin votum eorum ab alio, in cuius sunt potestate, irritari possit, ut impuberes, sine consensu parentum aut tutorum, *can. 1. 2. & 3. xx q. 2.* Item conjuges post consummatum matrimonium, sine mutuo consensu.

Sic nec Episcopus vovere peregrinationem potest, absque consensu suæ Ecclesiæ, *e. Magna 7. hoc tit.* nec Clericus, absque licentia sui Episcopi, licet sine ejus consensu Religionem ingredi possit. Similiter Monachus sine consensu Superioris, quia velle aut nolle non habet, *e. Quorundam c. Si Religiosi de elect. in 6.* Denique servi, coloni adscriptitii vel originarii, in præjudicium suorum dominorum, vovere nequeunt, *can. Generalis dist. 54.*

## §. II.

### Divisio Voti.

1. *Votum aliud Solemne & Simplex.*
2. *Aliud Expressum & Tacitum.*
3. *Aliud Purum & Conditionale; item Personale, Reale, Mixtum.*
4. *Aliud Perpetuum & Temporale.*

1. **V**otum variè dividi solet. Primò in Solemne & Simplex. Solemne generaliter dicitur, quod fit publice, certis solemnitatibus, v. g. testibus aut juramento adhibitis. Vel specialiter, quantum ad matrimonium post contractum dirimendum, Solemne votum dicitur, quod ex decreto Ecclesiæ annexum est suspensioni Ordinis sacri: & professione vel expressa vel tacita Religionis, per sedem Apostolicam approbata continetur, *e. unico hoc tit. in 6.* Simplex verò votum hodie est omne aliud votum, licet professione Religionis non approbata continetur.

2. Secundo dividitur in Expressum & Tacitum. Expressum est, quod verbis discretis ex-

primitur. Tacitum, quod eo ipso fieri censetur, quo voluntarie aliquid agitur, cui ipsam votum est annexum vel supponitur. Huiusmodi est, quod fit susceptione Ordinis sacri.

3. Tertiò, dividitur in Purum & Conditionale. Item in Personale, Reale, & Mixtum. Personale est, dum promittitur, quod personam solam attingit, v. g. aliqua actio vel omisso, ut peregrinatio ad visitandum sepulcrum Domini *c. 2. hoc tit.* Tale etiam est votum Religionis aut jejunii. Reale est, quo res externa promittitur, ut in *c. Ex parte 18. inf. de censib.* Mixtum, quod utrumque, veluti peregrinatio cum oblatione, vel professio Jerosolymam ad eam annis deliberandam, *c. Non est. & seq. h. t.*

Denique dividitur Votum in Perpetuum & Temporale.

## §. III.

### De effectu seu obligatione voti.

1. *Votum ab initio voluntatis est, ex post facto necessarium.*
2. *Solvitur votum defectu materia.*
3. *Et Conditione.*
4. *Irritatione.* 5. *Commutatione.*
6. *Dispensatione.*
7. *Quilibet commutare potest, qui dispensare.*

1. **E**ffectus autem voti, sive simplicis sive solemniss, est, ut fides semel Deo data servetur. Tamen enim ab initio liberum sit vovere, vel non vovere, tamen non est liberum, voto semel emissio resistere, absque propria saluti dispendio, nisi ejus solutio interveniat, *e. Licet 6. cum c. seq. hoc tit. can. 1. & seq. xvii. q. 1.* quia si fidei homini datam non oporteat frangere, multò magis fidei Deo datam servare oportet: aded ut ne quidem causa convertendi aliquem ad fidem liceat infringere votum, *can. Non solum xxxviii. q. 8.* Quinimò hæres etiam desolati votum adimplere tenetur, si tale sit, quod per alterum impleri possit, uti est votum reale: alias paternam successione se in dignum reddet, & reum anathematis, *d. c. Licet & c. Si hæres 6. sup. de test.*

2. Solvi seu redimi votum potest quinque modis. Primò, defectu materia, si materia voti legitima esse desinat, vel absolute vel respectu voventis; ut si turpe votum fuerit, si quid

ideam



incautius quem vovisse contigerit, vel si propter infirmitatem, aut paupertatem, vel aliam justam causam votum non possit utiliter ad impleri, *can. 5. & alius xxii. quæst. 4. cap. Quod super 8. in princ. cum cap. seq. hoc tit.*

3. Secundò defectu conditionis: ut si quis quid voverit sub certa conditione, quæ non eveniat, aut si causa voti cesset, *c. Magno 7. §. fin. hoc tit.*

4. Tertio, irritatione: ut si oblatio voti perfecta pendeat aliquo modo ab alterius voluntate, qui non velit eam approbare; nam tale votum vel ex natura, vel ex Juris dispositione hanc tacitam habet conditionem, nisi superior, vel alius, cujus interest, contradixerit. Ita omnia vota Religiosorum, præter votum arctioris Religionis, posse à Prælato irritari, docet Navar in *Manuali cap. 12. num. 65.* Similiter vota impuberum irritari possunt à parentibus & tutoribus, *c. Si quis 2. sup. De regulis* Vota item servorum à dominis, quatenus eorum obsequiis obesse possunt. Hinc quoque maritus omnia vota conjugis, quæ sibi incommodent, & ad familiæ administrationem pertineant, cujus ipse, uti & mulieris, caput est, irritare potest, ut passim docent Canonistæ.

5. Quarto, commutatione: nam in primis quilibet auctoritate propria votum suum in id, quod manifestè est melius & Deo gratius, commutare potest, *c. Pervenit 3. sup. De jurejur.* Nec obstat, *c. hoc tit.* ubi dicitur, commutationem voti pendere ab arbitrio ejus, qui præficeret, seu superioris: quia hujus requiritur auctoritas, quando non constat, id, in quod fieri debet commutatio, esse melius. Et idè votum peregrinationis vel aliud quolibet mutari potest in votum Religionis, *c. Scriptura 4. hoc tit.* Non obstat etiam, quod debitor solvens creditori rem, etiam meliorem, non liberetur, sed teneaturolvere, quod debet: quia creditori solvi potest melius, quando id ipsi gratius est. Non obstat denique, quod quis in propria causa nequeat esse Judex: quia potest parte consentiente, non autem invitata.

6. Præterea quilibet votum commutare potest, qui in eo dispensare, sive potestate ordinaria, sive delegata; licet non è diverso. Ra-

tio est, quia commutatio voti est quædam veluti imperfecta dispensatio seu relaxatio, *arg. cap. 1. hoc tit.* Nam dispensare in voto nihil aliud est, quam nomine Dei absolute condonare obligationem: Commutare verò est condonare cum onere, ut scilicet loco prioris obligationis aliam suscipias. Jam autem regula Juris habet, quod cui licet id, quod est plus, licet utique, quod est minus, non contra. In commutatione voti haberi debet ratio expensarum, quæ in completionem voti fuissent faciendæ, habitâ personarum ratione, ut illæ impendantur in aliquod opus pium. In voto autem de dando, faciendo, videndum, an inde non sit jus quæsitum alteri, quia tum dispensare amplius non possit Episcopus sine illius assensu, cui jus esset quæsitum: nisi sit illius dominus superiorve tam absolutus, ut possit ipsi auferre rem quæsitam, & dare alteri, *Pialec. 2. p. cap. 1. art. 3. n. 8. versis. in commutatione.*

7. Quintò, dispensatione: nam Episcopus, & qui Episcopalem jurisdictionem habet, potest dispensare in omnibus votis suorum subditorum: exceptis iis, quæ summo Pontifici reservata sunt, nempe, *juxta communem sententiam*, voto castitatis perpetuæ, voto approbationis Religionis, voto peregrinationis ad Terram sanctam, ad limina Apostolorum, & Compostellam ad S. Jacobum. Nam licet Juris textus aliquis non reperitur, qui hæc quæque vota soli Papæ specialiter reservet, præter votum transmarinum, *c. Quod super hoc ex multis h. t. ex stylo tamen Romanæ Curie*, qui satis colligitur ex *Extravag. Et si Domini De penit. & remissionibus in communem* omnia hæc reservata sunt summo Pontifici. Ex causa tamen dispensare Episcopum oportet: nam sine causa dispensare nequit, *can. Non potest. & seq. 1. q. 7.* contra verò si non dispensaret, cum adesset causa justa, peccaret, *Pialec. d. n. 8. vers. Et generaliter.*





## TITULUS XXXV.

## De Statu Monachorum &amp; Canoniorum Regularium.

1. Status sumitur & generaliter & strictè.
2. Ad statum Monachorum spectat servare Regulam quam professi sunt.
3. Proprium habere aut possidere non possunt.
4. Quatenus circa hoc dispensare valeat Pontifex.
5. Quatenus ab uno monasterio ad aliud migrare liceat.
6. De clausura Monialium, remissè.
7. Monachi ad Ecclesias parochiales adsumi nequeunt, ut Regulares.
8. Singulis triennium instituenda Concilia Regularium provincialia.

**P**lerumque votum emittentes Religiosi sunt & dicuntur Monachi ac Canonici Regulares, de quorum proinde statu, id est conditione vivendi ratione deinceps tractatum instituit Pontifex. Norandum verò est ex Lessio 2. De iustis. & iura cap. 41. dubit. 1. Statum sumi & generaliter, & strictè. Generaliter pro quavis vitæ conditione, in qua homo ad tempus, vel perpetuò stat & permanet. Sic dicitur Status innocentie, Status legis naturæ, legis Moysaice, Evangelicæ, Status huius vitæ vel futuræ, Status Ecclesiasticus, secularis, servorum, liberorum, viduarum, & sic de similibus. Strictè verò sumitur pro conditione vitæ immobili, per quam alteri obstricti sumus; ut firmitatem quandam denotet. Et hoc modo tres dumtaxat Status in Ecclesia constituentur à D. Thoma, scilicet Episcoporum, Religiosorum, & Conjugatorum. Nam Episcopi perpetuo vinculo obstricti sunt obsequio suæ Ecclesiæ, Religiosi obsequio divino, Conjuges obsequio mutuo. Ex his duo priores sunt spirituales, & vocantur Status perfectionis, tertius est secularis.

Status autem Religiosus seu Religiosorum vel Monachorum rursus sumi potest dupliciter, nempe vel in actu primo, ut loquuntur, live in habitu, & sic nihil est aliud, quam debitum religiosè seu monachaliter, ut ita dicam, vivendi; vel in actu secundo, & sic est ipsa religiosa seu monachalis vita. In hoc igitur Tit. Status sumitur strictè pro ipsa conditione vitæ monasticæ immobili, per quam suis Superioribus obstringuntur, & Regulæ, quam professi sunt.

2. Ad statum & mores Monachorum ac Canoniorum Regularium pertinet in primis, ut ad Regulæ, quam professi sunt, præscriptam vitam instituant & componant, c. Cum ad monasterium 6. h. t. Concil. Trident. Sess. 25. cap. 1. De regularibus ubi præcipit, ut diligenter observent, quæ ad suæ professionis perfectionem, ut obedientie, paupertatis & castitatis, & si quæ alia sint suæ Regulæ & Ordinis peculiaris, quæ emiserint vota vel præcepit. Ac proinde, cum Religio sit status pœnitentiæ ac tristitiæ, & contemptus divitiarum fastusque ac gloriæ mundanæ, S. Thom. 2. 2. q. 187. art. 6. vilius indui & uti vestibus debent, quemadmodum pœnitens exemplo Regis Nivines, qui lina 3. indutus fuit sacco, & Achab, qui 3. Reg. 21. operuit cilicio carnem suam. Qua de causa vetuit Innocentius III. Pontifex, ne quis Monachorum lineis camisis uteretur, d. cap. Cum ad monasterium 6. hoc tit.

3. Item districtè inhibetur, ne quis Monachorum proprium quoquo modo possideat, can. Non dicatis xii. q. 1. d. c. Cum ad monasterium, & c. Ioannes 5. sup. De Regularibus & Concil. Trident. Sess. 25. c. 2. Sin autem aliquid habere proprii deprehensi fuerint, regulari præviâ monitione, expelli è monasterio debent, nec ulterius recipi, nisi pœniteant, d. c. Cum ad monasterium. Quinimò si Monachus vel Canonicus Regularis post mortem inveniatur aliquid proprii habuisse in vita, illud cum eo extra monasterium in loco non sacro humari debet, d. c. Cum ad monasterium, ibi in fleguilinio. Et quod amplius est, sepultus in loco sacro effodi iubetur, & projici ab Ecclesia, c. Super quodam 4. h. t. Ex permissione tamen Prælati peculium aliquod pro administratione rerum, habere Monacho licet, c. Monachi 2. vers. Qui verò peculium h. t. non etiam proprietate, quia abdicatio



proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeo annexa est Regulæ Monachali, \* 4. ut adversus eam ne summus quidem Pontifex possit licentiam indulgere: quod passim intelligunt DD. remanente statu Monachali seu religioso, cui repugnat habere aliquid proprium, prout eo nomine significatur dominium & usus, independens ab arbitrio Superioris. Alioquin ut Religiosus possit habere dominium alicujus rei, quod assidue à Superioris nutu dependeat, dispensare potest Pontifex, quia tale dominium statui religioso non repugnat, neque proprii nomine comprehenditur, quando dicitur Religiosus non posse proprium habere, ut tradit Less. 2. *De iustit.* 4. *dubitat.* 5. n. 22. *Et* 4. *dubitat.* 9. Ratio autem, cur Religiosus, solemniter professus, nihil omnino possit habere tanquam proprium, est, quia per solenne votum paupertatis non solum se spoliavit omni dominio, idque vi voti solemniter, quod eam vim habet ex ordinatione Ecclesiæ, ut docet Less. 4. c. 4. *dubitat.* 5. Verum quid de his distinctius deque bonis in communi possidendis à Monasterio, statuat Conc. Trid. ibidem videre licet, *sess.* 25. *cap.* 2. *Et* 3. & apud Less. 4. *dubitat.* 5. 5. Cavere etiam debent Monachi, ne propria auctoritate ab uno monasterio ad aliud migrent, *Joannes* 5. *sup. De Regularib.* vel ne in diversis monasteriis locum Monachi habere præsumant, *c. in h. s.* Petita verò à Prælato licentiâ, licet non obtenta, ad arctiorem Regulam & frugem melioris vitæ transmigra- re permittitur, *c. s. s. 10. Et* *Licet* 18. *sup. De Regularib.* Exceptis tamen Religiosis Ordinum Mendicantium, qui omnino, quocumque, quæsito colore, ad alium quocumque Ordinem, præter Carthusianorum, convolare vetantur, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, tam ex parte receptorum quam recipientium, absque speciali gratia Sedis Apostolicæ, *c. 1. Regularib. in Extravag. communib.* Quo etiam casu, migrantes ab Ordine Mendicantium ad non mendicantium ex Constitutione Clementis V. *Clement.* 1. *sed.* 1. à Prioratibus, ad ministracionibus, officiis, vicariatus & aliis similibus repelluntur, nec vocem aut locum habent in Capitulo.

6. Quo pacto autem Moniales à monasteriis suis egredi, vel ad breve tempus, valeant, vel non, ex quibus causis, ab Episcopo, approbandis; vide Concil. Trident. *sess.* 25. *c. 5. De Regu-*

*larib.* ubi renovat Constitutionem Bonifacii VIII. in *c. Periculoso h. s. in 6.* Adde Constitut. Pii V. incip. *Circa Pastoralis officii*, & aliam ejusdem. incip. *Doctores & honestate*, quarum seriem exhibet V. CL. Steph. Weymf. in sua *Analyti ad d. c. Periculoso n. 9. Et* *seqq.* recitatque easdem *Praefec. 2. p. 4. 3. art. 7. & Azor. 1. p. Institut. Moral. lib. 12. c. 11. q. 7.* Quatenus verò ingredi liceat vel non liceat clausuram Sanctimonialium seu septa monasterii; vide Conc. Trid. *sess.* 25. *c. 5. Weymf. d. loco n. 23. Et* *seqq.*

7. Præterea cum Monachi solitariam profectur vitam, à populo omnino semotam, & plan- gentis potius quam docentis officium habeant, ut D. Hieronymus ait, *can. Placuit, Et* *can. Monachis* XVI. q. 1. non possunt per villas & oppida singuli seu soli parochialibus præfici Ecclesiis. *c. 2. h. s.* Quod tamen Canonice permittitur Regularibus, tamquam regulæ laxiori inservientibus, *c. Quod Dei s. h. s.* Eoq; magis, quia antiquitus etiam Monachis idem ex causa permillum fuit, *can. Nullus* *Diff.* 58. cum moderatione tamen Conc. Trid. *sess.* 14. *c. 11. De refor.* quâ hodie prohibentur Canonici Regulares, si translati fuerint de uno Ordine ad alium, promoveri ad beneficia curata & cularia.

8. Denique cum, ubi gubernaculum contemnitur disciplina, nihil restet, quam ut Religio naufragetur, *Clement.* *Attendentes* m. r. inc. h. s. idem monasteria, quæ generalibus Capitulis aut Episcopis non subsunt, nec suos habent Visitatores Regulares, quolibet triennio sese in Congregationes redigere debent, id est, singulis trienniis instituenda sunt Concilia Regularium provincialia, *cap. in singulis in princ. hoc tit.* Concil. Trident. *sess.* 25. *cap. 8. De Regularib.* in quibus corrigantur, quæ videbuntur corrigenda. Visitatores etiam creandi, qui visitationis officium diligenter exequantur, omniaque & singula observari fideliter curent, quæ de statu Monachorum constituta sunt in *d. Clement.* *Attendentes.* Juxta quam ordinationem refert Choppin. *lib. 2. Monastio Tit. 2. num. 17.* Benedictinos exemptos in plerisque Galliarum provinciis, sese in congregationes redigisse, ac varia condidisse Regularis disciplinae statuta, quæ à Sixto V. & Gregorio XIII. confirmata sunt, teste Zyp. *Tit. De Regularib.* Quod si id negligant Regulares, cogere eos ad hoc



potest Metropolitana seu Archiepiscopus, eo-  
que negligente Episcopus, in cuius diocesi sunt  
monasteria, tamquam Sedis Apostolicæ delega-  
ti, Concil. Trident. d. c. 8. Zerola p. 2. v. Mona-  
stria § 2.

## TITULUS XXXVI.

De Religiosis Domibus, ut  
Episcopo sint sub-  
jectæ.

## § 1.

Domus Religiosæ quæ dicantur.

1. Hospitalium nomine qua veniant.
2. Monasteria, ut & Ecclesia omnes, subiectæ Epi-  
scopo loci.
3. Item Hospitalia omnia.
4. Dummodo exempta non sint.
5. Quæ tamen visitari ab Episcopo possunt.

1. **D**E Monachis ac Religiosis duo expedi-  
mus, nempe de ingressu ac profesio-  
ne, deq; statu, id est, regulis & institutis vitæ  
monasticæ ac religiosæ. Sequitur tertium de  
rebus, id est, de domibus & monasteriis, alijsq;  
religiosis ac pijs locis. Cujusmodi sunt Hospi-  
talia, quæ pietati exercendæ ex professo dedi-  
cata sunt, & plerumque Ecclesiis coherent, *et eo*  
*hoc tit. & eod. in 6.* Dicuntur ab hospitibus piè  
excipiendis & tractandis, proque eorum varie-  
tate varia sortiuntur nomina. Alia enim sunt  
Xenodochia, quibus peregrini alia Orphanotro-  
pia, quibus orphani: alia Gerontocomila, quibus  
senes: alia Brephotrophia, quibus egen-  
tium infantes: alia Nosocomia, quibus ægro-  
ti excipiuntur: alia denique Prochotrophia, in  
quibus pauperes aluntur, alia alijs atque alijs  
nominibus appellantur, de quibus in *can. in*  
*qualibet xxii q. 8. l. illud 17. l. Sancimus 18. Cod.*  
*De sacros. Ecclesiis & plenius apud Tholosan.*  
*Synag. juris universi l. 1. cap. 28.*

2. De his autem omnibus quæ situm fuit,  
quibus nam subijciantur? Et in primis dicen-  
dum, monasteria, sicut Ecclesias omnes, subijci  
Episcopo loci, in quo sita sunt, *c. 1. 3. 7. & ult.*  
*h. l. can. Quidam, cum seq. can. Monasteria xvi. l. 1.*

q. 2. l. can. Omnes basilica xvi. q. 2. Qui etiam quo-  
ad hoc de jure communi habet fundatam inten-  
tionem suam, *d. c. 7. h. l.* etiam si alterius loci aut  
diocesis monasteriis atque Ecclesiis sint unita  
quia per unionem nihil ceperit Episcopo loci  
in quo situm est monasterium, *c. 1. h. l.*

3. Idem dicendum de Hospitalibus, & alijs  
pijs locis auctoritate Episcopi erectis, *d. c. 3. c. 4.*  
*& alijs h. l. c. 1.* Ita ut ad Episcopum loci, in quo sita  
sunt, spectet providere, ne talia loca ad alios us-  
us, quàm ad quos fidelium largitate & aucto-  
ritate Episcopi destinata sunt, convertantur, ut  
res eorum dissipentur, neve in beneficium cui-  
quam (æculari Clerico concedantur, nisi forte  
vel in eorum fundatione aliter constitutum fue-  
rit, vel per electionem de Rectore hujusmodi lo-  
ei sit providendum) sed ut gubernatio eorum-  
dem committatur viris providis ac boni testi-  
monii, qui instar tutorum & curatorum jura-  
mentum præstent, repertorium sive inventari-  
um bonorum faciant, atque Ordinaris, vel alijs,  
quibus hujusmodi loca sub sunt, vel ab his depa-  
randis quotannis administrationis suæ ratio-  
nem reddant, *Clement. Quia contingit. 2. h. l.* ubi  
plenius de hujusmodi locorum administratione,  
& in Analysi D. Steph. Weymii ad d. *Clemen.*  
*Conc. Trid. Sess. 7. c. 15. De reformat. Sess. 22. c. 8.*  
*& 9. c. Sess. 25. c. 8. De reformat. Choppin. De pri-  
vilegiis sacral. 3. tit. 5. n. 2.* ubi late tradit ejusmodi  
piorum locorum curam jam olim quoque spe-  
ctasse ad Episcopum, ut proinde Conc. Trid.  
non adeo quidquam novi quoad hoc statuisse  
videatur.

4. Et hæc quidem procedunt, dummodo ta-  
lia pia loca non probentur exempta, vel privile-  
gio, vel præscriptione XL. annorum, *c. Cum ali-  
quibus 2. h. l. c. Cum olim 8. c. seq. sup. De præscrip.*  
Sic tamen, ut si privilegio exempta sint, privile-  
gium hujusmodi, tanquam juxta communem de-  
rogans, ac proinde sit de accipiendum, *c. ult. in*  
*fine De filiis presbyterorum in 6.* non producatur ultra  
loca ipsa, & jura sua Episcopis in violatæ serva-  
tur. Porro *7. c. Petisti 20. inf. De privilegiis.* Et  
ided si Parochiæ vel Capellæ alicui monasterio  
exempto subiectæ sint, non tamen ideo & ipse  
exemptus censei debent, *c. 1. h. l. c. cap. Exoritur 17.*  
*inf. De privilegiis, nisi & in his quoque legitima præ-  
scriptione aut privilegio derogatum sit jurius*  
*Episcopalis, d. c. Cum olim.*



5. Vt autem huiusmodi loca probentur exemptioni jurisdictione Ordinarii, poterit nihilominus Ordinarius auctoritate Apostolica visitare & reformare, si reformatione aliqua opus fuerit: ita tamen ut per hoc nullum exemptionibus seu privilegiis, quoad alia, præjudicium generetur. *Clement. 2. in princ.*

Predicta etiam non habent locum in Hospitalibus militarium Ordinum, aut Religiosorum, *Clement. 2. §. Præmissa*. Et si quæ sint Hospitalia, in quibus consueverint ab antiquo exerceri spiritualia & exhiberi Sacramenta pauperibus, ea consuetudo servanda est. *Clement. in fine.*

## §. II.

De visitatione Domuum Religiosarum & locorum piorum, à laicis regi solitorum.

1. Hospitalia à laicis regi solita etiam à laicis visitari possunt.
2. Hospitalia, superstitia fundatore, non subsunt Ordinatio.
3. Post mortem tamen visitari ab eo possunt.
4. Vt & Confraternitates qualibet.
5. Plura triennium non committenda uni administrationi Hospitalium.
6. Ex Concord. Brabant. visitatio Hospitalium est mixti fori.

1. Ceterum circa decretum Concil. Trident. quoad propositam materiam, observandum est, quod, licet tribuat Concilium Episcopis facultatem visitandi Hospitalia & alia pia loca; non tamen prohibeat, quin etiam Iudices seculares eadem visitare possint, si hoc eis alias legitime concessum sit. Insuper Episcopum non habere potestatem visitandi Hospitalia & Confraternitates, quæ à laicis reguntur, multo minus à iure communi permissis.

2. Et ideo hæc potestas non extenditur ad Hospitalia, & alia similia loca, absque auctoritate Episcopi erecta, superstitia fundatore, cum non dicantur propriè loca religiosa, sed subsumuntur dispositioni ipsius fundatoris; ita ut ab eodem destrui, & de illis pro arbitrio suo, præter & de aliis bonis, disponere valeat. *Gloss. in can. in Ecclesiasticis xlii. qu. 2. Sylvester V. Hospitalia Zerola p. 1. V. Hospitalia §. 1. Piasce. p. 2. cap. 3. art. 5. num. 2.*

3. Quamquam Episcopus talia post mortem fundatoris visitare possit ad hoc, ut videatur, &

quo modo satisfiat ordinationi defuncti: audire item, inspicere atque examinare computus & administrationem Rectorum ac procuratorum: idque, ut tradit Zerola d. loco §. 2. & 3. virtute decreti, Conc. Trid. Sess. 22. c. 9. ubi statuitur, ut administratores, tam Ecclesiastici, quam laici, fabricæ cuiusvis Hospitalis Confraternitatis, & quorumcunque piorum locorum, singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario, nisi secus sit cautum in fundatione, cui non derogavit Concilium. Ideoque si in fundatione cautum sit, ne Episcopus se visitationi vel rationibus immisceat, id servandum erit, Zerola d. loco §. 3.

Nec obstat quod non sint loca religiosa: quia ad hoc, ut visitari possint, sufficit, quod sint loca pia. Non obstat quoque, quod d. c. 9. tollat privilegia, statuta & consuetudines quasque, in contrarium: quia non tollit fundacionem.

4. Verum quod ad Confraternitates laicorum, siue regendas siue visitandas attinet, exstat insignis Constitutio Clementis VII. 24. Decemb. 1604. quam refert Piasce d. loco n. 8. per quam, ut summarie dicā, statuit, ne ullæ ejusmodi Confraternitates erigantur, nisi de assensu Ordinarii loci: ut Confratrum statuta ab eodem Ordinario examinentur, approbentur, & corrigantur: ut indulgentias concedendas prius cognoscant & promulgandas decernant: ut elemosynas & collectas non nisi arbitrio ejusdem in pios usus Confratres erogent: ut Confessarii Confraternitatis ab Ordinario approbentur, qui nec à casibus reservatis absolvere possint.

5. Insuper ad hoc quoque sedulo advigilare & providere Episcopus debet, ne hospitalium & aliorum limilium locorum, administratio seu gubernatio ubi & eidem ultra triennium committatur, nisi aliter in fundacione cautum reperitur, Conc. Trid. Sess. 25. cap. 8.

6. Sed nec illud hic prætereundum est, quod refert Zypæus hoc tit. in princip. ex Concordatis Brabantiae, §. si Magistri fabricarum, contineri iuxta hanc distinctionem, ut si Rectores Hospitalium & Fabricarum sint laici, & à laicis institui soleant, correctio & destitutio, & rationum exactio, præsentem tamen Curato, à laicis fiat; & si negligentes fuerint, pro illa vice Episcopus in omnibus suppleat: si autem Ecclesiastici sint, aut laici ab Eccle-



Ecclesiasticis instituti, omnia faciat Episcopus. Quamquam dici possit etiam priori casu, saltem post Concil. Trident. Sess. 22. c. 9. ubi Episcopo discretæ auctoritatem facit exigendi rationes ab administratoribus, tam Ecclesiasticis quam laicis, quorūcunque priorum locorum, Episcopum ejusve delegatum suam quoque auctoritatem posse interponere. Quod & in Belgio est receptum. Imo Sereniss. Principes nostri in edicto pro feliciore exitu & executione Conc. Mechlin. anno 1607. majorem etiam potestatem Episcopis & ab eis deputatis concesserunt. Sed hoc interest, quod dum proceditur juxta concordata, Episcopi jure suo nitantur; dum ex edicto, tanquam Principis delegati, veluti ex ejus commissione: quodque si a decretis appelleretur, ad laicos causa devolvatur; illo autem casu ad superiores Episcopi, juxta jus commune. Dictis vero concordatis non videri derogatum per illud edictum docet Zyp. *ibid.* ea ratione, quod generi per speciem non vice versa derogatur.

### TITULUS XXXVII.

#### De Capellis Monachorum & aliorum Religiosorum.

1. Capella, & Capellania, unde nomen habeant.
2. Distingui vulgò Capellaniam & Capellam.
3. Capella habens populum, cum cura animarum, à seculari regi debet.
4. Alias duo tresve Monachi Capella præficiendi
5. Novam Religionem quis propria auctoritate confirmare non potest.

**N**on semper Monachi omnes habitant in Monasteriis, sed quidam ex iis sæpè ad Capellas ac Prioratus mittuntur, dependentes ab ipsis Monasteriis, quæ sunt domus principales Religiosorum.

1. Capella non una est etymologica ratio seu

deductio; de qua Tholosanus *Syntagma juris Universi lib. 15. num. 29.* Azor. 2. *Moral. Institut. l. 3. cap. 8.* Verius videtur nomen esse Gallicum, dictique à simplici templo, quo Reges Francorum, exstis à Normannis ac Solavis sacris ædibus, Oratoria compelluntur lateribus undique patentibus & parulis tegebant: nam rectum Gallis simpliciter *Chapelle* dicitur; indeque alia nomina formata sunt. Et quia ejusmodi rectum fieri solebat ex pellibus caprarum, inde Capellam à caprinis pellibus dici quidam volunt. Glos. in *can. Concedimus de consecrat. distinct. 1.* & Sacerdotes, qui in hujusmodi oratorii seu tentorii præfecti erant, Capellani dicti sunt. Factumque, ut jure Canonico Capellæ nomine significetur aliquando Altare, in aliqua sacra ædificatio, *can. Quasimus can. Altare l. qu. 3.* aliquando Oratorium, seu sacra ædificatio à templo sejuncta; interdum etiam Oratorium, extra templum quidem positum, sed eidem templo annexum & adhærens; subinde etiam locus sacer in templo, ferreis aut ligneis cancellis clausus, unum vel plura altaria continens.

2. Cæterum Practici Romani Capellam à Capellania distinguunt, ut Capella sit corpus, & Ecclesia per se. Capellania verò dicatur altare, in aliqua Ecclesia exstans, teste Rebuffo in *Praxi benef. Tit. Saculari benef. quoduplex n. 14.* Et ita Capella hic sumitur, pro Ecclesia scilicet minori, existente per se & seorsim ab Ecclesia majori vel Monasterio.

3. Capella itaque hoc modo sumpta vel habet populum aliquem, subditum, & curam animarum, vel non habet. Si habet, & spectat ad Monasterium, non potest regi à Monachis, sed in ea Episcopus Capellanum sæcularem, qui populum regat, consilio Monachorum instituet: ita ut solius Episcopi arbitrio tam ordinatio ejus, quam depositio, & totius vitæ pendeat conversatio, & hoc ita.

4. Sed & ad curam spectat Episcopi, ut Abbates vel aliorum Religiosorum Prælati in hujusmodi Capellis vel Prioratibus singulos Monachos aut Religiosos non constituant, qui soli in iis commorentur, sed tres, vel saltem duos. Nec proderit Prælato rescipitum, si quod habeat à summo Pont. quod singulos imponere valeat, fortè ob paupertatem Capellæ aut Prioratus, nisi rescipitum



mentionem faciat Conc. Lateranensis c. *Ex par.* 12. b. t. quod alias habebitur obreptitium vel subreptitium.

Quod si verò Abbas aliquis Monachum solitarium in Capella constituerit, potest Episcopus eum dein cogere, ut vel revocet illum ad claustrum, vel socium ei, aut socios adjungat, c. *Ad audientiam* 4. h. t. Idque ne sibi relictus ad pejora diffuset, Vx soli, inquit Sapiens Eccles. 4. quia cum ceciderit, non est, qui subleuet eum, c. *Monachi* 2. in princ. s. b. *De statu Monach.*

5. Illud etiam in c. *fin. eod. tit.* constituitur, ne quis novam Religionem constituat sine auctoritate Summi Pont. neve in diversis monasteriis quis sit Abbas vel Monachus.

## TITULUS XXXVIII.

## De Iure Patronatus.

## § I.

Quid sit, & quibus modis acquiratur hoc jus.

1. Quid sit jus Patronatus.
2. Præter præsentationem an jus aliquod competat patrono in beneficio.
3. Acquiratur hoc jus fundatione, constructione, dotatione.
4. Item præscriptione & privilegio.

Quæ deinceps traduntur in hoc libro de jure Patronatus, de Censibus, Sacramentis, de Ecclesiis, earumque immunitatibus, communia ferè sunt Clericis Regularibus & Laicis, vel sint loco appendicis & supplementi ejusdem ad superiora; veluti jus patronatus ad præbendas & dignitates, in quibus nonnunquam fit institutio ad præsentationem patroni.

1. Est autem jus patronatus, prout ei correspondet institutio, jus præsentandi instituendum ad beneficium vacans. Ita ut ejus sic sumptus sint termini, Præsentatio, Admissio & Institutio. Riccius in *Praxi post Decis.* 230. in 2. Notab. Alioquin etiam in Prælaturis, quæ sine institutione per electionem conferuntur, jus patronatus locum habet: non quidem ut patronus prius præsentet eligendum, sed ut vel ele-

ctioni faciendæ interfit, c. *Nobis* 2. 5. *vers. nisi aliter hoc titul.* vel factam electionem suo assensu comprober, d. c. *Nobis* c. *Cum terra* 14. c. *Sacro-sancta* 51 *sup. De elect.*

2. Dixi, præsentandi: quia patronus non potest propria auctoritate aliquem in beneficium intrudere, vel in eo instituere c. *Præterea* 4. cap. *Cum Laici* 10. & alia h. t. Ut neque in perceptione fructuum, proventuum, obventionum, ullatenus ullave ex causa vel occasione sese ingerere: Sed illos libere Rectori seu Beneficiario distribuendos dimittere debeat. Conc. Trid. Sess. 25. c. 9. *De reformat. & colligitur ex d. c. Præterea h. tit.* Multò minus patroni immiscere se iis possunt, qui ad Sacramentorum administrationem spectant: Visitationi verò ornamentorum Ecclesiæ aut bonorum stabilium seu fabricarum proventibus non aliter, quam quatenus id eis ex institutione ac fundacione competit Conc. Trid. Sess. 24. c. 3. *in fine.* Riccius *Decis.* 165.

An autem in alienatione rerum Ecclesiæ patronatus, ut ita loquar, consensus requiratur patroni, tractat idem Riccius *Decis.* 178. ubi negativè resolvit, cum quia id nullo jure cautum reperitur, tum quia jus patronatus ad actum præsentationis limitatum sit. Competit tamen patrono jus sese opponendi, si res Ecclesiæ dissipentur, aut sine causa distrahantur, *can. Filiis* xvi. q. 7. Cæteraque patrono competencia his verbis comprehendit. *Gloss. in d. c. 5. congruentior suo statui Nobilis.*

*Patrono debetur honor, onus, utilitasque, Præsent ut præsit, defendat, alatur egenus.*

Debetur enim patrono honor & primus locus in Ecclesiâ, cujus est patronus. Item si ad inopiam sit redactus, ali debet ab Ecclesiâ, quam fundavit & dotavit, c. *Nobis* 2. 5. h. t. *can. Quicumque* xvi. q. 7. Dico, si ad inopiam sit redactus: Nam alias ab Ecclesiâ amplius exigere non potest, quam ab initio fuerit sibi reservatum c. *Præterea* 23. h. t.

3. Tribus autem potissimum modis acquiratur jus patronatus. Primò, per fundacionem: Si prædium donetur, aut relinquatur Ecclesiæ extruendæ, c. *Abbatem* 4. xvi. q. 2. c. *Quoniam* 3. & ibi *Gloss. h. t.* Secundo, per constructionem: Cum quis Ecclesiâ suis sumptibus construit, *can. Monasterium & similibus* xvi. q. 7. vel etiam

Aaa

pland



planè dirutam ac destructam reparat; licet ex  
isdem lapidibus, & eadem materia, & altare  
intactum manserit; secus, si non planè dirutam  
& sufficientem dotem Ecclesiæ quis assignet,  
vel ministris Ecclesiæ & luminaribus neces-  
saria constituat. *can. Nemo. De consecrat. Di-  
stinct. 1.* Ut tamen ubique Episcopi accedat  
consensus, *d. cap. Nobis hoc tit. & ibid. DD. can.  
Pia mentu, can. Filius, can. Considerandum xv. q.  
7. Garz p. 5. c. 9. n. 71.* quia non spectat ad laicos,  
imponere onus aliquod Ecclesiis, *c. Ecclesia 10.  
sup. de constitution. Quamvis* sufficit ex post  
facto supervenire, *Riccius Decis. 143. n. 3.* & in  
dubio ex diuturnitate temporis intervenisse  
præsumatur, *Garz d. loco num. 72. 73. & 74.* Alio-  
quin Vicarius Episcopi absque speciali manda-  
to in reservationem hujus juris consentire non  
potest *Garz d. loco num. 75.* Capitulum verò Se-  
de vacante potest.

Cæterum per foundationem vel extructio-  
nem acquiritur demum jus patronatus, quan-  
do extructa & dotata est sufficienter Ecclesia,  
sive ab ipso fundatore & constructore, sive ab  
alio: atque ita patet posse jus patronatus acquiri  
pluribus, *c. 1. 2. 3. & c. Cum questio 27. h. tit.* etiam  
æqualiter, licet inæqualiter contrulerint, *cap. Ad  
audientiam 3. inf. de Eccles. adificandis.*

4. Dixi, tribus potissimum modis acquiri  
jus patronatus: nam & aliis modis acquiritur,  
veluti per immemoriam prescriptionem, utri-  
que contra Ecclesiam ab initio liberam, *cap. Quæ-  
relam 24. sup. de elect. & contra non libe-  
ram, sed patronatam, seu potius contra ejus pa-  
tronum, spatio 40. annorum, Covar. ad. Posses-  
sor p. 2. §. 10. De R. l. in 6. Fachin. lib. 8. Contro-  
vers. cap. 24.* Item per privilegium summi Pon-  
tificis, ob summam ejus in omnes Ecclesias &  
beneficia potestatem, *c. 2. De præbendis in 6.* non  
etiam per privilegium inferiorum Antistitum,  
vel Episcoporum, *c. 2. de reb. Eccles. non alienandis in 6.*  
latè *Garz p. 5. c. 9. n. 128.* Prædictis autem mo-  
dis potest etiam forma acquirere jus patro-  
natus, *c. Ex litteris 7. h. tit. & fin. sup. concess. præben-  
da:* non tamen Judæus, paganus, hæreticus, quia  
jura tantum mentionem faciunt fidelium &  
Christianorum.

Porrò de acquisitione & probatione juris  
patronatus, vide *Cone. Trid. Sess. 14. cap. 12. de*

*reformat. & Sess. 24. c. 9. de reformat. & Piassec d.  
loco n. 21. & seqq.*

## §. II.

## Quotuplex sit jus patronatus.

1. Aliud est Ecclesiasticum, aliud Laicum.
2. Vera ratio appellationis cujusque.
3. Cur hoc jus laico competat.

1. **E**st autem duplex jus patronatus, aliud Ec-  
clesiasticum, aliud Laicum: addunt aliqui  
Mixtum. Jus patronatus Ecclesiasticum vocant  
nonnulli, quod Ecclesiæ vel Clerico competit;  
Laicum, quod laico: Mixtum, quod partim  
Clerico, partim laico: ita ut à qualitate illud  
obtinens dominetur, sive ab initio fuerit Ec-  
clesiasticum, sive laicum.

2. Sed verius est, Ecclesiasticum dici illud,  
quod competit ratione Ecclesiæ, licet originem  
habuerit ex patrimonio laici: sufficit enim post-  
ea quovis modo translatum esse in Ecclesiam  
vel Capitulum, vel Monasterium, vel alicui dig-  
nitati aut beneficio fuisse annexum, *c. unico h. t.  
in 6. latè Garz p. 5. cap. 1. n. 553.*

Similiter Laicum, quod alicui sive laico sive  
Clerico competit ratione proprii patrimonii,  
non verò ratione Ecclesiæ, vel beneficii, *Garz  
d. c. 1. n. 592. ubi alios citat. Riccius Decis. 169.*  
Quod si non appareat, qua ratione competat,  
attenditur jus successionis: nam si per successio-  
nem deferatur, præsumitur laicum, quia jura  
Ecclesiastica jure successionis non deferuntur,  
nec dantur, *c. 1. sup. de præbendis.*

Conformiter mixtum dicitur, quod partim  
ratione patrimonii, partim ratione Ecclesiæ  
competit. 3. Tamen si autem de rigore juris  
laicus jus patronatus, de quo hic agimus, habere  
non possit, cum sit spirituale, seu potius jus  
temporale spirituali annexum, *c. De jure 16. h. tit.*  
*Quanto sup. de judicio* (antecedenter scilicet,  
quia ordinatur ad præsentandum Clericum ad  
beneficiū, ut in eo instituat) & laicus spiri-  
tualia tractare nequeat, *c. Decernimus sup. de ju-  
dicio, cap. Causam sup. De præscript.* tamen ex  
benignitate quadam à sacris Canonibus concedi-  
tur illi hoc jus, remunerationis cujusdam causa,  
ut hac ratione magis provocentur laici  
ad fundandas, extruendas & dotan-  
das Ecclesias,



## §. III.

In quo differat jus patronatus Ecclesiasticum à laico.

1. Patronus Ecclesiasticus habet semestre; laicus quadrimestre.
2. Quod currit à die notitia vacationis.
3. Patronus patroni, non presentantis aliquem intra dictum tempus.
4. Ecclesiasticus variare non potest, in presentando laicos potest.
5. Legatus summus Pont. beneficia juris patronatus Eccles. conferre potest laici non potest.

Præter discrimen, quod ex definitionibus colligitur, differunt in his. Primò, quòd patronus Ecclesiasticus habeat tempus semestre, id est, sex mensium ad presentandum; laicus quadrimestre dumtaxat, *c. Eamte 22. c. Cum præter 27. & alius h. tit. c. unico eod. in 6.* Quando autem simul sunt patroni Ecclesiastici & laici, omnes ratione communionis habent semestre, *Glof. in d. c. unico §. verum. Garz. 5. p. c. 9. n. 28. & duobus seqq.* nec intra hoc tempus potest intelligi negligentia patroni, *d. c. unico*. Et idè intra quadrimestre, concessum laico, collatio beneficii vacantis est nulla, siue facta sit ab Ordinario, vel ejus Vicario, *c. Quod autem 5. in fine hoc tit. siue à Papa, via ordinaria, d. c. unico*: ita ut nec patrono, nec ei, qui ex presentatione patroni institutionem obtinuit, præjudicet.

2. Currit verò hoc tempus, non à die, quo vacat beneficium, ut olim observatum fuit in *Rota, Decis. 1. alias 38. in antiq.* sed hodie à die notitiæ, quia in nulla materia, quantumvis levi, tempus currit ignorantibus, *l. 1. Cod. qui admitti ad bon. poss. possunt, latè Riccius in Praxi Decis. 172.* notitiæ, inquam, non interpretativè, sed verè vel præsumptè determinandæ per judicem Ecclesiasticum, consideratà qualitate beneficii, modo vacationis, longitudine temporis, distantia locorum & fama: nec scientia unius patronorum nocet alteri, sed scienti tantum.

3. Quod si patronus intra tempus à die notitiæ sibi concessum non præsentaverit aliquem, vel quia neglexerit, vel quia, si plures sint, inter eos sit lis de jure patronatus, statim, lapsò eo tempore, pro illa vice devolvitur collatio ad eum, ad quem spectat institutio, licet

is sit Episcopo inferior; ab exemptis verò ad Papam.

4. Secundo, Patronus Ecclesiasticus, si aliquem idoneum præsentaverit, non potest intra idem tempus præsentare alium: quod si fecerit, nihilominus præferetur prior tempore, tàmquam jure potior, *c. Cum autem 24. h. tit.* Et hinc fit, quòd ei potius dentur sex menses ad presentandum, quam laico, ut, cum in illo gravetur, in hoc relevetur. Nam laicus, præsentato uno aut etiam pluribus, potest adhuc idem quadrimestre alium vel alios præsentare, non quidem recedendo à prima presentatione sine causa *c. Pastorali 23. h. t.* sed accumulando posteriorem prioris, *Quod autem 5. & d. c. Cum autem 24. h. t.* & quidem toties, quoties voluerit, juxta *Glof. in Clement. Plures §. fin. in V. Presentare hoc tit.* Arque ex his Episcopus instituet, quem maxime idoneum judicabit, vel, si omnes idoneos judicet, quem voluerit, *d. c. Quod autem*.

5. Tertiò, Legatus summi Pontificis beneficia juris patronatus Ecclesiastici conferre potest, absque consensu & presentatione patroni Ecclesiastici, non etiam beneficia juris patronatus laici, sine consensu patroni, *Garz. 5. p. cap. 1. n. 571.* Ratio diversitatis est, quia patronus Ecclesiasticus subest jurisdictioni Legati, non autem patronus laicus, *c. Cum dilectus 28. h. t.* Hinc etiam nequit conferre beneficia juris patronatus mixti, sine patronorum consensu, ne ex societate præjudicetur laico, eaque ratione laici avocentur à fundatione & donatione Ecclesiarum. Quæ ratio cum cesset in beneficiis juris patronatus Ecclesiastici, ex privilegio siue speciali siue generali, vel præscriptione aut consuetudine, idè Legatus illa conferre potest absque derogatione juris patronatus, etiam nulla ejus facta mentione, *Garz. d. c. 1. n. 573.*

## §. IV.

Quomodo jus patronatus transferatur.

1. 2. Transferatur venditione, etiam in emptorem rei singularis.
3. Donatione.
4. Permutatione.
5. Successione.

Quatuor potissimum modis transferatur jus patronatus in tertium aliquem, venditione, *Aaa 2* ac,



ne, donatione, permutatione, & jure hereditarie successione, sive ex testamento, sive ab intestato.

1. Venditione, non quidem per se, quia sic venditur absque Simonia, *e. Quia Clerici 6. cap. de lure 16. h. t. Conc. Trid. Sess. 15. cap. 9. de reform.* sed cum universitate bonorum, veluti si villa aliqua vendatur, cui annexum sit jus patronatus, vel hereditas, quæ juris intellectum habet, *l. Hereditas 50. De hered. petit.* etiam jus patronatus ad emptorem transit, tamquam accessorium. Riccius *Decis. 179.* nisi nominatim in contractu exceptum fuerit, *e. Ex litteris 7. cap. Cum saculum 13. h. t. Garz. 5. p. c. 9. n. 11. & seqq.* modò tamen ejus intuitu majus pretium non exigatur: nam sic quoque saperet Simoniam.

2. Verius quoque est, transire hoc jus in emptorem rei particularis, veluti fundi, palatii, vel domus, cui accessorie adheret. *Garz. d. c. 9. n. 33. & seqq.* Item in emphyteutam, vel conductorem ad longum tempus, ratione domini utilis, quod in emphyteutam & conductorem ejusmodi transit. Unde aliud obtinet in creditore universitatis oppignoratae, *e. Cum Beroldus sup. De sent. & re judicata.*

3. Titulo verò donationis vel legati ita transit, modò, si doneatur vel legetur laico, adsit vel ex intervallo consensus accedat Episcopi, qui non requiritur, si Ecclesie vel loco pio doneatur, *e. Nullus 17. & ibi Glof. ac DD. h. t. latè Piafec. in Praxi Episc. l. 2. c. 5. art. 1. n. 36.* Ratio diversitatis est, quòd laici magis gravent Ecclesias, quàm Clerici, *can. Laicos, can. Laici 11. q. 7.* quodque Clerici, si excederint terminos, facilius compelli possint, quàm laici.

4. Titulo permutationis, modò cum alio spirituali permutetur, *juxta e. Ad Quaestiones sup. de rer. permutatione.*

5. Denique titulo & jure successione, *can. Considerandum xvi q. 7. c. Quoniam 3. h. t.* non tantum in hæredes consanguineos, sed etiam ex testamento in extraneos, sive masculos sive fœminas, sive adultos sive pupillos, idque mox adita hereditate, etiam ante captam possessionem, *Garz. d. cap. 9. n. 143.* licet contrarium doceat Riccius *Decis. 162.* Et quidem in solidum, quia jus patronatus est indivisum, *e. l. h. t. quomodo jure civili sentientes,* quæ idcirco ad hæredes in solidum

transseunt, *l. 2. §. ex his igitur D. De verb. obligat.* in stipites tamen, non in capita: ut si ex pluribus patronis unius defuncti plures sint hæredes, hi omnes in præsentando unam vocem habeant, ob personam defuncti, quem unum omnem præsentant, *Clement. 1. hoc t.* Non tamen quilibet ab alio seorsim præsentare potest, sed omnes communiter: quamvis ut Ecclesie provideatur facilius, pacisci possint, ut alterius vicibus præsentent.

## §. V.

## De Præsentatione.

1. Præsentatio quid sit.

2. Patrono negligente ad ordinarium devoluitur collatio.

3. Patronus seipsum præsentare non potest.

4. Tutor præsentat pro minore septem annis.

5. Quid juris sit, si plures sint patroni.

6. Nominatio Vicarii est quadam præsentatio.

1. PRÆSENTATIO hoc loco est personæ per patronum Episcopo, vel alteri, ad quem institutio pertinet, legitime facta exhibitio, ut ei de beneficio vacante provideat. Vacante enim Ecclesia, quæ sit juris patronatus, debet patronus intra tempus debitam præsentare Clericum, quem confidit idoneum ei, ad quem spectat institutio; eo tamen discrimine inter patronum laicum & Ecclesiasticum.

2. Nam laicus in idoneum nominans ac præsentans, jubendus est intra idem tempus præsentare alium idoneum: aliàs, lapso eo termino & nulla idonei facta præsentatione, potest is, ad quem spectat institutio, beneficium liberè, id est, absque præsentatione, idoneo conferre. Si verò Clericus, vel Monasterium, vel Capitulum scienter aliquem in idoneum præsentaverit ipso facto pro eavice privatur jure præsentandi, & is, ad quem spectat institutio, potest liberè beneficium conferre, *e. 2. sup. De concess. præbendæ, Clement. unica, de suppl. neglig. Prælat.* Sin ignoranter, non aliter intra semestre præsentare alium poterit, quàm si prius præsentatus suam præsentationem repudiaverit.

3. Cæterum tamen si pater filium idoneum præsentare possit, quia quoad hæc non censetur in jure eadem persona cum patre, non potest tamen præsentare seipsum, *cap. Per*



nostras 16. h. t. tum quia tamquam ambitiosus esse repellendus, *can. In scripturis* v. 111 q. 1. l. Si quisquam *Cod. De Episcopis & Clericis*: Atqui non ambitione, sed labore convenit unumquemque ad honorem pervenire, l. *Contra publicam Cod. de re militari*, & facit *can. Miramur Distinct.* tum quia inter præsentantem & præsentatum debet actualis esse distinctio, *cap. ult. sup. De In-* *stitut.* Riccius *Decis.* 197. Si tamen sint plures patroni ejusdem beneficii vel Ecclesiæ, poterunt ex seipsis præsentare unum, *Gloss. in c. Consuluit.* Riccius *Decis.* 197. Et, si unus sit patronus, potest ei quoque de patronato beneficio provideri, non tamen per præsentationem, sed per spontaneam provisionem ejus, ad quem spectat institutio, *Panormit. in d. cap. Per nostras n. 3 hoc t.*

4. Quod si patronus sit pupillus minor septennio, præsentabit tutor: Si verò sit major, tunc ipse etiam sine tutoris auctoritate præsentare potest, ab eoque præsentatus præferendus est præsentato à tutore, quia ut penes illum est dominium juris patronatus, ita & præsentatio, *can. Decernimus. xvi. q. 7.*

5. Si plures sint patroni, & jus patronatus spectet ad eos, ut singulos, prout in dubio spectare præsumitur, possunt singuli separatim præsentare, aliis non vocatis vel requisitis: Secus si spectet ad eos, ut universos seu jure collegii. Ratio prioris est, quia eo casu non requiritur simultaneous omnium consensus, nisi fortè vigore statuti aut consuetudinis alicujus soliti sint simul convenire. Et tunc præsentatio simoniacè facta per unum, non præjudicat præsentationi aliorum, quia tot sunt præsentationes, quot patroni. Ratio posterioris est, quia tum requiritur simultaneous consensus: Et ideo præsentatio simoniacè per unum facta præjudicat aliis, quia tunc est unica præsentatio, Riccius *Decis.* 225. Vide Garz. *d. e. g. n. 222.* & Riccium *Decis.* 177. Sin autem plures patroni ejusdem Ecclesiæ vel beneficii concurrant & discordent in præsentatione, aliis hunc, aliis alium præsentantibus, ille præficietur Ecclesiæ, qui majoribus juvatur meritis, & plurimum approbatur ad sensum, modò hoc fieri sine scandalo possit; alioquin ipse Episcopus liberè absque præsentatione aliquem instituet, *c. Quoniam 3. ubi Gloss. h. t. Riccius Decis.* 191. Quod si nec hoc absque scandalo vel turbatione possit, Episcopus Ecclesiam claudet &

tollit inde reliquias, donec inter patronos conveniat, *c. 1. 2. h. t.* In paritate vocum & meritum est locus gratificationi, *c. Cum autem 24. h. t.* nec ab ea gratificatione appellare licet, Riccius *d. Decis.* 191. ubi etiam notat, quòd civis extero, & senior juveni præferri debeat.

6. Ad præsentationem reducitur nominatio Vicarii, facta per eos, in quorum Ecclesiis unitis constituitur: Nam & illa dici præsentatio potest, & solet, inquit Garz. *d. loco n. 26.* quare vide eundem p. 9. *cap. 2. sub. 19 à n. 285.* De nominationibus Universitatum ad beneficia vacatura, quarum privilegio Lovanii gaudemus, & quarum in Gallia usus est, vide citatos per Garz. p. 4 *cap. 1. n. 27.*

## §. VI.

## De Institutione.

1. Quid hoc loco sit Institutio.
2. Præsentatus, dummodò idoneus, necessariò instituendus.
3. Per quem fiat Institutio.
4. Tempus ad instituendum præstitutum non est.

1. Institutio in jure Canonico interdum sumitur pro collatione Ecclesiæ seu beneficii, ut passim Tit. *Decret. de Institutionib.* subinde verò pro deductione in possessionem Ecclesiæ seu beneficii Ecclesiastici, quæ jure communi ad Archidiaconum spectat, *c. Ab hac. e. V. nostrum 3. sup. de officio Archidiacon.* Hoc verò loco & quidem propriè sumitur pro translatione juris Ecclesiastici, quæ fit ad præsentationem patroni Ecclesiæ seu beneficii, *c. 4. 5. 7. 8. & similibus h. t.*

2. Præsentato itaque idoneo, tenetur is, ad quem spectat jus instituendi, velit nolit conferre illi beneficium, ad quod est præsentatus: Aliàs institutio, spreto patrono intra tempus ei datum ad præsentandum, est ipso jure nulla; idque ex defectu potestatis conferendi illud beneficium intra id tempus.

3. Fit autem institutio vel per Episcopum, *c. 3. sup. de Institut.* aut Sede vacante per Capitulum, *c. 1. h. t.* aut denique per eum, cui aliàs vel ex privilegio vel præscriptione jus illud competit, *c. Auditis 15. e. Cum olim 18 sup. De præscript.* Et ideo si institutio spectet ad inferior-



rem Episcopo, ipsius Episcopi erit, curare, ut is instituat: Alioquin eo negligente, ad Episcopum devolvitur institutio.

Quod si patronus jus patronatus ultro in Episcopum transtulerit, & institutio spectet ad inferiorem Episcopum, tunc quidem jus presentandi competet Episcopo, jus vero instituendi manebit penes inferiorem Episcopum. Alioquin si institutio ad solum spectet Episcopum, confunderetur eo casu presentatio cum institutione, & proinde libere, id est, abique presentatione, beneficium confert, dummodò solus sit patronus. Nam si cum eo sint alii, tunc cum aliis presentabit sibi ipsi, priusquam instituat.

4. Observandum autem hic, nullum esse tempus constitutum Ordinatio, ad instituendum, ut nec instituto ab Ordinario, ad capiendam possessionem; nisi de Parochiali agatur: nam cum fieri institutio debet intra duos menses, ex Bulla Pii V. De concursu; alias devolvitur institutio ad Papam, vel potest simpliciter appellari, Zerola *h. tit. §. 8. dub. 3.*

#### §. VII

Quomodo amittatur jus patronatus.

1. 2. 3. 4. *Amittitur ex capite & ob crimen ipsius patroni variis modis*
5. *Si cedatur jus illud Ecclesie patronata.*
6. *Diruta Ecclesia patronata*
7. *Per confiscationem bonorum quibus accessoriè eoratur.*
8. *Non autem per non usum, aut per praesentationem compatroni.*
9. *Regalia instar jura patronatus.*

1. **P**rimò amittitur jus patronatus variis modis: Primò, si patronus Rectorem, vel alium Clericum ejusdem Ecclesiae, per se, vel per alium, occidere vel mutilare nefarie praesumpserit; & quidem usque ad quartum gradum, quoad posteros ejus, *in quibusdam inf. de poenis.* Eoque casu jus patronatus cedit Ecclesiae, cui injuria illata est.

2. Secundò, si hæreseos vel læsæ Majestatis reum fecerit. Et hoc casu jus patronatus, unà cum universitate bonorum, vel alia re particulari, cui adhæret, cedit fisco, *c. Vergentis 10. inf. de hæreticis.*

3. Tertiò, si jurisdictiones, bona, census, & jura Ecclesiae quacunque arte aut quocunque quaesito colore patronus sibi usurperet, Conc. Trid. Sess. 2: *c. de reformat.* Et quæ talis excommunicatus ipso jure, non nisi à Summo Pont. absolvendus.

4. Quartò, amittitur ipso quoque jure, si quis venditionis, aut alio quocunque titulo, contra Canonicas sanctiones, jus illud in alium transferre praesumpserit *c. Quia Clerici 6. hoc tit.* Subjiciturque poenis excommunicationis & interdicti, ex decreto Conc. Trid. Sess. 25. *cap. 9. de reformat.* Eoque casu Ecclesia redit ad libertatem, *Piasce, 2. p. c. 5. art. 1. n. 37.*

5. Quintò, si jus illud cedatur Ecclesiae patronatae, vel si quis Ecclesiam juris patronatus absque reservatione sui juris patiatur fieri Collegiatam.

6. Sextò, si Ecclesia incendio consumpta fuerit, aut terræ motu vel vitio suo convertitur. Vel si patronus jus patronatus praescribi patiatur.

7. Septimò, per confiscationem bonorum, si illis accessoriè adhæreat, etiam extra casum læsæ Majestatis aut hæresis, transit jus patronatus unà cum bonis confiscatis in fisco, etiam quoad exercitium; bonisque deinde per fisco divenditis, transit simul in emptorem. Dico, si illis accessoriè adhæreat, quia si sit personale, & per se principale, non includitur confiscatione bonorum, nec Judex Laicus potest illud per se addicere & adjudicare fisco, ex defectu jurisdictionis, & incapacitate. Ideoque ea casu remanebit penes delinquentem, donec per Judicem Ecclesiasticum tamquam indignus privetur eo jure. Sententiâ autem Judicis privatoriâ secutâ, si jus patronatus sit sanguinis, & spectet ad familiam seu consanguineos, vel eos, qui sunt de genere, ad illos transibit, juxta dispositionem fundatoris: Si verò sit hæreditarium & ad extraneos transmissibile, evanescit jus patronatus, & Ecclesia remanet libera. Non secutâ sententiâ Judicis privatoriâ, jus patronatus hæreditarium transit ad heredem, vel ex testamento, vel ab intestato, præterquam in crimine hæreseos. Ita latè Garz. *de benef. c. 9. d. n. 25. usque ad 32.*

8. Quando autem privilegium presentandi per non usum amittatur, vide apud Puteum, *Decis. 379. Veran. Decis. 130. p. 2. Riccium Decis.*



204. m. 242. ubi tradit jus patronatus non amitti per non usum. Ut neque amittatur presentatione facta per unum ex compatronis, sed saluum manet reliquorum jus, modò omnes fuerint in possessione, & eodem jure veniant, alias secus. Riccius Decis. 209 qui Decis. 226. quærit, an presentatus, cui movetur lis; possit aliquid solvere adversario, ut à lite discedat? et posse, certis limitationibus & conditionibus, decidit.

9. Denique ad instar juris patronatus, seu ex eo natum esse jus Regaliæ, notat Zyp. h. t. in fine. Verum in Brabantia & alibi in his Belgicis ditionibus non habere locum. Addit, Clerum Flandriæ ante exemptionem à corona Franciæ non amisisse regaliam: excepto episcopatu Tornacensi, cujus tamen episcopo Ludovicus a. 1357. eam restituerit, donec certius de ea sibi liqueret. Sed rursus exortam fuisse sub Philippo Pulcro, Rege Castiliæ, quem scribit ob eam, aliasque causas cum Franco bellum noluisse, sed ad Hispaniam anhelasse: Nec fuit, inquit, idem Clerus subiectus ecclesiæ Gallicanæ aut Pragmaticæ sanctioni, aut nominationibus Parisiensibus, sed semper seorsum res suas sibi habuit.

## TITULUS XXXIX.

De Censibus, Exactionibus  
& Procurationibus.

## §. I.

## De Censibus.

1. Censui quid hic significet.

2. Episcopo nomine Cathedralitici debentur duo solidi.

3. Patrono Ecclesiæ vel beneficii debetur census ab initio impositus.

4. Ex post facto census imponi non potest, ne quidem Prelatis.

5. Ne quidem etiam jurato.

6. In qua moneta solvendus sit census.

7. Censui in generali & communi accipio-ne significat, quidquid annuatim in

quantitate seu summa persolvitur, l. Etatem D. de censibus, eaque ratione etiam Tributum & Pensionem comprehendit. Hic autem sumitur pro annuo redditu, qui ex proventus ecclesiæ solvitur & Superioribus in signum subjectionis, ut episcopo, c. Constitutus 6. sup. de religiosis domibus, & interdum Summo Pontifici, c. Recepius 8. inf. de privilegiis, vel etiam inferioribus Clericis, c. Quarelam 24. sup. de elect. c. Cum Canonici penult. h. t. quandoque patronis: Sive Clericis sive Laicis, c. Præerea 23. sup. de jure patronatus.

2. etiam episcopo à qualibet ecclesiæ suæ diocesis debentur duo solidi, nomine Synodatici sive Cathedralitici, in signum subjectionis & honorem Cathedralis, c. Conquerente sup. de Officio Iud. Ordin. c. Pastoralis & ibi Glossa Innoc. & Panormit. sup. de Donat. can. Placuit x.

9. 3.

Item patrono debetur census seu redditus, quem in fundatione & dotatione ecclesiæ ab initio sibi auctoritate episcopi reservaverit, d. c. Præerea sup. de jure patronatus. \* 3. Dico, ab initio; quia, postquam Ecclesiæ jam donata & consecrata est, novi census imponi non possunt, nec veteres augeri, c. Scientes 3. c. Prohibemus 7. c. Significavit 13. hoc tit. non modò à patronis, sive Clericis sive Laicis, c. Cum Clerici 11. & c. Quamvis 15. hoc tit. sed ne à Prelatis quidem ecclesiarum, c. Præerea 8. & cap. 29. h. t. quia impositio census est quædam alienatio jurium ecclesiæ & impositio servitutis ejusdem, quæ Ecclesiæ gravatur. Abbas in d. c. Præerea h. tit. jura autem ecclesiæ nequeunt, nisi ex iusta & rationabili causa & adhibita solemnitate alienari, can. Sine x 11 q. 8. & dixi sup. Tit. de rebus Ecclesiæ non alienandis. Hanc autem solemnitatem adhibere Prelatus non potest, dum novum censum in suam utilitatem vult imponere ecclesiæ, cum nemo in proprio facto sibi auctor esse queat, Clement 1. de rebus Ecclesiæ non alienandis: Licet possit ad utilitatem alterius Ecclesiæ subsistere iustâ causâ, quando in eo loco jurisdictionem habet episcopalem, secundum Abbatem in d. cap. Prohibemus.

Sed neque fidejussoria vel juratoria cautio de novo censu imponendo & solvendo, aut veteri augendo quicquam operabitur, veterum tale juramentum omnino relaxandum.



dumerit, *cap. Graviss* & *cap. d. cap. Significavit* 13. *hoc tit.* cum vergat in detrimentum Ecclesie.

5. Permittitur autem Episcopo, quando Ecclesiam suam diocesis cum consensu sui Capituli exemptione donat, *cap. Pastoralis* 7. *in fine sup. de donat.* in eadem sibi reservare censum aliquem, *cap. Constitutus* 6. *sup. De religiosis domibus, cap. Cum venerabilis* 21. *hoc tit.* Sic enim & Pontifex, cum Ecclesiam à jurisdictione eximit Episcopi, & in suam tutelam recipit, solet oblatum eo nomine censum recipere, *d. ca. Constitutus* *vers.* Nos quoque, *cap. Si Papa de privilegiis* in 6. Sic etiam permittitur patrono Ecclesie tempore foundationis aut dotationis moderatum redditum pensionis nomine constituere, *d. c. Præterea* & *ibi Gloss.* & Abbas *sup. de jure patronat.*

Inferiores autem Clerici Ecclesias, quibus præsent, non possunt absque auctoritate & assensu Episcopi censuales facere, seu censu aliquo onerare; cum auctoritate verò Episcopi possunt.

6. Sed cum hic census annuus, de quo agitur, solvi plerumque soleat in moneta, quæ sæpè vel augetur vel minuitur, quæri potest, quâ moneta solvi census debeat. Respondet Pontifex in *c. Olim* 20. *cap. penult.* *hoc tit.* Solvendum esse ad antiquam monetam, id esse secundum æstimationem monetæ, quæ tunc cursum habuit, quando constitutus fuit census: Nisi præscriptum sit, ut solvatur ad alterius monetæ æstimationem.

## §. II.

## De Exactionibus.

1. Subditi ab Episcopo non gravandi exactionibus.
2. Exigi tamen potest charitativum subsidium.

**E**xactionum nomine intelligit hic Pont. tributa, vectigalia & tallias, *c. Omnis* 2. *h. t.* 1. Prohibet autem in *cap. Cum Apostolus* 6. *h. t.* prohibemus *h. t.* ne subditos suos tallis & exactionibus Episcopi gravare præsumant. 2. Permittit tamen, ut superveniente justâ & rationabili causâ, cui subsidio opus habeant, valeant cum charitate moderatum ab iis auxilium postulare: Quod idè Interpretes solent

appellare Charitativum subsidium, *d. §. Prohibemus* & *c. Conquerente* 16. *in fine sup. De officio Iudicis Ordinaris.* Piasce p. 2. c. 2. *art. 2. n. 12.* de quo latè Chastan. *ad Conf. Burg. Rub. 1. §. 4. vers.* Et sur les hommes subjets, num. 11. & multis segg. Boëtius *Decis* 158. extantque de eodem singulari Tract. Bartholomæi de Bellenzinis & Remigii de Gonnii. Ceterum in *d. §. Prohibemus in fine.* vetat quoque Pontifex, ne Archidiaconi sive Decani ullas exactiones sive tallias in Presbyteros seu Clericos exercere præsumant.

## §. III.

## De Procuracionibus.

1. Procuracionum nomine quid hic veniat.
2. Nulla Ecclesia ab his libera, neq. uidem præscriptione.
3. Modus visitationis & procuracionis.
4. Visitatio à Cathedrali Ecclesia inchoanda.
5. Forma & ordo visitationis, remissivè.

**P**ER Procuraciones hoc Tit. intelligitur necessarium sumptuum exhibitio, quæ ratione visitationis debetur ab Ecclesia vel Monasterio, ei, cui ex officio incumbit jus & onus visitandi, sive is sit Episcopus, sive Archidiaconus, sive Decanus, sive Legatus Summi Pontificis, *c. Cum Apostolus* 6. *in princ. c. Cum instantia* 17. *Procuraciones* 23. *h. t.*

2. Ab his autem procuracionibus nulla Ecclesia aut Monasterium excusatur, & ne quidem præscriptione tolli possunt, *d. c. cum Apostolus* 6. *Prohibemus*, *d. c. Cum instantia* *hoc tit.* & *c. Conquerente* *sup. De officio Iud. Ordin.* tum quia exhibeantur in signum subjectionis obedientie, quam contra Prælatum subditus nequit præscribere, *c. Cum non liceat* *sup. De præscript.* tum quia, cum nemo cogatur, Apostolo teste. *1. ad Corinth.* 9. suis militare stipendiis, meritò qui spiritualia seminat, & carnalia metere debeat. Ideoque licet Ecclesia aliqua steterit diu, nec unquam procuracionem visitandi exhibuerit, tamen nunc demum petenti exhibere cogitur, *cap. Venerabili* 24. *hoc tit.* nisi per privilegium speciale Summi Pontificis probeat se ab ea exemptam, *d. cap. Cum instantia.*

3. Quantum ad modum visitationis & procuratio



rationis attingit. eum quidem præscripserunt Olim Conc. Lateranense in d. c. *Cum Apostolus*, & deinde Lugdunense, in c. 2, h. t. in 6. verum hodie tota hæc res revocanda est ad decretum Conc. Trid. Sess. 24. cap. 3. De reformat. ex quo & can. *Decernimus*, can. *Episcopum*, x. q. 1. tenetur Episcopus totam suam diocesim circumire ad minus semel quolibet biennio: & quidem per se, nisi legitime impeditus fuerit; nam tunc ei permittitur, ut visitationem alteri committat, d. can. *Episcopum*, c. *Inter cetera* sup. de officio Ordinarii, c. *Si Episcopus eod.* in 6. Conc. Trid. d. loco in princ. Non tamen cogitur Episcopus præcisè visitationem suam absol-vere & concludere intra prædictum tempus, sed id relictum est arbitrio ipsius, moderato tamen & discreto, ex rescript. Sacra Congregat. Piafec. 2. p. 3. a. 1. n. 1.

4. Hanc verò visitationem à Cathedrali incipere debet, c. *Romana* h. t. in 6. nec aliquà exemptione, consuetudine, sententia, juramento, aut concordia (nisi ea à Sede Apostolica fuerit confirmata, ex certa scientia, juxta declarat. Sacra Congregat.) Capitula hujus, vel aliarum majorum Ecclesiarum, illorumque personarum se ab hac visitatione subducere vel tueri possunt, Conc. Trid. Sess. 6. cap. 4. De reform.

3. Qua autem forma & quo ordine visitationem instituere, & de quibus inquirere debeat Episcopus, siue Cathedrali visitet Ecclesiam, siue Collegiatam vel Parochialem, siue Seminaria, Confraternitates, Hospitalia, vel denique Regulares ac Sanctionales, quia id fuit tradit Piafec. 2. p. Praxis Epif. toto c. 3. ejusque rei Praxis compendiosam libro singulari complexus est Paulus Salodius, Canonicus Mediolanensis, à sanctissimo Cardin. Carolo Borromeo per diocesim Mediolan. deputatus Visitator: ideo brevitatibus causis ad eos lectorem remitto.

#### §. IV. A quibus debeantur procuraciones & victualia.

1. 2. Procuraciones & victualia debentur à Clerico & Ecclesiis.
3. Cetera jura Episcopalia in qua moneta solvenda.
4. Prebendatio, Cathedralicum & obavitatio.

5. Facultus visitandi datur Episcopo cumulatim.
6. Quæ datur Ordinariis, censeri datam Abbatibus vel aliis Præfatis.
7. Quæ præstanda sint visitantibus.

1. Notandum verò, procuraciones & victualia, de quibus Conc. Trid. loquitur, de jure solum debere à Clerico Ecclesiis & locis pijs, non autem à Laicis, quamvis simul visitentur, quia nullus juris textus Laicos ad hoc onus expressè obligat, sed solum Clerum, Ecclesias, & pia loca, dum visitantur, ut possim videre est, & maxime in c. *Cum instantia* §. *sanè in his exigendis* h. t. Extrav. unicà §. *ita quod expensa* & §. *nostra* h. t. in communib. can. Intra cetera & can. illud x. q. 3. ubi tantum Clericorum & Ecclesiarum fit mentio, & ita Gloss. in c. 1. in princ. in V. *Laicos* h. t. in 6. ubi testatur de consuetudine.

2. Nec obstat, quod textus videantur velle, ut sumptus victualium præstentur à visitatis, c. *Romana* §. *deinde* h. t. in 6. c. *Si Episcopus* sup. de officio Ind. Ordin. can. *Carvendum* x. q. 3. Conc. Trid. d. loco: quia id intelligi debet de Clericis visitatis, ut patet ex allegatis juribus, & præsertim ex c. *Egit de censib.* in 6. in verbis *quoniam de dupli. huiusmodi gravatis Ecclesiis plenariam satisfactionem impendant*, & c. *Felici* eod. in 6. ubi Gloss. loca visitata interpretatur Ecclesias, in V. *persolvendum*. Videatur hac de re plenius dis-ferens Grivel. decis. Dolanà 119 ubi refert in hanc sententiam rescriptum Principem Belgii ad Senatum Dolanum.

3. Quantum ad alia jura Episcopalia, ea quæque solvi debent secundum antiquam taxam, d. c. *Prohibemus*, & mensuram, c. *Ex parte* 18. & antiquam monetam, nisi in alterius monetæ solutione præscriptum sit, c. *Olim* 20. h. t. & c. *Conquerente* sup. de offic. lud. Ordin. ubi taxatum ad duos solidos mutari & excedi non debet. Verum quia solidorum valor conformis non est, sed varius, attenta varia provinciarum taxatione, secundum Covar. 1. *Variar. resolut. cap. 2.* & 3. ideo in ejus solutione spectanda erit diversarum Cathedralium legitima consuetudo, Zerola in Praxis 1. p. in V. *lus Cathedralium*, ubi plenius vide. Verum hæc tempora vix antiquos nummos ferunt, ob novas artes circa



monetam, non tam noviter repertas, quam nimis exercitiss, inquit Zyp. *h. t. num. 9. in fine.*

4. Deinde notandum, quod licet contra procuracionem non potest præscribi, c. *Ex officii sup. De præscript.* ita nec contra jus Cathedralicum aut subsidium charitativum: quamvis contraria consuetudine introduci possit, ne solvantur, ut constat ex Concil. Trid. *Sess. 24. cap. 3.* ubi vult visitationem gratis fieri, ubi ea consuetudo est, ut nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud à Visitatoribus accipiantur: si quidem multa per consuetudinem tolli possunt, quæ nequeant per præscriptionem, Zerola *d. loc. ad 4.* cum multa etiam requirantur ad præscriptionem, ut v. g. titulus, bona fides &c. quæ non requiruntur ad consuetudinem.

5. Notandum tertio, quod facultas visitandi, quæ datur à Conc. Trid. *Sess. 6. cap. 4. c. Sess. 23. cap. 6.* detur cumulativè, non verò privativè, id est cum aliorum exclusione. Ideoque si qui ex jure vel ex consuetudine potestatem habeant visitandi, poterunt ea uti, si velint, aut cum Episcopo, aut seorsim ab eo, quando voluerint visitare, ex *Congregat. Interpp. Concil. Gonzales ad Reg. VIII. Cancell. parag. præmialis a. num. 21.*

6. Notandum quarto, quod dum *Sess. 7. cap. 8. c. Sess. 21. cap. 8.* datur Ordinario potestas visitandi quotannis quascumque Ecclesias, etiam quomodolibet exemptas, auctoritate Apostolica, sub nomine Ordinarii intelligantur etiam Abbates, similesque Monasteriorum Præfati, ut proinde visitare suas Ecclesias possint: quia sub nomine Ordinariorum etiam inferiores Ecclesiarum præfati intelliguntur, qui jurisdictionem habent, non itidem sub nomine Diocesani, ut ex Azorio *Instit. moral. lib. 12. cap. 18.* notat Zyp. *h. tit. num. 7.* Ubi subiungit, quod cum videatur esse repugnantia quædam inter *cap. 8. Sess. 21.* cui congruit *cap. 10. Sess. 24.* ubi statuitur, ne ulla exemptio visitationi Episcopi obstare possit, & inter *cap. 20. Sess. 25. de Regularib.* ubi contra statuitur, ut Abbates, quæ sunt Ordinum capita, & alij prædictorum Ordinum Superiores, Episcopis non subditi, quibus est in alia inferiora Monasteria Prioratusve legitima jurisdictio, eadem illa subdita sibi Monasteria & Prioratus suo quique loco atque ordine ex officio visitent, etiam si compen-

data existant. Clemens VIII. ex *Sententia Sacre Congregat. 20. Junii 1595.* pro Monasteriis Cisterciensis Ordinis utriusque sexus datis litteris declaravit, non licere Ordinariis Monasteria dicti Ordinis visitare, nisi juxta præscriptum decreti *Sess. 21. cap. 8.*

7. Denique ex eodem Conc. Trid. *Sess. 24. cap. 3. §.* Interimque caveant, videndum, ne Episcopi, dum visitant, & qui in eorum sunt comitatu, inutilibus sumptibus cuiquam graves onerive sint, neve ipsi, aut quisquam suorum, quidquam procuracionis causa pro visitatione, etiam testamentorum ad pios usus, præter id, quod ex relictis pijs jure debetur, aut alio quovis nomine, nec pecuniam, nec munus, quodcumque sit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant: non obstante quacumque consuetudine, etiam immemorabili. Exceptis tantum victualibus, quæ sibi, ac suis frugaliter, moderateque, pro temporis tantum necessitate, & non ultra, erunt ministranda: sic tamen ut sit in optione eorum, qui visitantur, an malint solvere id, quod erat ab ipsis ante certa pecunia taxata consuetum solvi, an verò prædicta victualia subministrare: salvo item jure conventionum antiquarum cum Monasteriis, alijsve pijs locis, aut Ecclesijs non Cathedralibus inito, quod illarum permanere debeat.

## TITULUS XL.

### De consecratione Ecclesiarum vel Altaris.

1. Ecclesia & Altaria consecranda ab Episcopo.
2. Et semel impensa consecratio non repetitur.
3. Quo pacto probetur Ecclesiam consecratam esse.
4. Quibus casibus iterari possit consecratio vel non.
5. Quibus casibus reconcilianda sit Ecclesia.
6. Ecclesia polluta, censetur pollutum committere, non contra.

Ad



**A**d plenum jus patronatus non sufficit, Ecclesiam esse fundatam, constructam, & dotatam, sed insuper requiritur, ut sit consecrata: iusta proinde ratione hic Tit. subijcitur, *De consecratione Ecclesie vel Altaris*; præsertim cum immunitates & census, de quibus antè egit Pontifex concedi & imponi soleant in ipsa consecratione,

1. Ecclesia igitur legitime exstructa, priusquam sacris ministeriis seu mysteriis deputetur, ne divino cultui mora iniiciatur, quantocius consecranda est à diocesano Episcopo, *can. Ecclesiis xvi. 9. 7. cap. 1. sup. De religiosis domib. vel ab alio, de diocesani mandato, c. Aqua penult. h. tit.* non autem à simplici aliquo sacerdote, ne quidem de mandato Episcopi: quia consecratio Ecclesie est ordinis Episcopalis, & proinde nequit demandari Clericis inferioris gradus, *d. c. penult.* Pari modo consecranda quoque sunt Altaria lapidea, in Ecclesia constituta, sive plura, sive unum, sive eodem die & simul cum Ecclesia, sive diversis & seorsim; si autem eodem die licet plures Episcopos consecrare, *c. 5. h. tit.* Neque enim ex consecratione Ecclesie sequitur Altarium consecratio, *c. 1. hoc tit.*

Debet autem hæc consecratio fieri inter Missarum solennia, *can. 2. & can. De fabrica. De consecrat. Dist. 1.* & ritus omnes in Pontificali præscripti necessarii adhibendi sunt, *Piafec. 1. p. cap. 2. art. 4. num. 9.* Idque ex Ecclesie præcepto aut consuetudine: & propterea rata & firmata manebit consecratio, facta sine Missæ sacrificio. Quolibet verò die, sive festo sive profano, consecrari Ecclesia potest, *cap. tua Fraternalitas 2. h. t.*

2. Semelque impensa consecratio, instar baptismi non repetitur, *can. Ecclesiis 20. d. Dist. 1.* ne quidem eo casu, quo Ecclesie, illæsi parietibus, vel in toto vel pro majori parte corrui, *c. Ligneis 6. & ibi Gloss. h. t.*

3. Quod si de Ecclesiarum vel Altarium consecratione dubitetur, nec de ea scripturæ appareant, vel testes existant, consecrari eas oportet, *can. Ecclesiis 18. d. Distinct. 1.* Creditur verò dicto unius testis, qui dicat fuisse consecratam, sive de visu, sive de auditu. Vel si appareat nota aliqua in libris Ecclesie, vel in pariete, seu aliqua tabula marmorea, iudicatur fuisse consecratam. Huiusmodi enim semple-

næ probationes tunc sufficiunt, quando evenit, que nemini sit præiudicium aliquod, *can. Solemnitates 16. junctæ Gloss. in 1. scriptura De consecrat. Distinct. 1. Piafec. d. locum. 5. & 6.* Sim autem dubitetur, à quo consecranda aut dedicanda sit Ecclesia, seu in cujus sit diocesi, consecrabitur ab eo, Episcopo qui ibidem prius Episcopalia exercuerit, *cap. 1. sup. De religiosis domib.*

4. Ecclesia verò exusta (ita scilicet, ut parietes combustis, diruti, vel totaliter aut pro maiore parte decussati sint) aut diruta (ita ut parietes ex toto vel pro maiori parte corruerint, ac deinde in eandem vel similem formam ex iisdem lapidibus restituta, iteranda consecrationis est solemnitas, *d. can. Ecclesiis 20. & can. De fabrica 24. Distinct. 1.* Secus si testum dumtaxat, aut de parietibus quid nō edicunt fuerit exustum aut dirutum, *d. c. Ligneis 6. h. tit.* *Piafec. d. loco,* ubi tradit, id totum pendere à iudicio Episcopi: quia consecratio consistit in parte exteriori parietum, qui chrismate liniuntur & in quibus signum Crucis apponitur.

Sed neque iterum consecranda est Ecclesia, si successivis temporibus partes eius exemplar fuerint & reparatae, sed sufficit aspersio aquæ benedictæ, *d. can. De fabrica*: quia semper eadem intelligitur Ecclesia, idque ne facile contingat iterari consecrationem. Altari verò violato, id est si vel loco motum fuerit, vel lapis illi impositus, qui sigillum continet, contractus aut diminutus ipsum Altare, non Ecclesia, iterum consecrari debet.

5. Quod si Ecclesia consecrata per iniuriosam sanguinis, etiam Martyris, aut seminis humanis, effusionem, sive licitam sive illicitam, *Piafec. d. locum. 7. versic. Item polluitur per c. fin. h. t.* aut per sepulturam pagani, hæretici, excommunicati, polluta fuerit, cadavere eiusmodi exhumato, si discerni possit, non quidem iterum consecranda, sed reconcilianda est ab Episcopo aspersione aquæ solemniter cum vino & cinere per eundem benedictæ, quod divina officia in ea resumantur possint, *c. Proposuit 4. & Aqua 9. & alii h. tit. c. unico eod. in 6. Piafec. d. locum. 7.* Quod receptum est in terrorem delinquentium: & ideo ob occultam pollutionem Ecclesia non indiget reconciliatione, *Piafec. ibid. vers. in omnibus.* Ecclesiam verò



in qua cadavera infidelium sepeliuntur, consecrare non licet, sed si apta videatur ad consecrandum, non nisi evulsis inde corporibus, erasis parietibus & tignis, reaedificanda & consecranda est, *can. Ecclesiam 28. De consecr. Distinct.*  
 7. Dixi, per injuriosam sanguinis effusionem; quia sola talis Ecclesiam polluit, *d.c. unico eod. in 7.* non si casu aliquo percussus fuerit quis ad sanguinis profluvium, aut si modicus fluat sanguis, ex naribus puta percussus, *Pialee. d.n. 7. in princ.*

Dixi, etiam Martyris; quia licet sanguis Martyris Ecclesiam non polluat, sed ornet: tamen Ecclesia polluitur propter persecutoris actionem, quæ Deo displicet, non ob Martyris passionem quæ Deo est gratissima.

6. Porro Ecclesia polluta, etiam cœneterium, eidem contiguum, censetur esse pollutum non è converso, ne minù id gremium & accessorium trahat ad se magis id gremium & principale, *d. cap. unt. o. juncto cap. Accessorium De R. l. in 6.* Duorum verò pluriusve cœneteriorum, sibi coherentium, s. d. pariete subjunctorum, polluto altero, alterum propterea non censetur pollutum, licet ab uno ad l. addatur accessus, *d.c. uno, ubi plenius Gloss. ad V. pollut.* Ut autem Ecclesia polluta reconciliari debeat, ita & altaria in ea existentia, *Panormit. & alii in d. c. Proposuit h. e.*

Notandum hic quoque, diem anniversarium consecrationis ex iusta causa posse in alium diem transferri, prout respondit Sacra Congregatio Episcopo Briftonensi 19. Februarii 1585.

## TITULUS XLI.

### De celebratione Missarum, & Sacramento Eucharistiæ, & divinis officijs.

§. I. Quid sit Eucharistia, & de materia hujus Sacramenti.

1. *Definitio hujus Sacramenti.*
2. *Materia est panis & vinum.*
3. 4. *Panis verò triticeus, azymus non fermentatus.*
5. *Vinum autem de vite & purum.*
6. *Cur vinum aqua miscetur.*

Consecratio Ecclesiæ vel Altaris, de qua proxime dictum est, ordinatur ad celebrationem Missarum, aliaque divina officia ac principaliter ad consecrationem Eucharistiæ, quæ non nisi in Ecclesia vel Altari consecrato celebrari debent. Acturusque de his Pontifex exorditur ab Excellentissimo & augustissimo Eucharistiæ Sacramento, quia illud est Missæ fundamentum & caput.

Nomen Missæ dicitur à mittendo, id est vel à dimittendo cœtu Christianorum ad sacrificandum communicandumque congregato, vel à transmissa in cœlum hostia, pro nobis apud Deum Patrem propitiatoria, nempe ipso Christo redemptore nostro pro nobis oblato, itaque Missa pro missione dicitur, sicut Collecta pro collectione. Proba pro probatione. Alii vocabulum Missæ volunt esse Hebræicam vel Chaldaicam, & significare oblationem; quod non videtur verosimile Boetio Eponti, in sua de antiquitate Missæ Relat. one.

1. Quod ad Sacramentum Eucharistiæ atinet omittis variis nominibus, quibus hoc Sacramentum ob varios resp. & s. q. os habet, nuncupatur, d. si uti potest, esse Sacramentum continens sub specie panis & vini, vel alterius eorum, verum corpus & sanguinem Christi, ut colligitur ex *c. Marthe 6, h. 1.* & decreto Conc. Trid. de hoc Sacramento *Sess. 13. c. 1. & 3. & can. 1. & 3.* Corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub specie vini, ex vi ve horum; ipsam autem corpus sub specie vini; & sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis & concomitantia, quæ partes Christi Domini inter se copulantur; divinitatem verò propter admirabilem illam ipsius cum corpore & anima hypostaticam unionem, prout expressè declarat Conc. Trid. *d. loco. c. 3.* Vide *can. Species & plures alios. De consecrat. Dist. 2.*

2. Materia hujus Sacramenti est panis triticeus vinum de vite, modicè aquæ mixtum, *can. 1. can. non oportet 4. can. Cum omnes 7. & alii de consecrat. Distinct. 9.* nam Christus in ul-



ultima coena hoc Sacramentum instituens hanc materiam adhibuit, *can. in Sacramento Diss.* 3. Concil. Trident. Sess. 22. *can. 4.* ubi ait: Si quis dixerit, aquam non esse miscendam vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem, anathema sit. \* 3. Panis qui dem triticus, cum quia illo communiter utimur, tum quia ceteris melius nutrimentum praestat. Hinc panis ex fratre, oryza, fabis, castaneis, & id genus alijs fructibus vel leguminibus, non est materia huius Sacramenti: uti nec puls, vel farina elixata, friata & spissata in pacem, ut satis in r. omnes convenit. Similiter nec panis confectus ex aqua rosaria, aut alia species distincta à naturali, nisi tam modica fuerit admixta quod in naturalem transferat.

De siliginis v. r. pane sitne materia huius Sacramenti, dubitatur. Ita existimat Divus Thom. quia solo accidente differat siligo à tritico, & ex tritico nasci solet siligo inutili & macerata: Aliud dicendum de lolio, etiam nato ex tritico, quia mutat naturam & desinit esse triticum, ut notatur in *d. can. in Sacramento*.

4. Graeci utuntur pane fermentato, Neph. lib. 3. cap. 18. melius Latini pane utuntur azymico, seu non fermentato, *6 ult. h. t.* quia Christus in eo consecravit, nempe XIV. Luna Martii, quo tempore non nisi azymici panes comedi poterant, ut patet. *Exod. 12.* & ex alijs locis veteris Testamenti: tum quia melius significatur syncretitas vitae, requisita in accedentibus ad hoc epulum: tum quia melius designatur, quod verbum univertit sibi naturam humanam purissimam ac sine ulla virilis seminis participatione, si tamen Latini uteretur pane fermentato, ut si co-ficeret hoc Sacramentum, iuxta communem Theologorum sententiam, *adversus Glos. in can. 2. De consecrat. d. Distinct. 2.* d. graviter peccaret.

5. Requiritur etiam vinum de vite, ut loquitur Conc. Florent. *in instruct. Armenior.* quia in eo Christus Sacramentum hoc confecit, *Luca 22. d. can. in Sacramento*. Et hoc solum vinum est proprie vinum. Hinc lae non est materia huius Sacramenti, *d. can. Cum omne Distinct. 2.* uti nec ac-tum ex vino confectum, cum non sit vinum, sed vini corruptela: nec etiam omphacinum, quod ex uvis immaturis

exprimitur, quia non tam vinum est, quam vini quidam embrio. Aliud dicendum de vino acescente, ac tendente ad acritudinem, quamdiu manet substantialis forma vini; licet in tali vino consecrans peccaret, ob irreverentiam Sacramenti. Similiter aliter dicendum de musto: nam Julius Pontifex in *d. can. Cum omne*, permittit in necessitate unum in calice premi. Non tamen integra sunt Sacramento miscenda, *can. Distinctus d. Distinct. 2.* cum quia ibi aliquid est prater vinum, tum quia uva non est moraliter vinum potabile, uti nec vinum congelatum.

Cur autem vinum debeat esse permixtum aquae, tres adfert rationes Conc. Trid. *d. Sess. 22. cap. 7.* Prima est, quod Christum Dominum ita fecisse creditur. Et haec ratio adfertur à plurimis Patribus & Conciliis, ut videre licet apud Azor. *l. p. Instruct. Moral. l. b. 16. cap. 30.* Secunda, quia e latere ejus simul aqua cum sanguine exiit, *d. can. 1. De consecrat. Distinct. 2.* ac proinde ad utrumque exprimendum modica aqua permiscetur, sic ut à vino absorbeatur, *d. Perniciosus penult. hoc tit.* Alioquin licet quidam existiment aquam in calice admixtam vino non converti in sanguinem Christi, nisi ante fuerit in vinum conversa: nihilominus contraria sententia est probabilis, ut patet ex *d. 6. Cum Martha hoc tit.* Confirmaturque ex eo, quod saepe non possit tam eleuter aqua vino admixta naturali actione converti in vinum, praesertim quando vinum est d. bile, & multum aquae admiscetur, veluti testis patet, *juxta can. 19. Conc. Triburienfis.* An autem aqua sit permiscenda vino ex Christi praecepto, an verè ex institutione Ecclesiae, queri potest. Et probabilius esse potest colligitur ex Concil. Trid. *d. loc. Azor. d. capite 30. vers. Altera questio.* Tria ut sepius sentetur unio Christi cum Ecclesia: nam vinum significat Christum, & aqua populum fidelem, *d. can. Cum omne vers. Ergo Distinct. 2.*

## §. II. De forma & Ministro Eucharistiae

1. *Forma* quibus verbis conficitur, & effectus illius.
2. *Minister* huius Sacramenti, ut solus sacerdos licet malus, &c.



2. *Confici debet in sacrificio Missæ.*

4. *Et semel in die tantum regulariter.*

1. **F**orma consecrandi à Christo tradita, *Matth 26. Marci 14. Luca 22. 1. ad Cor. 11.* in pane est hæc, *Hoc est corpus meum* : & in vino. *Hic est calix sanguinis mei*, seu, *Hic est sanguis meus*. Qua prolata seu accedente ad prædictam materiam per debitum Ministrum, fit conversio totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis (quæ conversio convenienter & propriè ab Ecclesia transsubstantiatio est appellata, Conc. Trid. d. Sess. 13. cap. 4.) ita ut eodem prorsus instanti, quo desinit esse substantia panis, sub speciebus incipiat esse corpus Christi & sanguis: ad eum modum, quo docent Philosophi, idem esse instans, quo desinit esse forma æris, & producit forma ignis. Remanentque post consecrationem solæ species sine ullo prorsus subiecto, cum sola sua extensione, à se formaliter tantum distincta, non triam cum quantitate substantiæ, ut probabilius existimo.

In hoc autem Sacramento tria reperiuntur, quæ diligenter distinguenda sunt, videlicet forma visibilis panis & vini, veritas corporis, & virtus spiritualis, prout distinguuntur & explicantur in d. c. cum Martha §. *Distinguendum hoc tit.*

2. Minister conficiens hoc Sacramentum est solus Sacerdos ritè ordinatus, c. 1. *sup. De Trinitate. can. Perleſtis §. ad presbyterum Dist. 25.* sive bonus sit sive malus, etiam irregularis, interdictus, suspensus ab Ordine, depolitus, degradatus, Simoniacus, publicus & notorius peccator. Nam licet hi à jure consecrare prohibeantur, si tamè consecrent de facto debita forma & intentione, verè efficiunt corpus Christi, quia non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur Creatoris, *can. Et dixit 26. in fine, can. Quia corpus 35. vers. Recedas, can. panis est 55. & can. Corpus 60. de consecrat. dist. 2. & virtute Spiritus S. can. Virum 72. ead. Dist. atque ut meritis bonorum virtus Sacramentorum non amplificatur, ita nec malorum vitijs attenuatur, can. Multi secularium 1. q. 1.*

3. Conficere verò hoc Sacramentum tenetur Sacerdos in sacrificio Missæ, ac toties illud sumere, quoties celebrat, & quidem sub utra-

que specie, *can. Relatum 11. d. Distincti 2.* Alioquin simulans se conficere, & non conficiens, peccat gravius, quam qui conficit, sciens in peccato mortali se constitutum, quia primo casu Deo illudit, & proximum decipit, altero solum offendit Deum, c. *De homine 7. h. tit.* Consecrans autem & non communicans ab Ecclesiæ arcetur liminibus, *can. Peracta 10. d. Distincti.* & à celebratione suspenditur per annum, d. *can. Relatum.*

4. Tenetur item Sacerdos quilibet, quanto frequentius potest Missarum solemnia celebrare, c. *Significatum 11. sup. De præbendis, Concil. Trid. Sess. 23. c. 14.* semel tamen in die dumtaxat, c. *Consulisti 3. h. t.* quia Christus semel passus est, & totum mundum redemit: salixque in primis est, qui unam dignè celebrare potest. Quia tamen quotidie peccamus, saltem iis peccatis, sine quibus mortalis vivere infirmitas non potest, ideo iteratur quotidie hæc oblatio, ut quia quotidie labimur, Christus quotidie mysticè pro nobis immoletur, & recidiva peccata relaxet, *can. Iteratur 71. De consecrat. Distincti 1.* Qui semper peccat, semper debeo habere medicinam, inquit *D. Ambros. can. Si quiescimusque 14. d. Distincti.* Excipitur dies Nativitatis Domini, quo tres, & casus necessitatis, quo duas, non etiam plures celebrare Missas licet, c. *Consulisti 3. & c. Ex parte 5. h. t.* modò tamen post assumptionem corporis Christi in prima vinum perfusionis seu ablutionis non acceperit, d. c. *Ex parte*: quia hoc Sacramentum à jejuno sumi debet, *can. Nihil 16. in fine v. 11. q. 1.* Casus autem necessitatis, & cur tres Missas in Nativitate Domini celebrare liceat, vide apud *Glof. in d. c. Consulisti & Navar. in Manuali cap. 15. num. 87.*

### §. III. De alijs non conficientibus hoc Sacramentum, illud tamen summentibus,

1. *Quilibet Christianus sumere illud debet, saltem semel in anno.*
2. *Quinam removeantur à Communione.*
3. *Laici & Clerici non celebrantes sub una specie communicant.*
4. *Solus Sacerdos erga hoc Sacramentum regulariter.*

Non



**N**on solum Sacerdos, hoc Sacramentum solus conficiens, illud sumere tenetur, sed & quilibet alius Christianus, ubi ad annos discretionis pervenerit. Et quidem olim circa prima fidei incunabula frequentissima erat apud fideles ejus susceptio, verum postmodum, tepescere paulatim Christi fidelium ardore, statutum fuit, ut nisi quis forte majoribus criminibus impediretur, ter saltem in anno, nempe in festo Paschatis, Pentecostes, & Natalis Domini, communicaret, *can. Etsi non frequenter 10. can. Omnis homo 21. De consecrat. Distinct. 1. ac tandem eo decursum est, ut quisque saltem ad minus semel in anno, & quidem in Paschate, suscipiat Eucharistiæ Sacramentum, arcendus alioqui ab ingressu Ecclesiæ & Ecclesiastica privandus sepultura: nisi forte quis de proprii Sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus duxerit abstinendum, *c. Omnis utriusque 12. inf. De poenit. & remissionib.**

2. Quod præceptum de communicando in Paschate currit à Dominica Palmarum usque ad octavam Paschatis inclusive, ut ex alijs, quos eam in rem citat tradit Zerola in *Praxi 1. p. 7. Eucharistia §. 7.* ita ut, qui communicat intra hoc tempus, satisfaciatur præcepto, nec incurtat poenas quæ passim à Prælati imponuntur non communicantibus in Paschate. Quinimò satisfaciunt, qui communicant quolibet die Quadragesimæ, ubi de hoc legitima & præscripta est consuetudo. *Nav. in Manuali cap. 21. n. 45.* licet olim sub Marco Aurelio, à Sotere Pontifice statutum fuerit, ut in cena Domini communicaretur: nam postea hæc angustia temporis ad duas hebdomadas laxata est.

3. Debet autem quisque, ad hoc Sacramentum accedens, peccata sua omnia legitime fuisse confessus. Item jejunos excepta causa extreme infirmitatis, in qua, ne sine viatico hoc infirmus decedat, etiam à cibo sumpto rectè communicat, *can. Presbyter 93. De consecrat. Dist. 2.* Debet abstinuisse ab uxore & Venere ante sacram communionem tribus, quatuorve aut octo diebus: ex honestate tamen non de præcepto, *can. Omnis homo 21. d. Distinct. 2.* Non excommunicatus aut interdictus, *can. Tribus gradibus 23. §. præcipimus & similibus: non hæreticus aut ipsidelis, can. pen. & fin. xxiv. 9.*

1. *can. Qui a passus 25. d. distinct. 2.* non iustitio aut scenticus, quando huiusmodi artes improbas exercent, *can. Pro dilectione 95. cum can. seq. ead. distinct.* sed deum peracta confessione ac poenitentia. In causa tamen necessitatis, id est morientibus, sed poenitentibus, etiam ex gravissimis sceleribus, viaticum Eucharistiæ non est negandum, licet in vita denegari debuerit, *can. Poenitentes distinct. 50.* etiam excommunicatus, modo satisfecerint, *can. Tanta 24. Distinct. 86.* Similiter nec denegari debet infirmis, qui postquam illud petierint, priusquam accipere potuerint, oppressi infirmitate obmuerunt aut in phrenesi lapsi sunt, habito testimonio eorum, qui petentem ac poenitentem audierint, *can. Is qui xxv. q. 6.* Sed nec occultum peccatorem, quem Sacerdos pro certo scit esse reum alicujus criminis & impoententem, publicè accedentem ad communionem nominatim repellere potest, *c. Si sacerdos 2. sup. De officio lud. Ordin.* sed debet eum secretò monere, ne se ingerat communioni: quam nec Christus ipsi Judæ, quamvis ejus occultam proditoris cogitationem nosset, negavit, *dic. Si sacerdos, & can. Sicut Judas 68. De consecrat. Distinct. 2.*

Ceterum licet Sacerdos celebrans Sacramentum hoc sub utraque specie participet, tamen ab Ecclesia receptum est, ut laici & Clerici, illud non conficientes, sub una tantum specie panis sumant, *Concil. Trid. Sess. 21. cap. 1. in doctrina, De communione,* sub qua non minus totus ac integer Christus verumque Sacramentum, quam sub utraque, sumitur, *Conc. Trid. ibid. cap. 3. & can. 3.* sicut etiam in singulis portionibus hostiæ consecratæ totus & integer est ac sumitur, *can. Qui manducat, & alijs d. Distinct. 2. Concil. Trid. Sess. 3. can. 3.* ubi anathemate ferit secus sentientes.

4. Præterea quamvis olim communicantes proprijs manibus hoc Sacramentum acciperent, postmodum tamen id veritum fuit, statutumque, ut, sicut solus Sacerdos illud conficit, ita & solus eroget alijs; adeo ut si aliter quam per semetipsum presbyter infirmum vel alium communicet, sui gradus periculo subiaceat, *can. Pervenit 29. De consecrat. Dist. 2.* Absente tamen Episcopo & presbytero potest Diaconus conferre, *can. Diaconos 13. Distinct.*



*distin.* 93. imò etiam præsentare presbytero, si necessitas vigeat, *d. can. Diaconos, & can. Præsentat. ibid.* qua de re vide latius Azor. 1. p. *Institus. moral. lib. 10. c. 13.* Religiosi verò absque licentia speciali presbyteri parochialis vel concessione summi Pontificis Clericis aut laicis hoc sacramentum administrare non possunt sub pena excommunicationis, ipso facto incurrendæ, absolutione summo Pontifici reservata, *Clement. 1. De privilegiis.*

#### §. IV. De effectu Eucharistiæ.

1. *Confert gratiam ritè summentibus,*
2. *Non sibi conscientia peccati alicujus.*

1. In primis per illud seu in ipso recolitur memoria Passionis Christi, *can. Iteratur, & alius pluribus, De consecrat. Distin.* 2. Ritè summentibus confert gratiam, Estque cibus & potus spiritualis, non corporis, sed animæ substantiam fulciens, *can. Non iste panis § 6. d. Distin.* & quo restauratur, quod ex calore concupiscentiæ per venialia peccata deperditur: cuiusque sumptione transimus in carnem ejus, qui caro nostra factus est, scilicet Christi, *can. In quibus 38. d. Distin.* illique unimur atque incorporamur, unum cum illo efficitur, ac de illius spiritu vivimus, *can. Christus 37. cum duobus seqq. d. Distin.* 2. & æternæ vitæ finis participes, *d. can. Christus & alius d. Distin.* Peccata etiam venialia relaxat, *can. Si quotiescumq; & pluribus aliis ead. Distin.* \* 2. Alioquin si quis conscius sibi alicujus peccati mortalis, ac habens adhuc voluntatem peccandi, illud accipiat, nihil proficit ad mundationem, nec salutem acquirit ejus perceptione, sed damnationem, & gravatur magis, *can. Qui sceleratè cum can. seq. d. Distin.* 2.

Denique, ut alios effectus omittam, conservat hominem à peccatis futuris, cum quatenus est cibus, cor hominis interius corroborans, augendo in eo habitum charitatis & gratiæ; tum quatenus, tamquam signum Passionis Christi, per quam vixi sunt demones, demonum repellit assultus,

### TITULUS XLII.

## De Baptismo & ejus effectu.

#### §. I. Quid sit Baptismus & quod duplex.

1. 2. *Vnde dicatur Baptismus, & definitio illius,*
3. *Materia: 4. Forma. 5. Divisio.*

Postquam actum est de Sacramento Eucharistiæ, quo in sacrificio nihil esse majus potest, *can. Nihil. 8. De consecrat. Dist. 2. \** 1. merito subiiciendum est de Baptismo, ejusque effectu, quandoquidem sit omnium aliorum Sacramentorum fundamentum, & janua vitæ spiritualis, *cap. Veniens inf. De presbyt. non baptizato,* quippe per quem transimus in numerum credentium Christo incorporamur, ejusque membra efficitur, *can. Quia passus 36. De consecrat. d. Distin.* 2.

Baptisma autem Græcè idem est, quod apud Latinos Mersio seu Tinctio aut etiam ablutio, à verbo βαπτίζω, quod ablusio seu mergo significat; nam à peccatis originali & actuali abluit, *can. Regenerante 136. De consecrat. Dist. 4.* nec confertur ordinariè, nisi per mersionem aquæ, *c. penult. h. tit.* unde in sacris litteris passim vocatur Lavacrum regenerationis, & à Patribus Flumen gratiæ, Diluvium peccatorum.

2. Omissis autem aliorum definitionibus, in Catechismo Rom. definitur Baptismus esse Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ, *ex Ioan. 3. & Paul. ad Ephes. 5.*

Per particulam, regenerationis distinguitur à reliquis Sacramentis, saltem veteris legis, quæ non justificabant animas,

3. Per particulam, per aquam, apertè distinguitur à reliquis Sacramentis novæ legis, & simul exprimitur materia hujus Sacramenti, quæ est aqua, non quælibet, sed vera & naturalis, sive calida sive frigida *d. c. penult. h. tit. Conc. Trid. Sess. 7. cap. 2. De Baptismo.* Ideoque per aquam rosaceam aut aliam stillatitiam, aut per salivam, lacrymas, sudorem, lac. vinum, vel alium similem liquorem, ab aqua naturali differens.



differentem specie, juxta communem DD. sententiam, non confertur Baptismus. Quod si verò dubitetur, an sit aqua vera uti est nix, glacies, pruina, priusquam liquefiat, non licet extra necessitatem extremam ea uti absque sacramento. Cur verò potius per aquam, quam per aliam materiam conferatur, plures adferuntur rationes, ex quibus tres refert Catechismus Rom. quarum prima est, quia cum Baptismus omnibus omnino ad salutem sit necessarius, conveniens fuit, ut conferretur per aquam, quæ est omnibus communis & facile ab omnibus haberi potest. Secunda, quia aqua effectum Baptismi maxime significat: ut enim aqua sordes abluit corporis, ita Baptismus maculas seu peccata animæ delet. Tertia, quia ut aqua refrigerandis corporibus aptissima est, sic Baptismo cupiditatum ardor maxima ex parte extinguitur.

4. Persequentem particulam, in verbo videlicet, exprimitur forma, quæ est verbum spirituale vivificans; non enim sanat aqua, nisi in eam Spiritus sanctus descendit, & aquam consecraverit, *can. Per aquam 9. De consecrat. Distinct. 4.* quod sit accedente verbo ad aquæ elementum, *d. c. pons. Et alibi h. tit. & explicite his verbis exprimitur: Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, c. l. b. t.* Effici tamen Baptismum etiam hac forma, qua Græci utuntur, *Baptizatur talis servus Christi in nomine Patris & Filii & c.* vel, *Baptizatur manibus meis. In nomine patris & c.* declarat Conc. Florent. in instruct. Armeniorum de baptismo. Idem d. cendum de hac forma, *Baptizat te Christus in nomine Patris & c.* Hæ tamen formæ, cum sint contra præceptum Ecclesiæ, non sunt à Latinis usurpandæ.

Ad id autem necessaria sunt ad Baptismum aqua & verbum, ut altero omisso non sit Baptismi Sacramentum. Error tamen in pronuntiatione syllabarum per ignorantiam recti sermonis aut lingue impedimentum non officit, *can. Si non 72. Et can. Retulerunt 86. De consec. Distinct. 4.*

Ablutio seu immersio in aquam an unica sit, quæ unicam Christi Passionem significat, an trina, quæ Trinitatem, non interest. Et satius est servare aut retinere Ecclesiæ cuiusque consuetudinem, *can. De trina 80. De consecrat. Distinct. 4.* Necesse tamen est, ut aqua tangat

immediatè corpus, quamvis sufficiat minimam guttam aquæ tangere quæcumque veram partem corporis vivam, etiam minimum digitum: imò & capillos, secundum quosdam, quamvis hoc postremum satis incertum sit. Debet verò ablutio seu immersio fieri dum verba proferuntur, quia verba & forma in collatione Sacramentorum conjungi debent. Et cavendum, dum trina sit ablutio vel immersio, ne de unaquaque abluitione tota forma repetatur, sed ut sub una formæ prolatione tres fiant abluitiones. De alijs caeremonijs, ab Ecclesiâ adhuc haberi solitis, vide *can. Postea 68. usque ad can. Venit. De consec. Distinct. 4.*

5. Dividitur autem Baptismus in Baptismum fluminis seu aquæ, quem antè d. finivimus, Baptismum flaminis seu spiritus, qui fit per contritionem & conversionem ad Deum, & Baptismum sanguinis seu Martyrii, qualis fuit Innocentium, & Latronis, in Cruce Deum confitentis, *can. Baptismi 34. can. Catechumenum 37. De consecrat. Distinct. 4.* Primus propriè dicitur Baptismus: reliqui ratione effectus. quia scilicet Baptismi effectum habent, declarationem nempe peccati originalis, & in adultis actualis gratiæ collationem, quando Baptismus aquæ haberi nequit, *d. can. Baptismi, Et alius similibus.* Si quis autem baptizatus fuerit Baptismo flaminis, data opportunitate tenetur suscipere Baptismum aquæ.

## §. II. De ministro Baptismi, deque susceptoribus seu patrinis,

1. *Minister hujus Sacramenti est solus Sacerdos;*
2. *Et in necessitate alius quilibet.*
3. *Patrini seu susceptores cur necessarii in baptismo.*
4. *Sufficere ad summum duos, scilicet unum & unam.*
5. *Qui prohibeantur esse patrini.*

1. **M**inister Baptismi ex officio est solus Sacerdos, id est, episcopus & presbyter, non etiam Diaconus, nisi ex commissione Sacerdotis, Parochi, vel Episcopi, *can. Diaconus*  
ccc



conos 13. Dist. 93. can. Constat 19. De consecrat. Dist. 4.

2. In casu tamen necessitatis extremæ etiam Diaconus, imò & laicus baptizare potest, d. can. Constat can. In necessitate 21. De consecrat. Dist. 4. atque etiam mulier, absente viro, can. Mulier ead. Dist. Quin & paganus, Judæus, Schismaticus, hæreticus, & facinorosus quisque, ut patet ex variis Canonibus d. Distinct. 4. modo formam Ecclesiæ fervent, & facere intendant, quod facit Ecclesiæ: & speciatim de hæretico finitum extat in Conc. Trid. Sess. 7. c. 4. Idque receptum est, ne quis sine lavacro regenerationis decedat, d. can. Constat in fine. Quam ob causam etiam pater proprium filium, in extremo vitæ positum, & nondum baptizatum, baptizare potest, nec ideo à matrimonio vel copula uxoris arectur, can. Ad limina xxx. quæst. 1. Nemo tamen seipsum baptizare potest, quia inter baptizantem & baptizatum debet esse discretio, ut indicat pronomen, Te, in assignata antè forma, cap. Debitum 4. hoc tit.

3. Præter ministrum Baptismi, nisi baptizandi aliud urgeat necessitas, solent & alij adhiberi, nempe sponsores, qui Patres iustitici, Patrisi, Matrinæve vulgò vocantur, vel susceptores, quorum fide & professione, qui per se credere vel loqui nesciunt, ut parvuli, muti, & surdi, & ægrotantes, qui pro se respondere non possunt, baptismum suscipiunt, can. Parvuli 74. cum can. seq. d. Dist. 4.

4. Et quidem de Jure communi non nisi unus, sive vir, sive mulier, suscipere baptizatum de sacro fonte potest, can. Non plures 101. d. Distinct. 4. c. fin. De cognat. spirituali in 6. vel ad hunc unum unus & una, ut novissimè statuit Conc. Trid. Sess. 24. De reformat. matrim. c. 2. qui tamquam proprii parentes debent baptizatum instituere in necessariis ad salutem, in Symbolo, Oratione Dominica, in oritur vel id facere negligentibus parentibus.

5. Ab hac susceptione infantis in baptismo arcentur in primis hæretici, Judæi, infideles, can. In baptismo 102. d. Distinct. 51. Item Abbas, Monachus, Monialis vel religiosa persona, can. Non licet 103. can. Monachi 104. ead. Dist. Regulariter etiam pater & mater naturalis respectu filij sui, can. penult. & ult. xxx. q. 4. Quamvis autem ex hujusmodi susceptione &

inter quos contrahatur cognatio spiritualis lib. 4. explicabitur.

### §. III. Quinam baptizandi, & in quo loco.

1. Baptizandi etiam parvuli, ægri muti & surdi.
2. Non vero dormientes aut amentes.
3. Infans in utero matris quatenus baptizandus.
4. Baptismus in Ecclesia conferendus.

**V**T in veteri lege Circumcisio tam parvulis quam adultis ad salutem necessaria erat, ita etiam Baptismus, quia in ejus locum successit, c. Majores 3. h. 1.

1. Et quidem parvuli, licet adhuc loqui vel credere nesciant, sicut etiam ægri, muti & surdi, qui pro se respondere non possunt, alius vice illorum profitentibus & respondentibus de fide, rectè baptismum suscipiunt, can. Parvuli 74. & seq. can. Cuius pro parvulis 77. & alii similibus, De consecrat. Distinct. 4. Majores vero qui per se respondere possunt, propria fide & professione eundem suscipiunt. Ideoque necesse est, ut habeant intentionem recipiendi id, quod dat Ecclesiæ vel Christus instituit: imò ad effectum gratiæ habere quoque debent fidem juxta illud Christi: Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: item dolorem de peccatis, cum proposito melioris vitæ juxta illud Actor. 2. Pœnitentiam agite, & baptizamini unusquisque vestrum in remissione peccatorum.

2. Quidam tamen expresse prohibentur baptizari: nam in primis adulti dormientes vel amentes non aliter baptizari cum effectu possunt, quam si ante somnum vel amentiam baptizari voluerint, d. c. Majores §. Item quatuor.

3. Non baptizatur etiam infans, existens in utero matris, quia qui natus adhuc secundum Adam non est, renasci secundum Christum non potest: neque reperiri potest regeneratio, ubi generatio non præcessit, can. Qui in matris 115. d. Distinct. 4. Materque prægnans baptizata nihil in hoc participat infans, qui nascitur, quia uniuscujusque propria voluntas in confessione fidei spectanda est, can. Si ad matris 114. can. Si qua mulier 116. ead. Distinct. Si tamen infantis in utero existentis aliquod membrum ex utero appareat, in eo, si modo vivat, argu.



urgente periculo baptizari poterit, juxta probabilem omnem & tutiorem sententiam, existente vero dubio, an quis sit baptizatus, baptizandus erit his verbis, *Si baptizatus es non te baptizo, sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo, in nomine Patris &c. c. 2. h. t.*

Quod ad locum attinet, in quo quis baptizandus, constituit Clemens V. ne quis in aulis vel cameris, vel alijs privatis domibus, sed dumtaxat in Ecclesijs, ubi sunt ad hoc fontes specialiter deputati, aliquos audeat baptizare: nisi R. gum vel Principum liberi fuerint, aut talis necessitas emerferit, ob quam ad Ecclesiam absque periculo accessus haberi nequeat. Qui secus praesumpserit, aut suam in hoc praesentiam exhibuerit, taliter per Episcopum suum castigandus erit, ut alij attentare simile non praesumant, *Clement. unica h. t.* Similiter in Abbatijs & Monasterijs prohibentur esse baptisteria, *can. Pridem XV 121. q. 2.*

#### §. IV. De effectu Baptismi.

1. 2. Baptismus iterum nequit, & poena iterantis.

Effectus proprius & principalis baptismi est delere originale peccatum, atque etiam in adultis omne actuale praecedens, *can. Firmissime & alius De consecrat. distinct. 4. Conc. Trid. Sess. 5. De peccato originali* Praeterea gratiam & virtutes infundere, atque aperire regnum coelorum, *c. Maiores h. t.* causare spirituales quandam cognitionem, de qua dicitur libro sequenti imprimere characterem indelibilem; 1. coque fit, ut sine sacrilegio reiterari non possit, *c. fin. h. t. Conc. Trid. Sess. 7. n. 11.* Adeoque habet odio baptizatos Ecclesia, ut qui non ignoranter rebaptizantur, iterum Christum crucifigere dicantur, *can. Qui bis d. Dist. 4. & ab Ordinibus arceantur*; quamvis etiam ignoranter, ignorantia scilicet juris rebaptizati fuerint, *A. can. Qui bis.*

2. Qui vero usu temeraria baptismum reiterare conati fuerint, muerone excommunicationis percussus ab omni officio & beneficio deponuntur: imo & iure civili ultimo supplicio afficiuntur, *l. 2. Cod. De sanctum baptisma reiter.*

### TITULUS XLIII.

#### De Presbytero non baptizato.

1. Ordinis characterem non imprimi non baptizato.

Cum, ut supra dictum est, Baptismus sit iacua & fundamentum omnium Sacramentorum, & ante susceptionem baptismi non suscipiatur aliud Sacramentum, *c. 3. h. t.* satis inde colligitur, quid statuendum sit de Presbyteris non baptizatis, nempe tales non suscipere Ordinis characterem, ac proinde baptizandos, & tum demum ordinandos, *c. 1. & c. 3. h. t.*

Quod si tamen quis non baptizatus crediderit probabiliter se baptizatum, fidemque Catholicam amplexus, in ea usque ad extremum vitae diem perseveraverit, omisso baptismi ei non nocebit, quia, ut D. August. ait, Baptismus invisibiliter ministratur, quem non contemptus religionis, sed terminus necessitatis excludit, *c. 2. h. t.*

### TITULUS LXIV.

#### De custodia Eucharistiae, Chrismatis, & aliorum Sacramentorum.

1. Eucharistiam in Ecclesijs parochialibus ad servanda.
2. In pixide argentea vel eburnea.
3. Non in Capellis vel alijs Ecclesijs non parochialibus.
4. Quo modo & quando deferenda ad aegros.

Cum Baptismus, in quo Chrismate utimur, omnibus ad salutem sit necessarius; Eucharistia vero ideo instituta, ut nobis sit cibus coelestis & viaticum, ne in ipsa via deficiamus, & in certamine succumbamus, ut in omni casu necessitatis haberi possit copia

Ccc 2

Eu-



Eucharistiæ, Chrismatis & aliorum Sacramentorum: rectè hic subiicitur de custodia Eucharistiæ & Chrismatis. \* 1. Varijsque Concilijs ac Canonibus cautum fuit, ut in omnibus Ecclesijs Parochialibus pro infirmis Eucharistia semper parata habeatur, diligenter & munde in loco conspicuo honorifice ac decenter exornato, juxta facultates Ecclesiæ cujusque, sub clavibus (penes Parochum vel Capellanum custodiendis) conservetur, cum Chrismate, ne temeraria alicujus manus ad aliqua horribilia & nefaria exercenda extendi queat: & contra facientes, si nimirum vel incautiùs custodierint, per tres menses ab officio suspenduntur, vel graviore subiacent ultioni, si per eorum incuriam aliquid nefandum contigerit, *cap. 1. h. tit. Conc. Trid. Sess. 13. c. 6. in Decreto de observando sacra Eucharistia Sacramento.*

2. In tabernaculo seu loco, quo deponitur & custoditur Eucharistia, oportet esse pixides duas, in quarum altera conservetur, altera deferatur ad infirmos, easque argenteas vel eburneas, non ligneas, ob periculum fractionis; nec lapideas, ob humiditatem & ponderositatem: atque ita observat ubique praxis, Zerola *p. 1. V. Eucharistia ad 1.* Quæ quidem pixides seu vasa non nisi super altari viatico vel ad minus super corporali poni debent. Videndumque, ut saltem singulis octo diebus Eucharistia renovetur etiam tempore interdicti, & in Ecclesia specialiter interdicta, per *c. Permittimus inf. De sent. excommunicat. Zerola d. loco vers. Ad tertium, Piafec. 2. p. cap. 3. art. 3. n. 25.*

3. Cæterum in Capellis vel alijs Ecclesijs non Parochialibus sacra Eucharistia retineri non potest, nec quidem de licentia Episcopi, sed ex auctoritate & concessione Papæ dumtaxat, prout Sacram Congregat respondisse refert Piafec. *d. c. 3. art. 3. n. 7.* Sed & Conc. Trid. Sess. 33. c. 10. vetat, ne sacrosanctum hoc Sacramentum intra chorum vel septa monasterij Monialium conservetur: quanquam possit ex causa, ut in die aliquo festo, cum licentia Prælati illic exponi ad devotionem Monialium, *amanuel Sa. in V. Eucharistia §. 35.*

4. Defertur autem debet in decenti habitu, & non nisi cum lumine, à Capellano vel Parocho, stola & superpelliceo induto, & sonante campana: teneturque populus in elevatione ejusdem & delatione ad infirmos se reverenter inclinare,

& transgressores graviter sunt puniendi, *c. Sana 10. De celebrat. Missarum.* Non esse verò defectendum per plateam, in qua Judæi habitant, respondisse Sacram Congregat. tradit Piafec. *d. c. 3. art. 3. n. 25.* Ut neque ad infirmos deferendum est, qui fortè ob tussim vel aliud aliquod impedimentum commuicare nequeunt, nisi ut adorent tantum, ut ex declaratione ejusdem Congregationis tradit Zerola *d. loco §. 5.*

Denique præcipiunt quoque Canones, ut cætera vasa ministerii Ecclesiastici & vestimenta ministrorum munda & nitida conserventur: & ut suppellectilia vel propria Clericorum vel aliena in Ecclesijs non admittantur, nisi necessitas urgeat, propter hostiles incursus vel repentinum incendium, vel quid simile, *c. 2. h. tit.*

## TITULUS XLV

### De Reliquijs & veneratione Sanctorum.

1. Quæ dicantur Reliquiæ Sanctorum.
2. Vendi non possunt, nec passim ostendi.
3. Quando publicè venerari eas liceat.
4. Venerari aliquem pro Sancto publicè non licet sine licentia Papæ.

1. Reliquiæ quoque Sanctorum diligenter in Ecclesijs ad servandæ sunt, sicut Eucharistia & Chrisma, cum nullū Altare erigi possit in quo non sit aliquid reliquiarum Sanctorum alicujus conditum, *can. Placuit 26. de consec. dist. 1.* Nominè Reliquiarum intelliguntur hic, juxta Azor. *1. p. inst. moral. lib. 9. c. 8.* Sanctorum corpora ac corporum quælibet partes, capilli, ossa, carnes, dentes, cineres, pulveres, vestes, & alia quibus usi sunt, dum in terris versarentur: item panni & vela, quæ eorum ossibus vel corporibus admota fuerint, vel quæ ipsos tetigerint, aut pertinuerint ad eosdem.

2. Reliquiæ autem Sanctorum antiquæ exponi venales prohibentur: nec passim etiam ostendi debent, & quidem extra capsam nullatenus, ne faciliè populus circa illa decipiat. \* 3. Non licet quoque de novo inventas publicè venerari.



merari, nisi prius auctoritate summi Pontificis fuerint approbatae, c. 2, h. t. antiquas vero licet etiam absque nova Rom. Pont. auctoritate. Similiter reliquiae alicuius, qui jam pridem fuerit in Sanctorum numerum adscriptis, inventae de novo recipi quidem & coli possunt, etiam publice, sed non nisi recognoscere & approbante Episcopo, iuxta Conc. Trid. Sess. 25. Decretis de invocatione, & reliquiis Sanctorum, quod hac in parte videtur mortificasse d. 4, h. t.

4. Parimodo non licet aliquem pro Sancto publice venerari absque licentia & auctoritate Rom. Pont. etiam si miraculis clarus sit, c. 1, h. t. quia quandoque etiam per prava homines fiunt miracula, Abbas ibid. & can. Teneamus 36, l. 9, t. 1. Sic enim teste Zyp. h. tit. in princ. Tacit. lib. 4. historiarum refert duo non facta miracula à Vespasiano patrata, nempe eius attritu agro conversam fuisse ad usum manum, & coeco re-luxisse diem. Pluraque alia videre licet apud Tholosan. Syntag. Iuris universi lib. 48, c. 15, n. 12, & lib. 34, c. 16, n. 6, & c. 17, n. 2.

Dixi publice, quia potest quis privatim fundere preces ad eum, quem credit sanctum, arg. d. c. 2, h. t. in V. publicè, à contr. v. Qui vero iustum dicit iniustum, aut sanctum non sanctum asserit sanctum, abominabilis est apud Deum, can. Si quis dixerit 37, xi, q. 3. & Christum violat, can. Si quis ibid.

Postremo mandat Synodus Trid. Episcopis & Parochis, ceterisque docendi munus curamque sustinentibus, ut diligenter instruant populum de Sanctorum intercessione, & utili ac necessaria invocatione, reliquiarum honore, & legitimo imaginum usu Conc. Trid. d. Sess. 25. ubi plenius vide.

## TITULUS XLVI.

## De observatione Jejuniorum.

1. Qui jejunare tenentur.

2. Consistit observatio jejunii in abstinentia à cibis vestitis.

3. In abstinentia à pluribus refectio-nibus.

4. Licita tamen collatiuncula est.

5. Item consistit in certa refectio-nis hora.

AD devotionem & propter venerationem Sanctorum, de qua proxime diximus, indicta ab Ecclesia sunt jejunia: de quorum observatione hoc Tit. agitur. \* 1. Sunt autem huiusmodi jejunia ab omnibus, cuiuscumque perfectionis aut dignitatis existant, qui ad annum aetatis vigesimum primum pervenerint, nec sexagesimum exceperint, nisi iusta aliqua causa excusentur, diligenter observanda, c. 1, & 2, h. t. idque sub reatu peccati mortalis, iuxta communem, ut probatur ex can. 63. Apostolorum, ubi violatores jejunij, si Clerici sint, iubentur de ponti siliari, excommunicari. Ratio huius obligationis quoad omnes est, quod omnes, saltem ut plurimum, egent castigatione carnis, ut spiritui subleventur. Satisfactio-ne pro peccatis, & aptitudine mentis ad adorandum: ad haec autem instituta & praecipua sunt jejunia.

Observatio vero jejunij, prout ab Ecclesia percipitur: in tribus potissimum consistit. \* 2. Primo in abstinentia à cibis certi generis, veluti à carnibus: item ab ovibus & lacticiis, & ceteris, quae à carnibus originem trahunt, in Quadragesima, can. Denique distinct. 4. Dico, in Quadragesima: quia extra eam ius commune ova & lacticia permittit. Ceterum quia pro varietate locorum quoad ova & lacticia varia est consuetudo, ideo generatim dicendum, à illis cibis abstinendum esse, quorum ulum consuetudo non permittit.

3. Secundo, consistit in abstinentia à pluribus refectio-nibus: ita ut intra diem naturalem non nisi semel corpus cibo reficiatur. Dico, cibo: quia Ecclesia non prohibet crebriorem sumptionem potus tempore jejunij: ea ratione, quia potus magis ordinatur ad cibi per corpus distributionem & suam sedandam, quam ad alendum corpus: & si alar interdum, id per accidens est, nec tantum alit quantum cibus. Hinc licet excedens in potu peccet contra temperantiam, non tamen solvit jejunium.

4. Sed dubitatur de vespertina collatiuncula, sitne licita, non modo ne potus noceat, & somni conciliandi causa, ut olim, sed & alendi causa.

Ecce 3



causâ & absque potu. Et dicendum, licitam esse ex consuetudine, quæ in jejunijs magnam vim obtinet. Huius autem quantitas est, quam pro diversitate locorum & personarum consuetudo recepta tenet: nec enim eadem omnibus ob regionum & personarum diversitatem præscribi potest. Non licet tamen hanc collationem sumere mane aut meridiæ, cætera in vespere dilata, nisi subsit aliqua iusta causa: v.g. si iter aliquod sit inspicendum, negotium peragendum, aut debilitas moram non patiatur.

5. Tercio denique consistit observatio jejunii in certa refectiois hora, quæ hodie ex consuetudine passim recepta est circa meridiem: non quidem quasi tunc necesse sit cibum sumere, cum possimus, & quidem cum majori merito abstinere toto die; sed quia non liceat ante illam horam notabili tempore cibum sumere. Quamquam probabilius sit, talem anticipationem, seposito contemptu, tantum veniale esse peccatum, *juxta* Innoc. Joann. Andr. Ancharan in c. 1. h. 1. quia non violatur substantia jejunii, quæ consistit dumtaxat in abstinentia ciborum vecutorum & secundæ refectiois, sed solum circumstantia quædam accidentalis, quæ manente substantia jejunii, variari potest, & successu temporis magnam varietatem in Ecclesia habuit. Vide Covar. lib. 4. Var. resol. c. 20. ubi doctissime de jejuniis quæ Ecclesia Catholica Christianis indixit, ordinatione & origine tractat.

## TITULUS XLVII.

### De purificatione post partum.

1. Lege Moysaica mulier post partum purificari debuit.
2. Hodie id consilii est, non præcepti.

Quemadmodum jejunia ob devotionem & venerationem Sanctorum inducta fuerunt; ita & purificatio post partum inducta fuit ob reverentiam Ecclesiarum, \* 1. Et quidem lege Moysaica mulier post partum

immunda habebatur; ideoque si masculum enixa esset, arcebatur à templo triginta tribus diebus, si puellam, sexaginta sex, *Levit. 12. can. 1. Dist. 5.*

2. Cæterum lex illa Moysaica, quippe ceremonialis, per mortem Christi sive legem Evangelij abrogata fuit: & ideo hodie statim à partu mulier ætura gratias ingredi Ecclesiam potest, si voluerit; ac pœna, quam in partu patitur, vertatur illi in culpam, quasi in partu peccaret, c. unico h. 1. can. Si mulier *Dist. 5.* Si tamen ex veneratione voluerit aliquid abstinere ab Ecclesia, devotio ejus non est improbanda, d. e. unico. Bonarum quippe mentium est, ibi culpas suas agnoscere, ubi culpa non est, quia sæpè sine culpa agitur, quod venit ex culpa, ut ait D. Augustinus. Unde etiam cum elurimus, sine culpa comedimus, quia ex culpa primi hominis factum est, ut ciurimus, *can. ult. d. Dist. 5.*

## TITULUS XLVIII.

### De Ecclesijs ædificandis vel reparandis.

#### §. I. De ædificandis Ecclesijs.

1. Ecclesia nomine quid hic veniat.
2. In Oratorijs præstante Missam celebrare non licet.
3. Ecclesia de novo ædigi non debent sine auctoritate Pont. vel Episc.
4. Et nisi eis locus competens assignetur.
5. Ecclesia nova ædificatione nasci non debet vicino adibus.
6. Ne præjudicium inferri antiquæ Ecclesiæ.
7. Leprosi permittitur Ecclesiæ propriam habere.
8. Item Episcopo Ecclesiæ novam congruè ex rebus Ecclesiæ suæ.
9. Episcopatus de novo institui possunt.

Præcedentibus Titulis actum est de Ecclesiarum sive templorum consecratione, earumque & Sanctorum veneratione: non



non abs re fuerit, si aliquid etiam dicamus de aedificandis & reparandis Ecclesijs. Nam & hac cura ad Clericorum officium refertur, si vel loca quaedam careant Ecclesijs de novo aedificandis, vel si ea corruant, ut reparari debeant.

1. Ecclesiae nomen Graecum est, & generale, significans quamlibet congregationem & conventum: itan collectionem Christi fidelium, eamque unam sub uno capite, Catholicam seu universalem. Sumitur verò hic Ecclesia materialiter pro aede publica, divino cultui exercendo ac praecipue sacrificio Missae auctoritate Episcopi deputata: vocaturque etiam Templum & Basilica, id est domus Regia, Weymsh in *Analysi* 6. *Ad audientiam* 3. h. t. n. 1. & 2. Nam sicuti non alij, quam Deo sacriati Sacerdotes, possunt Missas cantare, sacrificium super altare offerre: sic nec in alijs, quam divino cultui mancipatis locis Missas cantare aut sacrificia offerre licet; nisi quis super hoc speciali privilegio munitus sit, aut summa coegerit necessitas, *can. Sicut de consecrat. Distinct. 1.* veluti si Ecclesia sit combusta: quo casu, donec ea restauretur, in Capellis cum tabula consecrata celebrare interdum permittitur, *can. Concedimus ord. Distinct. 1.*

2. Hinc licet permissum cuilibet sit domi suae habere oratorium, orationis causa, *can. Vnicuique 33. ord. Distinct. 1.* dummodo in eo campana publice exposita non pulsetur, *c. Patentibus 10. inf. de privilegijs*: non tamen ad sacrificium Missae peragendum; nisi sit oratorium ad divinum tantummodo cultum dedicatum, & ab Ordinatione designatum, ab eod. inque visitetur. *Conc. Trid. Sess. 22. in Decreto de observandis & evitandis in celebratione Missae §. Neminem.* Alias si quis in Oratorijs, intra privatos patietes constitutis, absque consensu Episcopi celebrare praesumpserit, deponendus erit, *can. Clericos & similibus d. Distinct. 1.*

3. Nemini autem liberum est Ecclesiam de novo aedificare; in locis quidem exemptis citra auctoritatem Papae, *can. Auctoritate de privilegijs in 6. in locis vero Episcopo seu Ordinariae jurisdictioni subiectis absque auctoritate ipsius Episcopi, qui in loco existenda Ecclesiae vel per se vel per alium, crucem figat, atrium publice designet, lapidemque primarium ponat: ab eo, qui aedificare intendit, prius consti-*

tuta dote pro luminaribus & ministris Ecclesiae atque oneribus Episcopalibus persolvendis, *can. Nemo Ecclesiam d. Distinct. 1. Novel. 67. Vi nullus aedificet &c. Tholosan. Partit. Iuris Can. lib. 1. tit. 4. cap. 5.* Quamvis sufficiat, si post constructam Ecclesiam etiam tacite consentiat Episcopus. Quod si Episcopus sine iusta causa consentire nolit, aut primum lapidem ponere vel positionem ejus alteri delegare, compellendus erit auctoritate Superioris, *c. Nullus 17. sup. de jure patronatus, Plac. 1. p. cap. 2. art. 4. in princ.* Si praeter consensum Episcopi, quis Ecclesiam construxerit, nec alteri noceat, destrui quidem illa non debet, sed iacturam patietur juris patrono debiri, Ecclesiaeque cum dote sua iuribus Episcopalibus applicabitur.

4. Unicuique verò Ecclesiae pro dote attribui debet mansus unus, liber ab omni servitute & onere temporali, id est praedium, quod sufficiat duobus bobus in anno ad laborandum, *c. 1. junctis Glos. sup. de censib.* Sin omnia dote Ecclesia extructa sit, nihilominus qui extruxit dotis nomine recte convenitur, *c. Cum sitis 8. sup. de consecrat. Eccles.* aut in subsidium ad Episcopum consecratorem recurritur, *arg. cap. 2. sup. de praebendis, Plac. d. loco num. 3.*

5. Prospectare etiam oportet Episcopum diligenter, ut quisquis d. siderat aedificare Ecclesiam, id faciat pietatis intuitu, non quatuor cupiditate, *can. Si quis basilicam d. Distinct. 1.* & ne vicinis aedibus noceatur, puta luminibus earum offuscando, aut non legitimum spatium relinquendo: nam licet religionis favor sit summus, tamen ad iustitiae rationem revocari debet, ideoque novi operis mutatione facta ex vicinis aedibus sive jure sive intuitu id quod extructum fuerit, diruendum est, *c. 1. & 2. inf. de novi operis nuntiis.*

6. Videri dum etiam, ne aedificetur de novo Ecclesia, etiam Parochialis, in praedictum antiquae, *can. Quicumque 4. 4. xvi. q. 1.* nisi forte ex iusta causa, juxta arbitrium Episcopi, veluti si Ecclesia parochialis ita creverit, ut una omnibus non sufficiat, vel ob nimiam distantiam aliquorum parochianorum qui sine mag. o. incommodo & difficultate Ecclesiam adire non possint, *c. Ad audientiam 3. h. t.* aut si tam frequens sit populus, ut pluribus egeat orato-



oratorii & pastoribus, *cap. ult. h. t.* tum enim auctoritate Episcopi nova Ecclesia extrui potest etiam invito Rectore: imò & portio competens ex proventus Ecclesie antiquae, si ea abunde arbitrio ejusdem Episcopi assignari novae, *d. cap. Ad audientiam versic. quia igitur.* Conc. Trid. *Sess. 2. cap. 4. De reformat.* non obstante juramento, quod Episcopus antiquae Ecclesiae praestiterit de rebus ejus non alienandis, *d. e. ult.* si utique non addit modis dotandi aliunde, & id fiat sine praesudicio possidentis, ut declaravit Sacra Congregatio, teste Piasce, *d. loco num. 2.* Vide Riccium *Decis. 554.* Imò si necesse fuerit, potest Episcopus compellere populum ad subministranda novo Parocho ea, quae sufficient ad ejus sustentationem, Concil. Trid. *d. e. 4.* Ubi etiam statuit, quod Episcopus in humiliori procedere possit tanquam Sedis Apostolicae delegatus. Hoc tamen casu antiqua Ecclesia acquirit ipsi patronatus in novam, & ejus matrix dicitur *d. cap. Ad audientiam*, eique à nova honor exhibendus est: pars verò populi, quae novae Ecclesiae supponitur, à jure prioris absolvitur, *can. Praecipimus xvi. q. 1.* Ceterum congruenter jam dictis de Ecclesijs novis edificandis statuit Concil. Trid. *Sess. 25. cap. 3. De Regularib.* ne de cetero ulla Monasteria ac domus tam virorum, quam mulierum, & mendicantium, sine Episcopi, in cujus diocesi erigenda sunt, prius obtenta licentia erigantur, quod de re vide Zyp, *De iure vult. novo lib. 3. Tit. De Regularib. n. 35.* ubi etiam notat Carolum V. anno 1520. 29. *Ordin. edixisse*, ne in Brabantia novae Ecclesiae aut Capellae edificentur, sub praetera edificatori infligenda & demolitionis, *juxta c. 1. inf. de operis nuntiat.* quodque, uti non oportet novos Ordines sine Pontificis auctoritate institui, ita Confraternitates & Collegia censcantur illicita, quae non sunt à Superioribus approbata, ex Charonda *lib. 12. Resp. 64.*

Leprosi verò sub communi vita simul congregari permitti debet propriam habere Ecclesiam cum coemiterio & presbytero, sine praesudicio tamen antiquarum parochiarum, *c. 2. h. t. §. 8.* Episcopo quoque pro sepultura propria Ecclesiam edificare aut Monasterium construere, atque ex rebus Ecclesiae, cui praesidet, dotare licet, hoc tamen discrimine, ut, si Monasterium construat, non nisi quinquage-

simam partem; si verò aliam Ecclesiam, non monasticis formandam regulis, sed ob aliam causam, non nisi centesimam partem census Ecclesiae, cui praesidet, conferre debeat, *c. pen. sup. De donationibus.*

Porro obtinuit consuetudo ab antiquo recepta, ut versus orientem Ecclesiae edificentur; de qua consuetudine testatur Clemens *lib. 2. Apostolic. Constitut. cap. 61.* Piasce, *d. loco num. 3.*

Quaeque de novis parochialibus Ecclesijs extruendis ex necessitate & gravi causa, etiam absque Rectoris consensu, jam diximus obtinent quoque in Episcopatibus, ex simili necessitate & gravi causa de novo instituendis, *arg. c. Sicut inire inf. De excessib. Pralator.* & ex Bernardo *Epist. 131.* docet Zyp, *h. t. n. 14.* subjungens, summo Reipubl. ac Religionis bono, ad instantiam Regis Philippi II. Pium IV. Pont. 4. Idus Maij 1559. crevisse novos Episcopatus in Belgio, & eorum districtus in dioceses erigendas si parasse ab Episcopatibus, Leodiens, Ultrajectensi, & Cameracensi, alijsque, erectis Sedibus Episcopalibus Cameracensi & Ultrajectina, ac Collegiata Ecclesia Mechliniensis, in Archiepiscopales. Addeus Archiepiscopum Mechliniensem, licet Belgij Primas non sit, tamen inter ceteros esse primum, & in exsequijs Rudolphi Imp. Mechliniensis Cameracensem cessisse, vindicias ei addicente Serenissimo Principe nostro Alberto.

## §. II. De reparandis Ecclesijs,

1. Ecclesia habet tacitam hypothecam in bonis suis, qui damnum intulit.
2. Tenentur ad reparationem alii ex consuetudine, alii ex conventionibus.
3. Hi essantibus, ex fabrica reparari Ecclesia debent.

1. AD Ecclesiarum reparationem tenentur in primis, quicumque sua culpa damnum intulerint, tam Jure divino & naturali, quam positivo, sive civili sive Canonico: adeo ut Ecclesia, ex aequitate juris Canonici, in bonis eorum tacitam habeat hypothecam, & quidem potiorem tacita hypotheca mulieris, quam ea habet pro dote in bonis mariti, atque etiam fisci. Sic & Praelatus vel Magistratus,



ex cuius negligentia damnum accedit, tenetur.  
2. Secundo, tenentur ii, ad quos consuetudo legitime introducta ( nisi laici sint ) hoc onus transmissit: cuius probatio, cum in facto consistat, alleganti incumbit: qua de re vide Zyp. h. t. n. 12.

Tertio tenentur, quibus ex specialibus locorum statutis & conventionibus huiusmodi reparatio incumbit: qualia statuta & conventiones particulares plurimae sunt in his regionibus.

Quarto, cessantibus statutis & consuetudine, reparatio Ecclesiae fieri debet ex ea portione, quae à jure vel consuetudine ad fabricam deputata est. Quod si vero vel nulla sit à jure aut consuetudine assignata portio huiusmodi, vel ea non sufficiat ad reparationem, interpellandus est Praelatus, qui decimas percipit, quia non est ferendus, qui lucrum amplectitur, & onus ei annexum contemnit. Etsi vero decimae Feudales in manu laica jam ante Concil. Lateran. existentes, sint immunes ab onere reparandarum Ecclesiarum & alendorum Parochiarum, quasi Feudi propriam naturam habeant, prout declaravit Decisio Hollandica 16 non tamen illae, quae dominum aliquem Ecclesiasticum agnoscunt, prout tradit Zyp. Ut de feudis n. 3, ubi refert sententiam ea de re in Concilio Brabantiae latam. Quamquam secus videatur, si Ecclesiasticus decimas percipiat, quae non per se reversae sint ad Ecclesiam, sed in consequentiam bonorum laicorum, quae possidet, quorum aut sunt pars, aut ab iis dependent, & quorum proinde naturam sortiuntur & accessorie sequuntur, ut post Molin. notat. Zyp. h. t. n. 13.

Quinto, praedictis non sufficientibus, Episcopus, Canonici, ceterique Clerici omnes in eadem Ecclesia beneficiati, pro rata suorum beneficiorum & fructuum, conferre debent, de dicto eo, quod ad victum & vestitum decentem est necessarium, c. 1. c. De his 4. hoc. tit. can. Si Monachus xvi q. 2. can. Decernimus x. q. 2. Capella Tholosan. Decis. 499. facit l. Si quis à liberis §. de alimentis D. de alendo liberis. Sic enim nec privata debita aliter solvere tenetur Clericus quam ne egeat; ideoque nec credit foro, nec incarcerationi, c. Odoardus sup. De solutionib.

Sexto, si ne ista quidem sufficiant eundem est ad populum, qui ibi Sacramenta percipit, nulla habita differentia inter nobiles & ignobiles, etiamsi commodo Ecclesiae renuntiare vel-

lent: nec enim est in potestate parochiano- rum, cui Ecclesiae subint & ubi Sacramenta percipiant ac divinis intersint, cap. 2. sup. De Parochiis.

Septimo, praedictis adhuc non sufficientibus, potest episcopus fructus ac proventus Capellarum, sub ipsa Ecclesia existentium, ad eius refectorem deputare Capellanis, unde honeste vivant, reservata congrua & competentis portione. Vide Conc. Trid. Sess. 1. cap. 7 & declarat. Congregationis Conc. quam refert Zerola p. 1. v. Visitatio dub. 9 incip. Si populus nolit.

Potest etiam eo casu Episcopus, quae pro male partis incertis accipit à testatore aliquo, in reparationem Ecclesiae convertere. Eodemque modo potest concubinos condemnare ad aliquam summam pro reparatione Ecclesiae. Videatur Conc. Trid. Sess. 25. c. 14. Weym. in Analysis. Ad audientiam num. 21. & seqq. Haec omnia verò latius deducit & probat Pet. Pechius Tract. de reparandis Ecclesiis, ubi alias quaestiones movet & discutit.

## TITULUS XLIX.

## De immunitate Ecclesiarum, coemeterii, &amp; rerum ad eas pertinentium.

1. Immunitas alia est Personarum, alia Locorum, alia Bonorum.
2. Personalis immunitas in quibus consistat.
3. In quibus consistat exemptio localis.
4. 5. Confugientes ad Ecclesiam quatenus jura azyli gaudeant.

Post tractatum de Ecclesiis, qua edificandis qua reparandis, sequitur recto ordine de immunitate tam ipsarum Ecclesiarum, quam coemeteriorum, & aliarum rerum ad eas spectantium, praesertim cum illa saepe à laicis, tanquam Ecclesiasticis plurimum infensa, violatur: cujus proinde tutio vel maxime ad officium Clericorum spectat.



Immunitas in genere nihil est aliud, quam vacatio seu libertas vel exemptio à muneribus publicis qui alioqui sunt communia, ut colligitur ex c. 1. h. t. in 6. Tit. D. De vacatione & exemptione numerum & Tit. D. De iure immunitatis: nam munus, præter donum, nunc onus, nunc officium, siue dignitatem vel honorem significat, 1. Munus §. tribus modis D. De verb. signif.

1. Dividi potest Immunitas vel ex parte subjectorum, quibus competit, sicque triplex statui potest, alia Personarum Ecclesiasticarum, alia Locorum sacrorum, alia denique Bonorum; quamvis hæc ultima ad duas priores revocari possit: vel ex parte munerum seu onerum, à quibus est exemptio; & idco, ut Munerum civilium alia sunt Personalia, alia Patrimonialia, alia Mixta de quibus, quæ sint & quid sint vide l. 1. §. fin. D. De muner. & honoribus: ita & Immunitas alia est à Personalibus muneribus, alia à Patrimonialibus, alia à Mixtis.

2. Personalis immunitas in primis consistit in privilegio Canonis. Si quis suadente diabolo xvii. q. 4. nam violentas manus iniiciens in Clericum, excommunicatur. Secundò, in privilegio fori, de quo lib. 2. Tit. de foro compet. Tertio, in exemptione ab omnibus oneribus personalibus, seu quæ animi provisione & corporali labore absolventur, l. fin. D. de muner. etiam si honesta sint, & non lordida, ut sunt tutela, cura, legationes, murorum defensio, & similia, can. Generaliter xvi. q. 1. Excepta tamen cura miserabilium personarum, ut viduarum & pupillorum, ac murorum defensione necessaria, c. Pervenit 2. h. t. can. Pervenit. Distinct. 86. Non tenentur item ire ad bellum, ut pugnent, etiam instante necessitate. Abbas in d. c. Pervenit h. t. Plac. 2. p. c. 4. art. 8. n. 4. Quarto, in omnimoda exemptione ab obligatione legum civilium, pro solis laicis, vel de materia Ecclesiastica aut bonis Ecclesiarum aut personis Ecclesiasticis, conditarum, quia hæc omnia à jurisdictione laicorum exempta sunt. Legibus verò Principum secularium, abstrahendo à Clericis & laicis, latis de materia temporali omnibus communi, ad Reipub. bonam pacificamque gubernationem (quales sunt, quibus pretia rebus venalibus imponuntur, usus armorum prohibetur, vel asportatio frumenti interdicitur, &

similes, quæ possunt æquè servari ab omnibus sine indecentia vel iniquo gravamine) addunguntur quidem quoad vim directivam, ex æquitate, & jure naturali exigente, ut cum sint cives ac membra Reipub. politicæ, conformiter se reliquo corpori, ad pacem & gubernationem eius conservandam; quo ad vim verò coactivam non aliter, quam quatenus ab Ecclesia confirmata sunt, & ratæ habentur. Et idco si contraverint, nequeunt à Iudice seculari puniri. Similiter consistit hæc immunitas in exemptione ab oneribus patrimonialibus, quæ imponuntur ratione rerum, quas quis possidet: cuiusmodi sunt tributa, vectigalia, tallia seu collectæ, c. Non minus 4. c. Adversus 7. h. t. nisi evidens urgeat necessitas, vel magna Reipubl. utilitas agatur, cui succurrendæ vel procurandæ laicorum facultates non sufficiant, de c. Pervenit, Non minus, &c. Adversus, Gutierrez: Quasi. civil. lib. 1. c. 3. ubi latè disputat, quando & quatenus Clerici teneantur ad refectiones pontium, fontium publicorum, murorum & alia id generis contributionem.

3. Immunitas localis, Ecclesiis earumque cœmeteriis concessa, consistit primò, in eo, ac in ipsis frequententur emptiones, venditiones aut aliæ negotiationes & nundinæ, universitatum & societatum, quarumlibet concilia, conciones & publica parlamenta, multò minus sæda & profana colloquia vel quæcunq; alia, quæ divinum possunt turbare officium, neve servant litibus aut iudiciis secularibus, maxime criminalibus, quæ sanguinis poenam irrogant, agitandis & exercendis, c. 1. §. c. Cum Ecclesiis h. t. c. 2. v. Cessent eod. in 6. Al. ad dicendum de iis, quæ sunt voluntariæ jurisdictionis ut sunt manumissio, collatio Doctoratus, & similia. Secundò, ne domus quas vel inhabitant Clerici, vel à laicis conductæ, multò minus domus ipsarum Ecclesiarum, servant hospitibus recipiendis, d. c. 1. h. t. nisi fortè, antequam cederent Ecclesiæ, ejusmodi oneribus fuerint obnoxia: aut Principis repentinus ad expeditionem aliquam id exigat adventus. Tertio, ne in iis recipiantur suppellectilia privatorum; nisi etiam urgeat necessitas, l. fin. sup. De custodia Ecclesiastica: sic tamen, ut necessitate cessante res in pristina loca reportentur, ut ibi dicitur. Quarto, ne incaustollentur seu muniantur, & in servitum redigantur à laicis, can. Sanctorum x. q. 1.

Hofien.



Hosien. & alii in c. cum Ecclesia 6. h. t. Excepto tempore necessitatis, quo Episcopus id permittere potest, modò cessante necessitate incastellatio quoque cesset, Hosien. d. l. n. 6.

4. Quirò, in eo, quod reus cuiuscumque criminis, ad Ecclesiam confugiens, paucis casibus exceptis, inde si quidem liber sit homo, nullo modo invitus extrahi ad mortem vel ad poenam possit: sin servus, non antè ad servitium invitus redire compellatur, quam dominus de impunitate ejus juratò caverit Clericis, c. Inter alia 6. h. t. Sed nec ob res alienam ad Ecclesiam fugiens ad ea de re extrahi debet, l. ult. Cod. De his qui ad Eccles. confug. Gutierrez latè Quasi. civil. lib. 1. c. 1. post Covar. Var. resol. lib. 2. c. 20. n. 14. Ratio huius immunitatis est honor Ecclesie d. bitus, ne in minori sit honore, quam olim Ethnicorum ara & statua,

Hac porro immunitate gaudet omnis Ecclesia, auctoritate Episcopi erecta & divino cultui destinata, sive sit consecrata, sive non c. Ecclesia 9. h. t. sive in ea divina peracta fuerint, sive non; sive sit polluta seu interdicta, sive non, Abbas in d. c. Ecclesia.

Quin imò quadraginta passibus circum Ecclesiam maricem seu baptismalem, triginta vero, si Ecclesia minor sit, atque etiam palatio Episcopali extra Ecclesie circuitum sito, sacri Canones hanc immunitatem concesserunt; adeoque ad Monasteria, Hospitalia, privata oratoria ac sacella, auctoritate Episcopi erecta, porrexerunt, licet plurimum valeat circa hoc consuetudo, teste Panor. in d. c. Ecclesia.

5. Non tamen omnes indistinctè hac immunitate seu jure azyli, ut vocat textus Juris civilis, gaudent: nam in d. c. Inter alia excipitur publicus latro & nocturnus depopulator agrorum: & in c. 1. inf. De homicidio excipitur is, qui per industriam & per insidias occiderit proximum suum; non etiam is qui non proditorie, licet deliberato animo, occiderit. Insuper in c. fin. h. t. excipiuntur, qui spe immunitatis in ipsis Ecclesiis aut cimiteriis delinquant, aliàs delictum non commissuri: cum in eo, in quo delinquit, puniri quis debeat. & frustra legis auxilium imploret, qui committit in legem. Vide Covar. d. loco n. 6. Gutierrez d. lib. 1. §. 2. & Constitut hac de re Gregorii XIV. incip. Cum alias nonnulli, quam refert Diasc. p. 2. c. 4. art. 1.

## TITULUS II.

Ne Clerici vel Monachi  
sæcularibus negotiis  
se immisceant.

1. Quibus negotiis sæcularibus Clerici se immiscere vetentur.
2. Vetantur Canones Legibus civilibus aut Medicina operam dare.
3. Poena Clericorum negotiantium.
4. Ratio prohibitionis hujusmodi.

Non omnes verò Clerici vel Monachi gaudent ea immunitate, de qua proximè dictum est, à vectigalibus scilicet & tributis. sed ita demum, si se sæcularibus non immisceant atque involvant negotiis: id quod vel maximè Clericorum & Ecclesiasticorum quorumlibet officium exigit.

1. Vetantur itaque Clerici sacris initiati vel beneficiati, itemque Monachi immiscere se negotiis sæcularibus, v. g. lites prosequi, cap. 1. hoc t. ubi pleraque alia ejusmodi negotia enumerantur: laicis ministrare, ipsorum negotia gerendo vel procurando, cap. 2. h. t. procuraciones villarum aut jurisdictiones sæculares sub aliquibus Principibus exercere seu judiciis præesse, sub poena depositionis, aut graviore, si sit Religiosus, c. 4. h. t. iudicium sanguinis agitare, sub poena similiter depositionis ab officio & beneficio, cap. Clerici 5. cap. Sententiam 9. hoc tit. aut lucri causâ negotiari, sub interminatione anathematis, cap. Secundum instituta 6. h. tit. aut tabellionatus officium exercere, cap. Sicut 8. hoc tit. ac generaliter, quæcumque avocant à contemplatione & spiritualis vitæ instituto, cui mancipati sunt, cap. Duo sunt xii. qu. 1. Nemo enim militans Deo sese sæcularibus implicet negotiis, inquit Apostolus 2. ad Timoth. 7. d. c. 1. & c. 4. hoc tit. \* 2. Adèò ut ne Legum quidem civilium aut Medicinæ studia, quantumvis per se honestissima ipsis promiscuè permittantur, c. Non magnopere 3. & c. ult. h. t. præsertim Religiosis ac

Ddd 2

Mona.



Monachis, atque aliis etiam presbyteris, dignitatem aliquam vel personatum habentibus, ut Theologiae Jurisque Pontificii studio, quod illorum proprium esse debet, pro laudabili munere sui functione, diligentius incumbere valeant.

3. Alias Clerici vel Monachi, qui hujusmodi negotiis secularibus sese immiscunt, non modo non gaudent praedicta immunitate a vestigalibus & tributis, ceterisque privilegiis Clericalibus, sed aliis quoque poenis afficiuntur, c. *Sed nos procuratores* & alius h. t.

Ceterum Carolus V. referente Zyp. b. t. n. 2. Clericos negotiantes declaravit à nullo onere immunes fore, quod ob hujusmodi negotia pendunt laici, 2. Febr. 1528. Cui consonat c. *Quamquam* sup. De censibus & Clement. Praesentis eod. tit. Idque juxta privilegium Leoais X. ei concessum 2. Id. Junii. 1515. In concordatis vero Brabantiae §. Clerici multa, eodem teste, enarrantur, quae Clericis permittuntur vel inhibentur, sed agunt, inquit, maximè de privilegio fori.

Ratio horum omnium est, quia Clerici sacris Ordinibus initiatos, ac Monachos & Conversos, divino officio ac contemplationi & orationi mancipatos, convenit ab omni strepitu temporalium cessare, d. can. *Duo sunt* xii. q. 1. Nam qui mittit manum ad aratrum respiciens retrò, non est aptus regno Dei: nec fieri potest, ut profectus spiritualis non impediat per singulares occupationes, juxta illud, nescio cuius, *Numquam redii minus homo, quam cum inter homines fui.* Zyp. d. loco in princ. Addit negotiationes istas vix fieri absque peccato, ut notatur in c. *Naviganti* ult. inf. De usutis, & in can. *Fernicari* Distinct. 88. Et ideo licet laicis permittantur, non tamen nisi ad usum & necessitatem, cum nihil sit miserius quam propter nummum Deum contemnere. Porro quatenus & quousque liceat Clerico negotiari vel artificium exercere, vide

Guiliel. Redoan. De spoliis Eccles.

q. 8. à num. 33.

Finis Libri Tertii.



# PARATITLA

## SIVE

## SVMMARIA

### ET METHODICA EXPLICATIO

#### LIBRI QVARTI

# DECRETALIVM

#### TITVLVS I.

### De Sponsalibus & Matrimonio.

§. I. Quid sint Sponsalia, & quotuplicia?

1. Definitio & origo Sponsaliorum.
2. Divisio in Sponsalia de futuro, & de praesenti.
3. Requisita ad Sponsalia de futuro.

SATIS superque dictum est libro tertio de rebus Clericorum ac Religiosorum, deque rebus, quae Ecclesiasticis ac laicis communes sunt. Exigit ordo, ut hoc quatuor



no libro agamus de rebus propriis laicorum non quidem omnibus, sed iis, quæ quamvis laicis conveniant, tamen ad forum & iudicium pertinent Ecclesiæ, cuiusmodi sunt matrimonia & quæ iis necessarii accedunt, c. *Accedens* 10, *sup. De procurat.* Videndum igitur primum, quid sit matrimonium, quomodo & per quas personas contrahatur: secundum, quis sit matrimonii fructus id est quæ sit legitima proles: tertium, quomodo matrimonium dissolvatur: & denique quomodo iteretur: sed quia per sponsalia ad matrimonia devenitur, prius de illis tractandum est.

1. Sponsalia autem sunt futurarum nuptiarum, id est futuri matrimonii, promissio, *can. Nostres xxx. q. 5.* seu mentio & repromissio, *l. 1. d. de Sponsalibus* sic dicta à Spondendo, teste Ulpiano, quod veteribus moris esset stipulari & spondere sibi futuras uxores: unde & Sponsi Sponsæque appellatio nata est, *l. 2. §. 3. d. eod.* A Gellius *lib. 4. Noct. Attic. cap. 4.* Spondere verò à sponte, id est voluntate deducit Varro *lib. 4. De lingua Lat.* ut Spondeo sit, quasi Sponte do vel promitto. *Quæ spondenter*, inquit, *filium*, *respondisse dicebatur*, quod de sponte ejus, id est voluntate exierat.

2. Dividuntur in Sponsalia de futuro, subaudi matrimonio contrahendo, quæ jam definita sunt, & propriè Sponsalia vocantur, c. *Præterea* 2. c. *li qui* 30. *§. ult. h. tit.* in Sponsalia de presenti, quæ non sunt aliud, quam mutus in matrimonium consensus, seu ipsius matrimonii contractum quidem, sed nondum consummatum, *can. Desponsatam xxvii. q. 2. c. Ex parte* 9, c. *Veniens* 15. *§. alius* hoc t. Dicuntur tamen etiam Sponsalia, quia & in matrimonii contractu quædam sit promissio mutue traditionis corporum, saltem tacite: imò matrimonium per sponsonem seu stipulationem, sive interrogationem & responsionem, contrahitur, c. *penult. hoc tit.* Pari modo etiam Sponsa aliquando & propriè sumitur pro ea, quæ promissit matrimonium de futuro, & nondum contraxit per verba de presenti, *can. Quidam sponsavit* 31. *can. De sponsatam* 46. *§. similibus* xxvii. q. 2. aliquando vero sumitur pro ea, quæ contraxit quidem de presenti, sed nondum illud consummavit, c. *Institutum* 39. *§. pluribus* alius d. loco, c. 2. *§. fin. inf. de sponsa duorum*: Et hac acceptione Deipara Virgo vocatur.

Sponsa Josephi & Josephus sponsus Virginis, cum inter eos intercesserit contractus matrimonii de presenti, Hæc tamen posterior usurpatio est minus usitata, soletque post contractum matrimonium per verba de presenti mulier communiter vocari conjux, *can. Qui desponsatam* 12. d. *caussa* §. 9. aut auxor, licet aliquando in Jure sponsa de futuro vocetur conjux aut uxor, c. *lucanus* 5. *§. ibi Gloss. inf.* conjux hoc tit.

3. Ad Sponsalia proprii nominis seu de futuro requiritur ea ætas, quæ intelligat id quod agit, & septennio completo definita est, tam in femina quam masculo, d. c. 3. hoc tit. Requiritur etiam consensus, *cap. 1. 4. §. inf. de desponsat. impub.* & quidem liber, cum sponsalia ordinentur ad matrimonia, quæ libera esse debent, & pertineant ad statum hominis, qui in arbitrio & electione est cujusque. Quo pacto autem sponsalia, quæ parentes plerumque pro filiis puberibus vel impuberibus contrahunt, valeant seu obligent, vel non, dicemus postea ad Tit. De desponsat. impub. Debet insuper hic consensus esse mutus: quorum enim unus corpus futurum est, unus debet esse & animus, *can. De nepotis* xxxi. *quasi*, 2. *Idemque* in l. 1. d. De sponsal. Sponsalia dicuntur esse futurarum nuptiarum repromissio, ut designetur reciproca obligatio consensus. Exprimi quoque oportet hunc consensum aliquo signo exteriori, ut mutus innotescat, sive verbis, sive litteris, sive alio modo: licet aliquando verba vel signa æquipollentia requirantur ad probationem consensus, c. *Tua fraternitati* 25. *§. c. penult. hoc tit.*

## §. II. Quinam sponsalia contrahere possint & quibus modis.

1. Sponsalia rectè contrahunt majores septennio, regulariter.
2. Sive verbis, sive nudo consensu, per se, vel per alios.
3. Purè, vel sub conditione.

1. Contrahere sponsalia possunt majores septennio, c. 4. *§. 5. c. c. Ad dissolvendum* inf. de desponsat. impub. quia huic ætati aliquod inest iudicium animi, quo intelligant contrahentes, quid agant, l. in sponsalibus 14. d. h. c.



non etiam minores: in quibus tamen malitia supplet ætatem, *c. 3. h. t.* Covar. *De sponsalib. c. 2.* dummodo alias à matrimonio contrahendo non arceantur: nam quibus nupt. & interdictæ sunt, illi etiam sponsalia, quæ sunt aditus & præparatio nuptiarum, contrahere verantur. *l. Oratio 16. D. eod. & quidem ex iisdem impedimentis, si sint perpetua, nec post contracta superveniant sponsalia: secus si temporaria.* Nam impubes potest contrahere sponsalia non tamen pro eo tempore matrimonium, nisi malitia suppleat ætatem. Similiter qui vovit castitatem ad tempus, non potest pro eo tempore matrimonium contrahere, valide tamen contrahit sponsalia, *arg. l. Solet D. de his qui not. infamia.*

2. Possunt verò prædicti sponsalia contrahere vel per seipsos, si præsentis sint, sive verbis, sive nudo consensu, ut ex interpretatione Juris, in *c. unico §. idem quoque De sponsal. impub. in 9.* sive etiã solo nutu, vel aliis indicis, *c. Cum apud sedem 23. h. t. l. Nutu 21. D. De legat. 3.* vel, si absentes sint, per litteras, nuntium, aut procuratorem, ad hoc idoneum, id est ad hoc speciale mandatum habentem, ob magnum quod ex facto tam arduo possit imminere periculum. Ob quod etiam nequit alium sibi substituere, nisi hoc eidem specialiter commissum fuerit, *c. ult. de procurat. in 6.* Porro ex sponsalibus, quæ parentes pro filiis, puberibus vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii, si expresse consenserint, vel tacite, ut si præsentis fuerint, & non contradixerint, obligantur, & ex eis oritur, iustitia publicæ honestatis, *d. c. unico De desponsat. impub. in 6.*

3. Præterea contrahi possunt sponsalia vel purè, vel sub conditione, *c. unico eod. in 6.* Purè concipiuntur his aut similibus verbis, *Ego te accipiam in uxorem, & ego te in maritum.* vel, *Ego te in meam, & ego te in meum, c. penult. h. t. & c. 3. inf. De sponsa duorum.* Sub conditione, hac vel simili forma, *Ego te in uxorem accipiam, si tantum doti nomine dederis, vel, si consentiat pater: quæ ex eventu pendunt, c. 3 & 5. inf. De condit. appositis, c. unico inf. h. t. in 6.* vel, *Accipiam te in uxorem, si intra tale tempus volueris:* quo casu in certum diem vel tempus contrahi dicuntur. Quod si intra dictum tempus noluerit, à promissione liber est, aliamque eligere potest, qui ita promissit, *c. Sicut 22. h. t.*

Aliam solemnitatem sponsalia necessarib non desiderant, nullam contestationem, nullam scripturam, nullam Parochi aut alterius sacerdotis præsentiam, nisi de honestate dumtaxat, aded ut sponsalibus obflare non debeat, quod clandestina sint, quia circa hoc & alia plerumque in sponsalibus per Conc. Trident. immutatum legimus: quæ propterea relicta esse in terminis juris communis sæpius respondisse sacram Congregat. scribit Zyp. *h. in princ.* post Gutierrez *Tract. De matrimonio c. 4.* Vide Canis. *ad hoc t. siren princ.*

### §. II. De effectu Sponsaliorum.

1. Sponsalia de presenti habent omnem effectum cum matrimonio.
2. Sponsalia de futuro an necessitatem imponant ad contrahendum.
3. Differentia inter sponsalia purè contracta & conditionalia.

1. **E**ffectus sponsaliorum de presenti idem est cum effectu matrimonii, quia non sunt aliud, quam ipsum matrimonium: ideoque non magis quam istud dissolvi possunt, *c. 17. & 3. inf. De sponsa duor.* nec per secunda sponsalia de presenti, nec etiam per matrimonium copula carnali consummatum, *c. penult. hoc tit.* Quare si quis cum duabus successive sponsalia de presenti contraxerit, adhæret priori, eamque uxorem habebit, *d. c. 1.* etiam si consuetudinem cum altera habuerit, *d. c. 3 & c. fin. h. t.*

2. Quantum vero ad effectum attinet sponsaliorum de futuro, licet olim Jure civili alterutri dispensatorum, vel patri, in cuius esset potestate, liceret sponsalibus renuntiare, *h. in potestate Cod. hoc tit.* adeo ut ne quidem pena promissa deberetur, *l. Titus 134. D. De verb. obligat.* tamen Jure novo Codicis cautum fuit, ut si quis contractis sponsalibus nolit nuptias exequi, major quidem xxv annis dupliet artius, minor verò tantum t. stituat; & si, qui dedit, non contrahat, eas amittat, præterquam si absque culpa alterius sponsalia dissolvantur, puta morte alterius, vel lege nuptias prohibente, aut dissolutionem permittente, *lib. 3. & 5. Cod. hoc tit.* At Jure Pontificio penitere quidem licet, sed qui sponsalia contraxerit, monachi sunt, & modis omnibus indu-



inducendi, ut fidem datam servant, c. *Præterea* 2. hoc. in eo etiam alter ab altero ad hoc iudicis auctoritate compelli potest, c. *Ex litteris* 10. c. *Sicut* 22. h. s. Franc. Leo *Thesaur. forens.* c. 24. n. 2. quia grave est fidem fallere, nihilque fidei humanæ tam congruum est, quam ut pacta servantur & adimpleantur, l. 1. D. *De pactis*, c. 1. c. 2. sup. *De pactis*.

Nec obstat, quod matrimonia debent esse libera, quia consensus est, quod debeatur esse libera à necessitate extrinsecus obveniente, non autem à necessitate intrinsecus proveniente, prout hic provenit ex consensu & promissione de matrimonio contrahendo. Et ideo sicut ceteri contractus dicuntur ab initio esse voluntatis, ex post facto vero, ubi scilicet semel initii sunt, aut promissio de iis in eundis facta, dicuntur necessitatis, l. *Incommodato* 7. § 3. de eo quod certo loco, l. *Si sterilis* 21. §. penult. D. *De nuptiis*, c. *Similibus*: ita & matrimonia, prout latè tradit Gutierrez *Tract. De juramento confirmatorio* c. 51. n. 4. c. 1. r. *Can. qu. c. 18. n. 10.* ubi sub finem addit, hanc esse praxim universalem orbis.

Non tamen statim per censuras Ecclesiasticas cogendi sunt, juxta d. c. *Ex litteris*, sed prius per alias poenas, etiam carceris, Marc. Ant. *Genuen. in Praxi Neapol.* c. 14. Basil. Pontius *De sacram. Matrimonii* l. 12. c. 6. n. 2. c. *seqq.* Quod procedit, etiam si non accesserit defloratio, modo de promissione constat, Genuen. *ib.* Farinac. *Decis. criminali* 73. Cæteroquin si qui omnino renitantur, non sunt cogendi præcisè, quamvis juraverint se simul contracturos matrimonium d. c. 2. hoc. quia coactiones solent plerumque difficiles habere exitus, c. *Requisivit* 17. h. s. & matrimonii coactio in iuribus est ipso jure nulli, c. *De muliere* 6. c. *Veniens* 13. c. *Adid.* 21. h. s.

3. Differunt autem quoad effectum sponsalia purè contracta à conditionalibus, quod contracta purè sint ab initio perfecta, quodq; consensu valida, licet alias nulla, ob impedimentum vel consanguinitatis vel affinitatis, aliave ratione, inducant publicæ honestatis justitiam, quæ quidem impediatur & dirimat sponsalia vel matrimonia contrahenda, non autem contracta dissolvat. Conditionalia vero non nisi eveniente conditione obligatio- nem aut effectum aliquem publicamque ju-

sticiam inducunt, c. *unico circa primo. juncto* §. *fin. h. s. in 6.* aut nisi postea consensus de præsen- ti intercedat, aut copula carnalis inter sponsum & sponsam subsequatur: nam his duobus casibus videntur à conditione adposita recessisse, & consensisse in matrimonium, c. 5. c. 6. inf. *De conditionibus appositis* &c. Adhibita tamen moderatione Concil. Trident. *Sess. 24. c. 1. De reformatione*, quæ matrimonia clandestina decetantur irrita, nec sponsalia de futuro persequentem copulam transeunt in matrimonium, sicut transibant secundum jura antiqua.

#### §. IV. Quibus modis sponsalia dissolvantur.

1. Dissolvuntur morte alterutrius: *dissensu mutuo.*
2. 3. Per religionis ingressum: per Ordinis sacrisuspensionem.
4. 5. 6. Per discessum: per lapsum temporis: per defectum conditionis.
7. 8. Per subsequens matrimonium ac fornicationem alterius.
9. 10. Per lepram aut aliam deformitatem: per servitium.
11. Per supervenientem affinitatem & votum castitatis.

1. Dissolvuntur autem sponsalia Primo, morte alterutrius: nam mors omnia solvit, *Novel. 22. de nuptiis cap. 20. in princ.* Secundo, mutuo & contrario consensu contrahentium, sponsi & sponsæ, puberum; quemadmodum societas consensu sociorum intra dissensum mutuo dissolvitur, c. 2. h. s. *In actione* 66. D. *Pro socio*: quia quisque potest remittere, quod sua interest, ac juri suo cedere, quam diu non resultat vinculum indissolubile. Nihilque tam naturale est, quam unumquodque dissolvi eo modo, quo colligatum est, *Nihil tam naturale* 35. D. *De R. I.* Idque adeo obtinet, licet sponsalia jurejurando confirmata fuerint, quia quotiescumque juramentum in favorem aliquis est præstitum, id ab eodem remitti potest, c. 1. sup. *De jurjur.* Covar. c. 5. *De sponsalib.* in princ. *Canis. in d. cap. 2. h. s.*

Dixi, puberum; quia si uterque vel alter eorum sit impubes, non dissolvuntur mutuo consensu sponsalia, nisi ubi ad annos pubertatis pervenerit.



pervenerint, *c. Anobis 8. de illis 9. inf. De de-  
sponsat. impub.* Et hoc statutum est ob incon-  
stantiam & levitatem puerorum, ne quotidie  
nova contrahant sponsalia. In hac tamen spe-  
cie solo dissensu ejus, qui pubes factus est,  
sponsalia distrahuntur, non expectato alteri-  
us, sive puberis sive impuberis, consensu,  
*d. cap. De illis cum seqq.* nisi forte sponsalia jura-  
mento confirmata essent; nam eo casu etiam  
alterius dissensus requiritur, *c. Ex litteris 10. de  
testis.*

2. Tertiò dissolvuntur per Religionis in-  
gressum, *can. Scripti 26. §. sponsi verò* (ubi ex-  
empla proferuntur) & *similibus xvii. q. 2.* nam  
si matrimonium ratum, non consummatum,  
ingressu Religionis dissolvitur, ut postea dice-  
mus, à fortiori sponsalia, etiam non expecta-  
ta professione. Ut proinde manens in saeculo,  
mox atque alter ingressus est Novitiatum seu  
habitum suscepit monasticum, prorsus à sua  
promissione solutus sit, etiamsi alter postmo-  
dum deponat habitum. Si tamen Religionem  
ingressus postea ante emissam professionem e-  
grediatur, tenetur ex parte sua cum muliere  
adhuc libera contrahere, si & illa velit, quia  
ipse solutus non est à sua obligatione. Quod  
si vero quis cui fidem dederit, praestito jura-  
mento de contrahendo matrimonio, & velit  
Religionem ingredi, tutius facturus dicitur,  
si contrahat prius matrimonium, sicque ju-  
ramentum adimpleat, & tunc Religionem in-  
grediatur, *c. Commissum 16. hoc tit.*

3. Quartò, per susceptionem Ordinis sacri;  
nam is impedit contrahi matrimonium, *cap. 1.  
& 2. inf. Qui Clerici vel viri vultes &c.*

4. Quintò, per discessum alterius, ad alias  
& remotas terras se transferentis, altero non  
praemonito, *c. De illis 3. h. t.* quia sponsus ita per  
orbem vagans videtur ex parte sua renuntiasset  
sponsalibus, & cessasse juri suo; ac proinde al-  
teri eadem renuntiandi potestas facta intelli-  
gitur. Vide Covar. *d. c. 3. De sponsalibus*, ubi tra-  
dit, quid de Jure civili aliter statutum sit,  
nempe ut sponsa teneatur expectare absen-  
tem sponsum per triennium, *l. 2. Cod. de  
repudiis.*

5. Sextò, per lapsum temporis praestituti ad  
matrimonium de praesenti contrahendum, *c.  
Sicut 12. h. t.* Cum enim hoc tempus adjectum  
sit scituenda obligationis causa, utique

ultra protendi non debet, contra mentem  
contrahentium.

6. Septimò, si conditio sponsalibus, etiam  
juratis, adjecta, non sit impleta, *c. 3. inf. De cond.  
appositis.* Nam quae sub conditione promittun-  
tur, non ante obligationem pariunt, quae  
conditio extiterit, quia sic deest consensus.  
Aliud dicendum, secundum jus antiquum, si  
ante conditionis defectum carnalis interven-  
sit copula, quia per eam censetur recessum à  
conditione, *c. Per suas 6. inf. eod. tit.* Agitur au-  
tem hic de conditionibus honestis & licitis, ut  
postea dicemus.

7. Octavò, Sponsalia de futuro, non secuta  
copula, dissolvuntur per sequentia sponsalia  
de praesenti sponsi sponsae cum tertio, tam-  
quam per fortius vinculum, licet priora fue-  
rint juramento confirmata, & in posterioribus  
non sit secuta copula, *c. Si interponit, h. t.* Dico  
non secuta copula, quia cum secundum jus  
antiquum, ut ante diximus, sponsalia de futu-  
ro per secutam copulam transcant in matrimo-  
nium de praesenti, non sufficiente ad hoc  
conatu, *cap. Veniens 25. sup. U quis fidem 30. &  
cap. fin. h. tit.* Secundum illud Jus secuta copu-  
la sunt indissolubilia per posteriora, sive de fu-  
turo, etiam juramento confirmata (quia cum  
tale juramentum sit de re illicita non addit  
majus vinculum, quam si abesset) sive de pra-  
esenti.

8. Nonò, dissolvuntur per subsequentem  
fornicationem alterius, sive voluntariam, sive  
coactam, *cap. Quemadmodum 25. sup. De jura-  
jurando*: sive carnalem, sive spirituales, ut per  
haereticum vel apostasiam, *cap. 2. inf. De divor-  
tio, can. Non solum, can. Item nunc & seqq. xxviii  
q. 1.* ita tamen, ut solus innocens ab obligatione  
liberetur: nam delictum suum nemini patrocina-  
ri debet. Per praecedentem tamen fornicationem,  
quae tempore contractus fuit, dum-  
modò cognita aut facile cognosci poterit,  
non dirimuntur sponsalia, *d. c. Quemadmodum*,  
secus si fuerit occulta omnino, & probabiliter  
ignorata.

9. Decimò, Per supervenientiam leprae, pa-  
ralysios, aut alterius morbi contagiosi, vel  
propter amissionem nasi, oculi, aut aliam no-  
tabilem deformitatem in alterutro contrahen-  
tium, *d. cap. Quemadmodum & cap. fin. inf. De  
conjugio leprosi.* Dico, in alterutro; quia tanta

ip



in conjugii vinculo est æqualitas, ut quæ in uxore locum habent, eadem & in viro obtineant, & c. diverso, *can. 1. & seq. xxxi. l. 9. 6.*

10. XI. per atrocem sævitiam sponsi sponsæ, aut ea incognitam & detectam postmodum, *Dilectus 24. hoc tit.* Similiter ob supervenientes inimicitias capitales inter sponsum sponsamque, vel utriusque familiam, ne forte quid deterius inde contingat, *c. 2. hoc tit.*

XII. Per supervenientem affinitatem, vel ratione cognationis spiritualis, *c. Veniens inf. De cognat. spirituali*; vel ratione copulæ carnalis intra gradum prohibitum, *d. c. Veniens & aliaz*. Cum enim ob affinitatem impediatur matrimonium, frustra de sponsalibus contenditur, *can. Si quis sponsam xxvi. q. 2.*

11. XIII. per votum castitatis, in sæculo emissum ante sponsalia, *c. Rursus inf. Qui Clerici vel verentes*. An autem etiam ante contracta per subsequens tale votum dissolvantur, dubitatur. Negat Navar. *d. loco n. 27.* Affirmat Sorus, volens tale votum esse licitum, quia pertineat ad statum perfectionis, & in sponsalibus semper intelligatur, dummodo non subeant statim perfectionem.

## § V.

De Matrimonio, quid nominis & rei.

1. Matrimonium unde dicitur, Conjugium, Connubium, Nuptia.
2. Matrimonii definitio enucleata.
3. Polygamia omni jure vetita.
4. Nuptias consensus non concubitus facit.
5. Verum matrimonium fuisse inter B. Iosephum & Virg. Deiparam.
6. Matrimonium est individua consuetudo.

Sponsalibus diximus initiari matrimonium, de quibus cum jam egerimus, postulat ordo, ut de ipso matrimonio videamus, quæ altera Tit. est pars, atque in primis de variis ejus appellationibus.

1. Dicitur verò matrimonium à Matre potius, quam à Patre Patrimonium, vel quia, *juxta D. August. contra Faustum c. 26.* non ob aliud debet femina nubere, quam ut mater fiat, matrisque nomen speret, vel, ut Gregor. propter dolores atque officium seu labores quos in procreanda & educanda prole suffert mater, *c. Ex Luteris sup. De convers. infidelium*. Aliter passim iure appellatur Conjugium, Connubium,

Nuptia, *l. in eo jure 45. D. De ritu nupt.* Conjugium à Jugo domesticæ curæ, cui pariter deportando mulier & vir per matrimonium adstringuntur, *can. Cum iniungitur 5. xxvii. q. 2.* indeque conjuges, auctore Festo, quod sint pares ejusdem jugi. Connubium verò & nuptia à nubendo, id est velando seu regendo, vel ut femina noverint se semper matris, tanquam capitibus suis, subditas, *can. Femina 7. xxx. q. 5. cau. Cum caput 15. xxxiii. q. 5.* vel quia pudoris gratia puellæ caput suum obnubere solebant, priusquam viro tradereatur, *can. Nec illud xxx. q. 5.* Unde & Rebecca *Genes. 25. viro & cognito Isaac*, cui uxor ducebatur pallio se operuit, *d. can. Nec illud*. Sumitur tamen Nuptiarum nomen etiam aliter, quam pro matrimonio, nempe pro solemnitate & hilaritate, quæ matrimonii celebrandi causa adhiberi solet, ut dum sacri canones certis temporibus nuptias prohibent, *prout in c. Capellanus tuus 4. sup. de feriis & similibus*. Alioquin Nuptiæ pro contractu matrimonii sumptæ nunquam interdicuntur, nequidem Quadragesimali tempore, *d. c. Capellanus, & ibidem Abbas & alii* Patetque ex Conc. Trident. *Sess. 24. ca. 10. de reformatione Matrim.*

2. Matrimonium autem definitur viri & mulieris conjunctio, individuum vitæ consuetudinem continens, *c. illud 1. sup. de praesumpt. Institut. de parvia potest. in princ.* Dicitur viri & mulieris, quia matrimonium non potest esse nisi in dispari sexu. Hinc nefanda & abominanda summeque à matrimonio aliena est illa conjunctio, qua viri viris commiscuntur, eamque morte ulciscuntur leges, non modo divina, *Genes. 19. Levit. 18. Exodi 20.* sed & humana, *l. Cum vir Cod. ad Iuliam de adult.* Jure vero Canonico, si tales Clerici fuerint, deiciuntur à Clero, vel ad agendam poenitentiam in monasterium detruduntur: Si laici, excommunicantur, & à cœtu hominum arcentur, *c. Clerici inf. de excessibus Prelator. c. Vi clericorum sup. de vita & honest. Cleric.*

3. Dicitur etiam, viri & mulieris, in singulari numero, quia neque jure civili neque Canonico licite possunt per matrimonium plures, sive viri sive feminae, conjungi uno viro vel femina: Et polygamia, seu pluritas virorum aut mulierum simul, repugnat quatuor finibus matrimonii: Qui sunt, procreatio prolis, &

Ecce

cdv.



educatio; socialis cohabitatio ad familiam rectè administrandam, muniaque domestica inter se congruè partienda ac subeunda; remedium concupiscentiæ; ac denique Sacramentum seu signum conjunctionis Christi cum Ecclesia. Dixi, simul; quia licet, semperque licuit, successivè plures habere vel uxores vel viros, priori matrimonio per mortem alterius conjugum dissoluto, ut patet ex Tit. de secundis nuptiis.

4. Sequitur in definitione conjunctio. Pro cuius intelligentia sciendum, in matrimonio hæc tria potissimum repetiri, Consensum interiore, contractum exteriorem, & vinculum ex iis ortum: Hic autem sumitur conjunctio pro vinculo animorum, nato ex mutuo consensu interiori & contractu exteriori, tamquam causa efficiente; non autem pro conjunctione corporum, quia matrimonium non facit concubitus, seu virginitatis defloratio, sed pactio conjugalitatis, seu mutua voluntas & consensus, l. Nuptiis D. de Reg. iuris, can. Cum initiatur can. Sufficiat xxvii q. 2. c. Cum locum 14. & alibi b. 1. Et cum carnalis copula sit usus rei, in alterius potestatem per matrimonium translata, non magis ad essentiam matrimonii pertinet, quam in omni alio contractu, veluti emptionis, locationis, & c. usus rei in eum deductæ pertinet ad substantiam ipsius contractus.

Nunc sequitur, matrimonium, solo consensu contractum, licet nulla copula carnalis intercesserit, dici verè matrimonium, can. Conjuges & can. Conjuges xxvii q. 2. nec dirimi per aliud subsequens cum alia, etiam carnali copula consummatum, c. fin. inf. de sponsa duorum \* 5. Similiter verum matrimonium fuisse inter B. Joseph & D. Virginem, can. Beata xxvii q. 2. quos conjuges fecit consensus cohabitandi, & individuum vitæ consuetudinem retinendi: nam licet B. Virgo proposuisset servare vovum virginitatis in corde, nihilominus committens virginitatem suam divinæ dispositioni, consensit in carnalem copulam, non illam appetendo, sed divinæ inspirationi in utroque obediendo, d. can. Beata.

Non obstat can. Non est dubium 16. cum seq. ibid ubi dicitur, non esse dubium, illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua commisitio sexus non docetur fuisse; quia, ut advertit editio Gregoriana, prior Canon non reperitur apud D. Augustinum, ex quo eum citat

Gratianus, videturque summarium Canonis sequentis, quem depravatè quoque legit Gratianus, ut videtur ibidem licet in editione Gregoriana.

Non obstat etiam, quod matrimonium efficiat, ut sint duo in carne una, quod non videtur efficere ante copulam: Quia esse duos in carne una, non est commisceri, sed haberi tamquam unam carnem, quod fit per hoc solum, quod uterque alterius corporis potestatem habeat.

6. Continetur autem matrimonii individua consuetudo, quia eo animo contrahitur, ut nunquam dissolvatur, nec enim matrimonium ad tempus contrahi potest, can. Solet xxxii q. 2. c. fin. inf. de condit. appositis. in eoque distinguitur à concubinato, qui tantum ad tempus instituitur, donec placuerit.

Non obstat, quod Jure civili matrimonium multis modis etiam quoad vinculum dissolvitur, altero conjugum licet in viro, 1000 Tit. D. de divortio & Cod. de repudiis: Quia illa dissolutio & separatio præter mentem & animum contrahentium evenit. Jure verò Pontificio, quod hac in parte sequendum est, matrimonium est verè individuum atque indissolubile, quoad vivit uterque conjugum, quia quos Deus conjunxit, homo non separet, can. Si quis cum matre sine can. Quos Deus seq. xxxii q. 2. Licet aliquando conjuges separentur a se invicem quoad horum seu cohabitacionem, inf. Tit. de divortio: Et matrimonium non consummatum per Religionis ingressum dissolvatur. Individua verò consuetudine continetur, ut mulier salem se in omnibus exhibeat viro, qualis ipsa sibi est, & è converso, d. can. Beata, s. c. u. ut dicitur in l. 1. D. de ritu nuptiarum, consortium omnis vitæ, divini atque humani juris communicatio. Et hinc fit, quod ejusdem civitatis censeatur uxor, cujus est mantus, l. fin. § idem rescripserunt, D. Ad municipalem: Aliaque similia ea ratione mariti competant: De quibus vide Tholosanum, Synag. l. vii. universi l. n. § c. 4. n. 9. § 6.

§ VI. De materia, forma & ministro matrimonii.

1. Materia sunt corpora ipsorum contrahentium.  
2. Forma sunt verba conjugum sive signa exprimentia consensum.

3. 4. Ministri sunt persona contrahentes, nō Sacerdotes.

Missis variis Doctorum opinionibus, dicendum, materiam matrimonii esse ipsa corpora

ra con-



in contrahentium. Ut enim aliorum contractuum materia semper est res illa, de qua est contractus, quæque datur & accipitur, veluti materia emptionis est domus, ager, equus, vestis: Ita etiam cum in contractu matrimonii corpora ipsorum contrahentium tradantur mutuo, & accipiantur juxta illud 1. *ad Cor. 7. Vir non habet potestatem sui corporis &c.* ipsa erunt materia hujus Sacramenti, non etiam consensus, ut *vult Gl. 16. Tunc nos 26. h. 1.* quandoquidem Christus matrimonium reliquit intra limites & naturam contractus, addidit ei consecrationem, ut esset contractus sacer, qui ante Christi institutionem erat profanus. Vide Covar. 1. p. *de Matrim. § unico n. 3.* & Basil. Pontium *de matrim. lib. 4. ca. 7. n. 12.*

2. Similiter ut forma aliorum contractuum est consensus mutuos, expressus verbis vel signo aliquo externo, quo inter contrahentes de re danda & accipienda convenit: Ita forma matrimonii sunt verba ipsa conjugum, vel signa externa, exprimentia consensum. Nam licet in profanis contractibus verba sufficiant sine consensu interno, eo quod homines verbis exterius prolatis stare debeant, nec possit judicare de internis: tamen in contractu matrimonii, ob ipsius excellentiam, requiritur etiam consensus internus signo aliquo externo expressus. Verba ad contrahendum matrimonium magis idonea sunt. *Ego te in meam uxorem accipio, &c. ego te accipio in meum maritum &c. Si inter virum penult. h. 1.* vel alia similia, consensum de presenti exprimentia, dummodo serio, non joco pronuncientur, alioquin non obligarent. *l. Obligationum substantia § fin. D. de oblig. & act.* Quod si verò idonei scientia & ætate ad contrahendum matrimonium, per verba contrahant obscura, ut alter alterum non intelligat, communem verborum intellectum idiomatis quo contrahunt, sequi tenentur, *c. ex lit. h. 1.*

3. Ministri verò hujus Sacramenti sunt ipsæmet personæ contrahentes. Siquidem is est minister Sacramenti, qui formam Sacramenti superinducit materiæ: Id autem faciunt contrahentes proferendo verba, aut signa edendo, quibus mutuum consensum exprimunt. Quamquam, ubi Conc. Trid. est promulgatum, debeant ex illius decreto ea verba proferri, aut signa edere, in præsentia Parochi, aut alterius de ejus licentia, & coram testibus, ut postea dicemus.

4. Quod autem Sacerdos non sit hujus Sa-

cramenti minister, nec ejus verba & benedictio sint de essentia matrimonii, sed merè extrinseca patet tum ex eo, quod ante Conc. Trid. matrimonium, sive publicè sive clandestinè absque Sacerdote contractum, fuerit verum matrimonium; tum ex eo, quod secundæ nuptiæ non benedicantur à Sacerdote, & tamen sint vera matrimonia & Sacramenta.

Non obstat Canon aliter xxx. q. 5. ubi matrimonia, sine Sacerdote contracta, videntur non esse matrimonia, sed adulteria, vel stupra, vel fornicationes: Quia id intelligitur de foro exteriori, quatenus Ecclesia semper præsumpsit & judicavit fornicationem, nisi matrimonium legitimis testibus probari possit. Hodie post Conc. Trid. matrimonium absque præsentia Parochi, vel alterius Sacerdotis, de ipsius Parochi vel Ordinarii licentia, contractum est nulum & irritum, ut postea dicetur.

§ VII. De ætate requisita ad contrahendum matrimonium.

1. *Ætatem leges pubertate & annorum numero definiunt.*

2. *Canones ex habitu corporis & potentia generandi*

1. Quomodo verò ad contrahenda sponsalia, ita & ad matrimonia ineunda in primis requisita est ætas certa. Quæ autem ætate expediant & valeant matrimonia contrahi, variè censuerunt Philosophi, ut videre licet apud Covar. p. 2. *de matrim. c. 5.* cum verò matrimonium ad prolis generationem institutum sit, Jura tam Civilia quam Canonica hanc ætatem pubertate definiunt: Hoc tamen discrimine quod Civilia pubertatem ex annorum numero soleant æstimare, in masculo quatuordecim, in femina duodecim, *Instit. de nupt. in princ. juncto Tit. Quibus modis finiatur tut. c. 3. inf. de de spons. impub.* ea quidem differentia inter utrumque sexum, quod potentia generandi citius femininis, quam viris accidere soleat, qua de re lædè Tiraquel l. 6. *connub. n. 38.* Gutierrez in *Auth. Sacramenta puberit. c. Si adversus venditionem, &c.*

2. At verò sacri Canones pubertatem ex habitu corporis & potentia generandi metiuntur, quæ prædictum annorum numerum nonnunquam antevertit, *c. 3. 8. & alius inf. de de spons. impub.* Quod cum sit, dicitur malitia sive prudentia supplere ætatem, scilicet juris Civilis, *c. 9. inf. d. tit. &c. unico §. 1. eod. in 6.* Exempla vide apud

Rec 2

Sanchez



Sanchez de Matrim. l. 7. disp. 14. n. 20. Tiraquel d. loc. n. 37. Ideo que si pubes & impubes, vel duo impuberes, non proximi pubertati, & in quibus ætatem malitia non suppleat, per verba contraxerint de presenti, nullum inter eos erit matrimonium: Adeo ut ne quidem per adventum pubertatis convalescat, nisi iure veteri per carnis copulam subsecutam: Vel aliquem modum alium contrahentes eosdem cum ejusdem perseverantia voluntatis, ad pubertatis tempora pervenisse constiterit evidenter, d. c. unico §. 1. de desponsat. impub. in 6. Matrimonium tamen ita contractum ex juris interpretatione resolvitur in sponsalia de futuro, inducitque Justitiam publicæ honestatis, d. c. unico §. 1. in fine ut scilicet actus, qui non valet, uti agitur saltem eo modo valeat, quo valere potest. Uno tamen casu matrimonium inter impuberes contrahi potest & contractum toleratur, ex Constitut. Nicolai papæ, in c. 2. inf. de desponsat. impub. nempe urgentissima aliqua necessitate interveniente; utpote pro bono pacis.

## §. VIII.

## De Consensu contrahentium matrimonium.

1. Matrimonium citra consensum mutuum iniri non potest.
2. Et ad hoc virtualis sufficit consensus.
3. Exprimi debet signo aliquo exteriori.
4. Debet esse liber ab omni iusto metu.
5. Nisi is purgetur vanus metus non excusat.

1. **R**equiritur quoque ad matrimonium vel maxime mutuum consensum illud contrahentium, satis constat ex c. Cum locum 14. & aliis h. s. quia is solus, & non concubitus, nuptias facere dicitur: et inter invitos aut dissidentes, non contrahitur matrimonium, l. Si parte eogenitæ 22. l. In vitam 29. D. de ritu nupt. adeo ut nullâ auctoritate humanâ iniri possit matrimonium citra interventum huius mutui consensus; eo quod, ut alias rationes omittam, matrimonium sit contractus quidam, de cuius essentia est consensus contrahentium.

2. Necessè tamen non est, hunc consensum esse formalem, sed sufficit virtualis, qui præsupponit actuale præcessisse. Nam placuit per procuratorem, iniri matrimonium posse, dum tamen ad hoc speciale habuerit mandatum de

certa ducenda, quod medio tempore non fuerit revocatum *fin. de procurat. in 6.* Hic enim casu, licet dominus eo tempore, quo procurator ejus nomine contrahit, nihil minus cogitet, quam de matrimonio, subsistit matrimonium, & verè contrahitur, quia sufficit, quod consensus alterius ex post facto accesserit: Siquidem hoc modo & alii contractus, qui consensu inveniuntur, inter absentes per nuntium vel epistolam celebrari possunt, l. 1. §. fin. D. de contrah. empti.

Debet autem consensus hic conferri in murum corporum potestatem & veluti dominium ac traditionem, non verò in ipsam copulam carnalem, nisi implicitè, quia illa non spectat ad essentiam matrimonii: *Ve patet ex ante dictis, & ex can. Beata & duobus seqq. xxvii q. 2.*

3. Præterea exprimi aliquo signo exteriori, ut utrique innotescat. Nihil tamen refert, an verbis, an nutu, vel alio inditio exteriori a contrahentibus exprimatur, c. Cum apud sedem 23. c. Tua fraternitatis §. h. t. Cum etiam muti ac surdi matrimonium rectè contrahant per consensum signis expressum. Cur autem mutus matrimonium potius nutu contrahere valeat, quam Sacerdos nutu pœnitentem absolvere, ratio hæc est, quia matrimonium habet formam contractus, qui ex natura sua celebrari etiam inter mutos atque absentes potest. At verò Sacramentum pœnitentiæ habet formam iudicii, in quo pronuntianda est à Iudice sententia, audito prius & examinato reo: Jam autem mutus natura prohibetur esse Iudex, l. Cum præter 12 §. non tantum D. de iudiciis.

4. Insuper consensus liber sit necesse est ab omni metu, qui possit in virum constantem cadere, cap. Veniens 15. h. t. id est, qui prudentem & constantem virum merito promoveat ad matrimonium, tanquam ad minus malum: Qualis est metus mortis, mutilationis, servitutis, verberum, longi carceris, exilii, stupri, amissionis bonorum vel majoris partis, excommunicationis injustæ & sublato difficilis, ac denique omnis, qui respectivè merito gravis censeri queat. Quod vir prudens arbitrabitur. Nam talis metus matrimonium, quod maxime liberum esse debeat, reddit nullum, de can. Cum locum & aliis hostis. etiam si consummatum fuerit: idque ex constitutione humana, ob defectum sufficientem.



scientis & plenæ libertatis, non verò jure naturali aut divino præcisè, ex defectu libertatis, ut vult Covar. quia quæ metu fiunt, sunt absolute libera, possuntque esse meritoria vel demeritoria, licet secundum quid sint violenta ex 8. Et hic c. 1.

Nihil autem interest, an contrahens sua culpa, an aliena inciderit in hunc metum, ut patet in eo, qui deprehensus in stupro cum puella ad matrimonium cum ea contrahendum stricto pignore adigitur d. cap. Veniens 15. juncto d. cap. Cum locum hoc e. dummodò incussus metus injustè fuerit in ordine ad extorquendum consensum matrimonialem. Nam si quis justè adjudicatus suspensio ob metum mortis cum meretrice vel alia simili persona, ut subinde fit, contrahat, vel per excommunicationem cogatur contrahere cum ea, cum qua se contracturum juravit, tenet matrimonium.

5. A justo verò metu recessum videbitur, si metum passus pallare sponte alteri contrahentium cohabitaverit. c. Ad id 21. h. t. aut corpus illi suum commiserit: convalescit enim ejusmodi matrimonium novo succedente consensu libero, saltem tacito.

6. Cæterum vanus timor matrimonio contrahendo nihil obest, l. Vanis timoris 84. D. de Regulis juris. Cujusmodi esse metum reverentialem verius videtur, quo filius vel filia ob reverentiam parentum, nullis verberibus, minis, aut alio justo metu, adacta in matrimonium oblata consentit, arg. l. Si patre cogente 22. de ritu nuptiarum.

## §. IX.

## De consensu parentum, an is necessarius.

1. Jure Civili necessarius est.

2. Jure Canonico de honestate dumtaxat.

1. Differant hac in parte Jus Civile & Canonicum. Nam Civile eorum, in quorum sunt potestate contrahentes, consensum, & quidem prævium exigit, l. Institut. de nupt. in princ. adeò ut licet nuptiæ sine parentum consensu contrahantur, hoc jure, contemplatione publicæ utilitatis, non dissolvantur, Paulus 2. Sent. Tit.

20. nihilominus tamen injustæ atque illegitimæ, injustique & illegitimi ex eis suscepti liberi censentur, l. Paulus 11. D. de statu hominum. Impunè tamen filii filiave sine patris, in cujus sunt potestate, consensu contrahant, si is ante vicissimum quintum annum ætatis conditionem eis non querat, aut injuria prohibuerit ducere uxorem vel nubere, l. cap. 19. de ritu nupt. vel patrem furor occupet, l. Institut. de nupt. in princ. vel captivitas, l. Si ita 9. l. seq. D. d. t. Matris curatorum, & aliorum, in quorum potestate non sunt contrahentes, consensus nō videtur necessarius, l. In copulanda. Cod. de nuptiis. Similiter filius filiave emancipata sine consensu patris uxore ducere & nubere potest, l. Filius 25. D. de ritu nupt. nisi ætate adhuc minor sit, hoc enim casu lex assensum patris exigit, l. In conjunctione 10. C. de nuptiis, licet vidua sit, l. Vidua 18. Cod. eod. Presumitur autē consentire pater, favore matrimonii, qui sciens illud cōtrahi non cōtradicit, l. §. 1. D. de sponsal.

2. At verò Jure Canonico honestum quidem est adhibere consensum parentum, c. 1. inf. de sponsal. impub. Idque suadet ratio naturalis. Et quidem multò magis expedit adhibere in matrimonio, quam in sponsalibus, propter indissolubile vinculum, quod inducit, ut ubi periculum majus intenditur, cautiùs etiam agatur. Vbi periculum 3. de elect. in 6. maxime ex parte filiarum, quarum sexus & infirmitas paternæ prudentiæ vel juris subsidium desiderat, l. 1. c. 2. D. Ad S. C. Vellejanum, quippe quæ plerumque maritorum titillatione adversus propria commoda consensum præbent, l. Si pater Cod. de sponsal. Indeque fit, quòd multi Canones matrimonia sine consensu parentum contracta damnant, ut can. Nostrates & alii xxxii. g. 2. Veruntamen id necessarium non est, sed sufficit consensus eorum, qui contrahunt, ut patet ex can. Sufficiat xvii. g. 2. & Conc. Trid. Sess. 24. c. 1. de reformatione matrim. ubi anathemate damnant affirmantes, matrimonia à filiis facta sine consensu parentum contracta esse irrita, & parentes ea rata vel irrita facere posse, eò quòd matrimonia debeant esse libera. Cui favet et ratio, quòd in iis, quæ ad Sacramenta pertinent, non consideretur patris potestas, c. fin. de iudiciis in 6. Hinc merito Covar. 2. p. de sponsal. c. 3. §. 5. docet, filiam sine consensu patris nubentem non posse exheredari, licet turpi, vel indigito nubat, ante ætatis

Hec 3

annum



annum xxv. quantumvis pater velit eam tradere æquè digno, congrua constituta dote: quia nemini facit injuriam, qui jure permittente matrimonium contrahit; & alias tolleretur aut plurimum minueretur libertas, ad matrimonium à Jure Canonico requisita.

## §. X.

## Quinam matrimonium contrahere possint.

1. *Quidam prohibentur natura, quidam lege.*
2. *Impedimenta dirimentia matrimonium contrahentium.*
3. *Impedimenta contrahi impedientia.*
4. *De hermaphrodito.*

**C**irca requisita ad contrahendum matrimonium restant personæ contrahentium. Contrahere possunt, quicumque in legitima ætate constituti consentire possunt, modo non prohibentur. Est enim edictum de matrimonio contrahendo prohibitorium, ut quicumque non prohibentur, per consequentiam admittantur, *cap. Cum apud 23 hoc tit.*

1. Prohibentur autem aliqui aut naturâ, ut furiosi durante furore, & *Dilectus 24. h. tit.* Alioquin intervallo lucido furiosus contrahere potest, nec contractum superveniente furore dissolvitur: item impuberes, nisi malicia suppleat ætatem; & impotentes, *l. In causis Cod. de repudiis.* Aut lege, eaque vel naturali, vel divina aut Ecclesiastica. Nam licet Ecclesia matrimonii naturam, ut est Sacramentum, immutare non possit, tamen, quatenus est contractus, certas leges ac solemnitates ad illud contrahendum potest præscribere: quia Christus evcheos matrimonium ad rationem Sacramenti, statuendo ut omnis legitimus matrimonii contractus inter fideles, id est baptizatos, sit Sacramentum, nihil immutavit circa matrimonium, ut est contractus: nec definivit, qualis & quis esse debeat hic legitimus contractus: nec item quæ personæ essent legitimæ vel illegitimæ ad eum celebrandum: sed id reliquit humanæ potestati.

2. Et ideo potest Ecclesia aliquos ab eo contrahendo submovere: prout etiam submovet, constituto duplici impedimentorum genere, uno dirimentium, ut vocant, altero impedi-

tium contrahi, non tamen dirimentium contractum. Impedimenta dirimentia, secundum jus antiquum duodecim assignantur contenta his verbis.

*Error, conditio, votum, cognatio, crimen, Chritus dissimulatus, vis, ordo, ligamen, honestas, Si sis affinis, si forte contra nequibus, Hac socianda vetant, connubia facta retrahant.*

Quibus Tridentina Synodus adiecit clandestinum matrimonium.

Impedimenta verò, quæ matrimonium contrahi impediunt, non tamen dirimunt contractum, sunt duplicis generis. Quædam enim non confurgunt ex crimine aliquo, & sunt quinque, his verbis contenta.

*Ecclesia vetitum, nec non tempus servatum, Atque Catholismus sponsalia, jungit votum, Impediunt fieri: permittunt facta teneri.*

Alia ex crimine proficiscuntur, & sunt septem comprehensa his verbis:

*Incestus, raptus sponsata, mors mulieris, Susceptus propria sobole, mors presbyteralis, Vel si pœniteat solemniter, aut Monialem, Accipiat, prohibens hac conjugium sociandum.*

De quibus omnibus agerem eo ordine, quo proposita sunt, nisi propositum esset sequi ordinem Titulorum, qui in Decretalibus sunt.

4. Quantum autem ad hermaphroditum attingit, cum judicandus sit vir vel femina, secundum sexum in eo prævalentem *l. Quartus D. de statu hominum*, si virilis prævaleat sexus, vir judicandus erit, & uxorem ducere poterit, si foemineus prævaleat, viro nubere, *Gloss. in cap. Si testes in V. ad testimonium 1 v. q. 3.* Et si juxta alium sexum contrahat, matrimonium erit irritum, & quidem jure naturæ, tanquam initium inter personas ejusdem sexus. Quod si uterque sexus sit æqualis, poterit eligere sexum quo uti malit, & præstito juramento, quod in posterum non nisi semel electo utetur, secundum quem elegerit, matrimonio jungi. Vide Sanchez *de matrim. lib. 7. Disput. 16.*

¶ Tit. I. de

TITU.



## TITULUS II.

## De desponsatione impuberum.

1. *Ætas ad contrahenda sponsalia definita non est ut in nuptiis.*
2. *Plurimum septennii est, dummodo usus rationis adsit.*
3. *De sponsalibus duorum infantium vel alternitrimis.*
4. *Impuberibus permissum est à sponsalibus recedere.*
5. *Etiā in sponsalibus malitia suppleri astat.*

DE sponsalibus & matrimonio in genere vidimus, & utrobique de Jure tam Civili quam Canonico diximus requiri certam ætatem, de qua quoad sponsalia contrahenda paulò specialius agendum est.

1. Quia igitur sponsalia sunt promissiones quædam, ut antè dictum est, idè deposeunt necessariò usum rationis & aliquam prudentiam, ac proinde ætatem saltem septennem, in utroque sexu completam, cap. 4. c. Accessit 5. & alia hoc tit. quia usus rationis & prudentia ut plurimum adsunt post septennium, superata jam infantia, l. in sponsalibus 14. D. de sponsal. & l. Si infanti 18. in princ. Cod. de iure deliberandi sufficit tamen ultimam diem esse inceptam, favore matrimonii.

Ad matrimonium verò contrahendum diximus suprà Jure Civili definitam esse ætatem duodecim annorum in fœminis, quatuordecim in masculis. Ratio diversitatis inter sponsalia & matrimonium est, quòd ad sponsalia sufficiat usus rationis, qui eodem tempore viris & fœminis advenit seu advenire solet: ad matrimonium verò requiratur potentia generandi, quæ solet citius fœminis accidere.

2. Id tamen intelligendum est, dummodò septennes usum rationis habeant. Nam si uterque vel alter usum rationis non habeat, irrita sunt sponsalia. Et idè Modestinus J. C. d. l. in

sponsalibus ait, non esse definitam ætatem in sponsalibus, ut in matrimoniis, quia scilicet in matrimonio semper sufficit ætas definita à Jure, in sponsalibus non semper, quia sæpè septennio completo deest usus rationis.

3. Si igitur infantes ad invicem, vel unus major septennio & alter minor, sponsalia contraxerint, ipsi, vel parentes pro iis, sunt nulla & irrita sponsalia hujusmodi, nec per lapsum dicti temporis convalescunt, nisi per cohabitationem eorum mutuam, seu alias verbo (ut si facti majores vocent se sponso) vel facto (ut si post septennium se osculentur ut sponsi) liquido appareat, eosdem in eadem voluntate factos majores septennio perdurare, c. unico eod. in 6. seu alias expressè vel tacitè sponsalia ratificent.

Hinc qui cum puella minore septennio contraxit, non prohibetur matrem ejus in uxorem accipere, nisi illa major septennio facta in sponsalia consenserit, d. cap. Litteras 4. h. t. Etenim major septennio, licet impubes adhuc, potest contrahere sponsalia de futuro, quia scilicet intelligit aliquo modo, quid agat, quod satis est ad sponsalia de futuro, d. l. in sponsalibus.

4. Attamen quia impuberes non omninò intelligunt, quid agant, permittitur ipsis, ubi ad annos pubertatis pervenerint, à sponsalibus antè pubertatem contractis rescire, si voluerint, c. Drillus 7. c. Anobis & c. Attestat 10. h. t. nisi carnalis commixtio antè intervenierit, spectato jure antiquo, quia sic videntur consensisse in matrimonium, licet nondum fuerint puberes, anticipante & supplente tempus pubertatis malitia, d. cap. Anobis & c. cap. de illis 9. h. t. Secus juxta Conc. Trid. ex cujus decreto sponsalia de futuro non ampliùs per copulam subsequutam transeunt in matrimonium.

Non obstant Jura quædam, in quibus dicitur, impuberem sponsalia, à patre suo nomine contracta, postquam pervenerit ad perfectam ætatem, debere omninò adimplere: quia id intelligitur de debito honestatis, non necessitatis.

Non obstat quoque, quòd filiarum demum potestas dissentendi concedi videatur, si indignum moribus vel turpem sponsum elegerit ei pater, l. Sed ea quæ pater §. tunc autem D. de sponsalibus, aliasque Jure civili dissentiendo justam ingratitudinis atque exheredationis causam præbeat, Novel. 115. Ut cum de appell. cognosc.



cognosc. cap. 35. Si alicui t. quia hoc Jure Canonico non obtinet, Gloss in c. hoc tit.

5. An autem ut in matrimonio ita & in sponsalibus malitia suppleat ætatem, video dissentire DD. Probabilius videtur supplere, prout existimant Covar. & Sanchez, quia Jura tantum requirunt septennium, ut contracturi sponsalia intelligant, quid agant, d. l. in sponsalibus: ergo si ante septennium id intelligant, malitia suppleat ætatem, validus erit contractus præsertim cum in sponsalibus non tantum sit periculum, quantum in matrimonio quod est indissolubile, & oneribus plenum. Idque satis in Jure expressum videtur, saltem in æquivalenti, hoc ipso scilicet, quo Jus disposuit, per malitiam suppleri ætatem in matrimonio, cum sponsalia sint via & dispositio ad matrimonium.

Ut proinde non obstat, quod ubi Jus certam ætatem ad intellectum & discretionem exigit, non possit ea per malitiam aut præcox judicium suppleri, nisi Jus ipsum id exprimat, prout expressit pro contractu matrimonii, c. Continebatur 6. d. c. Anobis hoc tit. non etiam pro sponsalibus: quia illud obtinet, nisi contrarium sit Jure expressum in aliquo æquivalenti, ut hic contingit. Vid. Sanchez lib. 1. Disputat. 15. q. 2. & 3. In qua tener sufficere ad validitatem sponsaliorum, in quacumque ætate, si ante septennium adsit: præscriptum nihilominus esse septennium à Jure, ut præsumitur, nisi contrarium manifestè appareat.

### TITULUS III.

#### De clandestina desponsatione.

1. Clandestina matrimonia semper Ecclesia desponsata sunt.
2. Conc. Trident. Sacretum de contrahendis matrimoniis.
3. Denuntiationes siue banna ex causa remitti possunt.
4. Matrimonium absque Parocho & testibus con-

tractum est nullum.

5. Denuntiationes ad solemnitatem pertinent, non ad essentiam.
6. Conc. Trident. non obligare, nisi ubi publicatum est.
7. Parochus proprius quis dicatur.
8. Ejus presentia requiritur, non approbatio.
9. Actus presbyter sit, necesse non est.
10. Matrimonium clandestinè contractum de novo contrahi potest.
11. Circa sponsalia nihil immutatum novo jure.
12. Quis proprius sit Parochus vagabundorum & peregrinorum.

Inter ea, quæ in contrahendis matrimoniis in primis cavenda sunt, vel maximum quoque est vitium clandestinæ desponsationis, id est, matrimonii clam contracti, de quo in hoc Tit. agitur. Nam tametsi jure antiquo matrimonia clandestina, id est non præsentibus Parocho vel testibus, libero consensu contrahentium celebrata, rata ac vera essent, c. 1. hoc tit. pro ut etiam definit, Conc. Trident. Sess. 24. c. 1. De reformat. matrim. in prin. quia consensus interpositus privatim consensus est, & solus facit matrimonium: tamen Ecclesia ob gravissima incommoda, quæ ex hujusmodi matrimoniis in Republica contingere solebant, ea semper detectata fuit, atque prohibuit, can. non omnis & alius xxii q. 2. can. Aliter, can. Ne strati xxx. q. 5.

Novissimè vero Conc. Trident. d. loco, cum animadverteret prohibitiones illas ob hominum inobedientiam jam non prodesset, & gravia peccata perpenderet, quæ ex iisdem clandestinis conjugiiis ortum haberent, præsertim eorum, qui in statu damnationis permanerent, dum, priore uxore, cum qua clam contraxerant, cum alia palam contraherent, cum ea quæ in perpetuo adulterio viverent, præceperit, ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnias publicè denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum: quibus denuntiationibus factis, Epulum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur; ubi Parochus, viro & muliere in-

terro,



terrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, dicat: *Ego vos in matrimonium conjungo. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*; vel aliis prout verbis, juxta receptum uniuscujusque provincie ritum. Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium maliciose impediri posse, si tot præcesserint denuntiationes, tunc vel una tantum denuntiatio fiat, vel saltem Parocho & duobus vel tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur, ac deinde ante illius consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant, ut, si aliqua subsint impedimenta, facilius deregantur; nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur; quod illius prudentiæ & judicio sancta Synodus relinquit.

3. Remittique possunt per Episcopum, non solum ex causa in Concilio expressa, cum scilicet matrimonium malitiose impediri potest, verum etiam ex aliis, justis tamen & arbitrio Episcopi ponderandis, de quibus Zyp. *Tu. desponsal. & matrim. n. 11.* ut si instet tempus clausum, ut vocant, quo nuptiæ prohibentur; si aliàs timeatur, ne puella à parentibus vel tutoribus tradatur ignobili: si constitutus in articulo mortis velit contrahere cum concubina, ut legitimeretur proles ex ea jam antè suscepta: si dives velit ducere pauperem, nobilis ignobilem, senex juvenem. Piafec. p. 2. cap. 4. art. 4. num. 5, post Navar. in *Manuali cap. 22. à n. 30.* & Henriquez de *matrim. cap. 5.* subjungens, his casibus, & similibus, quibus concedenda videretur denuntiationum omissio, securius esse prius examinare testes ad minus duos, qui deponant, scire se inter contrahentes nullum subesse impedimentum, ex Geueno in *Praxi c. 26. n. 4.*

4. Qui verò aliter, quam præsentì Parocho, vel alio sacerdote, de ipsius Parochi seu Ordinarii (subaudi, vel Vicarii ejus generalis, juxta declarationem Cardd.) licentia, & duobus vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos dicta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit.

5. Ubi observandum, denuntiationes & celebrationem matrimonii in facie Ecclesiæ spectare dumtaxat ad solemnitatem; & propterea, si omittatur, non ideo irritari matrimo-

nium, sed reddi clandestinum, modò cætera requisita serventur, ut patet ex verbis ipsius Decreti; licet puniri possint sic contrahentes, Navar. in *Manuali d. cap. 22. Piaf. d. loco n. 4.* Ac verò præsentia Parochi, vel alterius Sacerdotis de ejus vel Ordinarii licentia, & adhibitio testium, spectant ad matrimonii quandam essentiam: & proinde si hæc desint, vel eorum aliquid, matrimonii contractus non solum clandestinus, sed & nullus irritusve erit, uspatet ex *versis. Qui aliter quam præsentè Parocho &c.* Aded ut ulterius per Episcopum irritari non debeat, sed solà opus sit declaratione, esse nullum & irritum, Piaf. d. loco num. 7. ex *declarat. Cardd. quam refert.* Quinimò matrimonium taliter contractum aded est nullum, ut contrahentes possint, si velint, separari ab invicem, etiam non expectatâ sententiâ Judicis declaratoriâ, Navar. de *clandest. desponsat. Conf. 3. n. 2. & Confil. 5. num. 1.* nec ratificetur per subsequentem copulam, quia illa ratificatio cessat post Conc. Trid. ut antè diximus, & docet Navar. de *desponsat. Confil. 18. num. 3.* imò ne quidem in sponsalia de futuro resolvitur, Navar. d. *Conf. 3. n. 3.* nisi esset contractum inter impuberes, vel unum puberem & alium impubere, juxta c. 1. de *sponsat. impub. in 6. Piaf. d. loco n. 9.*

6. Observa tamen prædicta obtinere in locis, ubi hoc decretum Conc. Trid. promulgatum est: nam spectat tantum ad ea matrimonia, quæ post publicationem ejus contracta sunt, adeoque post triginta dies, à die primæ publicationis in parochia factæ numerandos, ut colligitur ex *sine d. cap. 1. Conc. Trid.* & quidem post Kalend. Maii ann. 1564. juxta Bullam Pii IV.

7. Parochus autem proprius, quem Conc. requirit, est Parochus seu sacerdos, cui principaliter incumbit cura animarum in loco, ubi contracturi domicilium fixum habent, sive vir, sive mulier. Quod addo, quia sufficit præsentia Parochi seu habitationis vel mulieris, dum in ejus Parochia contrahitur, vel viri, quando in hujus Parochia celebratur matrimonium: quia solum requirit præsentiam Parochi absolute, non autem utriusque conjugis, & ita declarasse Sacram Congregationem testatur Navar. de *clandest. desponsat. Conf. 4. n. 1.* Hinc licet Parochus sponsæ non possit eidem  
Fff addi-



adstare in parochia sponsi, valeret nihilominus matrimonium, si contra fieret, quia verè Parochus est alterius.

Proprii item Parochi nomine venit quilibet Sacerdos, deputatus ab ipso Parocho: & satisfat Conc. si coram illo contrahatur, etiam si generaliter tantum ipsi fuerit commissum exercitium Sacramentorum: imò si verbaliter tantum. *Piassec. d. loco n. 13. & 14. ex Navar. quem citat.*

8. Non requiritur autem Parochi approbatio: nam ipso quoque contradicente contractum matrimonium valet, dummodò ad celebrationem ejus verè & formaliter ab ipsis contrahentibus adhibitus sit, seu adhibeatur, tanquam testis, vel adhibuit esse appareat, licet ex alia causa invitatus venerit, etiam confabulationis causâ, vel invitatus & per vim compellus præsens fuerit: licet etiam Ordinarius illi inhibuerit, ne tales vel tales matrimonio jungeret, *ex declarat. Cardd. Gonzal. ad Reg. viii. Cancell. Gloss. 48. num. 35. Gutierrez de matrim. cap. 69.* Neque enim voluntas Parochi aut consensus requiritur, sicut nec aliorum testium, sed tantum adhibetur tanquam testis magnæ auctoritatis, *Piassec. d. loco num. 17.* Alioquin si fuerit tortuò præsens, & de eo contrahentes nihil cogitaverint, vel cogitent, aut licet cogitaverint cogitare, non tamen ipsum in testem adhibuerint vel adhibeant, contractus erit clandestinus & nullus. Quemadmodum & si fuerit præsens, nec tamen quidquam viderit vel audiverit eorum, quæ gerebantur, nisi affectasset non intelligere, *ex declarat. Cardd.*

9. Præterea necesse non est, ut Parochus sit actu presbyter, sed sufficit quòd sit verè Parochus, habens titulum & jus Parochi, licet primatantum tonsurâ insignitus sit, *ut colligitur ex verbis generalibus d. Conc.* Quamvis aliud dicendum sit de substituto à Parocho, quem Sacerdotem esse oportere constat ex verbis Conc. ibi, *vel alio sacerdote.* Idque convenientius fore, nempe ut Parochus non actu Sacerdos deleget alicui Sacerdoti vices suas, ut is inter sit matrimonio contrahendo, respondit Sacra Congregatio, *Piassec. d. loco num. 15.*

10. Porro licet matrimonium ex defectu Parochi vel testium (quos sufficit esse vel patrem

vel matrem sponsi sponsæve, vel alios quoscunque, sive consanguineos, sive extraneos sive viros, sive feminas, ex quo Conc. generaliter & indistinctè de testibus loquitur *Cova. 2. de sponsal. cap. 8. §. 12. n. 8.*) sit nullum, ita ut nequidem sponsalium inducat obligationem, & qui sic contraxit possit etiam cum consanguinea vel affine sponsæ contrahere, si modò non fuerit secuta copula, nec aliud adfuerit impedimentum, *juxta declar. Cardd.* tamen possent, qui sic clandestinè & proinde nulliter contraxerunt, licet veniant graviter puniendi, iterum servata forma decreti Conc. etiam sine dispensatione contrahere, novo præstito consensu: quia per decretum illud solum redduntur inhabiles ad sic contrahendum, id est, clandestinè, *ut patet ex decreti verbis.*

Dixi, novo præstito consensu; quia is planè necessarius est: sicut & quando propter alios defectus matrimonium ab initio est nullum, *Navar. de sponsal. Conf. 9. n. 4. & Conf. 12. num. 3.* Unde & stylus Curiae servat, ut in concedendis dispensationibus super matrimonio contracto stante impedimento impediante & dirimente, semper addatur clausula, *de novo præstito consensu Navar. d. Conf. 6. Piassec. d. loco num. 10.* ubi subjungit, ubi impedimentum fuerit occultum, posse sponso privatim tantum sibi mutuo præstare consensum, absque Parochi vel testium præsencia, prout sufficere declarat Pius V. referente etiam *Navar. in Manuali c. 22. n. 7.* Idem tradit latè Sanchez de matrim. lib. 2. disp. 37. à nu. 3. dicens, Conc. Trid. nunquam comprehensisse hunc casum, cum loquatur de clandestinis matrimoniis: hoc autem matrimonium cum fuerit coram Parocho & testibus contractum, licet nulliter, propter occultum impedimentum, nunquam fuit clandestinum, nec ea de causa ab Ecclesia prohibitum, nec per Conc. Trid. irritatum; imò Ecclesia putavit esse validum.

11. Cæterum sponsalia de futuro clandestina dictum Conc. non irritavit, nec quidquam circa ea immutavit, sed reliquit in terminis Juris communis: præterquam quòd per copulam supervenientem non amplius, ut antè, transcant in matrimonium, *prout sapius respondit Congregatio Cardd. Gutierrez de matrim. c. 5. Sanchez l. 3. disp. 40. num. 6. & 7. Riccius in Praxi Decis.*



234. Et ideo valent sponsalia de futuro contracta, non servatis prædictis solemnitatibus, Navar. de sponsal. Conf. 5. n. 2.

11. Denique quantum ad vagabundos attinet, qui nullam certam sedem habent, contrahere tales possunt coram Parocho oppidi vel loci, in quo fuerint, quia is illorum est Parochus, prout declaravit Eugenius Pont. referente Cacerano in V. Absolutio. Alia est ratio peregrinorum, alienigenarum, in loco aliquo ad certum tempus commorantium: nam istos oportere contrahere coram Parocho, in cuius parochia habitant, declaravit Sacra Congregatio. Ideoque si qui, ne impediantur à suo Parocho, se dolose conferant in aliam civitatem, animo revertendi, postquam matrimonium inibi contraxerint, non erit validum matrimonium, Navar. lib. 4. Conf. 11. 3. Conf. 2.

## TITULUS IV.

## De sponsa duorum.

1. Non licet bina sponsalia contrahere.
2. Contrahens cum una de futuro, cum alia de presenti, huius adhærebit.
3. Uxor non certificata de morte viri contrahere non potest.
4. Viro reverso ad eundem reverti cogitur.
5. Contrahit quis cum alia valide, mortua uxore, quam credebat vivam.

1. Contingere potest, ut quis contrahat successivè sponsalia cum diversis, & dubitari, quænam prævaleant. Dicendum igitur non licere ei, qui sponsalia contraxerit cum una, postea contrahere cum alia, quia fides promissa uni servanda est, 1. h. 1.

2. Quod si tamen quis, contractis sponsalibus de futuro cum una, postea cum alia contrahat sponsalia de presenti, quamvis hoc agendo peccet graviter, nihilominus adhærere debet posteriori, cum qua contraxit de presenti, d. cap. 1. quia, ut antè diximus, sponsalia de futuro, dummodò non fuerit secuta copula, spectato jure antiquo, per sponsalia de

præsenti, etiam secuta copula tanquam per fortius vinculum, dissolvuntur, nisi fuerint jumento confirmata. Sin autem cum utraque contraxerit per verba de præsenti, ei adhærere debet, & habere uxorem, cum qua prius contraxerit, licet cum secunda, & non cum priori, contraxerit, c. 3. e. ult. h. 1. quia vinculum prioris matrimonii est indissolubile, ac proinde eo durante non potest alter conjugum jungi alteri, c. Gaudemus inf. de divorciis. Idque obinet, licet matrimonium primum inutile sit propter metum vel excoctionem, can. Si qua xxxii q. 7. auct. sterilitatem, can. Tantum eod. q. aut diuturnam absentiam conjugis, cap. 2. inf. de secundis nupt. Concil. Trid. Sess. 24. can. 5.

3. Unde uxor non certificata de morte viri, juvenili ætate & fragilitate carnis non obstante, contrahere nequit, licet facta diligenter inquisitione ignoret, quid sit de marito, qui longiori tempore absuit, c. In præsentia 19. sup. de sponsalib. Quod non minus in viris observandum statuitur absentibus uxoribus d. c. 2. de secundis nupt. Si verò aliquis vel aliqua dubitet adhuc de morte absentis conjugis, & fortè contraxerit, reddere debitum postulanti, non verò exigere debet, d. c. 2.

4. Cæterum quocumque tempore & casu conjux absens redierit: aut superstitem esse constiterit, quia secundum matrimonium fuit nullum, non obstante bona fide alterius, relictis adulterinis complexibus, ad priorem conjugem revertatur, d. cap. 2. in fine nec ullo modo liceat tali petere vel reddere debitum secundæ uxori vel marito; imò potius sententiam excommunicationis sustineat, juxta c. Inquisitioni inf. de sent. excommunicat. adeò ut ne quidem cum illa manere possit, can. Si virgo xxxiv. q. 2.

5. Nec obstat, c. Perlatum 8. inf. Qui filii sine legitimi, ubi definitur, legitimos fuisse filios secundi conjugii vivente priori marito: quia causa fuit, quod divortium à priori marito & transitus ad secundas nuptias facta fuerint per judicium Ecclesiæ.

Postremò si quis credens uxorem suam esse vivam, cum sit mortua, ineat matrimonium cum alia, validum erit, modò hac conditione ineat, Contraho tecum si possim, vel in quantum possum, etiamsi existimet se

Eff. 2.

non



non posse: quia satis est, quod ex parte rei possit, Covar. de sponsal. 2. p. §. 7. n. 2. Alias simul & eodem tempore habens duas uxores viventes est infamis, l. 1. D. de his qui not. infamia l. Neminem Cod. de incestu nupt. Abbas in c. 1. hoc tit.

## TITULUS V.

## De conditionibus apposis in desponsationibus &amp; aliis contractibus.

1. Sponsalia & purè & sub conditione contrahuntur.
2. Similiter matrimonium & purè & sub conditione.
3. Modò honesta conditio sit, possibilis, & de futuro.
4. Impossibilis habetur pro non adjecta: ut & turpis de futuro.

**S**ponsalia diximus quandoque pure, quandoque sub conditione contrahi: unde sumptâ occasione tractat Pont. de conditionibus apponi solitis tam in sponsalicio contractu sive desponsationibus & matrimoniis, quam in aliis contractibus

1. Ut illud obiter repetam, purè contrahuntur sponsalia his aut similibus verbis: *Ego te accipiam in uxorem, & ego te in maritum*: sub conditione verò hac vel simili formâ, *Ego te in uxorem accipiam, si tantum dotis nomine dederis*, vel, *si pater consenserit*, & mulier utroque casu assentiatur, c. 3. & 5. h. tit.

2. Pari modo matrimonium purè vel sub conditione contrahi potest. Purè, veluti, *Accipio te in uxorem, & ego accipio te in maritum*: & hoc pacto contractum statim suum sortitur effectum; sicut & sponsalia purè contracta. Sub conditione, veluti, *Accipio te in uxorem, si patri placuerit*, vel, *tantum dederis*, & mulier assentiatur: & hoc modo contractum pendet ex eventu conditionis, sicut & spolia sub con-

ditione contracta, c. Super eo 5. h. 2. Conditioneque posita statim, absque alio contractu, valet matrimonium, sicut & sponsalia, & omnes alii contractus, sub conditione initii, mox eveniente conditione valere incipiunt. Nec enim est ratio, cur non idem obtineat in matrimonio, ut communiter docent Canonistæ in d. c. Super eo.

Nec obstat, quòd ad matrimonium requiratur utriusque consensus, qui non extat, quando supervenit conditio: quia dicendum, etiam tum adesse, si non formalem, saltem virtualem, quem sufficere diximus antè.

Quòd si is, qui sub conditione contraxit matrimonium, postea, ante ejus eventum, desponsatam sibi cognoscat, censetur à conditione apposta recedere, & ex tunc incipit valere matrimonium, c. Per tuas 6. h. 2.

3. Prædicta tamen intelligenda sunt de conditione honesta ac possibili de futuro: hæc enim conditionis propriè dictæ potestatem obtinet, id est negotium in eventum aliquem suspendit, proprièque conditio dicitur, quæ in futurum confertur, l. Cum ad præsens. l. Itaque & similibus D. de reb. creditis. Ac proinde conditio de præfenti aut præterito, cujuscumque sit generis, non suspendit matrimonium, sed illud aut vitiat, si deficiat, vel, si adsit & impleta fuerit, statim valet matrimonium.

Dixi etiam, possibili, quia conditio omninò necessaria de futuro nec vitiat matrimonium, nec suspendit (veluti, *Contraho tecum, si calum eras morveatur, si soleras oriatum*: sed statim subsistit matrimonium, quia licet ejusmodi conditio pendeat ex futuro, est tamen determinata in sua causâ, ac proinde æquivalet conditioni de præfenti vel præterito.

4. Præterea impossibilis conditio (veluti, *Si cælum digito tetigeris, si lunam cælo detraxeris*, aut *pisces aureos piscatus fueris*) habetur pro non adjecta: sicut & turpis conditio de futuro (ut *Si hominem interfeceris*: idque favore matrimonii, ut potius valeat, quam non valeat, cap. fin. h. 2. nisi talis conditio turpis repugnet naturæ matrimonii seu tribus ejus bonis essentialibus quæ sunt fides, proles, Sacramentum, can. Omne itaque xxvii. quæst. 2. nam talis conditio adjecta matrimonio, etiam ex parte unius tantum, illud vitiat, veluti si quis dicat, *Contraho tecum, si pro questu adulterandam se tradas*, Si



precurat abortum, Donec inveniam aliam te dispo-  
nit, contra Actus matrimonialis caret effectus, d. e.  
ult. nam prima conditio repugnat primo bono  
matrimonii: Secunda secundo, & tertia tertio.  
Repugnat etiam aliquem velle contrahere ma-  
trimonium, & apponere conditionem matri-  
monii contrariam. Si verò talis conditio sit de  
preterito vel præfenti, non viciat matrimoni-  
um, veluti, *Contrahetecum sis sis adultera. Si im-  
pedisipartum*, modo non obliget ad aliquid  
futurum quodd sit contra matrimonii bona.

Quo pacto autem differant sponsalia purè contracta à contractis sub conditione diximus hoc eodem lib. Tit. 1 §. 2.

TITULUS VI.

Qui Clerici vel voventes ma-  
trimonium contrahere  
possint,

1. Ordo sacer impedit & dirimit matrimonium.
2. 3. Similiter votum solemne : Simplex vero non dirimit.

**V**Idimus, qui, quâ ætate, quo pacto matrimonium contrahere valeant, & deque impedimento duplici matrimonii, cum i impediente, ut sunt sponsalia de futuro, cum dirimente, quale est aliud matrimonium præcedens: Sequitur nunc ordine de aliis impedimentis, quæ posita sunt vel in defectu materia, cujus modesti ordo & votum solemne, cognatio, affinitas, aliæque familia; vel in defectu formæ, ut sunt error personæ, & conditionis, violentia siue metus, de quo supra obiter egimus; vel in defectu qualitarum, circumstantiarum & conditionum accidentalium ipsius matrimonii, ut sunt votum simplex, interdictum, Ecclesiæ aliæque id genus.

1. Quod igitur ad Ordinem & votum attinet, constitutis quidem in minoribus Ordinibus licere uxorem ducere dictum est antè lib. 3. Tit. 1. At verò Ordo sacer non tantum im-

pedit matrimonium contrahendum, sed & di-  
 mit contractum, ut definitur in Conc. Trid.  
 Sess. 24. can. 9. constatque ex plurimis aliis Ca-  
 nonibus *Diff. 28. & 32.* Dirimit autem non so-  
 lum ratione voti annexi, verum etiam ratione  
 sui, quatenus ipsi Ordini lex Ecclesiastica, ir-  
 ritans matrimonium, est annexa: Nam si quis  
 in ordinatione nollet vovere, & accepto Ordine  
 contraheret, matrimonium illud esset irri-  
 tum, non tamen ratione voti. Dirimit etiam  
 ex Jure Ecclesiastico, uti vel ex eo patet, quod  
 summus Pontifex dispensare possit, ut quis  
 post Ordinem sacrum susceptum contrahat ma-  
 trimonium.

Quod si quis constante matrimonio, etiam  
nondum consummato, sacris initiatur Ordini-  
bus, non consentiente uxore, monendus &  
inducendus est ab Episcopo, ut Religionem  
ingrediatur. Sin renuerit, & uxor institerit,  
compelli debet per censuram Ecclesiasticam  
ad matrimonii consummationem, reddendum-  
que uxori debitum; illud tamen exigere non  
potest: Et talis ab Ordinum executione suspen-  
sus est atque irregularis, & unico *De voto in Ex-  
travag. Ioan. xxi.* & vivere cælebs a morte u-  
xoris debet. In sacris verò constitutus scienter  
contrahens matrimonium incurrit ipso facto  
excommunicationem, ex *Clement. unica De  
consanguinit & affinit.*

2. Votum continentiae vel est simplex vel  
solemnis, de quo d. lib. 3. Tit. 34. Simplex im-  
pedit quidem matrimonium contrahendum  
(quia non potest votum continentiae fervare,  
ad quod tamen obligatur, qui post illud emis-  
sum contrahit matrimonium, cum debitum  
petenti coniugi reddere teneretur) non tamen  
dirimit contractum, cap. *Meminimus* 3. c. *Con-  
suevit* 4. c. *Rursus* 6. h. 1. Exceptis tribus votis So-  
cietatis Jesu, per quae, licet simplicia, post an-  
num probationis emissis emittentes redduntur  
inhabiles ad contrahendum matrimonium jux-  
ta Bullam Greg. XIII. incip. *Ascendente Domi-  
no*, editam anno 1584.

3. Votum solemne & impedit matrimonium contrahendum, & postea contractum dirimit, c. 1. & 2. h. t. Conc. Trid. Sess. 24. can. 9. Dirimit autem ex solo jure Ecclesiastico, quia non aliunde habet, quoddam dirimat, quam ratione solemnitatis superadditæ, ut patet ex voto simpliciter.



plici, quod matrimonium non dirimit. Ideoque cum solemnitas voti ex sola Ecclesiæ constitutione sit inventa, *c. unico De voto in 6* sequitur voto solemniter hanc vim ac potestatem inesse ex solo Jure Ecclesiastico, proindeque posse Pontificem super eo dispensare, prout constat aliquoties dispensasse.

## TITULUS VII.

## De eo, qui duxit in matrimonium eam, quam polluit per adulterium.

1. Impeditur matrimonium, si alter alterius mortem procuraverit.
2. Si item a iulter mortem conjugis sui aut mariti adulteri.
3. Si adulteri dederint sibi mutuam fidem de contrahendo.

**S**equitur aliud impedimentum, quod provenit ex crimine Duplex autem est crimen, impediens ac dirimens matrimonium, homicidium scilicet & adulterium; sed in tribus duntaxat casibus.

Primus est, si maritus vel uxor una cum alio conspiraverit in mortem conjugis, animo simul contrahendi matrimonium. Nam hoc casu, si sequatur ex eorum machinatione mors conjugis, nullo modo possunt inter se matrimonio conjungi, licet non intercesserit adulterium; imò licet alter esset infidelis, & ad ejus conversionem patrata talis occisio, *c. Laudabilem & ibi Gloss sup. De convers. infidel.* quia ut dicitur ibidem, tale damnum eo lucro Ecclesia compensare non vult.

1. Dixit, quando una cum alio conspiravit, animo simul postea contrahendi, quia si alter tantum mortem procuraverit, aut alia intentione, quam ad contrahendum, non impeditur matrimonium, *d. cap. Laudabilem Gloss in c. super 3. h. t. ad V. machinata.* Nec sufficit hoc casu rati habitio occisionis, suo nomine factæ quamvis sufficiat jussio, consilium, auxilium, *cap. 1. sup. De convers. infidel. Navar in Manuali c. 22. n.*

46. Ratio diversitatis est, quia rati habitio non est causa actus, nec ad illum concurrat, sicut concurrunt consilium, jussio vel auxilium. Alioquin si nec consilium nec jussio concurrat (ut quia alter interficiens jam omnino fuerit determinatus ad interficiendum nec consilio animo, si orfactus, aut mandatum ante occisionem revocatum) hæc quoque non sufficiunt.

Non obstat, quod rati habitio retrahatur, & mandato æquiparetur, etiam in delictis quia id fictione sit Juris. Ut autem hæc locum habeat, debent extrema esse habilia ad ipsum actum exercendum, quod hic esse non potest, quia morte jam illata, machinatio mortis, quæ ad hoc impedimentum requiritur, amplius intervenire non potest.

Dixi, si sequatur mors: Quia illud colligitur ex *can. Si quis vivente xxxi. q. 1. ibi occidisse notetur.* Et verba *d. cap. Super hoc. & cap. Significa. si hoc tit.* debent accipi cum effectu, juxta *Relatum sup. de Clericis non resident.*

2. Secundus casus est, si vel maritus adulter aliquid machinatus fuerit in mortem conjugis suæ, maritæ adulteræ, ut cum ea contrahere possit, vel adultera in mortem mariti sui, uxorisve adulteri, ut adultero nubat, *d. c. Super hoc.* Et hoc casu sola non sufficit machinatio, sed requiritur, ut inde mors sit secuta.

3. Tertius casus est, si adulteri dederint sibi mutuam fidem de contrahendo matrimonio post mortem conjugis, aut si adhuc vivente conjugis de facto inter se contraxerint, *c. Significavit. Veniens, & c. fin. hoc tit. can. Relatum xxxi.* Oportet itaque hoc casu datam esse fidem, & intervenisse verum adulterium ante mortem conjugis. Nam solum adulterium non obstat matrimonio contrahendo, *d. c. Significasti & d. can. Si quis vivente.* Nec obstat *c. 1. hoc tit.* ex quo (in verbis *& illam maxime, cui fidem dederat uxore sua vivente*) videtur idem colligi, quamvis fides data non sit: Nam dictio *maxime* accipi debet pro tantum, Abbas *ibid.* Similiter propositum vel desiderium, absque voluntate sese obligandi, non sufficere, sicut neque conatus copulæ; quia requiritur adulterium consummatum per copulam, & quidem materialiter ac formaliter, nempe ut à parte rei sit adulterium, & uterque sciat esse adulterium, id est ut probabilitate cognoscat, se, vel alterum, vel utrumque esse conjugatum,



jugatum, *d. e. Significasti*. Ideoque si quæ errore ducta cum alieno marito, tanquam cum cælibe, contraxerit, non prohibetur, defuncta uxore illius, in novum matrimonium cum eodem convenire, *d. e. 1. Veniens hoc tit.* quemadmodum & si adulterium tantum intercesserit, nullo contractu matrimoniali aut sponsalicio admixto, *d. e. Significasti, e. Cum haberet 5. hoc tit.*

Extra prædictos casus non dirimi matrimonium, inter adulteros contractum, patet ex *can. Denique xxxi. q. 1.* Ratio autem cur istis casibus impediatur matrimonium inter adulteros, est, ne ob matrimonii spem detur ansa & occasio interficiendæ conjugis.

Sed quomodo, inquires, Ecclesia potuit hoc impedimentum indicare infideli à sua jurisdictione omnino exempto? Respondeo, non indixisse illi, nec indicare potuisse, sed fidei, ut perpetuo nequeat cum infideli, licet ad fidem convertatur, matrimonium contrahere.

## TITULUS VIII.

## De conjugio Leprosorum.

1. Matrimonium propter lepram supervenientem non dissolvitur.
2. Sponsalia de futuro dissolvi possunt.

**D**E lepra superveniente, cum hæc solvat sponsalia de futuro, quæri merito poterat, an etiam matrimonium contractum dirimat. Et dicendum, lepræ morbum matrimonii impedimenti minime annumerandum esse, & proinde nec ipsum matrimonium, quippe individuum & indissolubile vinculum continens, nec ejus effectum propter lepram, vel aliud morbi genus superveniens, dissolvi: Tenetque matrimonio conjunctos, non obstante lepra superveniente, sese conjugali affectione tractare, vel ad perpetuam continentiam vivendam inducendos esse, *c. 1. & 2. hoc tit.* Imò possunt etiam leprosi matrimonium contrahere, si inveniant, qui eos accipere velint;

obliganturque sibi invicem reddere debitum, licet infirmus à sano illud exigit, *d. e. 2.*

2. Verum si sponsalia tantum de futuro contracta sint, potest alter ob supervenientem lepræ morbum à sponsalibus rescire, *c. ult. hoc t.* sicut & ob aliam quamlibet enormem deformitatem supervenientem, quia sponsalia intelliguntur contracta, rebus in eodem statu permanentibus, *c. Quomodo modum sup. De jurejurando.*

## TITULUS IX.

## De conjugio servorum.

1. Error persona est impedimentum impediens & dirimens.
2. Similiter error conditionis servilis.
3. Estque hoc impedimentum juris Ecclesiastici, non naturalis.
4. Ignarus conditionis servili propriâ auctoritate recedere ab uxere potest.
5. 6. Valet matrimonium liberi cum liberta, servi cum ancilla &c.
7. Error circa bona fortunæ nec impedit nec dirimit.

**A**gitur hic de impedimento conditionis & erroris. Ubi observandum, errorem in contrahendo matrimonio contingere dupliciter, aut circa personam, aut si quis cum una quâpiam contrahat, putans esse aliam: Aut circa conditionem & statum personæ, ut si putetur liber, qui verus est servus: Aut circa fortunam, ut si putetur dives, qui est pauper: Aut denique circa alias qualitates, ut si putetur nobilis aut virgo, quæ talis non est.

1. Ex his error personæ impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum. Sive antecesserit, id est, præbuerit causam contractui matrimoniali, quippe qui alias secutus non fuisset, sive comitatus fuerit, id est, non induxerit ad contrahendum, quo tamen non existente contractum fuisset matrimonium. Ratio est, quia uterque hic error tollit consensum voluntarium in personam præsentem, qui tamen consensus est causa



causa efficiens matrimonii; & absque eo matrimonium jure naturæ est irritum: Consentit enim in personam, quam animo concepit, & non consentit, qui errat, c. 2. *¶ ult. h. tit.* Et ideo talis error dirimit matrimonium jure naturæ, quia libertatem & consensum auferit, *l. si per errorem D. de juri dict. om. iud.*

2. Similiter error conditionis servilis impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum: Ideoque si liber contrahat cum serva, quam liberam esse credebat, potest, postquam conditionem illius detexerit, ab ea separari, & aliam ducere, c. 2. 3. *¶ ult. h. t. can. Si quis ingenuus xx. q. 2.* nisi eandem, postquam intellexerit esse servam, cognoverit carnaliter, d. c. 2. *¶ c. 4. h. r.* aut cum ea contraxerit, d. *can. Si quis ingenuus cum duobus seqq. xxix. q. 2.* Item est judicium de eo, qui dubitans de conditione alterius, cum ea contrahit, quia talis non censetur errare & non consentire, ideoque subsistit matrimonium.

3. Estque hoc impedimentum non juris naturalis, (ut constat cum ex eo, quod servitus cognita non dirimat matrimonium; tum ex eo, quod hic error non sit in substantia rei, de qua contrahitur, sed in qualitate, cujusmodi error non tollit voluntarium simpliciter, sed tantum secundum quid, nec impedit etiam absolutam traditionem corporis & rationi status consonam, sed solum plenam & perfectissimam) sed Ecclesiastici, inductum ab Ecclesia, favore ejus, qui est liber, qui alioqui graviter deciperetur, propter obsequia domini, quibus serva adstringitur, & quia servitus bonis matrimonii admodum adversatur: Bono quidem Sacramenti, atque individuae vitæ societati, quia servus teneretur in domo domini habitare, ab eoque mitti potest ad partes remotiores, inibi vendendus: Bono verò fidei, quia ad libitum reddere debitum non potest, sed cum ei vacat, & obsequiis domini satisfecit: Denique bono prolis, quia eam alere nequit, cum omnia acquirat domino, nec sit futura in potestate parentis, ut religiosè educetur. Nec hinc sequitur, hoc impedimentum esse juris naturalis, quia licet bonis adversetur matrimonii, ut dictum est, non ita tamen, ut substantiam matrimonii destruat, ideoque non magis irritaret matrimonium, quam error circa qualitatem, nisi Ecclesia aliter statu-

isset. Vide Sanchez de matrim. lib. 7. Diff. 19.

4. An verò conjux, ignarus servilis conditionis, possit propriâ auctoritate ab uxore recedere, ubi servitatem detexit: Quæri potest. Resp. posse, cessante scandalo: Secus, si non cessaret scandalum. Et in hoc posteriori casu conjugi servilis conditionis incumbit onus probandi scientiam suæ conditionis in altero, quia in libero præsumitur ignorantia servitutis alterius, tanquam facti alieni, nisi contrarium probetur, cap. *Præsumitur De Regulis juris in c. aut.* nisi tempore contracti matrimonii servitus alterius fuisset communiter eo in loco nota; præsumitur enim scientia eorum, quæ communiter innotescunt, cap. 1. *sup. de postulat. Prætor, can. Quod dicitur dist. 16.*

5. Valet autem matrimonium liberi cum liberta (id est ea, quæ cum antea ancilla & serva fuerit, jam libertate donata est) quam existimar liberam & ingenuam, quia jam verò libera est. Hinc etiam servi adscripticii, id est coloni, qui glebæ & fundo perpetuò colendo adscripti & addicti sunt: Item originarii, id est ex adscriptitiis nati, validè contrahunt, cum sint verè liberi, licet ad certas operas teneantur, Glossa & Abbas in cap. 2. *inf. de iudic.* nec conditionis error dirimit matrimonium, quia Ecclesia non ex cujuscumque conditionis, sed servilis dumtaxat, errore matrimonium irritat.

6. Similiter valet matrimonium servi cum ancilla, vel etiam servi cum libera, servitute antea notâ, invito quoque domino, cap. 1. *h. tit.* Attamen per hoc non liberatur servus à consuetis & debitis servitutis domino exhibendis, d. cap. 1. & liber ancillam scienter ducens sit irregularis, can. *Si quis viduam dist. 34.* quia vilis & infamis persona reputatur. Sunt tamen quidam casus, quibus servus contrahens cum libera sit liber, de quibus vide Covar. de sponsal. 2. p. cap. 3. §. 7. Sanchez d. lib. 7. diff. 20. Et hæc quidem Jure Canonico: Nam Jure Romano legitimæ nuptiæ solum contrahuntur inter cives Romanos.

7. Denique error circa bona fortunæ & alias qualitates conjugum nec impedit nec dirimit matrimonium, modò non redundet in errorem personæ: Sicut nec alii contractus, v. g. venditio & emptio, si sint absoluti, ex simili erro-



errone rescinduntur. Ratio est, quia talis error non tollit consensum in personam præsentem, licet illa, quoad aliquas condiciones accidentarias matrimonio, existimeretur aliter effecta.

## TITULUS X.

## De natis ex libero ventre.

1. Partus sequitur ventrem, id est, conditionem matris.
2. Idque siue ex legitimo siue non legitimo matrimonio filii nati sunt.

Cum superiori Tit. dixerimus, subsistere jure Canonico matrimonium inter servum & servam vel libertam, illius occasione hic quaeritur, an natus ex libero ventre, id est, matre libera, patre vero servo, censendus sit servus, an liber: Idque ex conditione matris aestimandum esse traditur <sup>1</sup> i. Unde natus ex libero ventre, id est, matre libera, non quidem ingenuus, sed & libera, cujuscuque conditionis fuerit pater, liber erit & ingenuus: Et è diverso nascetur servus, si mater fuerit ancilla, *c. unico hoc tit. c. ult. sup. De servis non ordinandis, l. Partum Cod. de revindict. § penult. Instit. De jure personar. § sed si quis instituit. de ingenuis.* Ratio est, quia quando quaeritur de servitute vel libertate, partus sequitur ventrem, id est, conditionem matris, *l. 5. § 2. D. de statu hominum.* Idque favorabilius est proli, quando quidem ad hoc, ut sit libera, sufficiat matrem fuisse liberam aliquo tempore, vel conceptionis, vel partus, vel medio, etiam per minimum momentum à conceptione: Quia non debet calamitas matris nocere ei, qui in ventre est, *l. 5. D. de statu hominum. § Instit. de ingenuis.* Cum interim respectu patris non nisi conceptionis tempus, quo causa est efficiens, inspicere possis. Adde, quod quoad libertatem leges inspererint id, quod est certius: Jam autem constare certo nequit, quo patre filius sit procreatus, cum tamen constet semper, ex qua matre sit in lucem editus.

Et hoc quidem obtinet, licet quis ex propria ancilla filium habeat, nam & is ejus servus est,

*l. 2. Ced. Si mancipium ita fuerit alienatum. § c. l. fin. Cod. Communia de manumissionibus.* <sup>2</sup> siue filii nati sint ex non legitimo matrimonio, *l. 1. § 1. § 2. D. de statu hominum, siue ex legitimo, quia textus juris indistinctè loquuntur.*

Non obstat *l. Cum legitime 19 D. d. tit.* quia ea ita intelligi debet, quod filii ex legitimo matrimonio sequantur patrem, quoad familiam & originem, *Gloss. ibid.* Non obstat quoque *can. fin. xxxi. 1. q. 4* quia à Glossa & communiter explicatur, ut filii tales sequantur deteriorem patrem, id est, debiliorem, qualis est femina.

Hæc tamen intelligenda sunt, quando agitur de servitute vel libertate ex vi natalium: Quia aliis de causis potest natus ex libero ventre redigi in servitutem, veluti, si ob ingratitude pater in servitutem reducat, *l. 2. Cod. de libertis. § eorum libertis v. filiis.* Videatur Hostiensis. in *Summa b. 1. § Et in quibus Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 24.*

Præterea si consuetudo alicubi aliter habeat, ea, favore libertatis, non est improbanda, *c. Licet 3. sup. de conjugio servor.* Nam cum hæc res sit ex jure positivo, potest consuetudo prævalere, *c. ult. sup. de consuetudine.*

## TITULUS XI.

## De Cognatione spirituali.

1. Cognati unde dicti.
2. Cognatio triplex, Naturalis, Spiritualis, Civilis.
3. Cognatio Spiritualis quam dicatur.
4. Cur ex Baptismo & Confirmatione oriatur, non ex aliis Sacramentis.
5. Inter quos contrahatur de jure Decretalium.
6. Et de Conc. Trident.
7. Cognatio spiritualis, qua ex Catechismo oritur, solet, hodie sublata.
8. Cognatio spiritualis dirimit matrimonium postea contrahendum.

**N**ihil est, quod magis impediat matrimonium contrahendum, aut dirimat contractum, quam cognatio. Hocque impedimentum ex cognatione proveniens latè patet, & propterea de eo per plures Titul. tractat Pontif.

2. Cognati ab eo dici putantur, quod quasi

Ggg

unâ



nnā cōmuniterve nati, vel ab eodem orti proge-  
nitive sint. *l. 4. §. 1. D. de gradibus & affinitatibus*. vel  
quasi ex uno nati, aut quasi cōmūne nascendi  
principium habuerint, *l. 1. §. 1. D. Vnde cognati*.

3. Est autem Cognatio generale nomen, sig-  
nificans omne vinculum, quod vel naturaliter  
ex jure sanguinis, vel ex Jutis dispositione in-  
ter aliquos contingit. Hinc accommodatē ad  
propositum dividi potest in cognationem Natu-  
ralem, Spiritualem (de qua tamquam digno-  
re prius agendum est) & Civilem sive Legalem.

4. Cognatio spiritualis, quam Compaterni-  
tatem & Commaternitatem vulgo appellant,  
est vinculum ac conjunctio, nascens ex consti-  
tutione Ecclesiæ inter aliquos ex Baptismi &  
Confirmationis collatione, vel recipientis hæc  
Sacramenta susceptione; indeque spiritualis di-  
cta est, *c. ult. hoc. 1. in 6.*

Dixi, ex constitutione Ecclesiæ; quia cum  
hæc Sacramenta nullum habeant fundamen-  
tum in jure naturæ, sed ex sola Christi institu-  
tione incoeperint, nec ullus reperitur in Sacra  
Scriptura locus, ubi illius fiat mentio, non po-  
test hæc cognatio esse juris naturæ vel divini  
positivi: Licet fundamentum aliquod in jure di-  
vino habeat, quandoquidem, *1. Petr. 1* appelle-  
tur regeneratio per Christū facta per hæc Sacra-  
menta: Ac proinde testat, ut sit inducta per Ec-  
clesiam, *can. De eo, can. Si quis Filium & alius  
multis xxx. q. 1. c. Veniens 9. & similibus hoc tit. c. 1.  
eod. in 6.*

Idē autem nascitur potius ex Baptismo &  
Confirmatione, quam ex aliis Sacramentis, quia  
per Baptismum & Confirmationem, & non per  
alia Sacramenta, rebascitur & regeneratur ho-  
mo ad vitam æternam, seu unus ab alio recipit  
esse quoddam spirituale, *can. 1. 2. & 3. xxx. q. 3.*  
Et in his Sacramentis ministrans est quasi ge-  
nerans, susceptor verò sive patrinus est quasi  
mater, quæ nomine Ecclesiæ in suo gremio su-  
scipit baptizatum & confirmatum. Et propter  
ea ut per naturalem nativitatem naturalis exur-  
git cognatio, impediens & dirimens matrimo-  
nium, ita per spirituales spiritualis cognatio ori-  
ritur, similiter impediens & dirimens matrimo-  
nium, ob peculiarem reverentiam, quam alter  
alteri debet, cui maximē repugnat actus conju-  
galis. Proindeque cum in aliis Sacramentis non  
contingat hæc aut similis regeneratio, non com-

trahitur quoque aliqua cognatio spiritualis, *c.  
fin. §. fin. in 6.* Nam licet conferant esse spiritua-  
le gratiæ, non tamen id faciunt per modum spi-  
ritualis regenerationis, sed vel per modum ali-  
mentationis, ut Eucharistia, vel per modum sa-  
nationis aut reconciliationis, ut Pœnitentia.

5. Contrahitur hæc cognatio Jure Decreta-  
lium inter baptizatum & patrimum patrimum ve  
sive susipientem de baptismo, interque eun-  
dem baptizatum & susipientis liberos atque ux-  
orem, ante susceptionem carnaliter ab eodem  
cognitam: Item inter susipientem ac baptizati  
patrem matremque: Ac denique inter baptiza-  
tum & baptizantem, ejusque filios & filias, *c. 3.  
4. 6. & 8. hoc. 1. c. 1. eod. in 6.* Isdemque modis et  
confirmatione oritur, *d. c. 1. §. fin. eod. in 6.* Et idē  
si inter hos contrahatur matrimonium, Jure  
Decretalium esset dirimendum. Possunt tamen  
eodem jure filii compatrum matrimonio inter  
se jungi, modò per neutrum eorum eventum  
sit ad compaternitatem, & modò non obstat  
consuetudo loci, *d. c. 1. & 3. hoc tit.*

6. Cæterum Conc. Trident. Sess. 24. cap. 2. de  
reformat. matrim. gravissimis de causis hanc co-  
gnationem spirituales nonnihil coarctavit;  
statuitque ut unus tantum, sive vir sive mulier,  
juxta sacrorum Canonum instituta, vel ad sum-  
mum unus & una baptizatum de Baptismo sus-  
cipiant, inter quos ac baptizatum ipsum, & il-  
lius patrem & matrem, nec non inter baptizan-  
tem & baptizatum, baptizati que patrem & ma-  
trem tantum contrahatur spiritualis cognatio.  
Et paulò post Ea quoque cognatio inquit, quæ  
ex Confirmatione contrahitur, confirmantem  
& confirmatum, illiusque patrem & matrem,  
ac tenentem non egrediatur: Omnibus inter ali-  
as personas hujus spiritualis cognationis impe-  
dimentis omnino sublatis.

7. Ex quibus verbis Sanchez de matrim. lib. 7.  
disp. 6. existimat cognationem spirituales im-  
perfectam, quæ Jure Decretalium oriebatur ex  
Catechismo inter easdem personas, inter quas  
ex Baptismo oriebatur, *c. Contrahit 5. h. tit. cap. 1.  
eod. in 6.* Cæd quoddam Catechismus ex natura sua  
sit quoddam initium Baptismi & regenerationis  
spiritualis) esse sublatam, cognationisque spiri-  
tualis impedimentum similiter sublatum, præ-  
terquam in casibus ibi expressis, inter quos non  
recensetur Catechismus.

§. Disj.



8. Dirimit verò cognatio spiritualis matrimonium postea contractum dumtaxat. *c. Veniens 6. h. t. d. e. 1. eod. in 6.* non verò antea contractum, si superveniat, *c. Si vir 2. h. t.* Nam nec ullum aliud impedimentum dirimit matrimonium antea legitime contractum, licet usum ejus, id est, petitionem debiti impedire possit. Si quis enim filium suum baptizet scienter, extra calum necessitatis, non potest ab uxore sua debitum petere, licet reddere teneatur, *d. cap. 2.* Et licet aliquando separatio concubitus conjugum ob id inducatur, *can. 1. xxx. q. 1.* tamen id postea fuit reformatum, *can. Nofco. can. Diftum d. loco.*

## TITULUS XII.

## De cognatione legali.

1. Qua dicatur Cognatio legalis.
2. Impedit contrahi matrimonium & dirimit contractum inter ascendentes & descendentes.
3. Inter collaterales tantum durante adoptione.
4. Inter fratres adoptivos eorumque liberos, & similes consistit matrimonium.

**C**ognatio legalis est proximitas per adoptionem alicujus proveniens: Inde appellacionem hanc sortita, quod primum à legibus civilibus inuenta & inducitur sit, *§. Sed si quia. Instit. de nuptiis*: deinde à sacris Canonibus accepta & approbata, *c. unico. h. t. can. Ita diligere xxx. q. 3.*

2. Hæc non solum impedit matrimonium contrahi, sed etiam postea contractum dirimit. Et quidem in infinitum inter eos, qui per adoptionem sibi parentum liberorumque loco esse cœperint: Veluti inter adoptantem & adoptatum, ejusque liberos seu descendentes: Inter adoptantem & uxorem adoptati, quæ est illi instar nurus: Ac rursus inter adoptatum & uxorem adoptantis, quæ illi est instar novercæ, *d. can. Ita diligere. l. Adoptivus 14. l. Quin etiam 55. D. de ritu nupt.* Ad eod., ut ne quidem dissoluta per emancipationem adoptione contrahere valeant, quia in nuptiis contrahendis non tam spectandum quid liceat, quàm quod honestum est, naturale scilicet Jus, sola honestate ac solo pudore constans, *d. l. Adoptivus §. 2. in fine l. Sempor 197.*

*D. de & l. honestum* autem non est, ut qui parentum loco fuerunt, vel sunt, contrahant cum iis, qui fuerunt vel sunt loco liberorum.

3. In aliis verò, qui per adoptionem parentum liberorumque locum non obtinent, sed fratrum sororumve & aliorum venientium, veluti inter filios naturales adoptantis, in quibus potestate existentes, & adoptatum, impedit quidem & dirimit matrimonium hæc cognatio, sed eo usque tantum, donec manet adoptio, *l. 17 D. de ritu nupt. d. c. unico h. t.* ubi dicitur, inter filium legitimum & sororem adoptivam nuptias consistere non posse, quamdiu durat adoptio: Nam verba illa, consistere non posse, inveniunt satis, dissolvendum esse matrimonium, vel permanere non posse. Addit, quod verbum, potest, præposita negatione tollat potentiam & reddat actum nullum, *Gloss. inc. 1. de & l. in 6.* Ratio est, quia honestas non patitur, ut quis cum sorore, licet adoptiva, matrimonium contrahat, quamdiu durat adoptio, quæ imitatrix est naturæ. Quæ dissoluta, sive per mortem adoptantis, sive per emancipationem, cum non sint amplius fratres & sorores, tamquam cessante causa, cessat hæc prohibitio, ut & durante ea durat, cum sit ob interpretativam tantum filiationem, ex adoptione provenientem. Secus atque in quasi ascendentibus & quasi descendentibus, quia reverentiâ, quam debet adoptatus, cum sua uxore & suis descendentibus, adoptanti, ejusque uxori, est perpetua, & proinde perpetua etiam prohibitio.

4. Cæterum inter adoptantem & adoptivi parentes, itemque inter fratres sororesve adoptivos, id est, adoptatos ab eodem parente, potest consistere matrimonium, quia inter eos nullo jure cognatio inducitur reperitur. Nam *d. c. unico h. t.* loquitur de vera filia patris adoptantis, quæ incepit esse soror adoptivi fratris, filii scilicet adoptati à suo legitimo patre.

A fortiori etiam filii duorum fratrum adoptivorum, & rursus filia illegitima adoptantis & adoptatus matrimonio jungi possunt, ob eandem rationem, quia si cognatio hæc inter filios legitimos & adoptivos cesset, soluta patria potestate, minus etiam eadem contrahitur, ubi filius & filia talis est, ut non sit in patria potestate, qualis est illegitimus.

Non obstat *d. canon. Ita diligere xxx. q. 3. ubi*

Ggg 2

dici.



dicitur inter eos, qui natura, & eos, qui adoptio-  
ne filii sunt, non contrahi matrimonium quia ibi  
per filium naturalem intelligitur legitimus, di-  
citurque natura filius, siue naturalis, non ut di-  
stinguatur à legitimo, sed à spirituali.

Non obstat etiam, quod filius illegitimus non  
possit contrahere cum consanguineis sui patris,  
unde sequi videbatur, quod nec cum adoptiva  
ipsius filia; quia prius sit propter vinculum na-  
turale consanguinitatis cum patre, ejusque con-  
sequenter consanguineis. Jam autem cum ad-  
optivus nullum est vinculum naturale, sed civi-  
le dumtaxat; & hoc quidem cum cesset, soluta  
patria potestate, non contrahitur inter eos ma-  
trimonium, quia in patriam potestatem non  
transiunt. Ob hanc eandem causam potest pa-  
ter adoptans contrahere cum filia filiae suae ad-  
optivae, quia cum hac non sit in potestate ma-  
tris, non potest transire in potestatem adoptan-  
tis matrem. Videamus de his latius Sanchez de  
matrim. lib. 7. disp. 63.

### TITULUS XIII.

## De eo, qui cognovit consan- guineam uxoris vel spon- sae suae.

1. Affinitas orta ex copula illicita, solvit sponsalia de futuro.
2. Non etiam sponsalia de presenti.
3. Incestus impedit exactionem debiti, & contrahi aliud matrimonium.
4. Non tantum ex parte viri, sed & uxoris, incestum committentis.
5. Idque usque ad secundum affinitatis gradum, ex decreto Conc. Trid.
6. Incestus tamen formalis sit oportet & consummatus.
7. Differentia inter incestum cum consanguinea uxoris & sponsa.

1. **C** Un duobus superioribus Titulis actum  
sit de cognatione spirituali & legali, ordo  
postulabat, ut de cognatione carnali seu natura-

li ageremus, verum visum fuit, non importu-  
num, si prius satisfaceret dubio de his impedimen-  
tis, quae quidem tunc, cum sponsalia vel mati-  
monium inter aliquos contraherentur, nulla e-  
rant, sed postmodum inter eosdem contractis  
jam sponsalibus vel matrimonio, supervene-  
runt; cujusmodi est affinitas, cognatio, quae o-  
ritur ex copula habita cum consanguinea uxo-  
ris: De hac enim dubitari etiam poterat, utrum  
impediret & dirimeret matrimonium.

Si quis igitur cognoverit consanguineam  
sponsae suae de futuro, ejusmodi sponsalia de fu-  
turo legitime contracta dissolvuntur, neque  
illi eandem sponsam suam, vel etiam aliam licet  
uxorem ducere, potestque illa imponere alicui  
nubere, & Ex litteris 8 cum c. seq. & ult. h. t.

Dixi, vel etiam aliam, quia huiusmodi for-  
nicatio cum consanguineis sponsae non solum  
impedit contrahi matrimonium cum sponsa,  
sed etiam cum alia, ut patet ex c. 2. h. t. ibi. *Quod  
si matrem sponsae suae cognoverit, & sponsa nunquam  
carnaliter adhaesit, &c. poterit ex dispensatione cum  
alia matrimonium contrahere*; Nam in textu illo  
intelligit necessariò Pont. sponsam de futuro,  
& non de praesenti, quia tunc ne quidem pos-  
set ex dispensatione cum alia contrahere, cum  
qua tamen posse contrahere dicitur, nempe  
solutis jam sponsalibus de futuro, ob contra-  
ctam cum sponsa affinitatem ex copula cum  
ejus matre. Hoc tamen impedimentum non  
est perpetuum, sed temporale, quamdiu scilicet  
vivit complex delicti, cum quo incestus  
ille contra publicam honestatem commissus  
est: Nam nec complex, vivente sponso, nec  
sponsus, vivente complice, poterit ullum ma-  
trimonium inire. Altero autem vita fundo  
poterit superstes liberè ad nuptias transire,  
juxta text. in c. Duo pueri 12 sup. de sponsal. im-  
pub. ibi, *neviro, vivente altero, dabitur licentia  
contrahendi*. Et hoc ne delictum, quod contra  
publicam honestatem ortum ex sponsali-  
bus, accedendo ad sponsae consanguineam  
commisit, maneat impunitum. Ideò ad tem-  
pus dumtaxat inducitur hoc impedimentum,  
quia non est propriè incestus, nec tantum cri-  
men, quantum cum consanguinea vel affine  
committitur.

2. Dixi etiam, sponsae de futuro; quia si  
quis cognoverit consanguineam sponsae suae  
de pra-



de presenti, non dissolvuntur sponsalia, cum illa sint ipsam matrimonium, & affinitas ex fornicatione superveniens non dissolvat matrimonium, *l. 1. 2. 3. 4. 5. 6. C. de tua fraternitat. 10. h. t.* Sed in poenam tam gravis peccati fornicator ille non potest ab uxore sua exigere debitum, quia juri illi affinis est; reddere tamen uxori petenti tenetur, *d. c. 1. C. de Transmissa. 4. h. t.* quia hæc, cum non fuerit particeps criminis, non debet sine sua culpa puniri & privari jure suo, *d. c. 10. in fine, C. de Discretionem 6. vers. Sed nec affinitas hoc int.* Idem dicendum etiam si quis sponsæ suæ de futuro consanguineam in gradu prohibito cognoverit, & postea cum eadem sponsa matrimonium contraxerit: nam quamvis graviter peccet, cum ea postmodum matrimonium contrahendo, tamen contractum non dissolvitur; verum ob enormitatem criminis non licet ei ab uxore petere debitum; reddere tamen tenetur, dummodò sponsa, ignara ejusmodi delicti, cum eo contraxerit: alioqui si priusquam contraheret, illius fuerit conscia, non poterit etiam ipsa à marito suo debitum exigere, *d. cap. Ex litteris hoc int.* Sibi enim imparet necesse est, quòd ab eo se non segregarit, antequam contraheret, uti poterat, dissolutis sponsalibus de futuro, per affinitatem ex fornicatione subortam.

3. Cæterum non solum prohibetur sponsus, qui cognovit consanguineam uxoris suæ exigere ab uxore debitum, & quidem perpetuò, sed & eidem interdicitur aliud quodcumque matrimonium, uxore mortua; propter injuriam, quam intulit matrimonio.

4. Idque obtinet etiam in uxore, si incestum commiserit cum consanguineo viri sui, ob eandem rationem: nam *canon. Si quis viduus xxxix. q. 7. C. canon. Si quis cum matre xxxiv. q. 2.* dum hoc impedimentum constituunt, expressè loquuntur de fornicatione. Ut proinde non obstat, quòd omnes textus hujus Tit. statuentes hoc impedimentum, loquantur de solo viro, cognoscente uxoris consanguineam. Non obstat quoque, quòd textus imponentes poenas raptori fornicæ, non extendantur ad viri rapticem: quia id fit ex eo, quòd raptus fornicæ frequens sit, raptus autem viri rarissimus; ideoque leges, quæ aptantur iis, quæ communiter accidunt, constituerunt poenas,

soli raptui fornicæ, prætermisso raptu viri, tanquam raro. At verò incestus non minus frequens est in fornicæ, quam viro, & in utroque par proorsus militat ratio, nempe injuria matrimonii.

Præterea non ipsis solum conjugibus, hujusmodi incestus reis, interdicitur aliud matrimonium, sed etiam illis consanguineis conjugis, cum quibus alter conjugum hujusmodi incestum commiserit, ut patet ex *d. c. 1. h. t. ibi Si quis cum filiastra sua scienter fornicatus fuerit, nec filiastra, nec ille ullo unquam tempore alibi se poterunt matrimonii copulare.* Cujus ratio est, quòd & ipsi iniquè concurrerint ad injuriam irrogandam matrimonio, contracta affinitate inter conjuges, ex qua impeditur ulus matrimonii: nam inde merito quoque puniuntur in matrimonio sicut & conjux ipse, qui incestum cum illis commisit.

5. Verius etiam est, hoc impedimentum perpetuum, tam quoad petitionem debiti, quam quoad aliud matrimonium contrahendum, incurere eum, qui cognoscit consanguineam sponsæ de præsentante consummatum matrimonium, non minus, quam si post consummatum cognoscat, *d. c. 1. C. de Transmissa h. t. latè Sanchez de matrim. l. 7. disp. 15.*

6. Porro, licet impedimentum hoc de jure communi usque ad quartum gradum protendatur, tamen ex quo Conc. Trid. coarctavit affinitatem, ex fornicatione ortam, usque ad secundum gradum, etiam consequenter hoc impedimentum coarctavit, ut non oriatur nisi ex incestu cum consanguineis alterius conjugis, intra secundum gradum.

Incestum intellige formalem, id est, cum illa, quam quis sciverit esse consanguineam sponsæ vel uxoris suæ, & è diverso, *d. c. 1. h. t.* Item consummatum, quia ratio hujus impedimenti est affinitas iniquè contracta, impediens ulum matrimonii: jam autem copula non consummata procedere non potest hujusmodi affinitatem, ac proinde nec hoc impedimentum: quòd cum sit poenale, etiam sic restringendum est, ut delictum consummatum exigat.

7. Non refert tamen an is incestus seu copula incestuosa contingat, vivente adhuc uxore, an mortua, *d. cap. Transmissa*: ut neque, an sit occulta, an notoria. Nec item prærequiritur



sententia iudicis, ut inducat hoc impedimentum, ut docet Sanchez *d. loco*: ubi late disputatur. §. an hoc quoque impedimentum oriatur ex incestu cum propriis consanguineis: Et negativè resolvit, eò quod sit pœna, ac proinde restringendum; cum etiam textus, hoc impedimentum statuentes, non loquantur expressè de incestu cum consanguineis propriis. Nec obstat, quod hic incestus sit in segravior, quam incestus cum consanguinea uxoris: quia non ita offendit matrimonium; quandoquidem ex illo non oriatur affinitas, nec impedimentum usus matrimonii; & incestus non tam sit impedimentum ratione culpæ quam ratione affinitatis ab ipso oritur: hæc autem solum oritur cum consanguineis. Ita Sanchez *d. loco*.

Denique differentia hæc est inter incestum cum consanguinea uxoris, & cum consanguineo sponse de futuro, quod ille impedimentum præstet perpetuum, impediens tam petitionem debiti, quam matrimonium contrahendum, non tamen contractum dirimens; hic verò sit impedimentum dumtaxat temporale, quoad matrimonium cum alia contrahendum, nempe quamdiu vivit sponsa, nam eà mortuâ potest sponsus ad nuptias transire.

#### TITULUS XIV.

### De Consanguinitate & Affinitate.

#### § I.

#### De Consanguinitate.

1. 2. Cognatio naturalis quid sit, & quosuplex.
3. Agnati & Cognati qui dicantur.
4. Cognatorum alii Ascendentes, alii Descendentes, alii Collaterales.
5. Inter ascendentes & descendentes prohibita nuptia in infinitum.
6. Inter collaterales differentia, inter lra Civile & Canonicum.
7. Ea que prohibitio etiam inter servos obinet.

**S**uper est videndum de cognatione carnali seu naturali, quæ inter cætera matrimonii

impedimenta principalem ferè locum tener, & consistit in consanguinitate, ad quam accedit ea personarum propinquitas, quæ Affinitas dicitur.

1. Cognatio Naturalis seu Consanguinitas est vinculum seu propinquitas sive coherærentia personarum, ex eodem stipite seu sanguine propinquo descendentiū, vel quarum una ab altera verè descendit. Unde & Consanguinei dicuntur, quasi uno sanguine juncti.

Addidi, propinquo, ne quis inferat, nos omnes esse invicem cognatos, quia habemus communem parentem Adam unum: nam hic de propinquo parente agitur, cujus intuitu matrimonium vel permittitur vel interdicitur, *ext. singularis in can. l. xxxv. q. 2.*

2. Cognatio Naturalis generaliter sumpta dividitur in Agnationem & Cognationem specialiter dictam, contracta voce generis in speciem, quæ quia proprio nomine caret, voce generis appellatur: ad eum modum, quo adoptio generaliter sumpta dividitur in arrogationem & adoptionem specialiter dictam, alioqui Cognatio nomen generis est, & Agnatio semper speciei, & alterum civile, alterum naturale nomen est, *l. lura consultus §. 1. D. de gradib. & affinitatib.*

3. Agnati dicuntur, qui ex eodem sanguine per virilem sexum descendunt. §. 2. *Inst. de leg. agnat. successione.* Et Agnatio est horum propinquitas.

Cognati verò specialiter dicuntur, qui ex eodem sanguine per matrem seu lineam feminæ descendunt, *d. §. 2.* Et horum propinquitas dicitur Cognatio specialiter dicta. Cognatorum & Agnatorum differentiam sustulit Justinianus quoad successiones, *Novel. 118. de heredib. ab intestato venient. §. Nullum verò volumus.*

4. Cognatorum autem generaliter sumptorum alii sunt Ascendentes, ut parentes, qui scilicet nos genuerunt, veluti pater, mater, avus, avia, proavus, proavia, & qui supra hos sunt: alii Descendentes, ut qui ex nobis nascuntur, veluti filius, filia, nepos, neptis, pronepos, proneptis, & qui ultra sunt. Nam licet apud Romanos Ascendentium nomen latius pateat, quam Parentum, sicut & Liberatorum nomen angustius, quam Descendentium, ut constat ex *d. l. lura consultus §. Parentes 7.* ubi parentes usque ad tritavum



tayum proprio vocabulo nominantur; ulterio-  
res, qui non habent speciale nomen; Majores;  
liberi vero usque ad trinepotem, & qui ultra  
sunt, posteriores vocantur: latius tamen hic Pa-  
rentum & Liberos vocabulum usurpamus.  
Alii denique sunt Collaterales seu transversa-  
les, qui scilicet neque nos genuerunt, neque à  
nobis geniti sunt, sed eandem nobiscum stirpem  
communem habent, veluti frater & soror, atque  
eius descendentes, patruus & avunculus, alii-  
que similes.

5. Inter Ascendentes & Descendentes seu pa-  
rentes & liberos nuptiæ prohibentur, & quidem  
in infinitum, *l. Nuptiæ, junctal. Nihil D. de ritu  
nupt. §. Ergo non omnes Instit. De nupt.* Et in hac  
nuptiarum prohibitione non est differentia in-  
ter jus Canonicum & Civile, neque summus  
Pontifex super ea dispensare potest, quia est Ju-  
ris naturalis, quod est immutabile.

6. Inter collaterales vero seu transversales pro-  
hibentur etiam nuptiæ, non tamen in infinitum;  
sed iure Civili usque ad quartum gradum  
exclusive: Iure vero Canonico veteri utque ad  
septimum, *can. i. can. Nullum, can. Nulli, & alii  
xxxv. q. 2.* ad eod. ut licet aliquando sexto genera-  
tionis gradu propinquitatis generis terminaretur,  
ut patet ex *can. i. xxxv. q. 4.* permissumque fue-  
rit Angelis matrimonium in quarto & quinto  
gradu, *can. Quodam lex terrena 20. eadem causa.  
q. 2.* tamen id postmodum sit prohibitum, *can.  
Contradicimus seq. ibid.* At vero Iure Pontificio  
novo redacta est hæc prohibitio ad quartum con-  
sanguinitatis gradum inclusive, *e. Non debet 8. b. 2.*  
nec valet contra hanc prohibitionem consuetu-  
do, sed tamquam corruptela reprobatur: Licet  
consuetudo personas aliqui legitimas, ad con-  
trahendum reddens illegitimas, servanda sit, si  
ex eius non observantia nasceretur scandalum,  
*c. 1. & c. Superea sup. De cognat spiritual.* Infideles  
tamen conjuncti in gradu prohibito à lege Ca-  
nonica post baptismum non separantur, *c. de in-  
fidelibus 4. h. 1. c. Gaudemus inf. de divortio.*

7. Hæc autem prohibitio intra quartum gra-  
dum consanguinitatis inclusive de jure Cano-  
nico, vel etiam intra tertium de jure Civili, in  
servis quoque obtinet, *§. illud Instit. de nuptiis.*  
Nam licet cognatio serviente amitti dicatur,  
imò servi de jure Civili, pro nullis aut mortuis  
habeantur, id tamen intelligitur quoad jus suc-

cessionis, testamentorum, tutelarum, aliorum-  
que similium. Alioquin natura inspecta dicitur  
etiam inter servos cognatio, quæ scilicet in ser-  
viture naturaliter contracta est. *Instit. de servili  
cognat.* & in nuptiis contrahendis observatur.  
Ideoque matrem suam ex servitute manumis-  
sam filius manumissus ducere uxorem non po-  
test: uti nec frater sororem, sororisve filiam,  
quia in contrahendis matrimoniis naturale jus,  
naturalisve pudor inspiciendus est, *h. Adoptivus  
14. §. 2. D. de ritu nupt.* & jure naturali omnes  
homines sunt æquales: nec potest ratio civilis  
tollere ea, quæ sunt juris naturalis.

## §. II.

De gradibus cognationem eorumque  
subductione.

1. Linea cognationum triplex.
2. Graduum computatio in linea recta eadem  
est utroque jure.
3. In linea transversali est diversa & ratio dif-  
ferentia.
4. 5. Duplex Regula hic spectanda jure Canonico.
6. Nihilque refert, quales sint media persona.

1. Consanguinitas seu cognatio distinguitur  
per lineas, & linea per gradus. Linea est or-  
dinata series personarum, sanguine junctarum.  
Estque triplex, Ascendentium scilicet, Descen-  
dentium, & hæc utraque recta, ac Collateralium,  
quæ etiam transversa vocatur. In qualibet au-  
tem plures sunt gradus, tamquam in scala qua-  
dam: dicuntur enim gradus cognationum à simi-  
litudine scalarum, locorumque proclivium, quos  
ita ingredimur, ut à proximo in proximum, id  
est, in eum, qui quasi ex eo nascitur, transeamus,  
*l. ult. §. gradus 10. D. de gradibus & affinit.*

Quod ut facilius intelligatur, concipiendæ  
sunt personæ, tamquam puncta quædam, gra-  
dus vero, tamquam lineæ inter ejusmodi pun-  
cta seu personas ductæ, ita ut, quot sunt lineæ,  
tot constituentur gradus. V. G. concipiuntur  
pater & filius veluti duo puncta, & inter eos  
concipiatur una linea, & rursus alia inter filium  
& nepotem, eodem modo consideratos, & sic  
deinceps progrediendo. Hinc gradus, sicut &  
lineæ, alii sunt superioris ordinis seu ascenden-  
tium, alii inferioris seu descendantium, alii  
denique collateralis ordinis seu collatera-  
lium,



lium, l. 1. *D. de gradibus & affinit.*

2. Quantum ad subductionem & numerationem graduum attinet, in linea recta seu inter ascendentes & descendentes nulla est differentia inter Jus Civile & Canonicum: nam quot hic sunt personae, totidem sunt gradus, una dempta. Ideoque pater & filius sunt in primo gradu; filius & avus in secundo; filius & proavus in tertio; & sic deinceps. Vel hoc modo descendendo, filius & filia sunt in primo gradu; nepos & nephis in secundo; pronepos & proneptis in tertio, & sic deinceps. Ascendendo verò, in primo gradu sunt pater & mater; in secundo gradu avus & avia; in tertio proavus & proavia; in quarto abavus & abavia; & sic deinceps, l. 1. §. 10. *D. eod.* Ratio est, quia cum pater & filius omnium ordinum, superioris, inquam, inferioris & collateralis primum gradum constituent, necessum est, ut quacumque versus quis progrediatur, ulterius transeat, & sic ad secundum gradum.

3. At verò in linea transversali magna est differentia inter Jus Civile & Canonicum. Primo quidem, quia jure Civili nullus est primus gradus in transversalibus, l. 1. §. 10. *D. eod.* Jure Canonico etiam in iis datur primus gradus. Secundo, Jure civili in transversalibus tot sunt gradus, quot generationes; ideoque frater & soror eo jure secundum gradum constituent, d. l. 1. §. 10. §. 9. *eod.* quia interveniunt duae generationes, nempe fratris & sororis: nam ascendendo à fratre ad communem patrem, habes unam generationem; rursus descendendo ab eodem communi patre ad sororem, habes secundam generationem, nempe sororis, ac proinde secundum gradum.

Et ita quidem jure civili numerantur gradus, propter successionem hereditariam, *can. Ad sedem xxxv. quæst. 5.* in qua patris vel matris persona prior numeratur, exclusis fratribus & sororibus defuncti, d. l. 1. §. 9. Nisi quod hodie fratres & sorores simul & una cum parentibus succedant, ex Justiniani Constitutione, *Novel. 118. De hereditibus ab intestato venient.* Et ideo cum Jus Civile non habeat specialem rationem graduum in ordine ad matrimonium, permittit illud inter patruos & consobrinos id est, duorum fratrum vel duarum sororum liberos, §. *Duorum Institus. de nuptiis*: quod damnat Jus Canonicum, quo frater & soror

constitunt primum gradum, & eorum filii secundum.

4. Nam in iis, qui æqualiter à communi stipite distant, jure Canonico obtinet hæc Regula, ut quot gradu distant à communi stipite, eodem dist. ut inter se, *d. can. Ad sedem, can. Parentela xxxv. quæst. 5.* ac proinde duo fratres sunt in primo gradu, quia eo gradu distant à proximo communi stipite, nempe patre. Duorum vero fratrum vel duarum sororum filii sunt in secundo gradu, quia eodem conjunguntur in communi stipite, qui est avus. Ratio hujus Regula est, quia cum tota & adæquata conjunctionis horum ratio sit unio cum stipite communi, merito computatio graduum penes distantiam ab illo desumitur, nec magis vel minus possunt inter se distare, quam ab illo distant.

5. In iis, qui inæqualiter à communi stipite, obtinet hæc Regula, ut, quot gradu remotior distat à communi stipite, eodem inter se disteat, *c. ult. hoc tit.* quia remotior proximiorum ad se trahit, favore matrimonii. Deinde si computatio fieret penes distantiam propinquioris, non possent gradus commodè distinguui: nam ubi alter esset in primo gradu cum stipite, alter vero in tertio vel quarto, conjungerentur inter se in primo gradu, instar fratrum, cum tamen implicet conjunctiores esse inter se quam cum stipite, à quo sumitur adæquata ratio propinquitatis eorum inter se. Itaque jure Pontificio patruus vel avunculus tuus tibi secundo gradu est conjunctus, quia cum sis remotior à communi stipite, nempe avo tuo, quippe ab eo distans duobus gradibus, cum interim patruus vel avunculus tuus ab eodem distet uno tantum, sequitur, juxta præcedentem regulam, quod à patruo vel avunculo tuo distes duobus gradibus, & e contra. Nam Jus Canonicum semper duos, de quorum conjunctione matrimoniali quaeritur, in uno eodemque gradu constituit, à fratribus & sororibus incipiendo, ibidemque primum gradum constituendo; secundum verò in fratrum & sororum filios, & ita deinceps descendendo.

6. In hac autem graduum supputatione nihil refert, an mediæ personæ sint in rerum natura an sint naturales & legitimæ simul, an verò naturales tantum, l. *Et nihil interest* §. 4. *D. de risu nupt.*



in nupt. an sint ingenuæ vel servæ, vel libertæ. d.  
l. *Adoptivus* 14. D. eod. quia hic jus naturale  
sanguinis spectatur.

## §. III.

## DE affinitate.

1. *Quid sit Affinitas, qui affines, & unde dicti.*
2. *Oritur affinitas secundum Canones etiam ex illicito coitu.*
3. *Gratus affinitas computantur exemplo graduum consanguinitatis.*
4. *Prohibitio matrimonii propter affinitatem quousque extendatur.*
5. *De triplici genere affinitatis.*

1. Affinitas est vinculum, resultans ex unioneduo-  
rum in unam carnem, per carnalem copulam. Quamvis enim affines ex vi vocis  
dicantur, qui confines agros possident, transla-  
tione tamen Affines sunt viri & uxoris cognati,  
dicti ab eo, quod duæ cognationes inter se di-  
versæ per nuptias copulentur, & altera ad al-  
terius cognationis finem accedat. l. *Non facile*  
h. §. 3. D. *de gradib. & affinit.* (ubi affinium no-  
mina hæc numerantur & explicantur, socer,  
socrus, gener, nurus, noverca, vitricus, privi-  
genus, privigna, levir, glos) non quod cognati  
viri & uxoris inter se affines sunt, & jungi ma-  
trimonio prohibeantur, id enim falsum est, sed  
quod cognati viri fiant affines uxori, & e con-  
tra, cognati uxoris fiant affines viro, ut expli-  
catur in *can. Porro* xxxv. q. 5. Ad cæteros verò  
affinitas non porrigitur, e. *Quod super h. t.* Ided-  
que consanguinei uxoris rectè matrimonium  
contrahunt cum consanguineis viri, cessanti-  
bus aliis impedimentis: Veluti pater & filius  
cum matre & filia: Item duo fratres cum dua-  
bus sororibus, & sic de cæteris consanguineis  
diversarum cognationum. At verò vir ipse cum  
cognatis mulieris, vel ipsa mulier cum cognatis  
viri sui matrimonio jungi non potest, d. c. *Quod*  
*super, & similibus.*

2. Et licet hæc affinitas Jure Civili tantum  
ex nuptiis oriatur, l. 4. §. 3. D. *de gradib. & affini-*  
*tatib.* Jure tamen Canonico etiam ex illicito na-  
scitur concubitu, c. 6. & 10. *sup. de eo qui cogno-*  
*vit consang.* quia cum maritus & uxor sint una  
caro, d. *can. Porro*, & similiter qui commiscetur

meretrici, unum corpus cum illa efficiatur, *can.*  
*In eo xxxi. q. 4.* fit, ut utroque casu hæc unitas  
& per consequens affinitas, contingat & pro-  
veiat, tam scilicet ex illicito concubitu, quam  
ex licito. Atque hinc fit, quod, si nulla adhuc  
carnalia copula inter maritum & uxorem inter-  
cesserit, nulla quoque affinitas ex tali matrimo-  
nio propriè oriatur, sed tantummodò impedi-  
mentum publicæ honestatis, c. *Si quis uxorem*  
*cum seq. xxxi. q. 2.*

3. Tamen si autem affinitatis per se & propriè  
gradus nulli sint, d. l. 4. §. 5. D. *de gradib.* quia gra-  
dus ratione cognationis naturalis, quæ hic non  
est, dicuntur: tamen, quatenus affinitas in co-  
gnatione naturali fundatur, ad illius imitatio-  
nem etiam gradus habere dicitur, & ad instar  
graduum consanguinitatis numerantur: Nam  
quoto quisque consanguinitatis gradu attingit  
maritum, eodem gradu affinitatis attingit ejus  
uxorem, & e contra, d. *can. Porro*: Et quemad-  
modum consanguineorum alii sunt parentum  
& liberorum, ita & affinium alii sunt parentum  
& liberorum loco, inter quos, sicut inter con-  
sanguineos ascendentes & descendentes nuptiæ  
prohibentur in infinitum: Alii etiam ex trans-  
verso conjuncti sunt: inter quos olim, sicut &  
inter consanguineos collaterales nuptiæ prohi-  
beantur, ad septimum usque gradum, c. *Nullam*  
*in utroque & similibus. xxxv. q. 3.* 4. Verum ho-  
die, exemplo consanguinitatis, redactum est  
hoc impedimentum matrimonii, ex affinitate  
conferens, ad quartum gradum inclusivè, c.  
*Non debet 8. vers. Prohibitio h. t.* Quamvis Conc.  
Trid. Sess. 24. cap. 4. *de reformat. matrim.* idem  
impedimentum, quatenus propter affinitatem  
ex fornicatione contractum inducitur, & ma-  
trimonium postea contractum dirimit, ad eos  
tantum, qui in primo & in secundo gradu con-  
junguntur, restrinxerit, statuendo ultari-  
us, ut in  
ulterioribus gradibus hujusmodi affinitas ma-  
trimonium postea initum non dirimat.

Quod verò dicitur matrimonium dirimi per  
affinitatem præcedentem, intra quartum gra-  
dum (ed quod, cum per mutuum corporum  
conjunctionem vir & mulier una caro fiant,  
merito alter ab alterius consanguineis, æquè  
ut à propriis, usque ad eum gradum absti-  
nere debeat, c. 1. *vers. aquè enim h. t.*) intelli-  
gendum est de affinitate primi generis, non  
Hbb secundæ,



secundi, tertii, vel ulterioris, *d. c. &c. Non debet h.* ubi Glos. copiose explicat, quid sit primum, secundum & tertium genus affinitatis. Exemplo res clara fiet. V. G. Uxor fratris mei est mihi meisque consanguineis affinis in primo genere affinitatis. Mortuo vero fratre meo, si illa alteri nubat, hic secundus ejus maritus erit mihi meisque consanguineis affinis in secundo genere affinitatis. Et rursus, mortuâ uxore fratris mei, si hic secundus ejus maritus aliam uxorem duxerit, illa me ceterosque consanguineos meos continget in tertio affinitatis genere: Nam copula addita copulæ efficit hæc diversa genera affinitatis. Jure itaque veteri inter affines cujuscumque generis prohibita erant nuptiæ, *can. 1. & seq. xxxv. q. 1. & similibus*. Verum postmodum in *d. c. Non debet* hoc impedimentum reductum est ad primum genus affinitatis. Vide *Gloss. ibid.*

## §. IV.

## De Justitia publicæ honestatis.

1. *Quid sit impedimentum Justitiæ publicæ honestatis.*
2. *Vade oriatur & quousque extendatur jure Decretalium.*
3. *Concilii Tridentini Decretum de hoc impedimento.*

1. **J**ustitia publicæ honestatis, cujus à nobis etiam ante facta fuit mentio, affinitatem quandam habet cum affinitate, de qua jam egimus, & præstat impedimentum quoddam contrahendis matrimoniis. Est enim Justitia publicæ honestatis propinquitas quædam ex sponsalibus aut matrimonio orta: Nam sicut ex carnali copula, siue elicta, siue illicita, oritur quædam affinitas inter virum & consanguineos uxoris, & è contrâ, ita ex sponsalibus & matrimonio rato non consummato, aut etiam illicito & invalido, oritur inter sponsam & consanguineos sponsi, & è diverso, inchoata quædam affinitas, *l. 8. D. de gradib. & affinitib.* quam communiter appellant Justitiam publicæ honestatis seu Publicam honestatem, *c. unico de sponsalib. in 6.* eò quod publica honestas dicter & exigat, ut sponsus à cognatis sponsæ suæ, & contrâ sponsa à consanguineis sponsi sui absteineat, *cap. 3. 4. & 8. sup. de sponsalibus.*

2. Oritur autem hoc impedimentum ex sponsalibus, certis quidem & puris, mox atque contracta sunt: Ex conditionalibus vero post conditionis demum eventum, *d. c. unico*. Et quidem jure Decretalium nascebatur non solum ex sponsalibus legitime contractis, sed etiam ex contractis perperam & invalidè, ob causam consanguinitatis, affinitatis, religionis, vel aliam similem, dummodo non essent nulla ex defectu consensus, *d. c. unico*. Eodem jure Decretalium hoc impedimentum quarto gradu circumscriptum erat, *d. cap. Non debet*.

3. Cæterum ex Concilii Tridentini Decreto, *Sess. 24. cap. de reformat. matrim.* non oritur ex sponsalibus, quacumque ratione invalidis & nullis, sed ex validis tantum; & quidem quoad sponsalia de futuro, non ultra primum gradum, & sic per dictum Concilium correctum fuit jus antiquum quoad sponsalia de futuro. Alioquin sponsalia de præfenti, quavis illicita sint & invalida ob aliquod impedimentum, modò non sint nulla ex defectu consensus, inducunt hoc impedimentum usque ad quartum gradum, prout colligitur *d. c. unico*, quia illa non continentur in restrictione per Concilium facta ad primum gradum, sed remanserunt in terminis Juris communis, ut declaravit Pius V. *Constitut. in resp. ad Romanum*, quam refert Piafec. 2. p. cap. 4. art. 4. n. 21. Nascitur enim hoc impedimentum post Concilium Tridentinum ex matrimonio clandestino seu nulliter contracto ob non servatam formam Concilii, prout declaravit Congregatio Cardd.

## TITULUS XV.

De frigidis & maleficiatis  
& impotentia coeundi.

1. *Vir aut mulier quando impotens ad coitum censatur.*
2. *Impotentia perpetua & immedicabili impedit matrimonium.*
3. *Sciunt*



3. *Scienter cum impotente contrahens non separandus.*

4. *Impedimentum hoc vel naturale est vel accidentale.*

5. 6. 7. *Dissolutio matrimonii ex causa impotentia iudicio Ecclesie facienda.*

8. *An spado matrimonium contrahere possit.*

Inter impedimenta matrimonii numeratur etiam impotentia coeundi perpetua, siue illa ex frigidityte viri, siue ex maleficio seu veneficio, aliave ex causa proveniat.

1. Impotentia autem coitus seu copulae in viro tunc esse censetur, quando nequit consummare copulam conjugalem, emittendo semen in matricem: Ex parte vero mulieris, quando est arctior, ut mulier fieri non possit, vel viri semen retinere ullo modo nequeat, *l. Quartus 14. §. mulierem 7. D. de adlitione edicto.*

2. Huiusmodi impotentia, praecedens matrimonium, si sit perpetua & immedicabilis (propter censetur esse, quando sine miraculo aut gravi laesione corporis vel probabili periculo animae, cum id solum posse dicatur, quod licet possimus praestare, Sanchez *de matrim. lib. 7. disp. 93. n. 9.* tolli non potest, *c. 30 & 6. h. t.* impedit contrahi matrimonium, & postea contractum dirimit, si alter conjugum hoc petat, & impotentia recto iudicio probetur, *c. 2. 3. 5. 6. ult. h. t.* quia ei repugnat obligatio ad copulam conjugalem, quae ex matrimonii contractu exurgit: cum impossibile nulla sit obligatio. Ideoque non potest convalescere, nisi cessante impotentia, de novo ineatur, Sanchez *d. loco q. 2.* Alias temporaria impotentia non sufficit, *c. Fraternitas 6. h. t.* siue sciatur à potente, siue ignoretur, Sanchez *d. lib. 7. disp. 92. n. 4.*

3. Dixi, praecedens matrimonium: quia si matrimonio semel valido siue rato, etiam ante copulam supervenerit impotentia, non dirimit matrimonium, *Glos. in c. Ex litteris 3. h. t. can. Si uxorem xxxi. q. 5. can. Si qui ead. causa q. 7. Sanchez d. lib. 7. Disp. 102. ubi alios citat.*

Quod si quis sciens cum impotente contraxerit, non separabitur: verum eo casu, si non possit habere tanquam maritum vel uxorem, habeat ut fratrem vel sororem, *c. Consultationi 4. hoc tit. ita ut & à concubitu & ab aliis, quae solis conjugibus licent, abstineat: Alias separari debet.*

4. Hoc autem impedimentum vel est naturale & à principio intrinsecum, ut in puero, ob defectum aetatis, qui ut non potest reddere debitum, ita nec aptus est conjugio, *c. 2. h. t.* ut in viro ita frigido, ut mulieri commisceri non possit, & in foemina ita arcta, ut à viro cognosci nequeat, *c. 3. h. t.* Vel est accidentale seu à causa extrinseca: veluti in iis, qui castrati sunt, *l. 6. D. de liberis & posthumis*, quod peculiare est viris, Vel maleficio seu veneficio impediuntur ab actu conjugali, quod utrique sexui commune est, vel quibus sunt collisi aut contriti testiculi.

5. Et ne in dissolutione matrimonii fraus aliqua subsit, non segregantur illi coeundi conjuges, licet uterque alterius impotentiam totam iudice constetatur, sed probatione opus est: Quae vel statim ex aspectu corporis per evidentia signa (ut si virilia omnino amputata, aut omnino atida, & sic motiva destituta habeat) liquere potest, & tunc statim fit dissolutio iudicio Ecclesiae, nullo alio expectato, *c. 2. & 5. h. t.* quia taliter impotens non est materia idonea ad matrimonium, quod propterea deficit defectu materiae. Cumque exstet apertissima probatio, frustra expectabatur ventus triennii vel alterius temporis, cuius nullus induceretur effectus, *c. Cum contingat sup. de offic. delegati*, frustra quoque exigeretur iuramentum conjugum, aut septima manus propinquorum, Sanchez *d. lib. 7. disp. 107. n. 3.* Vel non potest statim liquere, & tunc debent integro triennio à tempore celebrati conjugii & attentatae copulae, Sanchez *d. lib. 7. disp. 110.* cohabitare, & se fideliter experiri. Lapsoque eo tempore, si ambo fateantur impotentiam, & si jurent utrimque ad averterendam & tollendam collusionem inter conjuges, cum septima manu propinquorum, id est, cum septem propinquis, vel cum septima manu vicinorum, bonae fidei seu famae, si propinqui desint, se frustra expertos fuisse, poterit, qui impotentem duxerit, illam demissa aliam ducere: Sicut & è diverso, *c. Laudabilem & c. ult. h. t.*

6. Verum si deprehendatur postea, illum, qui impotens probatus fuerat, non esse impotentem, quia fortè aliam similem duxerit uxorem, & eam vel aliam fornicarie cognoverit, tunc praeterquam quod illi, qui impotentiam iuraverunt, sint rei perjurii, tenetur is, qui fuerit

Hhh 2



faciet solutus, ad uxorem priorem redire, *c. 1. d. c. Laudabilem h. t.* Nec hic obstat exceptio rei iudicatae, quia sententia lata in matrimonio quoad ipsum matrimonium non transit in rem iudicatam, licet bis confirmata fuerit, aut ab ea non fuerit appellatum. Et proinde quodcumque constat de iniquitate sententiae, propter periculum animae, quod resultat ex sententia, separante veros conjuges, & uniente eos, qui conjuges esse nequeunt, terra statipote est, *l. Linae praesentium 7. c. Tenor 10. c. Confanguinei 11 sup. de sent. & re iudicata. Sanchez d. l. 7. disp. 100. Cov. in 4. Decret. 2. p. c. 8. §. 12. n. 16. & duobus seq.*

7. Quod si uxor ad divortium provocet statim, id est post unum aut duos menses à contractis nuptiis, sed à potius tempore attentatae copulae, quia virum impotentem asserat, & vir id neget, re legitime seu recto iudicio probata, si ve per signa evidentia & evidenter concludentia, si ve per verisimiliter evidentia & verisimiliter solum concludentia, praestito matrimoniarum conjugum & septimae manus propinquorum aut vicinorum iuramento, alii nubere potest, *d. c. 1. vers. Si autem statim.* Dixi, vel potius à tempore attentatae copulae; quia non nisi ab eo tempore mulier nosse potuit, an secum coire vir posset, *d. c. 1.* Si autem non statim proclamaverit, sed post annum v. g. vel dimidium, virumque impotentem asserat; & vir id neget, creditur viro, eod quod sit caput mulieris, cui imputandum, quod tamdiu tacuerit, *d. c. 1. vers. Illa autem.* Attamen hoc intellige nisi manifeste, veluti per inspectionem, contrarium probari possit.

8. De spadone, an contrahere possit matrimonium, dubitatur. Pro resolutione notandum, Spadonis nomen sumi nunc generaliter pro eo qui generare non potest, si ve à natura si ve ex accidenti: Eoque nomine sic sum pro & à natura spadones, & thlibia, id est, quibus contriti aut colli sunt testiculi, & castrati; & si quod aliud spadonum genus sit, continentur, *l. Spadonum 12. §. 8. D. de verb. sign.* nunc specialiter & proprie, prout à castrato & thlibia distinguitur, pro eo qui vitium habet à natura, *l. 2. §. Illud D. de ad. opt.* In spadone igitur Jus Civile admittit matrimonium, non verò in castrato, *l. Si serva §. si spadoni D. de iure dotium*, quia cum hoc vitium in spadone plerumque eveniat ex contortione meatuum seminis, ut Medici docent, spes est,

quod amoto & generato vitio generare possit: Secus in castrato. At verò Jure Canonico uterque perperam matrimonium contrahere videtur, ea ratione textus in *c. 2. h. t.* Et licet de eo spadone, qui aptus est copulam, non etiam ad generandum, apud Canonistas dubitatum fuerit: Tamen Sixtus V. per literas quasdam, quas refert Gutierrez *can. Quast. l. 1. c. 16.* enuchorum & spadonum, utriusque testiculo carentium, matrimonia non tantum contrahenda, sed contracta à talibus, declaravit nulla, irrita, & invalida, Vide hac de re fusius apud Covarr. *Tract. de frigidis & malefic. q. 6.*

## TITULUS XVI.

### De matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiae.

1. Interdictum Ecclesia est impedimentum impediens.
2. Similiter impedimentum temporis interdicti.

Postremo loco inter impedimenta matrimonii refert Pontif. interdictum Ecclesiae seu prohibitionem Iudicis Ecclesiastici, ne matrimonium inter aliquos contrahatur; quod quidem impedimentum est tantum impediens, non etiam dirimens matrimonium.

1. Impedit autem, donec de impedimento, quod objicitur, vel de quo dubitatur, & ratione cuius huiusmodi prohibitio emanavit, cognitum fuerit. Si verò, non obstante interdicto, aliqui contraxerint, non dirimitur quidem matrimonium, si non subsit aliud impedimentum dirimens probatum, sed puniendi sunt propter inobedientiam taliter contrahentes, *c. 1. & 2. h. t.* Interea tamen, dum de causa cognoscitur, separandi sunt, *c. ult. h. t.*

2. Huic impedimento affine est aliud, quod vocatur tempus feriarum seu feriatum, quo significatur, solemnitates nuptiarum ab Ecclesia esse interdictas certis anni temporibus; nempe à prima Dominica Adventus usque ad Epiphaniam



phaniam, & à feria quarta Cinerum usque ad octavam Paschatis inclusivè ex Concil. Trid. Sess. 24. cap. 1. de reformat. matrim. Alioqui Jure vet. prohibeantur ab Adventu ad Epiphaniam à Septuagesima ad octavam Paschatis, à diebus Rogationum ad octavam Pentecostes, *can. Non oportet 8. cum seq. xxxiii. q. 4. c. Compellamus 4. sup. de feriis*; quia illis temporibus communio erat in præcepto, eaque festa sunt omnium toto anno occurrentium celeberrima, solemnitates autem nuptiarum vehementer à spiritualibus avocant, & ad carnalia trahunt, Sylvest. in Summa V. Matrimonium cap. 3. Cæteroquin absque solemnitatibus, id est benedictione sponsi & sponsæ inter Missarum solemnias, traductione sponsæ in domum sponsi, cum conviviis, saltationibus & aliis id genus pompis nuptialibus, etiam prædictis temporibus matrimonium contrahere, ac consummare licet.

## APPENDIX &amp; ἀναγκασιώτατα.

De impedimentis matrimonii cum dirimentibus tum impedientibus matrimonium.

1. *Impedimenta dirimentia matrimonium.*
2. *Impedimenta non dirimentia.*

Præter impedimenta matrimonii, de quibus cum Pont. egimus hætenus, sunt & quædam alia partim dirimentia, partim impedientia; quare ut plenior eorum habeatur cognitio, non abs. fuerit, compendio quodam omnia & singula hic recensere eo ordine, quo supra Tit. 1 §. 10. hujus libri, versibus quibusdam comprehensa & proposita sunt.

Inter impedimenta igitur dirimentia primum locum obtinet Error & Condicio sive qualitas status, de quo supra Tit. 9. de conjugio servorum.

1. Secundum est Votum continentie sollemne, de quo 6 *Qui Clerici vel voventes*, &c.

Tertium est Cognatio, de qua Tit. 11. & 12. *De cognat. spirituali & de cognat. legali.*

Quartum est Crimen, de quo Tit. 7. *De eo, qui duxit in matrim. quam polluit per adult.*

V. Est disparitas cultus, quæ scilicet repe-

ritur inter baptizatum & non baptizatum seu infidelem, veluti Judæum, paganum; & non modò impedit contrahi matrimonium inter fidelem & infidelem, verum etiam contractum dirimit, (licet fidelis cum catechumeno, id est in fide Catholica instructo, & volente baptizari, contrahat, *can. Non oportet & ibi Gloss. xxviii. q. 1.* Quamvis enim inter infideles, id est non baptizatos possit esse verum & legitimum matrimonium, quatenus est contractus quidam, ut multis probat Gratianus d. loco in Summa; etiam in secundo consanguinitatis gradu, quandoquidem, cum extra Ecclesiam sint, non ligentur sacris Canonibus, *a. Gaudemus 8. inf. de divor.* nec dissolvatur eorum matrimonium, si postea convertantur ad fidem, *d. c. Gaudemus*; tamen matrimonium, prout est Sacramentum, ac proinde supponit Baptismum, non potest esse inter fidelem & infidelem, *can. Iudaorum, can. Cave xxxviii. q. 1.* Hinc in l. *Ne quis Cod. de iudæis*, si Christianus Judæam, vel Judæus Christianam in conjugem sibi absceverit, publico iudicio, adulteri instar, tenetur. Unde patet, ne quidem inter fidelem & infidelem consistere matrimonium, ut est contractus legitimus, *arg. c. Veniens sup. de presb. non baptizato*; quia scilicet contra leges sit.

VI. Vis sive metus gravis, qui cadere possit in constantem virum, dummodò incussus fuerit ad contrahendum matrimonium, de quo supra Tit. 1 §. 9. n. 4. *lib. hujus*. Illud hic restat inquirendum, an inter raptorem & raptam consistat matrimonium. Negat Justinianus, in l. *unica Cod. de raptu virg.* Contrarium statuitur in c. *ult. inf. de raptoribus, juncto cap. penult. inf. de secundis nupt.* Hocque jus sequitur, servata tamen moderatione Conc. Trid. Sess. 24. c. 6. *de reformat. matrim.* ubi decernit, inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Et addit: Quod si rapta à raptore separata, & in loco tuto & libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat; & nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium & favorem præbentes sint ipso jure excommunicati ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces; & si Clerici fuerint, de proprio gradu decendant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam,

H h h 3

sive



sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio Iudicis dotare.

VII. Ordo sacer, de quo sup. Tit. 6. *Qui Clerici vel vorventes matrim. contrahere possint.*

VIII. Ligamen seu vinculum prioris matrimonii, contracti per verba de presenti, de quo Tit. 4. *de sponsa duorum*: nam licet Tit. ille solum inscribatur: *De sponsa duorum*; tamen in eodem agit etiam Pont. de eo, qui contracto prius matrimonio cum una, eadem vivente contrahit cum alia, & e contra.

IX. Honestas seu Justitia publicæ honestatis, de qua supra Tit. 14. *de consanguinitate & affinitate*. §. 4.

X. Affinitas de qua d. Tit. *de consanguinitate & affinitate*. §. 3.

XI. Impotentia coeundi, de qua Tit. 15. *De frigido & maleficiis*.

Denique est impedimentum clandestinæ desponsationis sive matrimonii clam contracti, de quo Tit. 3. *De clandestina desponsatione*: quod novissimè per Conc. Trid. effectum est dirimens.

Inter impedimenta non dirimentia matrimonii primum est, interdictum Ecclesiæ, de quo proximè Titulo superiori dictum est.

2. Secundum est temporis interdicti seu temporis feriati, vulgus clausum vocat, de quo d. Tit.

Tertium, Cognatio spiritualis, orta ex Catechismo. Notandum enim, quodd, quemadmodum ex Baptismo & Confirmatione oritur quædam cognatio spiritualis perfecta: ita etiam ex Catechismo oriatur quædam spiritualis cognatio imperfecta, cap. *Contrahit sup. De cognat. spirituali*, cap. 2. eod. in 6. Catechismus verò est instructio baptizandi solemniter à Sacerdote facta priusquam baptizetur, de articulis fidei Catholicæ Romanæ credendis, respondente patrino, nomine baptizandi, can. *Ante baptismum De consecrat. distinct. 4.* Ex hac itaque instructione cognatio oritur spiritualis imperfecta, inter easdem personas, inter quas ex Baptismo, olimq; extendebatur ad omnes, ad quos cognatio ex Baptismo. Nam Catechismus ex natura sua est quoddam initium Baptismi & regenerationis spiritualis, ideoque prout ex Baptismo nascitur cognatio spiritualis, ita & ex Catechismo oriri debet, con-

formiter ad cognitionem ex Baptismo, tanquam ad mensuram suam: ac proinde pariter quoque extendi debet, cum sit eadem ratio utriusque, si non quoad dirimendum matrimonium, saltem quoad impediendum. Quod addo, quia cognatio hæc spiritualis ex Catechismo est tantum impediens, non etiam dirimens impedimentum, ista verò etiam dirimens. Hinc sequitur, hanc cognitionem per Concilium Tridentinum restrictam esse ad eum modum, quo cognatio spiritualis ex Baptismo vel Confirmatione restricta est, nempe ut contrahatur dumtaxat inter catechizantem & catechizatum, ejusque parentes. Cæterum, ut ante diximus, exillimar Sanchez *De matrimonio lib. 7. disput. 10.* eam per Concilium Tridentinum non solum esse restrictam, sed etiam prorsus sublatam.

IV. Sponsalia, cum alio vel alia antè contracta, de quo Tit. *De spons. duorum*.

V. Votum castitatis simplex, de quo in c. *De voto in 6. in cap. 3. 5. & 6. sup. Qui clerici vel vorventes*, &c. Hoc impedimentum oritur etiam ex voto Religionis, absolutam profitentis castitatem: item ex voto suscipiendi sacros Ordines aut non nubendi, ut patet ex cap. *Memimus, c. Consultus, c. Rursus sup. Qui clerici vel vorventes*, &c. Vide plenius Navar. in *Manuali* cap. 22. n. 73.

VI. Crimen incestus, de quo Tit. *De eo qui cognovit consang. uxoris sua*.

VII. Raptus sponse alterius, can. *Statutum xxvii. qu. 2. juncto cap. fin. inf. De raptorib.* Ubi advertit eum, qui rapuit sponsam alienam, cum nulla posse contrahere, & inter raptorem ac raptam esse impedimentum dirimens, quamdiu rapta manet in potestate raptoris, ut ante diximus: ac denique raptum non sponsæ nullo modo impedire matrimonium cum alia non rapta.

VIII. Uxoricideum seu cædes uxoris suæ, can. *Admonere & can. Interfecta xxxii. quasi 2.* Quod intellige de simplici occisione, quia conjuncta cum adulterio impedimentum esset dirimens. Intelligitur etiam de cæde facta propria auctoritate, nam si quis uxorem auctoritate publica & tanquam Justitiæ minister occidat, nec peccat, nec impedimentum hoc incurrit, juxta doctrinam communem. Eadem pœna extenditur ad mariti cædem. Nec obstat, quodd

pœna



pœna non debet extendi ultra suum casum, quia, ut Navar. *d. loco n. 74.* id fallit in iis correctionibus, in quibus eadem ratio idem suadet prout hic.

IX. Susceptio proprii filii de sacro fonte seu Baptismo, eo animo facta, ut ob cognationem spirituales inde contractam debitum conjugale alteri parenti subtrahatur: talis enim, mortua conjugē, cum alia contrahere prohibetur, *can. De eo xxx. q. 1.* Eadem est ratio de eo, qui tenet filium in Confirmatione.

X. Cædes presbyteri, quando scilicet quis convictus in iudicio de ea fuerit, *c. Qui presbyterum interfecit De pœnit. & remissionib.*

XI. Solemnis pœnitentia: æquum enim est, ut qui semel solemnem pœnitentiam egit, tota vitæ luctum præ se ferat, *can. De his & similibus xxxiii. quæst. 2.*

XII. Conjugium scienter contractum cum Moniali professa, *can. Si quis xxvii. q. 1.* His addi potest excommunicatio major & minor: nam cum ea impediat omnium Sacramentorum perceptionem, similiter impedit, ne matrimonii Sacramentum legitimè suscipiatur.

Denique quodvis peccatum mortale, quo contrahens tempore contractus derinetur: cum enim matrimonium sit Sacramentum, sanctè tractandum est, *Conc. Trid. Sess. 24. cap. fin. in fine De reformat. matrim.* Vide de his omnibus plenius Navar. *d. loco num. 74. & seqq.* Covar. *2. p. De sponsalib. cap. 6.* Cæterum in impedimentis non diuinentibus dispensare Episcopus potest: præterquam in sponsalibus cum alio vel alia contractis, quia talis dispensatio contineret in se injuriam tertii, cui si ipse cedat, potest alter jure suo liberè, cui vult, matrimonio jungi: & præterquam in voto Castitatis ac Religionis, quia summo Pontifici super hoc reservatur dispensatio. Vide Navar. *d. loco n. 85.*

ubi tradit, quando ob consuetudinem non sit opus in his petere dispensationem.

## TITULUS XVII.

## Qui filii sint legitimi.

1. Legitimi sunt nati ex justis nuptiis.
2. Ex parentibus publicè & solemniter matrimonio junctis.
3. Legitimati per subsequens matrimonium.
4. Legitimati à summo Pont. vel alio Principe.
5. In adoptionem dati.

1. De ratione & modo contrahendorum matrimoniorum hæcenus abundè dictum est. Hoc Tit. agitur de effectu & fructu matrimonii ritè contracti, de legitimis scilicet filiis: illi enim aut nascuntur tales, aut fiunt.

Legitimi igitur in primis sunt filii, qui ex legitimo matrimonio seu justis nuptiis procreati sunt, *c. Causam 7. c. Peruenit 11. h. t.* Et hi dicuntur naturales & legitimi, quasi quos natura & lex civilis agnoscit, ut distinguantur à naturalibus & à legitimis tantum.

2. Secundò, legitimi sunt, qui ex parentibus publicè quidem & solemniter (prout præscribitur in *c. Cum inhibitis sup. De desponsat. impub.*) sed nulliter, propter aliquod impedimentum latens, matrimonio juncti nati sunt, licet postmodum declaratur matrimonium nullum, *d. c. Peruenit & c. Cum inter 2. h. t.* adeò ut ignorantia & bona fides unius hac in re sufficiat, si modò juncti fuerint in facie Ecclesiæ; juxta *d. cap. Cum inhibitis* Ideoque si conjugatus, vivente prima uxore, in facie Ecclesiæ cum secunda, hoc ignorante, contrahat, proles eorum legitima erit, & quidem quoad omnia, etiam feuda & hæreditates, idque favore prolis, *c. Ex tenore 4. h. t.* Præsumitur autem bona fides, quamdiu non apparet mala, *c. 2. & ibi DD. h. t.* Sed & ex matrimonio errore juris probabili: qui scilicet bonam fidem parere possit, veluti dum erratur in decisione juris dubii contracto legitimam prolem nasci communiter placuit, *per c. Per venerabilem 13. & d. c. Ex tenore h. t.*

3. Tertiò, nati ex soluto & soluta, inter quos consistere matrimonium poterat, licet ab initio illegitimi fuerint, per subsequens ma-



trimonium legitimantur, *c. Tanta & ibi Glof. & Abbas hoc tit. &* quidem quoad omnia, præter Cardinalatum, ex Constitutione Sixti V. teste Garzia de benef. 7. p. c. 1. num. 28. etiam sine interuentu instrumentorum dotalium de Jure Canonico, *d. c. Tanta & ibi Abbas, contra Jus Civile*; nam matrimonium omnem maculam & vitium abstergit, ideoque perinde habentur & sunt, ac si ex legitimo matrimonio nati essent. Idque obtinet etiam si matrimonium illud in articulo mortis, desperatâ jam salute, sit contractum.

Dixi, ex soluto & soluta, inter quos consistere matrimonium poterat; quia nati ex soluto & conjugata, vel soluta & conjugato, non legitimantur per subsequens matrimonium, mortuâ conjugati aut conjugatæ conjugæ, *d. c. Causam & d. c. Tanta*, (ubi spurii vocantur) quia danti operam rei illicitæ imputatur, quidquid inde evenit, etiam præter ejus cogitatum & intentionem, *c. Continebatur, & c. Tua inf. de homicidio*. Et hi tamquam ex damnato coitu nati ab hæreditate repellendi sunt: imò & ab alimentis eos lex Civilis excludit, *l. Ex complexu C. de incestu nuptiis*. Alioquin Jus Pontificium, in hoc Jus Civile tamquam nimis durum corrigens, jubet etiam ex damnato coitu natos aliâ patre ac necessaria subministrari, *c. Cum haberet sup. de eo qui duxit in matrimonium & c.* quia juris est naturalis, ut pater filium alar.

4. Quartò, legitimi sunt, nati quidem extra justas nuptias, verùm à summo Pontifice vel alio Principe legitimati. Et quidem quoad spiritualia, veluti quoad beneficiorum & Ordinum capacitem potest summus Pontifex legitimare omnes Christianos, cujuscumque nationis vel provincie, tamquam sibi in spiritualibus subjectos; quoad profana verò, veluti ut succedant parentibus, non nisi eos, qui ipsi in profanis subiiciuntur; nisi magna Reipublicæ causâ postulare illegitimum legitimari extra ditionem summæ Pontificis, veluti ut reddatur capax successionis in regnum aliquod, *c. Per venerabilem 13. h. t. Alias in rebus profanis legitimatio petenda est ab illo Principe laico, cui legitimandus subiicitur, l. 12. D. de natalibus restituenda*.

5. Denique alia acceptione filii legitimi dicuntur, qui per adoptionem, naturæ imita-

tricem, in filios electi sunt. Et hi vocantur legitimi tantum, ut distinguantur à legitimis & naturalibus simul, quasi quos lex civilis agnoscit, non tamen natura.

Ex prædictis facillè intelligitur, quinam filii illegitimi dicantur, nempe ii, qui ex illegitima conjunctione nati sunt. Græcis una voce generali Nothi dicuntur: eorumque variae sunt species: alii enim Nothi specialiter appellantur, contracta voce generis ad speciem, alii Naturalis, alii Spurii, alii aliis atque aliis nominibus nuncupantur: inter quos diligenter distinguendum esse admonet Pont. in *c. Nisi cum priam f. persona verò sup. de renuntiat*. Sed quia in eorum distinctione Interpretes variant, videatur Glof. & Abbas ad *d. § persona*.

An autem quis sit legitimus, an non, determinatio ad Judicem spectat Ecclesiasticum, *c. Lator presentium 5. & c. Causam 7. h. t.* licet tantum incidenter moveatur hæc quaestio, quia laicus est omnino incapax hujus iudicii, ideoque in hoc casu accessorium non sequitur principale.

## TITULUS XVIII.

### Qui matrimonium accusare possunt, vel contra illud testari.

1. Non omnes ad accusandum matrimonium admittuntur.
2. Qui & quatenus accusare possint.
3. 4. Qualiter & usque ad quem gradum.

**S**uperest tertia ac postrema pars hujus libri, de dissolutione matrimonii, & quæ eam consequuntur. Dissolvi autem matrimonium de facto non jure contractum privata auctoritate nequit, nec declarari nullum, sed iudicii Ecclesiastici auctoritate & causæ cognitione opus est.

1. Videndum igitur in primis, quinam accusare matrimonium vel contra testificari possunt;



sint: neque enim omnes quandocumque aut indistinctè ad illud impugnandum admittendi sunt. Nam si quis tempore denuntiationis à Sacerdote factæ tacuerit, is postea contracto matrimonio non auditur, & repellitur ab accusatione; nisi denuntiationem probabiliter ignoraverit, vel juret, quod de novo post denuntiationem didicerit ea, quæ objecturus est, quodque ad hoc ex malitia non procedat; nam tunc licet ab iis didicisset, qui tempore denuntiationis siluerint, repelli non debet, *c. ult. h. t.*

1. Similiter si petatur dissolvi matrimonium ob aliquod impedimentum, quod non continet delictum conjugum, nec alterius, quam conjugum inter sit, illud dissolvi: veluti, si id eo, quia vir sit frigidus vel maleficiatus, aut aliter impotens ad matrimonii actum, vel erratum fuerit in conditione status: tum accusatio ad solos spectat conjuges. Quod si delictum contineat, ut quia aliqui in gradu vetito contraxisse, vel contrahere velle dicuntur, tum quilibet ad accusandum matrimonium admittitur: potissimum tamen parentes, iisque deficientibus proximiores cognati & agnati, id est, frater, soror, patruus, avunculus, amita, mater, & horum descendentes, *c. Videtur 3. h. t. can. 1. cum seq. xxxv. q. 6.* quia tales genealogiam suam, consanguinitatemque & affinitatem inter contrahentes optimè norunt; ideoque favore matrimonii ceteris præferuntur, *d. 6. Videtur*: licet aliàs in criminalibus causis & contractibus non admittatur neque pater in causa filii, neque filius in causa patris, *d. cap. Videtur*. Progenie verò omni deficiente, ab antiquioribus & honestioribus, quibus eadem propinquitas vel affinitas nota verisimiliter esse debet, accusatio testimoniumque recipi poterit, *d. can. 1. cum seq. xxxv. q. 6.* Ubi tamen alter conjugum divitiis, honore, nobilitate & potentia prævaleret, testimonium parentis inferioris omnino suspectum redderetur, nulloque modo admittendum, quandoquidem parentes filiorum incrementa & honores affectare competiantur.

3. Quoties igitur aliqui propter impedimentum consanguinitatis vel affinitatis separari petuntur, duobus vel tribus testibus adhibitis, qui de eadem consanguinitate supersint, vel totidem senioribus & melioribus loci, id legitime

comprobari debet, *c. Quoties 5. sup. de testib.* Qui quidem testes etiam personaliter coram Iudice compareant & testimonium dicant necesse est, non etiam per litteras, *c. 2. h. t.* insuperque duplici adhibito juramento: primo, quod non privato odio, neque amicitia, neque pro aliquo commodo, quod habuerint, vel habeant, vel habituri sint, ad hoc fuerint inducti: deinde quod, sicut ipsi dicunt, rei veritatem acceperint à maioribus suis, credantque ita esse, *d. e. Quoties, can. 3. 4. & 5. xxxv. q. 6.*

4. Ceterum licet olim, quando ad septimum usque gradum prohibitio matrimonii inter consanguineos & affines extendebatur, testes de auditu, non etiam de visu, admitterentur ad eum usque gradum, ob brevem hominum vitam: tamen, postquam ista prohibitio ad quartum gradum reducta est, hoc de auditu testimonium in Concilio Lateranensi rejectum fuit; exceptis duodecim casibus, qui referuntur in *cap. Licet 47. sup. de testib.* ubi vide.

## TITULUS XIX.

## De divortiis.

1. Divortium quid sit, quod simplex, & in quo à Repudio differat.
2. Matrimonium aliud legitimum, non ratum, aliud ratum, non legitimum.
3. Matrimonium legitime contractum jura Pont. est indissolubile.
4. De matrimonio inter infideles contracto.

1. Institutà peractaque legitime accusatione, ad ipsam matrimonii dissolutionem seu divortium pervenitur. Nam divortium est dissolutio matrimonii, quæ utroque conjuge vivente contingit, *Gloss. in can. 1. xxxii. q. 7.* dictum à diversitate mentium, quia in diversas partes eunt, qui distrahunt matrimonium, *p. 2. D. h. t.* vel potius à Divertendo seu Divortendo, ut alii malunt: nam & *divortia aquarum* dixit Cicero, & *divortia itinerum*. Livius.

Differt Divortium à Repudio, quod illud inter virum & uxorem tantum fieri dicatur, Repudium verò sponsæ remitti videatur,

Iii

&amp; in



& in uxoris personam non absurdè cadit, ut dicitur in *l. Inter stuprum 100. D. de verb. signif.* Et in *l. Inter Divortium 191. eod. tit.* repudiari posse dicitur etiam futurum matrimonium, non rectè autem sponsa divortisse.

Divortium sumitur dupliciter; primò pro diremptione matrimonii quoad vinculum, & propriè divortium dicitur. Secundò pro separatione conjugum quoad thorum & cohabitationem, durante tamen adhuc matrimonii vinculo; quod impropriè divortium appellatur.

2. Ut autem sciatur, quod & quâ ratione matrimonium dissolvatur. Notandum, matrimonium aliud esse verum seu legitimum, non ratum; aliud ratum, non legitimum; aliud legitimum & ratum. Legitimum est, quod secundum legis vel provinciae mores contrahitur: cuiusmodi est matrimonium inter infideles, secundum eorum leges contractum: non enim est ratum seu firmum, quia non est indissolubile. Ratum, non legitimum, est matrimonium, contemptis Juris solemnitatibus nuptialibus, solo affectu maritali contractum: quale est clandestinum matrimonium inter fideles, Jure Decretalium. Quod addo, quia post Conc. Trid. ejusmodi matrimonium est nullum. Legitimum & ratum est, quod inter fideles legitime seu secundum leges patriæque mores contrahitur.

3. Tamen si Vero Jure Civili certas ob causas matrimonium semel legitime inter aliquos contractum, verè & omnino dirimi poterit, etiam quoad vinculum, ut videre licet toto Tit. *D. de divortio*, & Tit. *Cod. De repudiis* veluti captivitate aliave ex causa: tamen Jure Pontificio matrimonium semel inter fideles legitime contractum, si consummatum fuerit, non aliter solvi potest, quoad vinculum, quam per mortem alterius conjugis, & *Gaudemus hoc tit. can. Puto & alia xxxii q. 1.* quia quos Deus conjunxit homo non separet, & ult. sup. *De translat. Episcopi*: & quia matrimonium repræsentat unionem Christi cum Ecclesia per charitatem & per naturæ conformitatem: proindeque ut illa est indissolubilis, ita & matrimonium indissolubile esse debet. Adeo ut, licet alter conjugum vel labatur fortè in hæresin, vel transeat ad infideles, tamen idcirco vinculum conjugale inter eos dissolvi nequeat, & 1. & *e. Quanto 7. hoc tit.*

Dixi, semel legitime contractum: quia si in-

ter eos contractum sit, inter quos ob aliquod impedimentum puta consanguinitatis vel affinitatis in gradu prohibito, prohibitum est matrimonium licet sit ipso jure nullum, & proinde de jure dissolvi non debeat: attamen uti de facto contractum fuit, ita etiam jure Pontificio de facto distrahi & dissolvi potest, & ult. h. 1. non quidem propria auctoritate contrahentium, sed tantum auctoritate Judicis Ecclesiastici, vel saltem ex officio Judicis ordinarii, & *Porro 3. hoc 1.*

4. Quod si tamen pagani, id est non Christiani, in gradu, lege Canonica tantum prohibito, matrimonio juncti ad fidem convertantur, non dirimetur matrimonium, nec quoad vinculum nec quoad thorum. Verum si paganus plures uxores habuerit, post fidem susceptam, dimissis cæteris, adhærebit primæ: sicut & si repudiata prima cum secunda contraxerit, licet repudiata interim cum alio contraxisset: nec poterit dimissor hoc casu obviare fornicationem dimissæ, nisi aliàs fuerit fornicata, & *e. Gaudemus in fine.*

Si vero infidelium conjugum alter ad fidem Christianam convertatur, alter autem perseveret in infidelitate, & vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut conjugem petrahar ad peccatum mortale, ei cohabitare velit, dirimi poterit matrimonium, & fidelis ad secunda, si voluerit, vota transire, & 1. *Quanto, & d. e. Gaudemus*: quia licet matrimonium verum seu legitimum inter infideles existat, non tamè est ratum, quia non repræsentat conjunctionem Christi cum Ecclesia, & *e. Quanto, vers. Nam et si.* Aliàs per solam conversionem alterius seu baptismum non dissolvitur, ut patet ex 1. *Corinth. 7. can. iam nunc xxxviii. q. 1.*

Non obstat prædictis, de indissolubilitate matrimonii inter fideles legitime consummati, illud Matth. 5. *Omni, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mæchari: & qui dimissam duxerit, adulterat.* Et rursus cap. 19. *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur: & qui dimissam duxerit mæchatur:* ex quo colligi videtur, licere uxorem dimittere fornicariam, & aliam ducere. Nam Respond. sensum verborum Matth. 5. esse, ipsi imputandum adulterium uxoris, quod eidem non imputabitur, si dimitteret ex causa fornicationis, quia tunc mæchantem dimitteret. Similiter Matth. 19. sensus



tas est, quod sit ei auctor, ut moechetur. Aliter responderi potest, prædicta verba intelligi de dimissione quoad thorum, cuius fuerit ante facta mentio, non autem de dimissione quoad vinculum. Nam cum Christo moveretur quæstio à Pharisæis de perfecta dimissione, qualis fiebat per libellum repudii, & hæc dimissio contineret quoque separationem à thoro & cohabitatione conjugis, & præterea potestatem ducendi aliam uxorem; Christus in sua responsione ita distinguit, ut alterum, scilicet separationem à thoro & cohabitatione, diceret esse licitum, sed ex causa fornicationis dumtaxat, non aliter; alterum verò diceret esse illicitum, & verum adulterium. Cujus responsionis prior pars continetur illis verbis, *Quicumque dimiseris uxorem suam, nisi ob fornicationem, scilicet peccat, quod subaudiendum, vel, quod utique non licet: posterior verò illis verbis, & qui dimissam duxeris, adulterat vel moechatur: ita ut particula, nisi, accipiat quidem exceptivè, sed ad priorem partem responsionis dumtaxat pertineat, non autem ad alia sequentia.*

## § I.

De dissolutione matrimonii, rati non consummati.

1. Dissolvitur huiusmodi matrimonium per Religionis ingressum.
2. Per dispensationem summi Pontificis.

1. Ceterum matrimonium ratum, non consummatum, inter fideles dissolvi posse per solemnem Religionis approbationem seu professionem, ab altero conjugum factam, etiam altero repugnante, patet ex cap. *Commissum* 16. sup. *De sponsalibus & aliis similibus*, Coac. Trid. Sess. 24. can. 6. manensque in sæculo post emissam professionem alterius (quam expectare reperiunt) si continere nolit, iterum contrahere potest, cap. *Ex publico* 7. sup. *De conversis conjugatis*. Ratio, cur dissolvi tunc matrimonium possit, licet sit Sacramentum, est, quia repræsentat unionem Christi cum Ecclesia tantum per gratiam, non etiam per charitatem & naturæ conformitatem: ideoque cum illa sit dissolubilis per peccatum mortale, etiam matrimonium, unionem illam repræsentans, dissolubile erit & imperfectum Sacramentum

Cum enim Sacramentum matrimonii primò significet conjunctionem Christi cum anima, per gratiam: secundò conjunctionem Christi cum Ecclesia, per charitatem, tertio conjunctionem Christi cum Ecclesia, per naturæ conformitatem: & ex his significationibus primam dumtaxat habet matrimonium, ratum, non consummatum, quippe per quod conjugati nondum sint perfectè duo in carne una: non est perfectum Sacramentum, quoad omnem significationem, sed imperfectum, & dissolubile.

Non obstat illud *Quos Deus conjunxit, homo non separet*: quia intelligitur de matrimonio consummato, non autem de rato tantum.

2. Secundò, dissolvi potest per dispensationem summi Pontificis, prout constat sæpe ex gravibus causis dispensasse, vide Navar. in *Manuale* c. 22. m. 21.

Cur autem non æquè dissolvatur per Ordinis sacri, vel etiam Episcopalis susceptionem, atque per professionem Religionis approbatam, ratio est hæc, quia Ordo sacer & status Episcopalis non pugnat ex natura sua cum statu conjugali & usu matrimonii (prout patet in Sacerdotibus & Episcopis Græcis) sicut Religio, quæ est mors quædam spiritalis, consistens in totaliter omni temporalium abdicazione.

## § II.

De dissolutione matrimonii quoad thorum.

1. Casus, quibus hoc modo dissolvitur matrimonium.
2. Casus, quibus non dissolvitur.

1. Certissimi porro Juris est, matrimonium ratum & consummatum posse etiam inter fideles dissolvi quoad thorum & cohabitationem, manente inter eos vinculo matrimonii, ut patet ex toto hoc Tit. Decretal. & definitur per Concil. Trident. Sess. 24. can. 8. Et quidem primò fieri id potest mutuo consensu, ad perfectiorem statum acquirendum: veluti si uterque voveat perpetuam castitatem, aut ad Religionem transeat, c. 1. & 2. sup. *De conversis conjugatis*.

Secundò, fit hæc separatio, si alter conjugum spiritaliter fornicatus fuerit, nempe si



labatur in hæresim, vel in gentilissimum decidat, *c. 2. & seq. h. t.*

Tertiò, si alter alterum impellat ad peccatum, ita ut cum eo sine periculo offensionis divinæ, suspicionis apud homines, participationis in crimine, cohabitare non possit, *d. c. 2. h. t.* Eadem est ratio, si dimissio iudicetur necessaria ad emendationem & correctionem uxoris, *c. Si vir 3. inf. de adulteriis.*

Quartò, si alter in alterum sæviat nimium: nisi forte maritus sufficientem det cautionem, arbitrio iudicis, de non offendenda uxore, *c. 1. sup. de lite non contestata &c.*

Quintò, Vorum ultramarinum, ad liberandam terram sanctam etiam invita uxore, vir emittere & adimplere potest, *cap. Ex multa §. in sancta sup. De voto & voti redempt.*

Sextò, si alter conjugum adulterium vel fornicationem (quo nomine omnis illicitus coitus etiam contra naturam continetur) commiserit, *c. Accusatores, c. Intelleximus, & c. fin. inf. de adulteriis*, juxta illud:

*Frangenti fidem, fides frangatur eidem.* Idque obtinet, licet alter alteri juraverit, nunquam se repudiaturum, quia causa adulterii vel fornicationis supervenientis semper excepta videtur, *c. Quemadmodum 25. sup. de iurejurando.* Pendente autem iudicio de adulterio, non fiet separatio thori, nec ante probatam accusationem privari accusatus debet iure, quod in alterum habet, *c. 2. sup. de lite non contestata &c.* Attamen non tenetur vir uxorem, vel contrà, ob adulterium aut fornicationem dimittere, si poenitentia ducta emendetur, nec perseveret in crimine: imò cessante scandalo, dimissam & non perseverantem in crimine potest sibi reconciliare. Alioqui adultera, quam recipere non vult, ad agendam perpetuam poenitentiam in claustro aliquo cum mulieribus Religiosis collocanda est, *cap. Gaudeamus 19. sup. de convers conjugat.*

Cæterum observandum, licet alteri conjugum hanc separationem ob fornicationem alterius facere propria auctoritate, quoad thorum dumtaxat, non etiam quoad cohabitationem, quia est res publica & quæ scandalo esse potest, ideoque non nisi iudicio Ecclesiæ fieri debet, *c. Porro 3. h. tit. nisi adulterium fuerit omninò publicum & notorium, c. Significasti 4. hoc tit.*

Ob furtum, verò vel aliud crimen, aut ob morbum conjugis non fit hæc separatio, *d. c. 2. h. t.* Nec observatur *Novel. De nuptiis, c. 16. §. huius itaque causas*; neque *l. libemus §. inter causas Cod. de repudiis*; nec rursus *Novel. 117. c. 8. & seq.* quia per Jus Canonicum, cui in causis matrimonialibus standum est, corriguntur.

2. Sed & certis casibus alter conjugum separari ob fornicationem seu adulterium non potest. Primò, quando tantum materiale est adulterium: veluti si mulier vim passa fuerit, *can. Itane, cum similibus xxxii. q. 5.* ubi non est culpa, ibi nec pœna esse debet: vel si quis fraudulenter sub specie mariti aliquam cognoverit, *can. In lectum xxxi. q. 2.*

Secundò, quando uterque pari crimine tenetur, *c. Intelleximus & c. fin. inf. de adulteriis*; quia paria delicta mutua compensatione tolluntur.

Tertiò, quando vir uxori fuit auctor adulterii, veluti si eam prostituerit, *c. Discretionem sup. De eo qui cognovit consanguineam &c.*

Quartò, quando post cognitum adulterium uxoris rem cum ea habuit, *can. Si quis uxorem xxxii. q. 3.*

Quintò, quando repudiata uxore ante Baptismum, ambo deinde ad fidem convertuntur: nam uxor, licet fuerit à secundo viro ante Baptismum cognita, priori nihilominus erit reconcilianda, *c. Gaudeamus h. t.* Sin sine causa & temerè uxor diverterit, excommunicatur, *can. Si qua mulier Dist. 30.* (nisi ex iracundia divertens redierit statim) & restitui ante omnia marito repetenti, si cut & è diverso, debet: nisi exceptio fuerit legitima, ut si uxor visum repetens publicè sit adultera, vel viro repetente uxorem timeatur nimia ejus sævitia. Videantur quæ supra diximus de hac restitutione, *Tit. De restitut. spoliatorum lib. 1.*

## TITULUS XX.

### De donationibus inter virum & uxorem, & de dote post divortium restituenda.

1. Dos quid sit. Est adventitia vel Profectitia.

2. De



1. Donatio propter nuptias.
2. Solutio matrimonio illa mulieri, hac marito restituenda.
3. Donationes extra causas doti facta censentur quoque revocate.
4. Vir agens pro dote non excluditur ob inopiam.

Iudicem Ecclesiasticum, ubi causâ cognita viderit sententiam divortii esse ferendam, si ve ad declarandum matrimonium nullum, si ve ad separationem thori & cohabitationem tantum pronuntiare quoque oportet de dote ac donationibus propter nuptias restituendis, vel non restituendis: Nam de his plerumque divortio facto incidenter quæstio movetur, tanquam de accessoriis ad matrimonium, *c. 3. h. t.*

1. Dos est pecunia, quæ ab uxore, vel alio ejus nomine, pro sustinendis oneribus matrimonii, marito datur remittiturve, *l. Pro oneribus 20. & passim Cod. de jure dotium*. Quæ proinde constante matrimonio repeti non potest, nisi maritus labatur facultatibus, *l. Si constante D. Solutio matrim. aut bona ejus fisco inferantur, l. Si marito D. De repudiis*: Veluti propter crimen læsæ Majestatis, vis publicæ, parricidii, beneficii, de fideiis *l. Quinque 3. D. De bonis damnatis*, item crimen hæresis, *c. Decrevit de hæred. in 6.* nisi inter maritum & uxorem intercessisset pactum de lucranda dote per maritum. *Gloss. & Barr. in d. l. Quinque*. Unde inferitur, dotem filix posse in præjudicium patris publicari, *Auth. Qui contra Cod. De incestis nuptiis*.

Ea est, vel Profecticia, vel Adventicia, Profecticia, quæ à patre vel parente virilis sexus profecta est de bonis vel facto ejus, *l. 5. in princ. D. De jure dot. l. 6. Cod. eod.* Adventicia, quæ à quovis alio, vel ex ipsius mulieris bonis data est, *d. l. 5. §. Si pater 6.*

2. Donatio propter nuptias est, quam sponsus vel alius ejus nomine facit sponsæ in securitatem dotis, *l. penult. & ult. Cod. de donat. ante nuptias*. Eò namque spectat donatio ista, ut mulieri sit cautum de dote recuperanda, soluto matrimonio, si ea vel perierit, vel deterior facta fuerit culpa mariti. Unde & jure novissimo ita doti adæquata est, ut non modò pari quantitate constitui debeat, sed & iisdem pactis ac conditionibus, *l. Ex morte 9. cum Auth. seq. Cod. De*

*pactis conventis &c.* Olim quidem dicebatur donatio hæc ante nuptias, quia post nuptias fieri non poterat; primò quidem vetantibus id moribus, postmodum etiam jure inde orto. *l. 1. 2. & 3. ubi ratio additur, D. De donat. inter vir. & uxorem*. Cæterum Justinus Imp. exemplo dotium, quæ augeri & post nuptias poterant, permittit etiam donationes ejusmodi augeri constante matrimonio, *d. l. Si constante Cod. De donat. ante nuptias*: Justinianus verò constituit, ut non augeantur tantum, sed etiam constante matrimonio initium accipiant, nec amplius donationes ante nuptias, sed propter nuptias vocentur, *l. ult. Cod. d. tit. & Institut. De donat. §. Est & aliud*.

3. Ut igitur soluto ex causa licita matrimonio dos mulieri, aut ei, qui dedit, restitui debet, *c. 1. 2. & 3. hoc tit. ita etiam donatio propter nuptias marito, c. fin. vers. sanè eod. nisi vel consuetudine vel pacto conjugum de lucranda dote donatione ve propter nuptias, quod utrumque æquale sit necesse est, contrarium inducatur seu inductum sit, d. vers. sanè*. Imò, quod amplius est, etiam ea bona, quæ constante matrimonio communiter conjuges acquisierint, dividi æqualiter inter eos oportet; *d. c. 1. & 2. h. tit.* licet postea ob consanguinitatem contingat dissolvi matrimonium, vel sit putativum tantum, bona fide contractum, *d. c. 2. ibi. quem loca viri tenebat &c.* Facit *l. Si cum dotem §. fin. D. Solutio matrim.*

Quòd si scienter vetitum matrimonium aliqui contraxerint, privantur iis, quæ sibi mutuo dederint (nisi aut minori ætate aut errore aliquo excusentur) eaque fisco sibi vindicant, *c. Et si necesse 5. h. t.*

Si mulier ob causam fornicationis iudicio Ecclesiæ aut propriâ voluntate à viro discesserit, nec postea eidem fuerit reconciliata, perdit dotem seu dotalitium, illudque cedit lucro mariti innocentis, *c. Plerumque 4. hoc tit.* Reversa & reconciliata marito dotem non amittit, quia sic maritus injuriam remississe censetur, prout remittere potest, *c. 3. inf. De adulteriis*.

Insuper utrovis modo divortium fiat, si ve quoad ipsum vinculum matrimonii dissolvendum, si ve quoad separationem thori dumtaxat, donationes, quæ inter virum & uxorem constante matrimonio extra causas dotis vel



donationis propter nuptias factæ fuerint, censentur tacite revocari, *c. fin. h. t.* Nam licet ejusmodi donationes extra causas dotis & donationis propter nuptias, quibus alter conjugum locupletior, & pauperior alter efficitur, utroque Jure prohibita sint, *l. 1. D. De donat. inter vir. & uxorem & d. c. fin. in princ.* tamen si non fuerint expresse vel tacite, veluti divortio revocata, morte donantis confirmantur, *l. Sed interim 1. 1. D. eod. & d. c. fin.* Ad sponfos hæc prohibitio non pertinet, *l. Si sponfus 1. Inter eos 2. 7. D. eod.* nec ad eas donationes, quibus alter non sit pauperior, alter ditior, *l. Si fructus Cod. eod. d. c. fin.* nec rursus ad eas, quæ conferuntur in tempus mortis vel divortii, *d. l. Sed interim & fin.* quia, ut dicitur in *l. 10 D. eod.* in illud tempus excurrunt, quo amplius non fuit vir & uxor: Et propterea cessat ratio prohibitionis, morteque confirmantur, si in vivis revocata non fuerint, *l. Cum hic status 32. §. 2 D. eod.*

Quemadmodum autem divortio, ita & morte alterutrius soluto matrimonio dos & donatio propter nuptias restitui debent aut superstiti aut defuncti hæredibus, nisi similiter vel pacto conjugum vel statuto vel consuetudine provisiæ aliud obrinuerit, *d. c. fin. vers. sand.*

Cæterum si vir, agens pro dote, vergat ad inopiam, non ideo excluditur omnino, verum assignabitur ei dos sub cautione, secundum facultates ejus præstanda, quod soluto matrimonio dotem restituer: Nam æquum est, ut cui uxor credit corpus suum, eidem magis credat dotem, *c. Per vestras 7. h. t.* Sin autem ne sic quidem sufficienter sit provisum consumptioni dotis, ea deponeretur apud mercatorem, ut de parte honesti lucri inde provenientis onera matrimonii viri sustineat, *d. c. Per vestras.*

#### TITULUS XXI.

#### De secundis nuptiis.

1. *Secunda nuptia qua dicantur.*
2. *Intra annum luctus nubens Jure Canonico non est infamis.*
3. *Differentia inter primas & secundas nuptias.*

**D**enique divortio facto solent conjuges satis ad secundas nuptias transire, de quibus propterea ultimo loco restat agendum: Vocatur

autem hic secundæ nuptiæ non eæ tantum, quæ primas proximè sequuntur, sed tertiæ, quartæ, ac deinceps quotiescumque iterantur: Quæ altero conjugum mortuo, aut propter aliquod impedimentum dirimens matrimonio declarato nullo, permittuntur superstiti: Ad vitandum periculum fornicationis, *can. Quomodo, cum similibus xxxi. q. 1. c. penult. & ult. h. t.*

1. Nec obstat canon *Hæc ratione ibid.* in quo Joan. Chrysost. secundas nuptias vocat honestam fornicationem: Quia canon ille non est Chrysostomi, sed auctoris alicujus incerti & operis imperfecti in Matth. quod falsò Chrysostomo adscribitur. Vide editionem Gregorianam *d. can. Hæc ratione.*

2. Tamen si verò jure civili notetur infamia mulier, intra annum luctus, id est, intra annum à morte mariti nubens alteri, *l. 1. & 2. Cod. h. t. & l. Liberorum D. De his qui not. infam. c. cum Jure Pont. quavis magis probentur primæ nuptiæ, quàm secundæ. can. Nuptiarum xxvii. q. 1. d. can. Quomodo & similibus,* non damnatur secundæ nuptiæ, nec ullam infamiam aut aliam pœnam, à Jure Civili statutam, incurrit mulier nubens intra tempus luctus, auctoritate Apostoli, qui indistinctè loquitur, *1. Corinth. 7. & ad Rom. 7. Mulier viro mortuo soluta est à leg. viri sui, in Domino nubat, cui voluerit:* Non adiciens, ut demum post annum luctus nubat, *c. penult. & ult. h. t.*

3. Differunt tamen primæ & secundæ nuptiæ; Primò, quòd secundæ nuptiæ non benedicantur à Parocho vel Sacerdote, *cap. 1. & c. 3. h. t.* quia cum alter contrahentium saltem in primis nuptiis fuerit semel benedictus, eaque benedictio semper duret, non est iteranda, nisi consuetudine introductum fuerit contrarium, Navar. in *Manuali cap. 22. n. 83* aut sint secundæ ex parte viri tantum, ut si viduus doceat virginem, tunc benedici posse tradit Arn. in *V. Matrimonium n. 71.*

Secundò, prohibetur etiam presbyter secundis nuptiis interesse, *can. De his xxxi. q. 1.*

Tertiò, relicta pro pauperibus mulieribus dotandis & maritandis nequeunt distribui in dotem viduarum nubere volentium, quantumcumque pauperes sint, quia appellatio matrimonii ad primas nuptias refertur, *l. Porro 89. §. 1. D. De verb. signif.*

Quæ-



Quartò, favorabiliores sunt primæ in capi-  
endis legatis, quam secundæ. Nam legatum  
sub conditione, *Si non nupserit*, virgini, quæ  
nondum experta est virum, relictum, etiam si  
nupserit, ei, non obstante conditione, debetur  
secus in vidua, l. *Cum tale legatum* §. 5. D. de con-  
dit. & demonstrat.

Quintò, mulier, quæ iterum nupserit, nequit  
ob ingratitudinem revocare donationes liberis  
prieis matrimonii factas: Exceptis tribus  
casibus, enumeratis in Novella 22. De nuptiis  
cap. 35. At vero vidua unius matrimonii  
potest, l. *His solis* 7. Cod. de re-  
voc. donat.

PARATITLA  
S I V E  
S V M M A R I A  
E T  
M E T H O D I C A E X P L I C A T I O  
L I B R I Q U I N T I  
D E C R E T A L I V M.

## TITULUS I.

De Accusationibus, Inqui-  
sitionibus, & Denun-  
tiationibus.

## §. I.

## De Accusationibus.

1. Accusatio quid sit.
2. Libellus accusatorius qua continere debeat.
3. Hora & dies commissi criminis an necessario  
exprimendus.
4. Inscriptio seu pœna talionis hodie ab usu recessit.

**I**us Pontificium, sive scriptum sive non  
scriptum, versatur vel circa personas Ec-  
clesiasticas, vel circa res, vel circa  
judicia, eaque cum civilia, tum crimi-  
nalia. Cum itaque libro primo actum fue-

rit de jure personarum; secundo de universa  
judicii ordinis ratione; tertio & quarto de  
materia ipsa seu rebus Clericorum & Laico-  
rum, quæ in judicium Ecclesiasticum civi-  
le deducuntur: Sequitur ut hoc quinto li-  
bro tractemus de iis rebus, quæ in judicium  
Ecclesiasticum criminale veniunt; doceamus-  
que primo, quo pacto actiones seu judicia cri-  
minalia instituantur; tum de delictis ipsis, quæ  
in foro Ecclesiastico proponuntur; ac demum  
de pœnis, quibus rei à Judice Ecclesiastico affi-  
ciendi sunt.

Judicia criminalia tribus potissimum modis  
instituantur, nempe per Accusationem, Inqui-  
sitionem, Denuntiationem; c. *Licet Heli* 31. in  
prin. inf. de Simonia.

1. Accusatio, secundum Hostiens. in *Summa*  
*hoc. tit.* est criminis alicujus apud Judicem com-  
petentem, vindictæ publicæ causa, inscriptio-  
ne interveniente, legitimè facta delatio. Colli-  
gitur hæc descriptio ex l. *fin. Cod. de accusat.*  
& communiter receptam esse tradit Jul. Cla-  
rus



rus in *Pract. crim. q. 12. n. 1.* Dixi vindictæ publicæ causas in exemplum scilicet populi, ut omnes à talibus criminibus abstineant. Accusare verò est deferre reum criminis alicujus per libellum ad Judicem, cum subscriptione deferentis: Et qui deferit Accusator dicitur, uti Actor, qui in civilibus causis provocat ad Judicem.

2. Debet autem libellus accusatorius continere in primis nomen Judicis coram quo crimen proponitur, ut sciatur, an is sit competens, ut *Tit. Cod. Vbi de criminibus agi oporteat*: Item nomen accusatoris & accusati, ut constet, quis sit accusator, & quis accusetur, (quantum si nomen accusati ignoretur, possit describi ex habitu, officio, vel aliis circumstantiis:) speciem insuper criminis: Locum & tempus commissi criminis (aliàs accusatio redderetur incerta, & ipso jure nulla, etiam parte non opponente, *Jul. Clarus: d. q. 12. n. 9.* eripereturque reo facultas se defendendi:) Item personas, in quas vel cum quibus illud perpetratum dicitur: Insuperque subscriptionem accusatoris in crimen, si ve ad pœnam talionis, non tantum in publicis delictis, verum etiam in criminaliter intentatis, *l. fin. D. de privat. delictis. l. fin. D. de furtis*. Quod constitutum est ut homines deterreantur à calumniis. *l. penultim. & ibi Gloss. & Salicet Cod. de accusation.* & ne innocentia alicujus temerè periclitetur & vim patiatur. Formam accusationis vide in *l. Libellorum D. de accusat. & can. fin. § libellorum, 11. quasi. 8.* & quæ late deducuntur à *Greg. Tholos. l. 5. Partit. luriæ Can. tit. 9. c. 4.*

3. Cæterum non tenetur accusator invitus horam & diem designare, nisi id reus petat, ut scilicet negativam, loco & tempore coarctatam, puta, se eo die fuisse in aliquo loco, remoto à loco delicti, probare possit, *l. Optimam Cod. de contrahenda stipulat.* aut nisi crimen tali die commissum sit micrius puniendum, *Jul. Clarus d. loco vers. Dixi etiam*. Et si diem expresse, qui mensẽ designet, aliã mensis designatione opus non erit, *Wesemb. D. ad h. t. n. 11.* alias enim nimis coarctaretur potestas accusandi & probandi, quandoquidem quis diei vel septimanæ facile oblivisci possit, cum non ita cadat sub sensum, ut locus.

Inscriptio verò, ac pœna talionis hodie passim à foro recessit, valetque ejusmodi consue-

tudo, *Felin. in c. Super his rite. Notab. hœrit. Gothof. ad d. l. fin. Cod. de accusat.* Et sanè ob antiquum rigorem multi deterrebantur ab accusando, multaque crimina propterea manebant impunita. Quamquam etiam hodie, si quis aliquem de crimine aliquo differat, & partem formatam, ut vocant, se adversus eum constituat, soleat carceri committi, donec satisfecerit idoneæ de accusatione prosequenda, & injuria relaxanda, si crimen intentatum minus probet, *lib. 2. Cod. de exhibenda reis*. Quia tamen hæc prodiversitate locorum diversimodè exercentur & observantur, satius fuerit sequi stylum & consuetudinem cujusque loci.

Sed & in tabulis Legum Brabantiarum, vulgo *den Lanchartre* anni 1312, legitur Joannem Ducem pœnam talionis diserte innovasse, decrevisseque eo loco habendum esse eum, qui alium in jure convenisset, & querelas non probasset, quo alius fuisset habendus probato crimine.

Denique si accusatio non fuerit legitime concepta, nomen rei aboletur, & ex integro reperendi reum sit potestas, *d. l. Libellorum §. 1.*

## §. II.

### Quinam accusare possint,

1. Prohibeatur, quorum nihil interest.
2. Qui semel destiterint ab accusando.
3. Latens volens accusare Clericum.
4. Inimicus accusati aut inimico ejus cobabitans.
5. Mulier, pupillus miles, infamis, &c.
6. Aliàs accusator audendus est, etiam Monachus adversus Prælatum.
7. Nemo per Procuratorem accusare aut defendere se potest.
8. Nemo invitus accusare cogitur, & quatenus desistere liceat.
9. Quibus hodie munus accusandi deferatur.

**A**ccusare possunt omnes, qui non prohibentur, *l. Qui accusare D. de accusation.* Prohibetur autem quis accusare aliquem ob varias causas: Vel quia ejus, qui vult accusare, nihil interest. *l. lla 3. h. t. exceptis publicis judiciis: l. 1. vel quia eundem ejusdem criminis se-*



mel accusaverit; nam qui semel ab accusando destitit, amplius non auditur, *l. Accusationi* 6. *Cod. De his qui accus non pos.* imò perpetuum illi silentium imponitur, licet ante inscriptionem destituerit, *c. Licet* 14. *b. t.* Similiter qui semel à crimine absolutus est per sententiam definitivam, iterum accusari nec ab eodem nec ab alio potest, *c. De his* 6. *ibi DD b. t.* Ut neque semel condemnatus ac punitus, Maranta 6. p. *Spec. juris* num. 49. nam de ejusdem hominis admisso sepius quæri non debet, *l. Licet* 6. *in fine* D. Nauta *caupones* &c. nisi fortè ex collusione primi accusatoris secundus doceat perperam absolutum fuisse, *c. 1. inf. De collus detegenda* 3. *h. nam si* De pravaricatorib. Maranta d. loco n. 50 Abbas in d. c. *De his* b. t. Præsumitur autem collusio, si accusator conversatur cum accusato: si post litem contestatam nec accusatus compareat ad terminum statutum per Judicem Maranta d. loco n. 51.

Dixi, per sententiam definitivam: quia absolutus ab observatione judicii dumtaxat, licet non possit amplius accusari ab eodem, secundum Canones (per primam enim accusationem factus fuit inimicus, ac proinde repellendus eo jure, *c. Repellantur* 7. *c. Cum* P. 10. *p. Cum oporteat* 19. *hoc tit.*) potest tamen ab alio tertio: & quidem de jure Civili indistinctè tam à primo, quam ab alio, cum secundum Jus Civile inimici ab accusatione non repellantur. Posset tamen absolutus rursus accusari à tertio, prosequente suam vel suorum injuriam, dummodò ignoret accusationem fuisse ab alio institutam; secus si sciverit: nam & tertio obstat exceptio rei judicata, Maranta d. loco n. 54. ubi alia vide eodem spectantia.

3. Tertio, repellitur laicus, volens accusare Clericum: nam cum Clericis, laicos oppidò infestos tradiderit antiquitas, *c. Clerici in princ. De immunit. Eccles.* in 6. quod & experientia docet, præsertim, hoc infelici sæculo; Regulariter non admittuntur laici adversus Clericos in criminalibus, *d. c. Cum* P. *hoc tit. can. 2. c. 3. can. Sicut* 6. 11. q. 7. prout nec Clerici adversus laicos; *d. can. Sicut* nisi fortè laici suam vel suorum injuriam prosequantur, *c. De cætero* 14. *sup. De testib. can. Omnibus* 14. q. 6. aut nisi agatur de occultis quibusdam crimi-

nibus, in quibus propter enormitatem Ecclesia laicos adversus Clericos admittit, ut sunt Simonia, Hæresis, crimen læsæ majestatis, *c. Tanta*, *c. Licet* Heli 31. *inf. De Simonia*. Eodem jure Canonico non admittuntur adversus Clericos viles adjectæque personæ non probatæ vitæ *can. Quarendum* 11. q. 7. modò reus earum consuetudine antea usus non fuerit, *c. Nulli* 5. *b. t.*

4. Quarto repellitur accusator, quia inimicus est accusati, aut inimico ejus cohabitatur, *d. c. Repellantur* 7. *d. c. Cum* P. 9. *c. c. Meminimus* 3. *hoc tit.* & hoc de jure Canonico, ut dixi, quia præsumitur ejusmodi accusatio proficisci ex odio. Unde nec criminosus accusator adversus alium criminosum admittitur, *can. Omnes*, *can. Qui crimen* v1. q. 1. *d. can. Quarendum* 11. q. 7. *can. Qui sine*, *can. Postulatus* 111. q. 7.

5. Denique prohibentur acculare, alii propter sexum vel ætatem, ut mulier & pupillus; alii propter Sacramentum, ut milites; alii propter majestatem & potestatem; & alii propter delictum proprium, ut infames; & alii propter turpem quæstum, ut qui duo judicia adversus duos reos subscripta habent, nummosve ad accusandum vel non accusandum acceperint; alii propter conditionem suam, ut filii adversus parentes, liberti & alumni adversus patronos; alii propter suspicionem calumniæ vel ob alias similes causas, de quibus in *can. prohibentur* 11. q. 7. *ibi d. l. Qui accusa.* re 8. *c. segg. D. h. t.* & Jul. Clarus in *Præf. Crimin.* q. 14. quarum si aliqua accusatori objiciatur, statim est ab accusatione repellendus, etiam non audito reo de crimine Et hoc est, quod Pont. ait, si legitimus non fuerit accusator, non fatigandū esse reum sive accusatum, *c. 1. h. t.* Porro plerosque, qui accusare prohibentur. Glossa ad d. c. 1. complectitur his verbis:

*Fœmina, pupillus, dolatus crimine, tantus,  
Suspectus quæstu, corruptus, sortilocusque,  
Infamis, servus, pauper, cum milite Princeps,  
Libertus, socius socium, nec non inimicus  
Clericus Ecclesiam nullus deferre Valebit.*

Hi tamen omnes ab accusatione, non excluduntur, si suam vel suorum injuriam exequantur mortemve defendant, *d. Hi tamen* 11. *D. h. t. l. 3. c. 12. Cod. eod. Exceptis liberis, libertis, & alum-*

kkk



& alumnis, quibus ne istis quidem casibus parentem patronumve accusare permittitur, nisi civiliter agatur, d. l. *Hi tamen* §. 1. l. *Iniquum* 17. Cod. De his qui accus. non poss. Alias si qui alios accusare velint, eos immunes esse oportet à crimine, can. *Qui sine peccato, can. Postulatus* 111. q. 7. Hodie etiam paupertas non repellit ab accusatione pauperem, honestæ fidei & vitæ, Clarus d. q. 14. n. 19.

6. Quod si accusatori nulla iusta obijci causa possit, ob quam ab accusatione removeri debeat, omnino audiendus est; quisquis ille sit: aded ut etiam Monachus, quamvis obedientiam voverit Prælo suo, nisi alia rationabilis causa impediatur, accusare valeat. Imò debent eidem ex bonis Monasterii suppeditari sumptus necessarij ad prosequendam accusationem, c. *Ulla* 3. c. *Ex parte tua* h. t. Quin etiam, ut sit expeditior reformatio Monasterii, si quam sententiam excommunicationis, suspensionis, aut interdicti Abbas, pendente accusatione, protulerit, aut per alios ferri curaverit, ea ipso cure relaxatur, sicut & iuramentum de incenda veritate, c. *Olim* 26 h. t. Alios tamen Monachus accusare non potest, d. c. *Ex parte tua*, nisi inter sit Monasterii, & delicta Abbatis, can. *Monachi* 35. xvi. q. 1. quia censetur mundo mortuus, can. *Placuit ibid.*

7. Quemadmodum autem ad crimen iudicii publici accusationemque criminalem prosequendam non admittitur procurator, ita neque ad defendendum, l. *penult.* D. De publ. iudiciis, c. *Veniens* 15. h. t. Licet reus absens possit per procuratorem allegare causas absentia, aliasque exceptiones, quæ ipsum crimen propositum non attingant, d. c. *Veniens* & c. cum dilecti 18 h. t. secus si agatur de crimine non criminaliter, v. g. per modum exceptionis, c. *Super his* 16. h. t. vel de crimine privato, v. g. injuriarum, can. *Absens* §. nisi 111. q. 9. l. fin. Cod. De injuriis; vel de aliis levibus criminibus, l. *Levia* 6. D. hoc tit.

8. Nemo etiam invitus accusare cogitur, can. *Si quem poenituerit, can. Si quis iratus* 11 q. 7. Tit. Cod. *Ut nemo invitatus agere vel accus. cog.* Potestque quilibet ante libelli oblationem & inscriptionem ab accusatione incepta desistere, sed desistenti imponitur silentium perpetuum, ne deinceps eundem de eodem crimine accuset vel infamet, c. *Licet* 14. h. tit. At verò post

inscriptionem cogitur accusationem prosequi, nec impunè citra abolitionem desistit, l. *Quasitum* 5. D. Ad SC. Turpill. Publicè enim interest, accusationem non intermitteri, si vera sit, ut delictum puniatur, si vera falsa, ne calumniator impunè evadat, & licentiùs in innocentiam ejusque grassetur. Verius etiam est fratres se invicem accusare non posse, l. *Si magnam* Cod. De his qui accus. non possunt; nisi in levioribus criminibus, l. *Si sororem* 18. Cod. eod. aut nisi alter alterius vitæ insidiarius fuerit, Glos. & Salicet ad d. l. *Simagnum*: nam & idem in matre adversus filium sibi insidiantem admissum est, l. *Propter* 4. Cod. d. tit. ut neque filius prohibetur de facto matris queri, l. *Hi tamen* 11. §. 1. D. De accusat.

9. Cæterum observandum est, hodie munus accusandi apud sæcularem Judicem deserti procuratoribus fisci; apud Judicem verò Ecclesiasticum aliquibus electis & probæ fidei clericis, qui Promotores aut Procuratores fiscales, vel Syndici, interdum etiam Nuntii dicuntur, quos huic muneri præficiendos tradit Bero, Diaz in *Præteritum* Can. c. 4. & in quibusdam diocesis per Belgium ita servari refert oculus testis Zyp. olimque consuetum fuisse, lib. 5. De jure Pont. nove h. t. n. 8. Et tales non debent se inscribere, quandoquidem necessitas officii eos liberet à suspitione calumniæ, nisi hæc manifestè appareat, l. *Post legatum* 5. §. *Advocatum* D. De his quibus ut. indignis &c. Solent tamen plerumque alii privati, quorum aliunde interest delicta puniri, se his adungere, eisque denuntiare crimina ac suggerere probationes, ad suam suorumque injuriam prosequendam; unde & evitant delatoris prohibiti notam, l. *Deferre* 18. §. *Sed communem*, & l. *Delator* 44 D. De jure fisci cum nemini in causis propriis accusandi licentia sit deneganda, can. *Omnib.* 14. q. 6.

### §. III.

Quinam accusari non possint.

1. Non mortui, non Legati, Præsides, Magistratus, &c.
2. 3. Non absoluti per sententiam neque absentes.
4. Non infantes & furiosi.
5. De servis suis.

1. Sicut non omnes accusare possunt, ita nec omnes accusari. Non in primis mortui, l. *Ex judi-*



judiciorum 20. hoc tit. l. fin D. Ad Leg. lul. Majest. Non Legati Imperatoris aut Provincialis, non Magistratus populi Rom. & qui Reipubl. causa abfunt, l. Hos accusare 12. D. eod. Idemque dicendum de aliis, qui in honorem ministeriove publico sunt: qui quidem recte postulantur rei, sed eorum differtur accusatio, & cautione iudicio sistendi causa promittitur in finem honoris, l. Si adulterium 38. in fin. D. ad leg. lul. de adult.

2. Tertiò, semel absoluti per sententiam iterum accusari non possunt, de quo jam antè dictum.

3. Quartò, non etiam absentes, multoque minus damnati, l. Absentem 6. Cod. hoc t. l. Absentem 5. D. de pœnis: sed tantum annotatio fit bonorum, & post annum publicatio, d. l. Absentem l. 1. & 2. Cod. de requir. reis; quamvis procuratorem habeant, l. penult. §. 1. D. de publ. iudiciis, c. Veniens 15. hoc t. c. Tua §. sup. de procurat. can. Absens vero 11. q. 9. quia Judex ex rei præsentia, vultu aspectu, qualitate personæ, constantia, trepidatione, ex oculorum sermonisque indicis in criminis cognitionem deducitur, ut Canis ait lib. 4. tit. 10. §. Qui vero accusari, arg. lib. 2. §. 3. D. de testib. l. De more 10. §. tormenta D. de questionib. Idque verum est, si crimen tale sit, ex quo pœna corporalis, vel in metallum, aut similis infligenda venit, d. l. Absente D. de pœnis & d. c. Peniens, ubi pœna similis est capitali. Excepto tamē eriminetur Majestatis, ut in Extravag. Henr. xii. Quomodo in l. a. Majestatis &c. Cæteròquin si pecuniariam pœnam, aut quæ æstimationem contingit, crimen mereatur, poterit ea in absentem, si sæpius admonitus per contumaciam abfuit, statui, & usque ad relegationem procedi, d. l. Absentem D. de pœnis. Planè hodie in Gallia & alibi, & in foris Ecclesiasticis bonorum annotationi locum non esse, posseque absentes contumaces damnari, etiam ad mortem, eorumque bona addici fisco, notat Gothof. ad d. l. Absentem Cod. hoc tit. post Julium Clar. qu. 44. n. 3. & 4.

4. Quintò, non infantes & furiosi, l. infans 12. D. Ad Leg. Corn. De scar. l. Divus 14. D. de officio Prasf. Minores verò xxv. annis tunc rectè accusantur, si puberes aut pubertati proximi deliquerint, quippe capaces jam doli, lib. Pupillum 111. D. De R. I. quanquam interdum miseratione ætatis movere possit Judicem ad mitigandam pœnam, l. Auxilium 37. D. de minorib.

5. Omnibus verò legibus servi fiunt & postulantur rei; excepta pœnâ pecuniaria vel capitis, id est amissionis Civitatis, quæ servo non competit, d. l. Hos accusare 12. §. omnibus 4. D. h. t. Ex civilibus causis eorum domini noxaliter conveniuntur, l. penult. & ult. Cod. de noxalibus actionibus. Ita hæc tradit Canis. d. loco §. Omnibus autem.

## §. IV.

## De Inquisitione.

1. Inquisitio quid sit.
2. Hanc instituit Iudex publicæ famæ instigator.
3. Eaque præcedere debet inquisitionem.
4. De eadem constare debet ex actis & informatione.
5. Nec sufficit, si duo pluresve jurati adfirmant, quem commississe crimen.
6. Inquisitio vel generaliter fit vel specialiter.
7. Generalis inquisitio permessa est Judici de quolibet delicto.
8. In speciali inquisitione qua edenda, & quo modo procedendum.
9. Interest an per inquisitionem probatum sit crimen, an per accusationem.
10. Ad inquisitionem necessaria est citatio offensis & consanguineorum.
11. Denique à Judice competente fieri debet.

1. Inquisitio est alicujus criminis manifesti per Judicem competentem canonicè facta investigatio. Idque ita à Jure receptum est, ne deficiente accusatore delicta manerent impunita cum gravissimo Reipublicæ detrimento, nempe ut Præsidiis, Officiali alicujus provincie aut civitatis seu Judici ex officio suo liceat nocentes, veluti fores, latrones, sacrilegos, homicidas, & alios, conquirere, & prout quisque deliquerit, in eum animadvertere, sicque provinciam aut civitatem, cui præest, malis hominibus purgare, l. Congruit 13. D. de officio Prasf. Novell. 128. De collatoribus §. jubemus.

2. Quam tamen inquisitionem Judex non aliter instituet, quam si famâ publica & rumore vulgi non temerario ad hoc permotus fuerit, c. Cum oporteat 10. c. Inquisitionu 21. §. Tertia dubitationis, c. Qualiter 24. h. t. ne temerè in aliquem, & cum periculo alienæ existimationis grassetur,

K k k 2



tur, arg. l. Prator 7. in princ. D. de iniuriis. Deq; occisus criminibus prohibita est inquisitio, d. d. capit. Cum oporteat: & propterea in primis constare oportet de delicto commisso, saltem in genere, verb. grat. quod reperitur, homo occisus, furtum factum, vel rapina, vel aliud simile, nesciaturque à quo: & de isto Iudex ante omnia se informare debet, & curare describi in actis qualitatē delicti, Maranta 6. p. princ. n. 17. & 18.

3. Secundò, contra infamatum de crimine aliquo inquiri non debet nisi fama publica vel clamorosa insinuatio præcesserit, ut loquitur Pont. in d. c. Inquisitionis §. tertio, & d. c. Qualiter & quando in fine hoc tit. quia hæc est loco denuntiatoris vel accusatoris, d. c. Qualiter circa princ. plenè Felin. in c. Licer 14. h. o. r. 4. Et de tali fama, proveniente non à malevolis & maledicis, sed à viris providis & honestis, constare etiam debet exactis & ex ipsa informatione, alias inquisitio impugnari possit, d. c. Qualiter. Ideoque licet Iudicis ab aliquibus clam portigatur libellus infamationis, quo quis gravis aliquis criminis accusetur, non tamen ad inquisitionem procedi debet, nisi de eo quoque fama accusati sit læsa, ne inde nascantur iniuriæ, unde jura nasci debent, iudici que vilescat auctoritas, d. c. Inquisitionis, & d. c. Qualiter.

5. Quod adeo verū est, ut non sufficiat quoque ad inquisitionem specialem instituendam, quod duo pluresve etiam juratò affirmant aliquem crimen aliquod, se videntibus, commississe, de quo non labore infamia aliqua seu clamorosa non præcesserit insinuatio, d. c. Inquisitionis §. tertio: quia alias adhuc occultares est, minimeque per publicam inquisitionem prodenda, sed requiritur, ut rumor de eo sit sparsus per maiorem partem vicinæ, collegii, vel universitatis, in qua moratur.

Hinc etiam reus reus est adversus inquirentem excipit de fama delicti publica, quod ea non sit respectus, Gloss. ad c. 1. V. fuerunt hoc tit. in 6. vel quod non nisi à malevolis & inimicis promanarit. Alloqui omitta hac exceptione, sustinebitur adversus reum inquisitio, quasi huic exceptioni tacitè reamiantem, c. 1. & 2. eod. in 6. Imò nec subditi tenentur patefacere auctorem, etiam sub juramento rogati, si is nulla labore infamia, nihilque mali in posterum cimeatur, Less. 2. De Infit. c. 3. Dubit. 6. ubi latius vide.

Excipitur tamen à supradictis crimen patrefactum ex generali inquisitione, item commissum vel confessum in iudicio: quodque suspicionem communi laborat, vel est contra bonum publicum, aut infectivum. Zyp. h. t. n. 4. Excipiuntur item crimina, læsa majestatis divinx atque humanæ, falsæ monete, latrocinii, in quibus etiam ex sola confessione socii in socium inquitur, l. Quisquis §. 9. Cod. Ad l. Iul. majest. l. 1. Cod. de falsa moneta, l. Divus 6. D. de castitatis reorum, l. 9. Cod. de feris. Idque obtinet, dum inquisitio contra certam personam, puta Mavium, Titium, vel alium instituitur. Can. d. l. c. f. qua certè obtinent.

6. Fit verò inquisitio generaliter, quando de delicto quidem constat, non tamen de delinquente. Et hæc potest fieri absque fama præcedente, Abbas in c. Perniciosa sup. De officio Iud. Ordinaris. Specialiter autem fit, quando de utroque constat, vel ex fama publica, a personis idoneis & fide dignis cum circumstantiis ad Iudicem delata, d. c. Inquisitionis §. Tertio vers. ad hoc, & d. c. Quando 4. vers. sic. Ad corrigendos: vel ex denuntiatione, facta à parte offensa vel ab extraneo, sive ex necessitate officii, sive metu proprio. Nam alias inquisitio specialis regulariter prohibita est, tanquam regulis Juris contraria, cum nemo sine accusatore damnandus sit, l. Rescriptum 6. §. si quis D. de muner. & honorib. Glossa & DD. in l. Ex lege §. si publico D. de adulteriis. Unde & Christus Ioan. 8. dixit Mulier, ubi sunt, quæ te accusant, nemo te condemnavit? & respondente muliere, Nemo Domine, respondit, Nec ego te condemno, deficiente scilicet accusatore. Et cum sciret suam furem esse, tamen quia non erat accusatus, ideo non fuit ejectus, can. Nihil contra 2. q. 1.

Si tamen inquisitio fiat, non ad effectum puniendi, sed corrigendi & pro salute animæ, ut dum Episcopus visitat Ecclesiam, dum se informat de vita & moribus, eligendi, conferendi, promovendi ad Ordines, tunc quia ex officio inquit, fama aliqua præcedat necesse non est. Abbas in d. c. Perniciosa sup. de officio Ordinaris. latè Maranta 6. p. n. 32. Sicut & quando Iudex inquit de mandato Principis, assertivè dicentis in sua commissione, constare sibi de crimine, seu quod fama devenit ad aures suas. Alias si commissio facta sit simpliciter, tacitam habere conditionem, modo scilicet



et præcedat fama, Maranta *d. loco n. 25.*

7. Generalis inquisitio est præparatio ad specialem: nec prohibetur Judex generaliter inquirere de quolibet delicto, ut ad specialem inquisitionem deveniat, l. 1. §. qui questionem D. de questionibus junctis, l. Congruit D. de officio Praef. Innoc. ad e. Bona 23. nu. 5. sup. de elect. & ubi generalis præcessit, deveniri potest ad specialem, sine alia probatione famæ, nempe quando per generalem reperit Judex sufficientia & urgentia indicia, Maranta *d. 6 p. n. 30. & duobus seqq.*

8. In inquisitione verò speciali de jure Canonico debent ei, contra quem instituitur, edi capitula, de quibus fuerit inquirendum, cap. 1. eod. m. 6. & quidem specialia, quæ scilicet continent omnes & singulas circumstantias delicti, commissi tali loco, anno, mense, cum tali persona adversus talem. & sic de aliis, secundum formam l. Libellorum 3. D. de accusat. ut reus facultatem habeat defendendi se, c. Qualiter 24. cap. Debet igitur hoc tit. Maranta *d. loco num. 35.*

9. Aliud dicendum, si inquisitio fiat de crimine læsæ majestatis, sive divinæ, ut de hæresi ac blasphemia, sive humanæ, in quibus summariè & de plano proceditur, Maranta *d. loco n. 36.* Imò non solum dicta, sed etiam nominationes sunt publicanda, nec non exceptiones & replicationes legitimæ admittendæ, d. §. Debet igitur, ubi vide, qualiter Prælati procedere debeant in inquisitione faciendâ contra subditos: item quo pacto institui ea debeant contra ipsos Prælatos, si delinquant. Requiritur enim talis diffamatio in Prælato, qui diutius sine scandalo dissimulari non possit, vel sine periculo tolerari. De juramento verò, quod inquisitores exigunt ab inquisitis, vide in d. §. Qualiter 27. hoc t.

Cæterum refert Zyp *hoc tit. n. 4.* in concordiis Brabantiar. §. De crimine concubinitus c. §. de crimine adulteris, disertè cautum esse, ne cognoscatur Ecclesiasticus nisi de notorio concubinato & adulterio, & ut testes Synodales non denuntient, nisi adulteros notorios: ne scilicet Promotores spe lucri statim ad accusandum prosiliant, ubi vel rumusculum aliquem inaudierint. Et num. 2. tradit art. 54 L. introit. Brab. ordinatum fuisse, ne Officiarii quæquam boni nominis & famæ apprehendant, nisi prius plenam habuerint informatio-

nem suspicionum, commissorum criminum, ob quæ apprehendere velint: & ut neque è domo abducere, neque inquisitionem in domo instituere valeant aliter, quam de jure & antiquo locorum usu liceat, salvo jure ampliori civitatum Antwerp. Lovan. & Silvæduc. addit. 2. art. 10. dicti introitus.

9. Multum autem refert, an delictum aliquod probatum fuerit per inquisitionem, an verò per accusationem: quia per accusationem prodito & probato crimine, tenetur Judex pœnam à lege statutam infligere: eo vero patefacto per inquisitionem, licet certam pœnam crimini lex præscripserit, tamen Judex eam moderari pro suo arbitratu poterit, secundum personæ meritum, & delicti qualitatem, d. c. Inquisitionis 21. in princ. nisi crimen sit ejusmodi, quod executionem impediat Ordinis, aut delinquentem beneficio indignum reddat, veluti si quis per inquisitionem probatus fuerit simoniacus: nam istis duobus casibus nullum Judicis est arbitrium; sed prior sit depositio perinde atque in accusatione, & in secundo sit privatio: nec potest Judex has pœnas moderari, d. c. Inquisitionis.

10. Insuper requiritur ad inquisitionem citatio offensis & consanguineorum proximorum; quibus à jure permittitur prosequi suam suorumve injuriam, ut declarent, an accusationem instituere velint. Nam comparente accusatore de jure civili cessat inquisitio, tamquam remedium extraordinarium, l. In provinciali 3. D. de novi operis nuntiis. ita ut coram alio quoque Judice institui possit accusatio, impediatque inquisitionem coram alio cœptam. Exceptis casibus, quibus inquisitio permittitur de jure, ut in crimine læsæ Majestatis, & aliis, traditis per Gloss. in l. Ex lege §. si publico D. de adulter. vel statuto, quia cum tunc sit remedium perinde ordinarium atque accusatio, non tollitur per supervenientem accusationem: atque jure Canonico inquisitio remedium est ordinarium. Excipitur & is casus, quo inquisitus data opera affectaret & procuraret accusationem coram alio Judice, ad impediendam executionem, aut offensus à Judice rogatus ante cœptam inquisitionem, an velit accusare, responderit nolle. Videatur de his & similibus aliis Maranta *d. p. 6. à num. 38 usque ad num. 49.*

11. Deniq; si inquisitio debet, à Judice competente

Kkk 3



petente, aliàs non valet; & in casibus à Jure permissis, prout de Jure Canonico contra usurarium permittitur in *c. Cum in diocesi* 15. *inf. de usuris*, Maranta d. loc. n. 106.

## §. V.

## De Denuntiatione.

1. 2. 3. Denuntiatio alia Civilis, alia Evangelica, alia Canonica.

4. Denuntiatio Canonica ab accusatione in quibus differat.

5. Ea duplex est generalis & specialis.

1. Denuntiatio est triplex, Civilis seu Judicialis, Evangelica & Canonica. Civilis, quæ à Jure Civili introducta est; veluti quæ fit per ministros publicos (quos & stationarios ab officio vocant) ad hoc constitutos, ut delicta admissa denuntient Magistratibus, eorumque auctores prodant, quatenus in eos fiat inquisitio, l. *Ea quidem* 7. *juncta l. seq. & l. Singul.* 14. *Cod. de accusat. l. Divus* 6. *D. de custod. & exhib. reorum*: ad publicam scilicet vindictam; ideoque dicitur publica, ut distinguatur à privata, quæ fit ad privatum interesse & commodum: ut si filius vel servus opprimatur indebitè à patre vel domino, aut quilibet alius à potentiore, præsertim miserabilis persona, possunt tales hoc denuntiare in judicio, ut per Judicem releventur, Maranta *s. p. Tit. De denuntiatione*, quem vide, ut & Abbatem in *c. Novis* 13. *col. 17. sup. de judiciis*. Quod si minister publicus perperam aliquem detulerit, non tamen punietur propterea, nisi per injuriam detulisse deprehendatur, quia officii necessitas eum excusat à calumnia. Videatur Prosper Farinacius in *Criminali* qu. 16. num. 15. *cum seq.* Ad hanc autem denuntiationem non admittitur privatus, cum possit, si velit, accusationem instituere, l. *fin Cod. d. Tit. can. Quisquis* 11. qu. 8.

2. Denuntiatio Evangelica est, quæ ex lege Evangelica est introducta, *Matth* 18. & *Lucas* 17. In ea hic ordo servatur, ut delinquens primum corripitur privatum deinde, si correptioni non paruerit, iterum moneatur, adhibito uno vel duobus testibus, & dum demum, si contumax persistit, denuntietur Ecclesiæ, *c. Novis* 13. *sup. de judiciis*, *c. Licet Helix* 1. *inf. de Simonia*, *cum. Si peccaveris* 11. qu. 1. atque ita eam sem-

per præcedere debet bina monitio, etiam in notoriis, nec procederet alias, Maranta d. loc. n. 5. quem plenius vide, & Weyns. in *Analysi ad. Qualiter* 24. h. 2.

3. Denuntiatio Canonica, de qua hic agimus, est alicujus criminis apud Judicem abique inscriptione legitime facta delatio, potissimum ad emendationem rei. Colligitur *ex c. 2. 3. & alia hoc tit.* Ab ea, sicut & ab accusatione, repelluntur infames, inimici excommunicati, *c. Cum oporteat* 19. & *seq. hoc tit.* Et quemadmodum Monachus Abbatum suum delinquentem accusare, ita & denuntiare potest, sumptibus ipsius Monasterii: siquidem prodita est hæc denuntiatio contra Ecclesiarum & Monasteriorum Prælatos, ut eorum excessus à subditis, Clericis vel Monachis, si monitioni non acquieverint, deferantur ad Superiorem suum, *d. c. 2. 3. & c. Cum dilectus* 20. *h. 1. c. 3. inf. de calumniatoribus*, quia illorum interest bonum habere Prælaturum, *argum. canon. Anaster* VIII. *quast. 1.*

4. Convenit hæc denuntiatio cum accusatione, quod utraque fiat coram iudice. Differt verò ab eadem; primò in modo instituendi: nam ad accusationem necessaria est inscriptio, non ad denuntiationem nec denuntians facit se partem, sicut accusator. Secundò fine, quia accusatio fit principaliter ad pœnam & vindictam publicam, ut scilicet delictum puniatur: denuntiatio verò fit ad emendationem & correctionem vitæ, atque ob eam causam non est opus inscriptione, sed amica & charitativa præmonitione: qua non obstante si in eodem perseveret crimine, tunc demum nuntiari & delicti Judici Ecclesiastico debet: aliàs à denuntiatione repellitur is, qui non præmonuit, *d. c. 2. hoc tit.* Et in hoc rursus distinguitur ab accusatione, quam fama publica præcedere debet: nec sufficit infamia ad condemnandum, nisi probetur, *l. Inquisitione* 21. *§. fin & c. Accedens* 23. h. 1. Quamquam hæc inducat infamato necessitatem purgationis, in qua si deficiat, puni ut, ut convictus, *soto Tit. de purgat. Canonica*.

3. Denuntiationem Canonica dividit Maranta in Specialem & Generalem: ut specialis sit, quæ per eum fit, cujus interest habere bonum Prælaturum, vel administratorem, vel subditum, ut scilicet primò monitus bis, si sit in-



corrigibilis, removeatur ab officio & beneficio, *c. Custas Ecclesie sup. De officio Custodis, c. Licet He- li inf. De Simonia*. Ut verò generalis sit, quando agitur de matrimonio dissolvendo, & de ejus impedimentis: permittitur enim est cuilibet im- pedimentum Canonicum, si quod subsit inter contrahentes, veluti consanguinitatis, vel simi- le, denuntiare Judici Ecclesiastico, *c. Tu nos 7. juncta Glof. ibid. sup. De cognat. spirituali, can. 1. xxxv q. 6*. Et de hac loquitur textus in *c. Ad dissolvendum 13 sup. De desponsat. impub. c. Cum inhibitis 3. sup. De clandest. desponsat.*

## §. VI.

De aliis modis procedendi in criminali- bus.

1. Modus procedendi in criminalibus per excep- tionem.
2. Item sine ordine vel per notorium.
3. Notorium crimen quod d'catur.
4. Modus procedendi per implorationem officii judicis.
5. Nemo absens condemnandus.
- 6, 7, 8, 9. Ordo procedendi in criminali judicio.
10. De executione sententia in criminalibus.

**M**odis instituendi judicii criminalis addunt & istos, per exceptionem, sine ordine sive per notorium, per implorationem officii Judi- cis.

1. Per exceptionem obicitur crimen, vel nudè ad defensionem, accusatoribus vel testi- bus, ut ab accusatione vel ferendo testimonio repellantur, *c. 1. sup. De exceptionib.* Unde neces- saria hic inscriptio non est, nec punitur exci- piens, si crimen objectum non probaverit, quia, cum ad sui defensionem dumtaxat illud ob- jiciat, nemini facit injuriam, *l. Injuriarum §. 1. D. De injuriis*: nisi fortè crimen principali causæ cohareat, ut in *c. Super his 16. hoc tit.* Vel per exceptionem opponitur crimen, ut quis ab officio vel beneficio, quod affectat, repella- tur: & hoc quoque casu non est necessaria in- scriptio.

2. Sine ordine vel per notorium proceditur, quando crimen est notorium & evidens: nam tunc nec testis nec accusator est necessarius, nullaque alia probatione neque ullo opus est judicio ordine, quia, ut Pont. ait, evidenti

patrati sceleris non indiget clamore accusatoris, *c. 4. h. t.*

3. Dicitur autem hic notorium crimen, quod nulla tergiversatione celari aut regi potest, quip- pe patratum coram populo, vel majori ejus par- te, *can. De manifesta 17. 11. q. 1. c. Tua 8. sup. De co- habitat. Clericorum, c. penult. inf. De purgat. Ca- nonica Jul. Clar. in Pract. crim. §. fin. q. 9.* licet al- lias latius pateat notorium, ut in *c. ult. sup. De co- habitat. Clericis*. Non aliter tamen coërebitur si- ne ordine crimen, quàm si Judici circumstantiæ ipsius delicti plenè, perfectè cognitæque sint. Neque enim sufficit, scribente. Canis. in *Summa lib. 4. Tit. 19. §. ult.* Titium v. g. publicè omnibus spectantibus hominem occidisse, ut in eum pœ- na Legis Corneliæ animadverti possit; sed ne- cesse est scire, an ne defendendi sui causa aut alia ratione motus hominem occiderit, ob quam pœna vel omninò remittenda sit, vel mitiganda, *l. Aut facta 16. D. De pœnis cap. Sicut dignum 6. in princ. inf. De homicidio, Jul. Clar. d. q. 9.* Et hinc Titio tantisper danda dilatio est, donec excep- tiones suas proposuerit & probaverit: nisi fortè criminis qualitas aliud postulet, ut ad condem- nandum & puniendum properari debet, per tex- tum in *l. Si quis filio §. 6. h. autem omnes, D. De injusto, rupto testam. c. Quoniam 10. sup. De filiis presbyt.* Vide Ant. Gomel. var. resolut. Tomo 3. cap. 1. n. 43.

4. Quantum ad modum attinet procedendi per implorationem officii Judicis, quod duplex sit ejus officium, & qualiter hoc modo procedatur, & an litis contestatio necessaria sit, vel alia judi- cia solennia, partim jam antè diximus, ad *Tit. De officio lud. Ordinarii*, & videre de his licet Bart. & DD. ad *l. 1. D. De jurisd. om. lud. Glof. & Ca- nonistas in c. ludicis officium sup. De officio lud.*

5. Illud postremò & generaliter hic obser- vandum, ut nemo absens judicetur, nisi ex con- tumacia fuerit absens, legibus cum divinis tum humanis id vetantibus, *l. Absentem c. C. De ac- cusat. l. Absentem c. D. De pœnis, can. Accusatores in fine 11. q. 8 & alius, \** 6. Quodque in crimi- nali quoque judicio servandus sit ordo juris, & procedi debeat per litis contestationem, per exceptiones, probationes, & c. ad instar civilis, *c. ult. inf. De purgat. Can. l. 2. c. De exhib. reis, l. Qui accusare C. De edendo*. Eo primum exce- pto, quòd in criminalibus non sit opus apta libelli



libelli conclusionē, imō ne conclusionē quidem ad certam poenam, quia ea jure comprehensa est. Idque tantum operatur in criminali iudicio, quantum petitio agentis in civili. Et cum jure comprehensa sit; suppleri à Judice potest, qui etiam ob eandem rationem aliter condemnare potest; quā petitum sit. Wefenb. *ad Tit. D. De accusat. sub num. 12.*

7. Secundō, eo quoque excepto, quod hic probationes requirantur evidentiores & luculentiores, *l. fin. Cod. De probat.* aded ut præsumptiones non sufficiant ad condemnandum, *d. l. Absentem D. De pœnis c. Litteras 14. sup. De præsumpt.* sed tantum ad absolvendum, *Glos in Clement. unica ad V. non volens De homic. præterquam in delictis*, quæ non nisi per conjecturas & præsumptiones probari possunt, *l. Non omnes 5. §. à barbaris D. De re militari, c. Afferte 1. c. Litteras 12. sup. De præsumpt.*

8. Tertiō, quod reo defensio permittenda sit, quam vis appareat, justam non subesse, etiam post conclusionem in causa, imō & post sententiam. Quia & si prætermiserit eam reus, potest Judex adsumere personam rei, deque innocentia ejus quærere, *l. Si non defendantur D. De pœnis, l. 1. in fine D. De quaestionib.* sicuti è diverso, desistente aut impedito accusatore, ex officio accusationem prosequi inchoatam. Imō suat, qui velint, etiam nocentissimum damnari non posse, nisi termino defensionis aut omnia concessio & assignato. Ita latè Wefenb. *d. loco.*

9. Quartō, excipiuntur leviora crimina: item læsæ majestatis & hæresis; in quibus de plano proceditur & cognoscitur, *juxta text. & ibi latius DD. in l. Levis 6. D. h. tit. cap. fin. De hæret. in 6.* In quibus proinde sufficit talis qualis petitio: nec inepta conclusio nocebit, quia quod de necessitate non requiritur, id si inepte interveniat, non vitiat actum. Wefenb. *d. loco in fine.*

10. Denique legitime convicto reo; vel idoneis testibus, vel apertissimis documentis, vel iudiciis indubitatis ac luce clarioribus, *d. l. fin. Cod. De probat. juncta l. Qui sententiam 16. Cod. De pœnis*, vel propria confessione, *d. l. Qui sententiam, l. Servos 8. Cod. Ad l. iul. de vi publicis, l. 5. D. de eisdem reorum, juncta l. 1. D. de quaestionibus, cap. 1. cum multis seqq. II. quaest. 1.* Quam & a reo, argumentis evidentioribus & indi-

ciis certis oppresso, extorquere Judex potest, quaestionibus adhibitis, *l. Milites 8. §. 1. Cod. De quaestionib. l. Unum 18. §. 1. & 2. D. eod. Jul. Clar. in Pract. crim. q. 64. & ibid. Bajard.* ) mox sententia in eum ferenda est, & executioni mandanda, *l. Cum reus 18. Cod. de pœnis* Interjecto tamen illius temporis spatio, quod ad appellandum conceditur, *l. Adiectos 29. & ibi Bart. Cod. De appellat. l. unica D. Nihil novari appellat. interpositis*, aut suspensa sententia per triginta dies, si ipse Princeps vindicari in aliquem severius, contra consuetudinem suam, pro causæ iunctura & qualitate, jussit, *l. Si vindicari 20. Cod. de pœnis*; aut si mulier prægnans condemnata fuerit, nam & hujus suspenditur pœna, quoad pariat: cum nec quaestio de ea haberi possit, quamdiu prægnans est, *l. Prægnans 3. D. de pœnis.*

Non impleta aut derelicta accusatione, reus absolvitur, & accusator poenam talionis, aut alias incurrit. Quibus autem modis non impleatur, tradit Wefenb. *d. loco n. 16.*

## TITULUS II.

### De Calumniatoribus,

1. Quid sit Calumnia, & quis Calumniator.

2. 3. Quis Prævaricator & Tergiversator.

1. CUM Reipublicæ expediat, non minus dare operam, ne quis calumniis & falsis criminibus operetur, quam ne crimina moneant impunita, ided circa iudiciorum criminalium ingressum videndum quoque fuit de calumniatoribus Accusatorum & denuntiatorum temeritas malitiaeque tripliciter deprehenditur seu triplex est: vel enim calumniantur, vel prævaricantur, vel tergiversantur.

Calumniari est falsum crimen scienter & dolo malo intendere, *l. 1. §. 1. D. Ad SC. Turpil. l. Athletas §. calumniator D. de his qui not. infamia.* Unde Calumniator dicitur, qui falsum crimen scienter & dolo malo intendit seu proponit. Talisque præsumitur eo ipso, quo crimen intentatum non probavit, *§. 2. & ibi Ab-*



bas h. t. can. Qui non probaverit 11 q. 3. Nam cum alium ad iudicium provocans paratas habere probationes suas debeat l. Qui accusare Cod. de adu. do. merito. si defecerit in probatione, videtur sine causa, id est calumniosè litem movisse.

Quia tamen non protinus is, qui non probat, quod intendit, calumniari videtur, ideo ejus rei inquisitio arbitrio cognoscentis committitur, qui reo absoluto, priusquam sententiam ferat, de accusatoris consilio quæret, quâ mente ductus ad accusationem processerit. Et quidè si iusto errore aut aliâ iusta causâ, quæ a dolo excuset, motum repererit, eum absolvet; si verò in evidenti calumnia eum deprehenderit, legitimam pœnam (quæ in publicis iudiciis hodie est pœna talionis, ut quod alii malitiosè molitus fuit, ipse luat, l. fin. Cod. hoc tit. in privatis extraordinaria, pro qualitate admissi criminis, l. 3. D. Ad SC. Turpil.) ei irrogabit, d. l. 1. §. Sed non utique 3. can. Quisquis l. q. 8. & similibus.

Quod si fortè non possit eadem pœna affici, qua accusatus probato crimine multandus fuisset, punietur in supplementum alio modò. Et ideo si Subdiaconus Diaconum vel alterius ordinis majorem calumnie accuserit, privabitur officio & verberibus publicè castigatus in exilium mittetur, c. 1. h. t.

Tametsi autem denuntians ad inscriptionem non reocatur tamen si persona Ecclesiastica superiri denunciaverit crimen aliquod, non probatum sufficienter, indicanda erit ei purgatio Canonica, & interim, donec innocentiam suam purgat, nempe quod non calumniandi animo ad delationem criminis processerit, ab officio & beneficio suspendendus erit, ut ceteri simili pœna perterriti ad infamiam vel aliorum vel suorum maxime Prælatorum, facili non profligant, c. ult. & ibi Abb. h. t.

2. Prævaricator est vera crimina abscondere, & falsa detegere, l. 1. in princ. D. Ad SC. Turpil. & Prævaricator dicitur quasi varicator, inquit Ulpianus, qui diversam partem adjuvat prodita causa sua, d. l. 1. aut qui vera crimina abscondit, coludique cum reo, falsas probationes admittendo, & veras dissimulando, ita ut ex utraque parte consistat, quin imò & ex altera, cui se adversarium simulavit. Punitor autem prævaricator iudicio arbitrario, Abbas in d. c. 1.

3. Tergiversari est in universum ab accusatione desistere, d. l. 1. D. Ad SC. Turpil. Quod utriusque accusatione semel instituta non licet, citra abolitionem, qua reorum numero reus eximitur & accusationis memoria aboletur, l. Si interveniente 12. D. eod.

4. Est autem abolitio duplex: alia generalis, quæ est absolutio ab omni accusatione, quam solus Princeps indulgere potest: alia specialis, quæ una tantum accusatio perimitur & extinguitur. Et hæc fit quatuor modis, primò per Principem, uti generalis; secundò per mortem accusantis vel accusi; tertio per bionii lapsum, sine culpa accusatoris. l. Abolitio Cod. de abolitionib. quæ tò per postulationem accusatoris, si eam à Judice postulaverit. Vide Hostien. in Summa hoc tit.

## TITULUS III.

## De Simonia, &amp; ne aliquid pro spiritualibus exigatur vel promittatur.

## §. I.

## De crimine seu delictis in genere.

1. Delictum, Peccatum & Crimen hic promiscue sumi, & quæ sit
2. Delictorum alia Deum principaliter, alia proximum laedunt.
3. Item alia sunt merè Ecclesiastica, alia merè secularia, alia mixta.

**E**Xpediit primo capite hujus libri de iudicio criminali apud Judicem Ecclesiasticum, nempe de Accusationibus, Inquisitionibus & Denuntiationibus, & earum occasione de calumniatoribus: sequitur alterum de generibus criminum, ob quæ iudicium criminale instituitur.

1. Omisâ autem quorundam distinctione, majoris studii quam fructus, inter Delictum, Peccatum & Crimen, quasi Peccatum perpe-



trando & committendo. Crimen sceleris atrocitate, Delictum verò omitendo contrahatur, quandoquidem promiscuè usurpari possunt & usurpentur à Justit. in l. 1. *Cod. Si adversus delictum* &c. nos quoque promiscuè usurpabimus hoc loco: ita tamen, ut licet Peccatum seu Delictum in genere nihil aliud sit, quam actus humanus malus, ut docet Covar. in *Clement. Si furiosus* p. 2. in princ. n. 1. in fin. pressius tamen hic illud accipiamus, ubi agimus de delictis in ordine ad pœnas humanas, nempe pro actu humano malo, qui accusatione & coëccitatione à Jure seu Judice humano dignus sit, sive dolo malo fiat, sive culpa, etiam levissima, admittatur. Dico, pro actu humano; ut indicem debere illud esse voluntarium, sive directè, sive indirectè, sive interpretativè, prout etiam constat ex Gratiano xv. q. 1. in princ. & Covar. d. loco. Dico, qui accusatione &c. ut indicem delictum ex te ipso oriri, id est ex ipso maleficio. l. 4. in princ. *D. de obligat. & act.* quia sola cogitatione conceptum à Jure non coercetur, l. *Cogitationis* 18. *D. de pœnis*; sed ultorem habet Deum, *can. fin. xxxii. q. 3.* Aliàs si voluntas seu actus interior in actum eruperit exteriorem, legi subiicitur humana; eaque puniendus venit, *l. is qui cum telo* *Cod. Ad L. Cornel. de sicar.* maxime ubi in actum exteriorem ita deductus est, ut per conantem non steterit, quò minus delictum fuerit consummatum, *can. Qui pejerare* *xxi. q. 5. & similibus.* potissimum in maleficiis, ubi principium & voluntas, non exitus spectatur, *juxta l. Quoniam multa* 6. *Cod. Ad L. lul. de vi publ. cum similib.* & generaliter in iis delictis, quæ faciliè in consequentiam trahuntur.

Omissa item delictorum ea divisione, quæ jure Civili dividuntur in Publica & Privata, & rursus Publica in Capitalia & non Capitalia, de qua *Instit. de publ. judiciis* l. 1. & 2. *D. eod.*

2. Jure Canonico ita commodè dividi possunt; Primò, quòd aut principaliter offendant divinam majestatem, ut Simonia, Hæresis, Schisma, Apostasia, Blasphemia, Sortilegium, de quibus etiam prius agendum erit; aut læsionem sive damnum adferant proximo, veluti homicidium, Furtum, Rapina, Ufura, Adulterium, Stuprum, Incestus, Rapus, Injuria, & similia, de quibus posterius agemus,

Secundò, quòd alia sint levia, alia gravia, graviora & gravissima, quorum differentiam malim arbitrio Judicis relinquere, quam hic tradere.

3. Tertiò, quòd alia sint merè Ecclesiastica seu fori Ecclesiastici, alia merè secularia, seu fori secularis, alia mixta seu mixti fori. Merè Ecclesiastica sunt, quorum cognitio Ecclesiastico Judici reservata est, licet per laicum commissa sint, ut crimen Hæresis, violatio voti Deofacti, aut alicujus præcepti Ecclesiæ violatio censura Ecclesiastica: sacrilegium in sacris commissum, & similia, de quibus Abbas & alii, in c. *Cum sit generalis* 8. *sup. de foro compet.* Merè secularia sunt ea, de quibus, si à laicis committantur, soli Judices seculares cognoscunt, ut Homicidium, Furtum, Rapina & similia. Mixta sunt, de quibus, si à laicis committantur, tam Ecclesiasticus quam secularis Judex potest cognoscere: cujusmodi sunt Adulterium, Sodomia, & alia, de quibus *Jul. Clar. in Pract. Crim. q. 37.*

## §. II.

### Simoniam quid sit.

1. 2. Simoniam unde dicta & definitio illius.

3. Pretium in Simonia triplex, muneris à manu, à lingua, ab obsequio.

4. Res spirituales qua hic dicantur.

5. Spirituali annexum quid sit.

Inter delicta, quæ divinam offendunt majestatem, gravissimum est Simonia: tum quia per illam homo rem, non suam, sed cujus tantum est dispensator, vendit, tum quia rem spirituales pretio æstimat, eoque pacto vilem facit: similis Judæ, quia Christi dona vendit. Tamque grave delictum censetur Simonia, ut ejus comparatione cetera omnia pro nihilo reputentur, *can. ult. 1. q. 7. & c. Per tuas* 32. *b. 1.*

1. Dicitur autem Simonia à Simone Mago sive magicæ disciplinæ perito, *can. penult. xlv. qu. 3.* quia is primus tempore novi Testamenti legitur hoc crimine se & quidem gravissimè polluisse, dum donum Dei seu gratiam Spiritus mercari voluit, ut *Act. 8. can. Qui studet* 1. *qu. 1. & can. Salvator* 1. *qu. 3.*

2. Definitur studiosa voluntas emendi vel vendendi pretio temporali aliquid spirituale vel spirituali annexum. Dicitur, studiosa voluntas



luntas, id est deliberata, ut excludantur morus voluntatis non plenè deliberati, Sumiturque hic voluntas pro ipso actu voluntatis, causa nimirum pro effectu.

Dicitur, emendi & vendendi, quibus verbis intelligitur omnis contractus onerosus, seu non gratuitus, sive sit emptio, sive permutatio, sive locatio; omnisque pactio, sive ea tacita sit, sive expressa.

Dicitur, pretio temporali: quia in hoc consistit ratio Simoniz, quod res spiritualis aut spirituali annexa aestimetur pretio temporali, vel aliqua re, quæ pretio sit aestimabilis. Et idem dicitur res spiritualis pro spirituali, aut etiam temporalis, verum non per modum pretii, sed per modum elemosinæ; nempe ut rem spiritualem administrans inde vivat, non erit Simonia. Imò talem consuetudinem, velut piam & laudabilem, probat Pont. & servari præcipit in *Ad Apostolicam* 42. b. t.

Nec obstat, *c. Non satis* 8. *c. Cum in Ecclesia* 9. *c. In tantum* 38. *c. Iacobus* 44. hoc tit. quia ibi solum improbat Pont. pravam consuetudinem, quæ inoleverat, ut aliquid temporale pro rebus ipsis spiritualibus detur vel accipiatur ex pacto: quantumvis sit in veterata, quia diuturnitas temporis non minuit peccatum, sed auget, *d. c. Non satis*: tantoque graviora sunt peccata, quanto diutius infelicem animam tenuerint, *d. cap. Cum Ecclesia*.

3. Pretium ex *can. Sunt nonnulli* 114. l. 1. q. 1. *can. Salvator* 1. q. 3. solet statui triplex, scilicet pretium muneris à manu, ut pecunia, (quo nomine intelligitur res omnis, quæ est in commercio nostro) vestis, equus, & similia vendi consueta: pretium linguæ sive muneris à lingua, ut laus, vituperatio, item patrocinium advocati, intercessio & commendatio apud Principem, modò ex pacto fiant & obligationem inducant: & idem Simoniam committit, qui pro humana gratia vel laude confert Ordines, *d. can. Sunt nonnulli*. Denique pretium est obsequii, sive muneris ab obsequio, ut ministerium aliquod in rebus temporalibus, quale est famuli, oeconomi. Vide Navar. in *Manuali* cap. 23. num. 102. & latè Suarez lib. 4. *De Statu Religionis qui est de Simonia* cap. 37. 38. 39. & 40.

4. Spirituale hic vocatur non omne aut so-

lum incorporale, sed quod aliquo modo est spirituale, sive sit aliquid reale, sive morale tantum, sive per modum actus, sive per modum habitus. Estque hæc materia Simoniz, quia cum natura sua sit tale, ut industria humana comparari nequeat, sed divino munere concedi gratis possit, & debeat, magna fuerit irreverentia, si pretio, sicut aliæ res humanæ, aestimetur. Ideoque non est Simonia, vendere doctrinam, vel notitiam cujusvis veritatis, naturali industria comparabilis, prout etiam constat ex *can. Non liceat* 11. qm. 3. Sunt autem res spirituales triplicis generis. Aliæ sunt tales secundum essentiam, ut gratia gratum faciens, virtutes infusæ, & dona Spiritus sancti, gratiæ gratis daræ, de quibus 1. *ad Corinth.* 12. & *ad Ephes.* 4. Huc pertinent character ac potestas ordinis & jurisdictionis Ecclesiæ. Aliæ sunt spirituales secundum causam, ut Sacramenta, quæ sunt causa gratiæ: quod referuntur Missæ, Sacrificium, & omnia Sacramentalia, oleum sacrum, chrisma, aqua benedicta, agnus Dei & similia. Aliæ denique secundum effectum, ut operationes & exercitia, quæ alicui spirituali & supernaturali dono conveniunt, ut prophetizare, facere miracula, administrare Sacramenta, dispensare, commutare vota, & similia.

5. Spirituali annexum est, quod cum aliquo spirituali connexionem habet. Quod tribus modis contingit, anteceder, concomitanter, & consequenter. Anteceder, & tunc consideratur ut causa illius cui annexum dicitur: cujusmodi sunt ea, quæ tamquam prævia & præsupposita per se ordinantur ad spiritualia à Christo instituta, ut vasa sacra, vestes sacra, calices, campanæ, benedictio templi, consecratio, & similia, quæ ad sacrificium Missæ referuntur. Simile est jus patronatus, quia præsupponitur præsentationi ad beneficia, & jus sepulture, quia per illud acquirit sepultus multa bona spiritualia; à Christo instituta. Concomitanter, ut labor & actio omnis quæ in functionibus spiritualibus sive ministerio Sacramentorum consistit. Ubi observandum, laborem illum esse duplicem, unum præcedentem & non necessarium nec intrinsecum administrationi, & proinde licet accipere pecuniam & eundem subiecto pretio, scilicet



secluso tamen scandalo, alterum intrinsecum administrationi; & in quo ipsa Sacramenti administratio consistit; qualis est, qui impenditur in celebrando, audiendo confessiones, & pro tali non licet accipere pretium. Consequenter, quod à spirituali dependet & consideratur ut effectus ratione suæ causæ; ejusmodi sunt beneficia Ecclesiastica, quia supponunt officium divinum, propter quod dantur. In istis tamen non committitur Simonia, nisi interveniat pactum tacitum vel expressum de dando pretio pro ejusmodi spiritualibus, secundum communem sententiam: ac proinde non est Simonia, si Sacerdos præstet ministeria sacra, etiam principaliter, ob lucrum temporale; si nullum pactum expressum vel tacitum interveniat. Similiter nec si detur alicui beneficium ob amorem humanum, ut quia sanguine vel amicitia junctus est, vel ob timorem, ne tibi noceat, modò non interveniat pactum Less 2. *De iust. cap. 35. Dubitat 1. Glar. De cianus in Tract. Crimin. To. 1. lib. 5. cap. 79. & 80.*

## §. III.

## Quotuplex sit Simonia.

1. Simonia alia est iuris divini, alia iuris humani.
2. Item alia Mentalis, alia Conventionalis, alia Realis.
3. Alia item Confidentia, qua species est conventionalis.

**D**Uobus potissimum modis dividi Simonia potest. Primò in Simoniam Juris divini & Simoniam Juris humani hve Ecclesiastici: nam licet nonnulli velint omnem Simoniam esse Juris divini, verius tamen est, aliquam esse Juris humani, ut præter Theologos communiter tradunt Canonistæ in e *Quasitum & in cap. Cum olim sup. De rer. permutat.* cā ratione, quòd sola Ecclesia possit sua lege efficere, ut res, quæ ex natura sua est vendibilis, secundum id, quod temporale est, non sit vendibilis quoad eandem partem, ob ordinem, quem habet, ad partem spiritualement, seu in reverentiam rei spiritualis, cui, connectitur, non addendo aliquam novam sanctitatem, vel consecrationem. Talis Simonia locum habet in venditione beneficiorum quoad partem temporalem, seu jus fructuum, quam partem Ecclesia sta-

tuit non vendibilem, ratione divini officii, à quo ex Ecclesiæ statuto dependet. Similiter in venditione quorundam officiorum minus spiritualium, *can. Salvator 1 q. 3. ut Sacerd. O. con. nomi Ecclesiæ, Advocati Ecclesiæ & similia*, quæ ex solo jure positivo annexa sunt spiritualibus. Præterea in permutatione beneficiorum Ecclesiasticorum, sine auctoritate superiorum facta, d. e. *Quasitum sup. de rer. permutat.* quia potuit Ecclesia illa facere non permutabilia, ob sanctitatem ministerii: quamquam talis permutatione generali solium ratione dicatur simoniaca, si non interveniat aliquid temporale, tamquam pretium rei spiritualis. Huic divisioni responderi illa Glossa. *solemnis, in c. Ex parte 13. sup. De offic. & potest. iud. deleg. & in c. Cum pridem 4. V. illicita permutationis sup. De pactis*, qua dicuntur quædam prohibita, quia simoniaca, quædam simoniaca, quia prohibita, Vide Gutierrez lib. 2. *Can. qu. c. 23.*

2. Secundò dividi potest in Mentalem, Conventionalem & Realem. Mentalis est internum propositum, quo quis, dum confert alteri spirituale, intendit eum obligare ad reddendum temporale, vel è contra, sine ullo pacto exteriori, expresso vel tacito: veluti si quis Episcopo det pecuniam, vel eidem serviat, cā intentione, ut pro illa pecunia aut obsequio in mercedem ei conferat beneficium, impleque Episcopus eidem beneficium contulerit, nullo tamen pacto, expresso vel tacito, interveniente.

Conventionalis est, quando tacite vel expresse intercessit pactum, extra tamen executionem, saltem utrumque factam. Et idè duobus modis fieri potest: Primò, si tantum sit inritum pactum, absque ulteriori progressu ad traditionem rei, ex alterutra parte; & hæc vocatur purè conventionalis. Secundò, si una pars dederit pretium, & altera nondum tradiderit rem spiritualement, vel contra; & hæc vocatur conventionalis mixta, quia constat partim reali, partim conventionali.

3. Hujus species est Simonia, quæ vocatur confidentia, qua quis pacifcitur cum eo, cui confert vel procurat beneficium eligendo, præsentando, postulando, resignando in favorem, instituendo, confirmando, commendando, vel alia ratione, ut is, qui beneficium accepturus est,



est illud ipsum sibi procuranti, vel alteri, putat fratri vel nepoti, cum fructibus vel eorum portione, cedat: adversus quam speciem exstat Constitutio Pii IV. an. 1564. & duplex Pii V. prior an. 1568. altera sequenti anno edita, & ad eandem Tract. insignem scripsit Flaminio Parisius.

Realis est, quando pactio ex utraque parte completa est, saltem inchoatè, ut si collatio beneficii facta sit, & pars pretii soluta.

## § IV.

## De pœnis Simoniacorum.

1. Mentalis Simonia non subicitur pœnis liris.
2. Vt neque conventionalis, præter confidentiam.
3. 4. Pœna Simoniaci in Ordine, cum conferentis, tum ordinati.
5. Ea an extendatur ad eos, qui pro prima tonsura aliquid acceperint.
6. Pœna Simoniaci in Religionis ingressu.
7. Collatio, institutio, admissio ad beneficia gratis fieri debet.
8. Imò neque pro pastu aut prandio aliquid exigendum.
9. Nec valet statutum, ut aliquid exigatur in prium usum.
10. 11. Pœna Simoniaci in beneficio, Excommunicatio, Inhabilitas.
12. Simonia in confirmatione vel institutione an irritet presentationem.
13. Casus, quibus quis non tenetur resignare beneficium simoniae obtentum.
14. Tenentur ad restitutionem & fiunt infames.
15. Pœna Simonia confidentialis.

1. Quod ad pœnas attinet Simonia, mentalis nullis pœnis à Jure coercetur, quia cogitationis pœnam nemo in foro exteriori patitur, sed sufficit eam expiari per pœnitentiam coram Deo, c. ult. h. t.

Nec obstat, quòd quidam dicant Capit. illud esse corruptum, cum & Glos antiquissima id citet, & etiamnum habeatur ac legatur in editione Gregoriana correctà.

Non obstat quoque, quòd usurarius mentalis teneatur ad restitutionem accepti, ex quo videri posset, idem dicendum de simoniaco

mentali: nam præterquam quòd restitutio in Simonia solum debeat ratione pœnæ, impositæ ab Ecclesia, Simoniacos inhabilitante, nec Ecclesia imponat istam pœnam in Simonia mentali, licet ex parte utriusque, & dantis recipientis, fuerit animus simoniacus, & eruperit in actum externum, intra limites tamen Simonia: dissimilis etiam ratio est: quia in usura fit injuria proximo, nam lucrum illud, quod dat, non let dare, sicque dat quodam modò in vitium: in Simonia autem mentali tantum fit injuria rei sacrae, non verò proximo, & ideo cessat restitutio. Vide quæ de hoc argumento dicemus inf. ad Tit. De usuris. Covar. lib. 3. var. resol. c. 1. n. 5. Gutierrez Can. Quæst. lib. 2. cap. 23.

2. Similiter quicquid sit de rigore Juris antiqui, quo videntur incutiri pœnæ Juris, adversus Simoniacos constitutæ, per Simoniam conventionalem, etiam neutra ex parte completa, Glos in c. Tuos 24. V. culpabiles h. t. & alii, quos videre licet apud Garz. De benef. § p. c. 1. an. 20. tamen verius est, nullam Simoniam conventionalem exceptà eà, quæ confidentia dicitur, ipso facto subici ullis pœnis Juris, saltem de stylo Curia Romanæ, ut tradunt Gutierrez l. 1. Can. quæst. c. 9. per tot. Navar. d. loco & Less. 2. De lure & lust. c. 35. Dubitat 27. Et probatur ex Extravag. Cum detestabile 2. h. t. ubi pœnæ non statuuntur nisi in eos, qui conventionem facta quomodolibet dando vel accipiendo Simoniam commiserint: nam inde constat, requiri actum completum, potissimum cum pœnæ sint restringendæ.

Sola igitur Simonia realis, præter eam, quæ dicitur confidentia, inducit pœnas Juris ipso facto: & quidem solum in Beneficiis, Religionis ingressu, & Ordine, ut docet Navar. d. c. 23. n. 114. Lessius d. loco.

3. Conferens itaque Ordinem simoniacè est excommunicatus, d. Extravag. Cum detestabile; & suspensus à collatione cujusvis Ordinis, etiam primæ tonsuræ; item ab executione omnium numerum Pontificalium; eidemque interdictus est ingressus Ecclesiæ: & si contra hanc suspensionem vel interdictum quid fecerit, suspensus erit ab administratione Ecclesiæ & à perceptione omnium fructuum, à nullo, præterquam à summo Pont. absolvendus, prout statuit Sixtus V. in Bulla edita in malè promoventes



morientes & promotos: quam tamen plerisque in locis ignorati, & proinde non esse usu receptam putat Lessius.

4. Qui simoniace Ordinem aliquem suscepit, excommunicatus est ipso facto, & suspensus ab executione omnium Ordinum, etiam ante suspensionem, *juxta communem intellectum d. Extravag. 2. h. t. Silvest. in Summa V. Simonia n. 7. Lessius d. loco Dubis. 24. nu. 135.* Quod si verò alius, te ignorante, pro tua ordinatione pecuniam dederit, ne quidem te fore suspensum ab ordine simoniace suscepto, quia id in Jure expressum non sit, tradit Less. *ibid.* post Navar. in *Manuali. c. 25. n. 68.* cum enim ipse nihil deliqueris, non est, cur tibi hæc pœna introgetur per solam iniquitatem alterius.

Cæterum Pius V. Constituit. *incip. Cum primum*, quam refert Piaf. *Praxis Episc. p. 2. c. 4. art. 7. n. 12.* suspensionem fecit temporariam, aliasque pœnas addidit: Quicumque, inquit, detestabile crimen Simoniacæ pravitatis commisisse convictus fuerit in consequendis Ordinibus, eo ipso sit ab illorum executione per decennium sine spe dispensationis suspensus, & per annum carceribus mancipetur. Et addit deinceps, eos, qui dignitates, beneficia aut officia Ecclesiastica simoniacè adepti fuerint, præter privationem, inhabilitatè ad obtenta & obtinenda, si crimen ejusmodi plures commisisse convicti fuerint, etiam corporaliter puniendos: qui verò in Sacramentorum exhibitione simoniacè aliquid fecerint, cum maxima severitate coercendos. Insuper idem Pont. saluberrimum decretum Conc. Trid. *Sess. 24. c. 14. De reformat.* circa ingressus vitiosos in beneficia, Constituit. *incip. Durum nimis prid. Kalend. Julii 1570.* extendit & gravibus pœnis locupletavit, quam refert Piaf. *sec. d. loco n. 15.*

5. Sed cum dixerimus, Simoniacum in ordine esse excommunicatum ipso jure, quæri hic posset, an ea pœna extendatur etiam ad eos, qui pro prima tonsura vel pro litteris dimissoriis vel testimonialibus aut pro sigillo aliquid simoniacè accipiunt. Ita existimant quidam, moti decreto Conc. Trid. *Sess. 21. c. 1. in fine*, sed ea extensio displicet Lessio, *d. Dubis. 24.* ea inter alias ratione, quod his nullo jure pœna excommunicationis inflicta legatur; non videri autem inductas à Conc. novas pœnas, quia id clarius explicuisset, sed solum renovatas, quæ olim ju-

re statuta fuerunt. Ut proinde verba illa, *pœna à jure inflicta ipso facto incurritur*, referenda tantum sint ad eos, in quos jure statuta sunt, nempe ad conferentes vel accipientes Ordinem simoniacè. Ubi adverte, Conc. aperte loqui de Simonia reali, quæ utriusque completa est, ut patet ex verbis, *tam dantes quam accipientes*; & idè non incurrit excommunicationem, qui per conventionalem Simoniam confert Ordinem, nisi res promissa soluta fuerit, ut docet Less. *d. Dubis. 24. n. 143.*

6. Quod ad Religionis ingressum attinet, tam dantes quam accipientes pro eo aliquid temporale excommunicantur ipso facto, & Conventus seu Capitulum, si consenserit, suspensionem incurrit, *Extravag. 1. h. t.* quæ tamen non videtur usu recepta. Nec etiam hæc pœna locum habet in dote, quæ datur monasteriis fœminatum. Imò consuetudo illa exigendæ dotis, non quidem pro ingressu, sed pro alimentis Monialis, passim permittitur, tamquam licita, maxime si monasterium sit tenue. Vide Navar. in *Manuali. c. 27. n. 106.* & *Tract. De rebus Ecclesiasticis. q. 1. Monito ult. Gutierrez lib. 1. Can. quæst. c. 32.* & Less. *De jure & iust. lib. 2. c. 35. Dubi. 12.*

Insuper simoniacè admissus ad Religionem videtur inhabilis, absque dispensatione Ordinarii, ad manendum in monasterio, in quod sit receptus est, si conficius fuerit: non quia professio sit nulla, sed quia non acquirit jus præbendæ Regularis, ut nec jus vocis activæ & passivæ. Non tamen tenetur egredi, donec per Superiorem compellatur.

7. Priusquam verò accedam ad pœnas Simoniæ in beneficiis, revocandum hic in memoriam est, oportere beneficia conferri gratis, id est, absque interventu alicujus pretii aut alterius rei, pretio æstimabilis, *juxta can. 1. 2. 3. 4. 5. l. q. 1. cap. 1. 2. 3. ead. causa q. 3. can. Dilectissimi VIII. q. 1. toto h. t. Decret. & in Extravag. communib. Conc. Trid. Sess. 24. cap. 14. De reformat.* ubi vetatur aliquid accipi ab electis, presentatis, institutis vel instituendis, confirmatis vel confirmandis, mittendis in possessionem alicujus Ecclesiæ vel beneficii, nisi ex antiqua consuetudine tale quid recipi solitum converti in usus pios consueverit, veluti in usum fabricæ, sacristiæ, cœmeterii aut pauperum elemosynas, non etiam in commodum beneficiariorum: prout fieret, si solveretur mensæ Capituli, aut in re-



in reparationem bonorum ejus, quia tum redundaret & cederet in utilitatem singulorum juxta declarationem Cardd. Alioquin censetur simoniacum, & exigentes atque accipientes incurrunt penas simoniacorum: licet alias id, quod erogatur in sumptus ministerii Dei, pium reputetur, *can. Indices rurs. hoc ipsum 1. qu. 1. & Dei ministri inter pauperes numerentur, l. Privilegia 17. Cod. De sacros. Eccles. Ubi tamen adverte, id, quod ita accipitur in pios usus, non posse accipi tamquam rei spiritualis aut spirituali annexæ pretium, nam tum æquæ maneret deformitas & ratio simoniæ.*

8. Sed neque ex eadem causa pro pastu aliquid exigi potest, non obstante quacumque consuetudine, etiam immemoriali. *can. fin. 1. qu. 3. Non satis 8. c. Cum in Ecclesia 9. cap. Iacobus 44. hoc tit. Imò Pius V. Constit. incip. Durum nimis edita anno 1570. prid. Kal. lunii, quæ est declaratoria d. cap. 14. Concil. Trident. declaravit Episcopum, qui aliquid (etiam dulciaria tantum ut vocant) exegerit pro receptione aliqujus in Canonicum, vel pro admissione ad dignitatem, beneficium vel officium Ecclesiasticum, suspensum esse à Pontificalis officii exercitio; Capitulum seu Collegium subiacere interdicto; privatas autem personas sententiam excommunicationis incurrere; & eos, qui sic aliquid acceperint, teneri ad restitutionem accepti. Quamquam ista Constitutio passim non fervetur, imò ignoretur omnino.*

9. Sed nec de cætero fieri statutum potest, ut aliquid solvatur in usum pium, prout censuit Sacra Congregatio super d. c. 14. Concil. Trid. Neque etiam hodie pro admissione ad beneficium licet in usum pium accipere id, quod antè accepi & verti solebat in proprium, ut ex Gutierrez *Can. Quæst. l. 1. c. 29. num. 28. tradit Zyp. hoc tit. num. 8. Ubi subjungit, Pius V. d. Constit. voluisse, ut novi Canonici primis annis tantum reciperent, quantum antiqui: Sacram tamen Congregat. judicasse, nec dictam constitutionem, nec d. cap. 14. Conc. contrariari consuetudini, quæ fructus primi anni distribui solent inter antiquos Canonicos & recentem admissos post mortem relinqui tantumdem pro solutione debitorum & funeralium: licet eam improbet Choppin. *De sacra Polis, ibid. Tit. 8. num.**

14. Addit ibid. Zyp. Conc. provinciale Mechliniense anno 1607. hujusmodi annos carentiæ sustulisse; id tamen ubique executionem non habuisse, eo quoddam Capitula non immemoriam consuetudinem dumtaxat, sed & confirmationem habeant sanctæ Sedis: imò & fundationem contrariam, uti de fundatione Capituli S. Gudulæ Bruxellis attestatur idem Zyp. Cæterum immemoriam consuetudinem detrahendi medietatem ex fructibus primi anni Concil. Trident. non sustulit, modò applicetur piis locis, Riccius in *Praxi Decis. 567. ex declar. Sacra Congregat.*

10. Committentes vero simoniam in beneficiis, utrinque consumptam seu completam perditionem rei temporalis, & spiritualis, saltem inchoatam, ut si collatio beneficii sit facta, & pars pretii soluta, sunt in primis excommunicati, non nisi à summo Pontifice absolventi, præterquam in articulo mortis, *Extravag. Cum detestabilo 2. hoc tit. & provisio de beneficio facta est ipso jure nulla, can. En qua, cum aliis 1. qu. 3. c. Cum Clerici in V. spoliatis, & ibid. Abbas sup. de pactis d. Extravag. Cum detestabile: licet ab aliis procurata fuerit, provisio siue sciente, & non contradicente, c. Sicut tuis 13. siue etiam ignorante, prout tradit Garzias cum aliis quos citat, *De beneficiis p. 8. c. 1. num. 4. 5. & 6. & patet ex d. Extravag. Cum detestabile, c. Ex insinuatione 26. c. Nobis, ibi, penitus reprobanda: nam dictio, penitus, significat nullitatem ipso jure, Garzias d. loco num. 5.**

11. Fitque inhabilis ad beneficium simoniace obrentum, ita ut pro illa vice non possit illud ei conferri absque dispensatione: idque in penam eorum, qui promotionem simoniacam procurant: d. c. Nobis, d. cap. Sicut tuis hoc tit. & c. penult. sup. de elect. Nam cum ibi dicatur, quod cassatâ electione Prælati propter simoniam, eo ignorante commissam, non possit Episcopus cum eo pro ea vice dispensare, secus si beneficium sit simplex; sequitur, eum esse inhabilem ad illud idem beneficium, cum nemo iadigeat dispensatione, id est relaxatione Juris, nisi qui Jure impeditur. Imò juxta Bullam quandam Pii V. redditur inhabilis ad omnia alia beneficia, in posterum consequenda. Dico, in posterum; nam Simonia, nisi sit confidentialis, non privat aliquem beneficiis



ficiis ante obtentis. Sed nec dicta Pii V. Constitutio usum recepta est quoad illam poenam, ut testantur Suarez *De Simonia* c. 51, n. 11. & Garz. d. p. 8. c. 1. n. 72. Nec in Jure est expressa talis inhabilitas, ne quidem in Simonia reali, ut latius deduxi in *Tract. de beneficiis Tit. de modis, quibus beneficia conferri debent*. Sicut neque in Jure expressum est, quod talis simoniacus sit irregularis: quo tamen expresso sequeretur indubie, etiam inhabilem esse ad alia beneficia obtinenda in posterum, cum effectus irregularitatis precipuus sit, reddere inhabilem ad futura.

Quod si vero ab aliis, ignorantia inculpa laborantibus, commissum fuerit Simonia, proviso etiam ignorante, vel ab ipso quoque beneficiario per ignorantiam, non videtur effici inhabilis ad illud idem beneficium obtinendum, cum nulla subest culpa, ob quam ea inhabilitas induci debeat: & proinde poterit ei conferri beneficium, absque dispensatione; facta tamen prius utroque casu illius resignatione, quia prior collatio fuit irrita, quippe per contractum irritum.

Sic quoque provisio de beneficio ipso jure nulla est, quando Simonia commissum est cum uno ex electoribus, praesentatoribus vel collatoribus, licet eorum major pars absque Simoniae labe provisum elegerit, praesentavit, vel ei beneficium contulerit: si utique elegant, praesentent, vel conferant, ut univrsi seu jure Collegii, ut patet ex d. c. *Nobis* & ibi notat Abbas *hoc tit.* tunc enim omnium una est electio, praesentatio: vel collatio; ideoque simonia cum uno commissi vitiat omnino electionem, praesentationem, vel collationem; secus quando ut singuli, quia tunc tot sunt praesentationes vel collationes, quot patroni vel collatores, quandoquidem singuli per se praesentent vel conferant, ideoque una non vitiat aliam in praedictum praesentari seu collatari, qui conscius non fuit Simoniae: nec utile per inutile vitatur, c. *Visto* 37. *De R. l. in 6.*

12. Sed quid si electus vel praesentatus legitimè, committat deinde Simonia pro confirmatione vel institutione obtinenda, an etiam electio vel praesentatio irritabitur? Ita existimat Garz. d. p. 8. cap. 1. n. 14. sed contra & verius Less. d. loco, vitari solam confirmationem vel institutionem, in qua sola vitium commissum

est; idque insinuat in c. *Si confirmationem de elect. in 6.* Nec enim si posterior actus sit irritus, etiam prior censeri irritus debet: licet e diverso, commissum Simonia in electione aut praesentatione, ipsa quoque confirmatio vel institutio sit irrita, quandoquidem procedat ex supposita validitate electionis aut praesentationis.

13. Sunt tamen aliqui casus quibus quis non tenetur beneficium resignare, etiam si dato pretio illud consecutus sit. Primus est, si ad veritatem ipsius occulte per fraudem & in dispendium eligendi aut promovendi pecuniam dederit, eo sine scilicet, ut collatio eidem facta esset invalida, ipseque inhabilis, d. c. *Nobis* 27. & d. c. *Sicut cum* 33. *hoc tit.* Secundus, si veritus ne pecunia ab alio quo detur pro beneficio sibi impetrando, expresse contradixerit, d. c. *Sicut cum* Less. d. loco n. 143. Ubi movet hoc dubium, an, si post contentum beneficium consentias solvendo pecuniam ab alio promissam, aut refundendo expostam, tenearis beneficium resignare? Distingendum; nam si non consentias, in pactum alienius, ratificando contractum seu promissionem simoniaci amici, sed ex amicitia tantum solvas, quod promissum, aut refundas, quod expostum, ne damnum tua causa patiat, non tenebris resignare. Navar. *Conf. 10. n. 5. h. tit.* Si vero consentias, approbando factum illius, licet quidam teneant, te non teneat ad resignandum beneficium, eo quod ratificatio post legitimam collationem & jus acquisitum non possit eam inficere, nihilominus contrarium colligunt. *Id. in d. c. Sicut*: saltem mereri privationem beneficii tradit Less. d. loco n. 144. Tertium casum addunt quidam si Pontifex ad Pontificatum simoniace pertigisset, de quo vide Less. *ibid.*

Aequum quoque videtur, ac praxi consonum, quod tradit Rebuff. in *Praxi benef. Tit. Quot modis benef. acquir. n. 22.* non videri simoniacos illos, qui coacti solvunt (sportulas pro collationibus, praesentationibus &c. cum resistere non valeant, & modò voluntarie non dent, Quod etiam dici non potest de solventibus aliquid Capitulo, in admissione ad possessionem solvi consuetum, quia sit quaedam redemptio vexationis, ut ex Lessio tradit Garz. d. loco num. 43. quem plenius vide.

14. Denique tenentur Simoniaci ad restitutionem



nam pretii simoniace accepti, suntque infames, *can. simo. q. 3. Glos. in c. 1. De testibus in 6. in V. mendaces*, infamia scilicet Juris, *can. Sande xv. q. 3.* non tamen ipso facto, sed per sententiam Judicis, dummodò in ipsa sententia fuerit apposta hæc pœna, ut ex Abbate tradit Garz. *d. loco n. 6.*

15. Si quaratur, quæ sint pœnæ, quas Simonia inducit confidentialis. Dicendum, primò inferre excommunicationem utrique parti; à qua solus Pont. absolvere possit, præterquam in mortis articulo. Secundò, privationem beneficii, in quo commissæ est Simonia, & reliquorum omnium. Tertiò, inhabilitatem ad idem beneficium, & ad cætera quæcunque; suntque hujusmodi beneficia, collata & accepta in confidentiam, reservata Sedi Apostolicæ. Navar. in *Manuali c. 23. n. 100.* Less. *d. cap. 15. Dubit. 26.* Ubi subjungit, privationem omnium beneficiorum & inhabilitatem ad omnia, incurri tribus casibus: primò, in Simonia confidentiæ; secundò, in electione simoniaca Papæ, Conc. Lateran. sub *Iulio II. Sess. 5.* tertiò, quando examinatores occasione examinis aliquid accipiunt, juxta decretum Conc. Trid. *Sess. 24. cap. 18.* Adde, in his tribus casibus usu videri receptum, ut non teneatur quis beneficia sua dimittere ante sententiam.

Quibus autem modis probari possit Simonia confidentialis, tradit Flamin. Paris. *Traff. de Confidentiali q. 64.* ubi docet, probari etiam solis præsumptionibus. Et quamquam Gutierrez *Can. q. lib. 2. c. 13. n. 78.* velit Bullas de confidentiali nihil prohibere, quod non antè prohibitionem fuerit, & solum disponere contra confidentiam beneficalem illicitam, quæ sit pretio, pacto, modo, conditione tacite vel expresse interveniente: tamen si verè examinentur integræ Constitutiones, inquit Zyp. *h. tit. sup. nu. 5.* non nihil novi juris inducere nemo non animadvertet.

Illud denique hic subiiciendum est, quòd licet Concilium Tridentinum veteri pro administratione rerum spiritualium apponi pacta & conditiones mercedum, non innovaverit tamen jus antiquum, quo licet elemosynæ vel sustentationis causa consuetum aliquid dari vel accipi. Zyp. *h. tit. n. 10.* ex Gutierrez, quem citat. Ubi subjungit, in officiis secularibus non verti Simoniam: in Brabantia tamen, datâ vel et-

iam mutua à pecuniâ, confecti officia non posse juxta tabulas legum Brab. Joannis Ducis, ac juramentum sublequentium Principum, quod an ministris inquit, latis oblerent, ipsi viderint.

## TITULUS IV.

## Ne Prælati vices suas vel Ecclesias sub annuo censu concedant.

1. Ratio hujus prohibitionis.
2. Fructus beneficiorum alteri sub annua pensione cedi possunt.

POST generalem tractatum de Simonia sequuntur duo speciales casus, qui simoniaci habentur. Estque hic Tit. pars quædam Tit. superioris, ut constat quoque ex compilatione facta ab Alexandro III. in Conc. Lateranensi, in qua sic legitur: *De Simonia, & ne merces pro Ecclesia consecratione recipiatur, vel pro monachatu, vel pro Sacramento Ecclesie, vel pro licentia docendi neve Prælati vices suas ad causam terminandas vel regimen Ecclesiarum sub annuo pretio committant.* Potestas enim jurisdictionis Ecclesiæ refertur etiam inter spiritualia, quæ sunt materia Simonie; ac proinde non licet Archiepiscopis, Episcopis, Decanis, Archidiaconis, aliisque Ecclesiarum Prælati, vices suas, id est, jurisdictionem vel Ecclesiam alteri sub annuo censu, sive annua pensione cedere.

1. Tum quia hæc Simonie species est, *c. 2. & 3. h. t.* tum quia gratis judicare debent, *can. N. n. sande xiv. quæst. 5.* ac gratis beneficia Ecclesiastica conferre, *c. Non satis sup. De simonia.* Qui verò dederit pecuniam, ut spirituales jurisdictionem exerceat, officio suo privandus est, & sic conferens amplius conferre non potest, ac Canonice puniri debet, *d. c. 1.*

2. Fructus tamen Ecclesiarum seu beneficiorum sub annuo censu concedi & locari possunt, *cap. 3. & ult. h. t.* cum obventiones ejusmodi nullam

Mmm

nullam



nullam rei spiritualis rationem habeant; idq; ad breve tempus dumtaxat: olim quidem ad septennium, d. c. ult. h. e. hodie vero ad triennium Extravag. Ambitiosa de fructib. Eccles. non alienan. Vide Concil. Trident. Sess. 25 c. 11. de reformat. & Covar. lib. 2. var. resolut. cap. 16.

## TITULUS V.

## De Magistris, &amp; ne aliquid exigatur pro licentia docendi.

1. *Magistri qui hic dicantur.*
2. *Accipere pecuniam pro labore docendi non esse simoniam.*
3. *Ut nec pro ipsa arte, quam quis proficitur.*
4. *De magistro & Professore in qualibet Ecclesia constituendo.*
5. *Docentes & discipulos percipere fructus beneficiorum in absentia.*

**A**lter hic casus proponitur, in quo etiam Simonie vestigium reperitur, de Magistris scilicet, quatenus iis incumbit onus docendi, assignato ad hoc loco salarii, beneficio aliquo, & de licentia docendi, quatenus hæc ex jurisdictione vel officio aliquo spirituali procedit, cuius est usus quidam.

1. Omnia autem ea Magistri significatione qua sumitur pro eo, cui præcipua cura alicujus incumbit. l. Cui præcipua 57. D. de verbor. significat. quo pacto eum, qui militibus præest, Magistrum militum, toto Tit. Cod. De officio Magistrum milite. & qui præest equitibus, Magistrum equitum vocamus, & sic de aliis, de quibus vide Gothof. ad d. l. Cui præcipua: Magistrum hic accipimus pro eo, qui literas docet seu quamlibet disciplinam proficitur, & Magister appellatur à Monendo vel monstrando d. l. Cui præcipua. Eoque nomine sic accepto veniunt omnes, qui in aliqua scientia summum titulum seu gradum obtinent. Alioqui pressius loquendo solum illi veniunt, qui artium liberalium & sacræ Theologiæ supremum gradum habent:

nam qui Medicinæ aut Juris sive Canonici sive Cæsarei summum gradum adepti sunt, Doctores appellantur, juxta Gloss. in Clement. 1. in v. Doctores h. tit.

2. Tamen si igitur Pont. hoc Tit. pro licentia docendi veteri pretiū aliquod exigi vel promitti, ne sub obtentu quidem alicujus consuetudinis, adeo ut exactum restitui & promissum remitti, & prævaricatores legis privati officio beneficioque debeant, c. 12. 3. hoc tit. tamen verius est, non tantum licere pro labore in tradendis disciplinis suscepto accipere pretium, verum etiam extra simoniam esse pecuniam accipere pro licentia docendi danda: quia licet hæc sit usus seu actus jurisdictionis etiam spiritualis, tamen, quia non ut usus spiritualis, sed politicus, quandoquidem jurisdictio spiritualis ad multos actus politicos se extendat, ut quando crimina carceri aut pecuniaria pœna punit non videtur esse ulla Simonia.

3. Nec tantum magistris, non habentibus aliud, unde vivant, permittitur aliquid accipere pro laboribus suis, cum non teneantur suis militare stipendiis, cap. Ecclesiastici xii. quasi 2. sed & pro ipsa scientia & arte, quam profitentur, & quidem plus vel minus, pro scientiæ & artis majori vel minori præstantia.

4. Statuit autem Eugenius in can. de quibusdam xxxvii. Distinct. 37. ut Episcopi Magistros & Doctores congruis locis constituent. Ut vero gratis erudiri juvenus valeat, statutum fuit in Concil. Lateran. 1. sub Alex. III. & altero sub Innoc. III. ut in singulis Cathedralibus Ecclesiis, & aliis, quarum sufficerent facultates, à Prælato cum Capitulo constitueretur Magister aliquis idoneus, qui Clericos illius Ecclesiæ in Grammaticis instruat: in Metropoli autem etiam Theologus assumatur, qui sacram paginam doceat, & in his præsertim sacerdotes reliquosque informet, quæ ad curam animarum & fidem Catholicam spectant: cuiuslibet Magistrorum assignatis unius præbendæ proventibus, qui si non sufficiant, ut tunc Prælati Theologo provideat ex redditibus suæ Ecclesiæ, Grammatico vero in alia Ecclesia suæ civitatis seu diocesis d. c. 4. hoc tit.

5. Insuper statuit Honorius III. ut Prælati & Capitula Clericos, qui propter raritatem Magistrorum in loco beneficii sui dare operam studio



studio Theologiæ non possunt, aliò ablegent, quin absentia per quinquennium reditus præbendarum & beneficiorum suorum integrè percipiant, reliqua necessaria subministrante Præbato, si proventus ejusmodi eis in studio alendis non sufficiant: ut verò Magistri fructus beneficiorum suorum tamdiu integrè percipere valeant, quamdiu docuerint, *e. ult. hoc tit.* Videl. Concil. Trident. Sess. 5. cap. 1. *De reformat.* ubi statuit, qua ratione habentes præbendam aut præstimonium seu aliud quovis nomine stipendium pro Lectione sacræ Scripturæ possint cogi & compelli per Ordinarios ad munus exequendum, per se, vel per alios: & quâ viâ procurandum sit stipendium, si huc illucque non fuerit constitutum. Pauperes autem idonei gratis promoveri jubentur à Julio III. & Laureæ Magistrales verentur deinceps conferri per Comites Palatinos ex revocatoria. Pii V. Præfecturam vero scholarum Carolus Magnus Sacerdotali ordini attribuit; Ludovicus pius & Lotharius Gymnasiorum magistrum Episcopis; ut ex aliis, quos citat, tradit Zyp, *h. t.*

## TITULUS VI.

De Iudæis & Saracenis,  
& eorum servis.

1. 2. Iudæi & Saraceni qui & unde dicantur.
3. Iudæi vestitu & habitatione à Christianis distincti esse debent.
4. Ab omnibus honoribus & muneribus arcantur.
5. 6. Quo pacto in eos inquirendum: non cogendi ad fidem.
7. Proscripti à Brabantia, & quare.
8. Iudæorum conversorum privilegia.
9. Cum Saracenis interdictum omne commercium.

Am diximus de iis, qui Spiritum sanctum vendendo simoniaca pravitate involvuntur, & atrocissimum in Deum crimen committunt: nunc agendum est de iis, qui in

Deum peccant, malè colendo, quales sunt Iudæi & Saraceni.

1. Iudæi dicuntur, qui vetus dumtaxat Testamentum recipiunt, & illud ad litteram servant, circumcidendo se, & alia legalia ad litteram faciendo, sic dicti vel à Juda duce, vel secundum alios à tribu Juda, quæ inter eos erat nobilior & bellicosior; & ex qua creabantur Reges & duces populi, sicut & ex tribu Levi Sacerdotes.

2. Saraceni verò, qui etiam Pagani vocantur in *Quam sit* 10. & *e. Ex speciali* 18. *h. t.* qui nec vetus nec novum Testamentum recipiunt: dicti à Sara, uxore Abrahæ. Quamquam ab Agar, ancilla Abrahæ & matre Ismaelis, originem suam traxerint, *can. Recurrat* & *can. Dixit Sara xxxv. 1. g. 4.* Unde Agareni dicendi essent: verum ne viderentur ex ancilla descendere, mendaciter sinxerunt se à Sara originem ducere, ut hoc modo ignominiam declinarent & labem generis sui tegerent. Alii aliunde originem petunt. Vide Covar. *lib. 4. var. resol. 2. g. 9.* Boët. Eponem *De jure sacro lib. 3. n. 162.* Azor p. 1. *Instit. Moral. lib. 8. c. 23.*

Additur autem in Tit. & eorum servis, ne sit necessarium Tit. de iis statuere. Ubi observandum servum propriè quidem & strictè dici, qui Jure gentium vel Civili dominio alterius contranaturam subicitur, hic verò latissime sumi, prout dicitur à serviendo, ita ut eo nomine etiam famuli comprehendantur.

3. Quod si igitur Iudæi & Saraceni usquam inter Christianos commorari permittantur, quemadmodum fide ab iis distinguuntur, ita etiam uti habere debent, ab aliis distincto, *e. In nonnullis* 15. *h. t.* in superque habitatione ac ceteris privilegiis à Christianis discriminari, ex Constitut. Pauli IV. quam refert Pet. Matth. in VII. *Decretal. lib. 5. tit. 2. cap. 4.*

4. Ab omnibus item publicis officiis, honoribus, dignitatibus & administrationibus apud Christianos arcantur, *e. Cum sit* 16. *e. Ex speciali* 18. *h. t. 1.* Hac valitura *Cod. De Iudæis*: licet antea Imp. Ethnicis eos ad honores admiserint. *Generaliter* 3. *in fine D. De Decurionib.* Quin imò ab eorum familiaritate & domestica consuetudine Christiani omnes abstinere jubentur, ut neque servus qui piam neque nutrix aut obstetrix esse possit, sub pœna excommunicationis, *e. Iudæi* 5. *e. Ad hæc* 8. *e. Et si Iudæos* 13. *h. t. aut*

Nmm 2

etiam



etiam depositionis, si Clerici sint, *can. Nullus xxviii. q. 7.* ne consuetudine vitæ alliciantur ad Iudaismum vel Paganismum, *d. cap. Ad hac h. 1.* Excipiuntur tamen Clerici & Religiosi, qui a suis mittuntur Superioribus ad prædicandum eis Evangelium, *c. Quam sit 10 h. 1.*

5. An verò Iudeus non Iudæo tutor esse possit, disputat Jafon in *l. 1. D. De iustit. & iure.* Et licet Modestini in *l. Spadonem 15. §. jam autem D. De excusat. tutor.* admittere videatur, tamen, si spectemus ejus in corrumpendis moribus Christianorum infidum morem, se ipse eodem responso repellit. Sed an & lex illa tantum loquatur de Christianis, qui nomine Iudæorum primùm accipiebantur, disputatur. Vide Bui. *ad d. §. jam autem.* Non possunt etiam postulare contra Christianos, Greg. Tholosan. *Synag. Iuris universi lib. 49. cap. 6. n. 25.* nec filii substituere pupillariter, idem *lib. 42. cap. 22. nu. 3.*

Quo pacto autem, & quibus Casibus Apostolici Inquirentes & Ecclesiastici Judices inquirere & animadvertere possint in Iudæos, contra legem divinam veterem peccantes, aut Christianorum pervertioni periculum struentes, tradit Greg. XIII. in Constitut. *incip. Antiqua Iudæorum improbitas* quam refert Azor *d. lib. 8. cap. 12. quest. 12.* Pialec. *2. p. Praxis Episc. c. 4. art. 6. num. 14.* Ubi etiam subjungit Constitut. Clementis VIII. *incip. Cum Hebræorum.* adversus detentores librorum Thalmudicorum. Quos mancipari igni Greg. IX. & Innocent. IV. jussit, referente Azor *o. d. q. 12.* Subiicit dein Constitut. Gregor. XIII. *incip. Sancta Mater Ecclesia,* quæ præcipit, ut ab Ordinariis locorum compellantur accedere ad concionem seu lectionem, ipsis ex veteri lege faciendam; Evangelium verò eis quidem prædicandum, verum ad eam concionem non cogendos, sed inducendos, conversosque sermō instituendos & catechizandos.

6. Alioquin baptizari nolentes aut invitati non debent, nec ad fidem orthodoxam suscipiendam cogi, neque absque judicio puniendi sunt aut rebus suis spoliandi, *c. Sicut Iudæi 9. hoc tit.* Nam qui nunquam fidem suscepit, ad eam vel suscipiendam vel servandam cogendus non est, *can. Ad fidem xxiii. q. 5. can. de Iudæis. Distinct. 45.* nemoque invitatus salvandus, sed volens, ut integra sit forma Justitiæ, *d. can. De Iu-*

*daie: & Deus ipse voluntarios ac spontaneos discipulos exigit* Sed nec liberi Iudæorum ipsis invitatis ac reclamantibus baptizandi sunt, pro qua sententia est nova Constitut. Julii III. ann. 1551. cujus meminit Pet. Matth. *d. c. 5 tit. 1. c. 1.* nequiquam contrarium asserente Udalr. Zahio.

7. Cæterum in his Belgicis provinciis non illos tantum, sed nec novos Christianos, sub hoc nomine Iudæorum doctrinam & scelera sectantes, ex Edictis Caroli V. permittam esse morari aut versari, tradit Zyp *h. 1. n. 2.* Imò ante trecentos plus minùs annos ex Brabantia proscriptos fuisse, cum Bruxellis sacrosanctam Eucharistiam, quæ ob miraculum summa veneratione etiam nū ibi colitur, pugionibus confodissent; quemadmodum & in Gallia & alibi, teste Gregor. Tholosano, *Synag. Iuris universi lib. 22. c. 3. n. 25. & lib. 33. c. 4. n. 8. & 11* ubi tradit etiam, cur vivere inter Christianos permittantur. Quamquam passim sub salvo conductu habitasse videantur, ut etiam ex tabulis Legum Brabantiæ Joan. Ducis 1312. apparet, qui, si quis eos offendisset, id suæ cognitioni reservabat: sicut & in Urbe causæ eorum ad Papæ Vicarium spectant & causæ banchariorum Iudæorum ad Camerarium Urbis, ex Constitut. Julii III. & Gregor. XIII. Et hoc etiam, cum nuperæ induciæ permitterent omnibus ex provinciis confœderatis venire ad nos & negotiari, non fuisse comprehensos Iudæos Amsterodami habitantes, testis est Zyp. *h. 1. n. 3.* quippe qui ob aliam causam, quam belli civilis aut religionis, ob quam illud motum est, jam olim proscripti sint.

8. Addit *ibid.* Zyp. ex Paulo III. Iudæis quo facilius ad fidem convertantur, acquisita per usuras, quæ certis personis restituenda non sunt, relinqui oportere, tamquam in usus pios, eoque sine Conc. Basileen. *Sess. 19.* decrevisse, ut, quo loco Iudæi conversi baptizantur, jura omnia ac privilegia acquirant civium, Paulum item IV. vetuisse, quamdiu non convertantur, immobilia ne possideant. Cæterum qui plura scire volent sive de conversatione seu commerciis Christianorum cum Iudæis, sive officio eis vel eorum filiis præstando, deque punitione eorumdem, adeat Azor. *d. lib. 8. cap. 22. per tot. & Gregor. Tholosan. in Synag. Iuris universi lib. 12. c. 4.*

PORD



Porro de Saracenis (quo nomine veniunt omnes, additi seu adherentes impiæ ac nefariæ Mahometi sectæ arque perfidiæ, Turcæ, Tartari, Persæ, Arabes, Egyptii, Africani & Mauri, etc.) Azor. d. lib. 8. c. 23. & 24. peculiariter constitutum est in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. ne Christiani ad eos deferant merces prohibitas, ne arma ad impugnandos Christianos aut alia subsidia subministrant; excommunicandi alioqui ac rebus suis privandi, & servi futuri capientium, & ita quorundam 6. h. t. Hodie verò excommunicati sunt ipso facto, cap. Significavit 11. cum cap. seq. & cap. Ad liberandam 17. h. t. sicut & per Bullam cœnæ Domini. Videatur plenius Azor. d. cap. 23. per tot.

## TITULUS VII.

## De Hæreticis.

## §. I.

## Quis dicatur Hæreticus.

1. Hæretici nomen unde dicatur.

2. 3. Proprie & late sumi

4. Infideles, Paganos, Iudaos, non esse hæreticos.

Diximus de iis, qui non baptizati Deum & ad eum, quam numquam susceperunt, cæcamente oppugnant, cujusmodi sunt Iudæi ac Saraceni: nunc ordine competenti subiiciendum est de iis, qui baptizati, & fidem Christianam professi, ab ea desciscendo in Deum multipliciter peccant, quales sunt Hæretici.

1. Hæreticus non ab hærendo; ut quidam rati sunt, nec ab Hæresico, id est, divido, ut putabat Azor in Summa h. t. prout latius ostendit Greg. Tholosan. Syntag. iuris universi, 33. c. 4. n. 3. & 4. Farinac. quasi. Crimin. Tit. 18. De hæresi q. 178. n. 30. & seqq. sed ab Hæresi Græca voce, divisionem vel electionem significante, nuncupatur. Isidor. 8. Etymol. c. 3. D. Thom. 2. 2. qu. 11. art. 1.

Diciturque proprie is, qui eum sit baptizatus, ab unitate Ecclesiæ se dividit, singularem aliquam, & à fide ac sensu Ecclesiæ manifestè alienam, doctrinam eligendo, eamque pertinaciter defendendo, can. Hæresis, can. Quin Ecclesiæ

xxiv. q. 3. Unde & præsumptio propriæ mentis ad hæresim via dicitur, can. Quid autem ead. q. 3.

3. Dixi, proprie; quia, latissime sumpto eo nomine, Hæreticus dicitur, Primò etiam is, qui dubius est in fide, arg. c. 1. h. t. & ibi Glos. ad V. Dubius, Secundò, Simoniacus, can. Tertur. 1. q. 1. Tertio, qui transgreditur præcepta Sedis Apostolicæ, can. Qui nulli Dist. 19. Quarto, laicus suscipiens officium prædicandi, cap. Cum ex iuncto 12. cap. Sicut in uno 14. h. t. & alii, enumerati ab Hostien. in Summa h. t. Not. 1. vers. Multum tamen modis.


4. Dixi, qui cum sit baptizatus; nam hinc Iudæi, Paganus, & alii infideles quamvis multos contra fidem errores tradant, non sunt proprie hæretici: non enim possunt dividi ab unitate Ecclesiæ, aut deserere fidem, quam nunquam habuerunt. Et hinc fit, quòd tales magis tolerantur in Republica Christiana & inter Christianos, quàm hæretici, quia de his, qui foris sunt, nihil ad nos, t. ad Corinth. 5. quodque permittantur utroque Jure veteres synagogas retinere, & collabentes instaurare, non etiam novas erigere, & Iudæi 3. & c. Consultuit 7. sup. de Iudæis.

Addidi, singularem aliquam & c. quia si in totum à fide recedat, Apostata dicitur, non Hæreticus.

Addidi etiam, manifestè à sensu Ecclesiæ alienam; quia si quis doctrinam singularem eligat, quæ non sit clarè contra fidem, vel sensum Ecclesiæ, non dicitur is quoque Hæreticus. Per singularem autem doctrinam intellige, sive quoad articulos fidei, sive quoad Sacramenta Ecclesiæ, sive quoad alia, ab Oecumenicis Conciliis seu Ecclesiâ Romana definita, cap. Cum Christus 7. c. Ad abolendum 9. hoc tit.

Addidi postremò, eamque pertinaciter defendendo; quia error non facit hæreticum, sed pertinax defensio, & Damnamus sup. De Summa Trinit. can. Hoc est 1. q. 1. can. Dixit, can. Qui in Ecclesiâ xxiv. q. 3. August. Epist. 162. Ple-

inè Farinac q. 178. §. 3.





## §. II.

## De pœnis Hæreticorum.

1. Pœna sunt infamia, Excommunicatio.
2. 3. Incapacitas beneficiorum, Confiscatio bonorum.
4. Privatio beneficiorum & officiorum.
5. 6. Remedia ad exterminandam hæresim.
7. Pœna ultimi supplicii ex consuetudine est exco-

Quod ad ad pœnas hæreticorum attinet, eos, nox, ubi vires suas Ecclesia Catholica exerceat, atque exercere potuit, infectata fuit, & digna animadversione castigavit, testantibus sacris historiis, & præsertim in Conc. Lateranensi sub Innoc. II quo, præter Chalcedonense, nullum fuit angustius, ut ex numero & qualitate eorum, qui eidem interfuerunt, colligit Zyp. h. t. in princ.

1. Sunt itaque inprimis infames, *can. Infames vi. q. 1. can. Alieni 2. q. 7. Authent. Gazaros Cod. hoc tit. & l. 1. Cod. De summa Trinit.* Sunt item excommunicati ipso jure notorii omnes, aut alias excommunicandi, quâ Clerici, quâ laici, velut putrida membra refecandi ab Ecclesia, *can. Refecanda xxiv. q. 3. can. Canonica xi. q. 2. c. Ad abolendam 9. c. Excommunicamus 13. hoc t.* Et non solum hæretici ipsi excommunicantur aut suspecti de hæresi, sed & eorum receptatores, defensores, fautores, credentes. Qui si hoc nomine à Judice Ecclesiastico excommunicatione impliciti, non satisfecerint intra annum, ipso jure fiunt infames & intestabiles, ita ut neque ipsi sibi testamentum facere possint, neque ex testamento alterius quidquam capere; multoque minus ab intestato alicui succedere, *d. c. Excommunicamus & credentes. Quin si quis tales, postquam ab Ecclesia fuerint notati, evitare contempserit, excommunicandus est usque ad satisfactionem, d. §. concedentes vers. si quis autem tales.*

2. Sunt etiam incapaces beneficiorum Ecclesiasticorum & hæretici ipsi. & receptatores, fautores, defensoresque & filii ipsorum usque ad secundam generationem, *Quicumque 2. §. hæretici & §. ad hac eod. tit. in 6.*

3. Bonaque damnatorum de hæresi ipso jure, ex die commissi criminis, addicuntur fisco, *cap. Cum secundum eod. in 6.* Et quidem bona Cle-

ricorum cedunt Ecclesiæ, cui servierunt; laicorum verò, licet filios habeant Orthodoxos, (locus de Jure Civili, l. 4. §. 12. Cod. hoc tit.) fisco secularis potestatis applicantur, *d. c. Excommunicamus 13. & c. Vergentis 10. hoc tit.* Potestque ad hunc finem quis declarari fuisse hæreticus etiam post mortem: quo casu condemnatio post mortem facta retrahitur ad diem commissi criminis, *c. Accusatus & penult. eod. in 6. Corat. De matrim. p. 1. cap. 6. §. 8. num. 6. & segg.* Non confiscantur tamen innocentium uxorum dotēs, propter maritorum hæresim, *cap. Docenti 14. eod. in 6.* Neque apprehensio bonorum per dominum secularem fieri debet, nisi prius pronuntiarum fuerit super crimine per Judicem Ecclesiasticum, *c. penult. eod. in 6.* Ne autem hac in re fraus fisco fieret, sanxit Carolus V. 22. Septemb. ann. 1540. in hoc Belgio, ut statim, postquam quis in hæresim incidit, neque inter vivos neque per ultimam voluntatem disponente de bonis suis valeat, sed omnia acta sint nulla. Quod quidem edictum conforme est juri communi, *d. c. Cum secundum h. tit. num. 6. l. Manichæi. l. Sancta Cod. h. t. Farinac. q. 190. §. 5. per tot. verum executionem illius suspensam fuisse, præsertim tempore Mariæ Gubernatricis, ut furoi cederet, & populus in se descenderet, tradit Zyp. h. t. n. 7. in fine.*

4. Præterea Clerici excidunt ipso jure beneficiis suis, *d. c. Ad abolendam & præfati & alii h. t. licet &*, qui ad preces hæreticorum beneficia obtinuerunt, *d. c. Quicumque & ad hac: & suis ordinibus, si pertinaces fuerint, spoliati seculari potestati traduntur puniendi, d. c. Excommunicamus & damnati, d. c. ad Abolendam, c. Cum secundum leges eod. in 6.*

5. Ne autem hoc malum Reipublicæ Christianæ perniciosissimum longius serpat & radiceretur altius, idèd vetantur clandestina conventicula, *c. Cum ex injuncto 12. hoc tit.* item conciones clandestinæ vel publicæ, si permissu Diocesani, *d. cap. Excommunicamus h. quia verò cum e seq. hoc tit. l. Conventicula 15. c. De Episc. & Cler.* Et jubentur Episcopi vel Archiepiscopi, qui sunt Ordinarii hujus causæ Judices, provincias ac dioceses suas, de hæresi suspectas, nimirum semel in anno visitare, vel per se, vel per Archidiaconum, aut alios idoneos, & de hæresi inquirere, sub pœna de-



positionis, d. c. *Excommunicamus* § *adiciamus*. Quibus subinde Inquisitores adjuvantur, qui conjunctim vel separatim cum illis cognoscant. *Per hoc* 17. *cod. in 6*. Si tamen processerint seorsim, debent sibi communicare acta, simulque proferre sententiam; vel si discordes fuerint, cum remittere ad Sedem Apostolicam. *Pias* 2. *et 4. d. 6. in princ.* Quemadmodum & si ipsi inter infimuleantur de eodem crimine, cognitio soli Pontifici reservatur, c. *Inquisitores eod. in 6*.

6. Ex Concilio autem Lateranensi, ( ut est in d. c. *Excommunicamus* § *monentur*, cui conformis est nova Constitutio Pauli IV. apud Per. *Marth. in VII. Decretal. lib. 5. c. 3. et 9.* ) tenentur jurare Principes seculares, & qui potestatem aliquam perpetuam vel temporalem in Repub. Christiana obtinent, sese hæreticos universos, ab Ecclesia denunciandos ac damnatos, eorumque complices pro viribus exterminaturos. Quod si dominus temporalis, monitus & requisitus ab Ecclesia, purgare terram suam neglexerit, excommunicatur: si perstiterit in excommunicatione per annum, nuntiatur Papæ, qui fideles ejus seu vasallos a juramento absolvet, terramque exponet fidelibus occupandam, salvo tamen jure domini principalis, nisi & ipse sit in culpa. De eadem re est Frederici Imp. Constitutio, qua hæretici & perpetua notantur infamia, & proscribuntur. *Auth. Gazaros C. 6. d. 1.* Insuperque ultimi supplicii pœna in eos statuitur, in l. 58. *C. eod.*

7. Quæ ex interpretatione consuetudinis est exultio, Abbas in d. c. *Ad abolendam* n. 13. hoc tit. Covar. 2. *var. res. c. 10. n. 10.* ad quam tamen pœnam Juxta Ecclesiasticus condemnare hæreticos nequit; verum ea condemnatio de hæresi à Jure Ecclesiastico per secularem potestatem insignitur. Quid autem de hæreticis statuerint Principes nostri, tradit Zyp. h. t. n. 6. & Gudelius *De jure noviss. lib. 6. c. ult.* De aliis vero hæreticorum pœnis ex jure Civili videatur Pet. Gregor. Tholof. *Synag. Juris universi lib. 23. c. 8.* de quæ judicio ac Judiciis hæreticorum, cap. 6. & de cautionibus contra eos adhibendis, c. 9.

Cæterum hæreticus has pœnas evitabit, si pœniteat, & ad Ecclesiam, quæ nemini gremium claudit, paratus sit redire, hæresimque abjurare: nisi abjuratio semel facta, rursus in eandem vel aliam lapsus sit; nam tunc omni

beneficio juris excidit, & brachio seculari tradi debet, d. c. *Ad abolendam*, igne cremandus. Neque ob hanc traditionem, ex qua sequitur mors, Juxta Ecclesiasticus incurrit irregularitatem, *Pias. d. loco n. 13*. Ipsi autem resipiscenti Sacramentum pœnitentiæ & Eucharistiæ non est denegandum, d. c. *Ad abolendam* *vers. illos quoque.*

## § III.

De modo procedendi in causa Hæresis.

1. In causa hæresis idem potest esse testis & denunciator,
2. Item quilibet alius, etiam infamis, perjurus &c.
3. Quo modo institui examen debeat.
4. Quo modo quæ deferatur de hæresi.

1. IN causa hæresis proceditur simpliciter & de plano. Potestque idem esse testis, qui accusator & denunciator, c. *In omni 4. sup. de testibus*, modò juret se non ex odio vel animi passione ac levitate denunciare Interrogarique debet, an verba hæretica prolata fuerint serio vel iocose, vel referendo aliorum opinionem; nam duobus his postremis casibus non arguerent aliquem hæreticum, quamvis taliter ea proferens graviter esset puniendus, ubi adesset periculum scandali, *Pias. d. loco n. 4.*

2. Insuper potest quilibet hic admitti testis, etiam laicus adversus Clericum, c. *de casero 14. sup. de testib.* etiam particeps & socius criminis prout sanxit Alexander IV. item infamis, perjurus, modo non sit inimicus accusati, c. *In fidei 5. c. Accusatores 8 § Licet verò h. t. in 6.* Quamquā duo hujusmodi testes non faciant plenam fidem, ut alii, fide digni & omni exceptione majores, ad convincendum quem de hæresi, sed tantum judicium ad torturam vel impenendam pœnam extraordinariam. *Pias. d. loco n. 4.*

3. Cæterum institui in his causis examen testium debet coram Notario & duobus gravibus personis, etiam laicis, defectu Clericorum. Nec hæretico, convicto de hæresi, dandus est procurator; secus si fuerit tantum delatus vel suspectus, aut neget se hæreticum esse: nam hoc casu non poterit eidem denegari procurator, per quem se defendat. Qui quidem procurator, ante omnia tenebitur jurare, se bona fide, iustis saltem mediis, defensurum causam, & defensurum eandem, si deprehenderit



henderit injustam, Piassec, d. l. n. 5. Dista etiam  
testium vel denunciatorum ac nomina non pub-  
licentur, ne inde grave illis periculum immine-  
at, c. ult. h. l. nu. 6. nisi socius fuerit criminis, vel  
ablit nec timeatur periculum vindictæ, d. c. ult.

In causa quoque hæreseos sententia absolu-  
toria nunquam transit in rem judicatam, ex  
Constitut. Pii V. Inter multiplices, apud P. Matth.  
lib. 5. tit. 3. c. 10. Neque appellationis remedium  
hæretico condemnato est concedendum, c. Vt  
inquisitionis 18. h. l. in 6. nisi ab interlocutoria seu  
ante prolationem sententiæ.

4. Variè autem deferatur quis de crimine hæ-  
resis. Interdum ex leviori aliqua suspitione  
ut quia semel ex ira protulerit verba hæretica  
vel blasphemata, aut per annum perfliterit in ex-  
communicatione; & delato taliter de hæ-  
resi post abjuratorem imponitur pœnitentia  
salutaris, nec proceditur generaliter ad tortu-  
ram, Genuen. in Praxi c. 84. Interdum ex suspi-  
cione vehementi seu violenta; ut si quis ad  
omnem animi motum verba proferat hæreti-  
ca, aut blasphemet sæpius, invocet Dæmo-  
nes, verbis deprecatis, & c. prout hæc tradit  
& probat Piassec. d. loc. n. 9. ex Genuen. d. c. 84.  
n. 7. Ubi etiam subiungit, vehementer suspi-  
ctos esse de hæresi, qui Sacramento pœnitentiæ  
abutuntur, & in confessione pœnitentem ad  
actus inhonestos provocant, talesque ut hæ-  
reticos puniendos esse, ex rescripto Pii IV. an.  
1561. ad Inquisitionem Hispanicam: sicut & eos  
qui officium seu ministros Inquisitionis, quod  
minus contra reos procedant, impediunt, do-  
mum Inquisitionis invadunt, portas infringunt,  
testes in causa fidei productos verbe-  
rant, vel alias auxilium, consilium aut fa-  
vorem quid hujusmodi molientibus præstant,  
d. c. Vt Inquisitiones: ubi prohibetur, ne quis  
huic officio impedimentum iniiciat, sub pœna  
excommunicationis, ipso facto incurrendæ;  
quam si deinde per annum animo obstinato  
substinerit, ex tunc velut hæreticus condem-  
nari jubetur. Severius autem in tales animas  
vertendum statuit Pius V. Constitut. incip. Si  
de protegendis anno 1569. quam refert Piassec.  
dicto loco, & Clem. VIII. alia Constitut. quam  
recitat ibidem Piassec. quâ casibus inibi spe-  
cificatis, formaliter convictum hæreticum  
vult tradi brachio seculari, etiam pro prima

vice. Cui ex praxi S. Inquisit. tradi is quoque  
debet, qui hæresim Principi persuadere præ-  
sumplerit.

Alias de aliis criminibus seu erroribus convi-  
ctus hæreticus, pro prima vice, si pertinax non  
sit, post factam adjurationem, pœna arbitratia  
est puniendus, d. c. Ad abolendam hoc tit.

Deinde si non fuerit plenè probatum crimen  
hæresis, nec sit confessus, indicia tamen præ-  
cesserint violenta, abjurare debet accusatus er-  
rorem suum, & pro facto scandaloso, ex quo or-  
ta suspicio fuit, puniri arbitrio Judicis, Piassec. d. lo-  
co n. 13. Vide fustius Greg. Tholof. Syntag. Juris  
universi lib. 32. c. 7. Farinac. Tract. De hæresi. Ze-  
rolam in V. Hæretici §. 24. & 25. & Azor. l. 1. p.  
Institut. moral. lib. 8. cap. 20.

## TITULUS VIII.

### De Schismaticis & ordinatis ab eis.

1. Schismatici qui dicantur.
2. 3. Eorum pœna.

**P**roximi hæreticis sunt Schismatici, qui  
se ab unitate Ecclesiæ Romanæ divi-  
dunt ac segregant, & aliam constituunt. Et quia  
tales aliquando Ordines sacros conferunt, si-  
bique Sacerdotes & Clericos constituunt, id-  
circo additur in Tit. & ordinatis ab eis. Schisma-  
tici, secundum Abbatem, interdum sumuntur  
largissimè, eoque pacto omnes constitui in  
peccato mortali, Schismatici dicuntur, quia  
sunt extra charitatem, can. Audi denique xi. q. 3.  
interdum largè, & sic excommunicati dicun-  
tur etiam Schismatici, quia sunt extra Ecce-  
lesiam & communionem fidelium, can. Cum ex-  
communicato xi. q. 3. Strictè verò capiuntur  
pro iis, qui proprium Episcopum ejiciunt de  
Sede Episcopali, seu ab eo se separant, sibi usur-  
pantes presbyteros illius, can. Denique, & can.  
Scire debes vii. q. 1. & can. Loquetur Dominus  
xxiv. q. 3. Strictissimè verò, ut hic, pro iis, qui  
se dividunt ab unitate Ecclesiæ Romanæ, & si-  
bi aliam constituunt: dicitur enim Schisma-  
ticus



neus à Schismate, id est scissura, *d. can. Schisma* xxii. q. 1. quia Ecclesiam Dei, quæ una est, scindit. Et ideo omnis hæreticus est Schismaticus, quia ab Ecclesia Romana secundum aliquod dogma pervertum se dividit, non tamen è contra, *can. Loquitur, can. Alienus* xxiv. q. 1. nam Schismaticus potest esse, licet nullum dogma contra sensum Ecclesiæ confingat; proindeque hæresis pugnat cum fide, non item Schisma, licet unitati Ecclesiæ adversetur, & ut inquit August. lib. 99. *Evangel. secund. Matth. q. 1.* Schismaticus non una fides diversa facit, sed communis disrupta societas. Nec quilibet obedire recusans summo Pontifici, aliquid præcipienti, hoc ipso proprie schismaticus est, sed qui ei subesse non vult, tanquam Ecclesiæ capiti, Christi in terris vicario, non etiam si ideo, quia ejus persona sit illi infusa, *Azor. 1. p. lib. 8. cap. 2. 1.* Nullum tamen est schisma, quod sibi tandem hæresin non confingat, ut rectè ab Ecclesia recessisse videatur, *can. inter hæresin, xxiv. q. 3.*

2. Schismaticorum pœna hodie est excommunicatio latæ sententiæ sive Bullæ cœnæ Domini, quæ extat apud Navar. in *Manuali cap. 17.* Nam de jure communi non videntur ante Bullam fuisse generaliter excommunicati ipso jure, sed excommunicandi, *arg. cap. 1. hoc tit. can. Nullus Distinct. 19. can. De Liguribus xxxiv. q. 5.*

Nec obstat *cap. Licet sup. De elect.* quia loquitur tantum de iis Cardinalibus, qui post electum Pontificem, communi duarum partium consensu, alium Pontificem receperunt, & de eo, qui post prædictam electionem contra electum se habet & gerit. Quamquam de jure communi non tamquam excommunicati ipso jure, sed tamquam schismatici fuerint vitandi, *cap. 1. & 2. h. tit. & leges de hæreticis loquentes simul etiam loquantur de schismaticis, & hi pagani æquales habeantur, imò peiores, d. can. Denique vii. q. 1. can. Non afferamus xxiv. q. 1.* graviorque debeat esse pœna, ut constat exemplo Dathan & Abiron qui propter hujusmodi crimen ab inferis, ruptis terræ compagibus, vivi absorpti sunt.

3. Ordinationes item ac beneficiorum collationes, & rerum Ecclesiasticarum alienationes ab his factæ, sunt irritæ & inanes, *d. cap. 1. & 2. h. i. juncto can. Ordinationes ix. q. 1.* scilicet

quoad executionem & functionem Ordinum: nam characterem imprimunt, & ordines ipsi per se subsistunt, *d. & 2. h. i.* quia retinent potestatem Ordinis, sed ab ejus usu sunt suspensi. Potestate verò jurisdictionis verius est eos universaliter esse privatos, quia sunt extra Ecclesiam, *can. Novatianus vii. q. 1. can. Didimus xxiv. q. 1. can. Alienationes xii. q. 2.*

Verius quoque videtur, schismaticos esse irregulares, *cap. Quia diligentia 5 sup. De elect. Can. Nos consuetudinem Dist. 12. can. Convenientibus 1. q. 7. Azor. 1. p. Institut. moral. lib. 8. c. 20 q. 18.*

## TITULUS IX.

## De Apostatis &amp; reiterantibus baptismum.

1. *Apostata quis dicatur.*
2. *Apostasia alia est Fidei, alia Obedientiæ, alia Religionis.*
3. *Pœna Apostatarum.*
4. *Conc. Trid. decret. de Regularibus ad alium Ordinem transuentibus.*

1. **A**postatarum sacrilegum quoque nomen est, *l. 4. Cod. De Apostasia.* & Apostasia gravissimum crimen, in ipsum Deum principaliter tendens. Imò Apostata in eo deteriores hæreticis sunt, quia fidem semel in baptismo susceptam, non in parte, ut hæretici, sed in totum deserunt, *l. 1. 2. & 3. Cod. eod.* Additur de reiterantibus baptismum, quia & hi velut apostatæ sunt, dum à priori baptismo recedunt per ejus reiterationem.

Apostata Græcis idem est, qui Latinis desertor seu rebellis vel etiam transfuga, ut qui à Principe vel duce suo ad hostes transit seu fugit: & Apostasia idem est, quod rebellio seu desertio, à Græco ἀποστασία, id est Defectio vel Desectio. Hic verò pressius sumitur Apostata pro eo, qui temerariè recedit à statu Fidei, vel Obedientiæ, aut Religionis, quam semel professus est. Diciturque Apostata, quasi retrò stans sive abiens, ut ex D. Aug. refert Gratianus

Non

rianus



tianus, *can. Non observetis XXVI. q. 7.* & Apostasia significat ejusmodi temerarium recessum; quamquam hæc allusio potius sit ad nomen, quam origo nominis.

2. Itaque nomen Apostatæ tripliciter hoc loco sumitur. Primò pro eo; qui deserit susceptam semel à se Fidem Christianam, & transit ad Judaismum, Paganismum aut Mahometi impietatem; diciturque Apostata perfidiæ vel renegatus, de quo loquitur Tex. in *can. Non potest 2. q. 7.* Differtque ab Hæretico, quia is tantum ex parte deficit à fide Catholica, Apostata verò ex toto: à Pagano autem differt, quòd is contradicat fidei, quam nullo modo antè suscepit, Apostata verò repugnet fidei, quam ante ipsa fuit professus: à Judæo distinguitur, quod is contradicat fidei, quam in typis, figuris & umbris antè tenuit. Secundò dicitur Apostata, qui Monasticam Religionem; & terriò, qui susceptum Ordinem sacrum deserit, *can. fin. Distinct. 50. can. Quantumlibet Distinct. 47. can. Beatus III. q. 4.* Sed & quartum est genus Apostatarum, eorum scilicet, qui superioris vel Ecclesiæ præcepta transgrediuntur, *cap. Si quis 2. & cap. Illud 4. sup. De majorit. & obedientia.* Vide Glos. & Panorm. ad *cap. 1. hoc tit.* latè Menoch. *De arbitr. lud. q. lib. 2. cap. 6. casu 546.* & Mascard. *De probationibus conclus. 112.*

3. Diversimodè autem Apostatæ à Jure coercentur. Primò publicatione bonorum, non extantibus propinquis, *lib. 1. 3. & 4. Cod. eod.* Jus præterea testandi; vel testimonii dicendi, vel succedendi non habent. *d. 3. l. Cod. eod. can. Non potest 2. quæst. 7.* ipsoque jure sunt infames, *can. Alieni 2. quæst. 7. d. can. Beatus, can. Si quis 111. quæst. 4.* & qui alteri apostasiæ auctor fuerit, cum cum dispendio fortunatum etiam capite puniendum censuerunt Theodos. & Valentin. Impp. *lib. 5. Cod. eod.* Insuper Apostatæ Religionis, mancipandi sunt carceribus, donec desertum Religionis habitum resumpserint, *cap. penult. hoc tit.* & deprehensi in crimine, qui scilicet deserto Ordine Clericali & habitu in Apostasia tamquam laici conversantur, post trinam quidem monitionem, si Clericus fuerit primæ tonsuræ, sacri verò Ordinis apostatæ ipso jure, ut communius obtinuit, vel post unam saltem monitionem, amittunt

privilegium Clericale, *cap. 1. hoc tit. junctio cap. In audientia 25. & c. Contingit 45. inf. De sentent. excomm.* Quod accipit de privilegio Canonis *Si quis suadente XVI. q. 4.* Et propterea in eos manum iniicientes non incidunt in dicti Canonis excommunicationem, Vide Panorm. in *d. 6. 1. hoc tit.* Bern. Diaz in *Pract. Crim. Canonica cap. 142.* & Covarr. *Pract. quæst. cap. 32. num. 2.*

4. Ut verò in Religiosis seu Regularibus Apostasiæ cesset suspicio, mandat Conc. Trident. *Sess. 25. cap. 19.* ut nemo Regularis cujuscumque facultatis vigore, transferatur ad laxiorem Religionem, neve habitum Religionis suæ occultè ferat, sed publicè, & *cap. 4. inf. dem Sess.* verat, ne Regulares à suis recedentes Conventibus, etiam prætextu ad superiores suos recedendi, nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint. Statuitque, ut qui sine prædicto mandato, in scriptis obtento, repertus fuerit, ab Ordinariis locorum, tanquam desertor sui instituti, puniatur. Nihil autem inibi deficit de transitu ad æquè arctam vel arctiorem Regulam: sed extat ea de re Constitutio Pii V. an. 1569. quam refert Azor. *1. p. Moral. Institut. lib. 12. cap. 14.* qua rescindit & abrogat omnes facultates, præter jus commune concessas, recipiendi vel retinendi Religiosos alterius Ordinis, etiam laxioris. Refert ibidem & aliam Pii IV. Constitutionem, qua facultatem summæ Pœnitentiarii restrinxerat, statueratque, ne ex causis etiam piis, facultatem standi extra Monasterium concederet, citra consensum Superiorum, & alia, quæ ibidem videre licet. Aliarum præterea Constitutionum extravaganantium, huc spectantium, meminit Zerola *p. 2. V. Monachi §. 89. & 10.*

Sunt autem Religiosi fugitivi quorundam requirendi, & extrahendi in claustra, ex *Constitut. Greg. IX. c. fin. sup. De Regularibus.* Quid verò de ejusmodi statutum sit cum in Gallia editis Regiis tum in Belgio Caroli V. edito, dato Bruxellis 1535. vide apud Zyp. *hoc tit. num. 7. 8. 9.* Ubietiam refert, quid statuerit Gregor. XIII. de bonis cum Apostatarum, tum aliorum Religiosorum, extra monasterium morientium. Caterùm causas Apostatarum & Regularium, extra monasteria sua

vagan-



vigantium, Pius V. Ad Sedem Apostolicam revocavit, P. Matth. in vii. *Decret. lib. 3. tit. 7. c. 2.*  
Denique subiiciendum hic esset aliquid de secunda parte Tit. hujus, nempe de reitantiis baptismum; verum ea de re sufficienter dictum est à nobis jam antè lib. 1. Tit. 16.

## TITULUS X.

## De his qui filios occiderunt.

1. Parricidium qui committere dicantur.
2. Pœna parricidarum.

Superioribus Titulis vidimus de iis criminibus, quæ principaliter in Deum committuntur: consequenter videndum est de illis, quæ principaliter tendunt ad læsionem proximi, quibusque aut corpus & vita proximi læditur, aut pudicitia thorvisse offenditur, aut res & bona proximi exteriora attrahantur & violantur. Primi generis est homicidium, & inter homicidiorum genera gravissimum, quod in filios sive descendentes, & in parentes seu ascendentes committitur, diciturque generali nomine Parricidium; & adeo grave est, ut Quintil. in Declamationibus omnia scelera maximum appelleret: & Solon interrogatus, cur nullam legem in parricidas tulisset, responderit: Non expectasse se tale scelus unquam potuisse committi.

1. Dixi, generali nomine vocari Parricidium; nam licet Parricidæ propriè vocentur parentum interfectores, aut qui suæ patriæ, quæ cuique parentis est loco, excidium aut vim attulerint, Cicero 1. *Officior.* tamen postea lege Pompeja cautum fuit, ut parricidii teneantur non solum, qui patrem vel matrem, sed & ii, qui fratrem, sororem, patrualem, matrualem, filium, filiam, & alias personas, in l. 1. *D. ad l. Pomp. de parric.* enumeratas, occiderint.

2. Pœna parricidarum more majorum sive de

jure Civili fuit hæc, ut virgis sanguineis verberati, ac deinde infuti culeo, cum cane & gallo gallinaceo, vipera, & simia, in mare vel in amnem proiicerentur, l. *penult.* D. *ad l. tit.* Cicer. *pro Roscio Amerino* Vide Gregor. Tholosan. *Synag. juris universi lib. 36 c. 24.* Gothofred. *ad l. penult.*

Jure verò Canonico luaderetur matri, quæ iracundiæ calore ducta filium occiderit, si quidem inupta vel vidua sit, ut in monasterium ingrediatur, in quo reliquo vitæ cursu peccatum deploret, *cap. 1. h. t.* Si verò sit conjugata, non ideo à marito est separanda, sed alia pœna ei imponi decet, *c. 2. h. t.* Quod si infantulus de nocte cum patre & matre mortuus reperiatur, nec appareat, utrum à patre vel à matre oppressus sit vel suffocatus, extra culpam omnem non sunt parentes, indiciturque pœnitentiarium annorum, quorum unum peragant in pane & aqua, *cap. ult. hoc tit.* si quidem peccasse in eo intelliguntur, quod infantem in communem lectum recipiendo, periculo oppressionis vel suffocationis exposuerint. Qui matrem occiderit, eodem jure pœnitere debet per decem annos, juxta formam præscriptam in *can. Latorem xxxiii. q. 2.* At verò, qui parentem per furorem occiderit, impunitus manebit: nam sufficit eum furore ipso puniri, l. *pen. § fin.* D. *ad l. Pomp. de parricidiis*, l. 14. D. *De officio Præsidis*

## TITULUS XI.

## De infantibus &amp; languidis expositis.

1. Pœna exponentium infantes & languidos.

Omni quoque inhumanitate & crudelitate referti sunt, & tanto deteriores homicidio, quanto calamitosioribus id inferunt, inquit Justin. *Novel. 153 in fine.* qui scilicet infantes ac minores septennio exponunt seu abiciunt, ut vel pereant, vel ab aliis, commiseratione motis, suscipiantur & alantur, *can. Si expositus distinet. 84.* Etenim necare videtur non tantum is, qui partum præfo-

Nam 2 cat,



car, sed & is, qui abiicit; & is, qui alimenta denegat, quique publicis locis misericordiae causa exponit, quam ipse non habet, *l. Necare 4. D. De agnosc. & alendi lib.*

1. Quales propterea digni sunt poena homicidii, *l. 2. Cod. eod. l. Nec filium Cod. De patria potest. l. 1. § poena D. De agnosc. lib.* Et, si pater fuerit, amittit jus patriae potestatis, si dominus, jus dominicae potestatis, non tantum si ipse exposuerit, sed & si ab alio expositum sciverit, vel postea ratum habuerit, atque ita expositus hoc ipso consequetur libertatem: ultraque poenam, quam meretur exponens filium vel filiam, privatur successione filii seu filiae, ab intestato decedentis. Nam eo casu expositus videtur incertum parentem habere, qui filio non sit dignus, cum filium indignum se existimaverit, & proinde meritis omni utilitate ex proveniente carere debeat.

Idem iuris est in languidis (id est sic viribus ob infirmitatem deficientibus, ut ad omnem poenae operationem sint inutiles) ita expositis, cujuscumque aetatis fuerint, siue infantes, siue majores. Qui tamen hos suscipiunt non acquirunt per hoc in personas ipsorum aliquod jus, *c. fin. h. tit.* licet aliud jure Cod. Theodos. obtinuerit, ut videre licet apud Greg. Tholosan. *Synag. Iur. universi lib. 11. c. 10. n. 3.*

Quas autem impensas repetere possit is, qui infantem expositum aluit, brevitatis causa vide apud Azor. *2. p. Moral. Institut. lib. 2. cap. 16.* ubi tradit, omnia, quae de parentibus exponentibus infantes statuuntur jure Civili vel Canonico, obtinere in iis, qui per se vel per alios commodè filios suos alere possunt: si verò praë inopia vel egestate aut sine dedecore & ignominia eos alere nequeant, eurent, ut in Hospitali saltem aliquo, ad hoc pietatis officium extructo, educantur, prout de servo statuitur in *lib. 1.*

*Cod. De Latina libertate solvenda.*

## TITULUS XII.

### De homicidio voluntario vel casuali.

1. Homicidium quid sit.
2. Aliud est Voluntarium, aliud Necessarium, aliud Casuale.
3. Voluntarium aliud directè tale, aliud indirectè.
4. 5. Necessarium item duplex.
6. Quid sit moderamen inculcata tutela.
7. 8. Casuale cum culpa vel sine culpa committitur.
9. Poena homicidii voluntarii ex utroque jure.

**T**Ranseamus nunc ad homicidium, in genere considerandum. Licet enim genus plerumque praemittatur speciei, isque sit ordo usitator in omni arte & scientia, ut ab universalioribus incipiat, & prius de genere tum de speciebus agatur, § *Is igitur Institut. De iust. & iure, Aristot. 1. Physic. cap. 1.* tamen nonnunquam etiam iusta de causa praemittitur species, & subicitur genus: ut hoc loco Pont. prius tradidit homicidii species, quae propter atrocitatem criminis praemitti debuerunt.

1. Homicidium ab Homine dicitur, & ad utrumque sexū pertinet, *l. Hominis 1 § 1. D. de verb. signif.* licet alias Homo pro viro specialiter capitur, *l. Si quis aliquid § qui abortionis*, in veteribus, *mulier aut homo perierit D. De poenis*, & in jure Canonico Homicidium non tantum hominis occisionem, sed & detractionem, persuasionem malam, omnemque motum iniquum ad nocendum alteri designet, *can. Homicidiorum cum quatuor seqq. De poenis. Distinct. 1.* Specialiter verò sumitur Homicidium hic, prout significat occisionem hominis ab homine factam, Quod addo, quia utrumque ad homicidii rationem & nomen requiritur: nam si brutum occiderit hominem vel homo brutum, non dicitur propriè homicidium, quia



quia homicidium designat peccatum, quod in brutum non cadit; & proinde est hominis hominem interficientis.

Homicidium sic acceptum triplex statui potest, Voluntarium, Casuale & Necessarium. Voluntarium est, quod dolo malo & animo occidendi quoquo modo admittitur, l. 1. *D. Ad L. Corn. de sicariis*; sive aperto Marte, sive per insidias, sive veneficio, sive pharmaco, sive alio modo.

1. Et ideo aliud est voluntarium directe, ut cum quis expressè intendit & vult occidere hominem; in quo consistit perfecta & propria ratio homicidii, l. 1. *Cod. Ad L. Corn. De sicar.* aliud voluntarium indirecte, ut cum quis expresse non intendit actum ipsum occisionis, sed alium actum, ex quo immediate & per se, & non per accidens, sequitur mors: nam voluntas delinquentis fertur in id, quod fit, & in omne illud, quod per se, & non per accidens, ex illo sequitur, *ult. hoc tit. in 6.* Committitur autem homicidium voluntarium facto, præcepto, consilio ac defensione, *can. Si quis viduam Distinct.* 50. per insidias, *cap. 2. h. t. lingua seu hortatione ad necandum, c. Sicut dignum 6. § qui vero h. t.* Ad voluntarium revocari potest homicidium Necessarium: nam voluntarium vel est absolute voluntarium aut necessarium.

4. Necessarium est, quod quis committit ad necessariam sui defensionem, ut in c. 1. *hoc t.* Et hoc, si fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, est sine culpa & reprehensione, *d. cap. 1. 2. 3. 4. Cod. Ad L. Corn. De sicar.* nam vim vi repellere, cum moderamine inculpatæ tutelæ, omnes leges, omniaque jura permittunt, c. *Significasti 17. h. t. l. 1. D. De iust. & iure.*

5. Dicitur verò fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, cum sit non excedendo limites defensionis, seu non ad vindictam, sed solum ad propulsandam injuriam, & vim arcendam, quando alia evadendi via non suppetit, *d. c. 2. h. t.* Hinc licet diurnum furem, si se telo non defendat, occidere minime permittatur, *d. c. 2. notetur* tamen impune occidi permittum est, quia ignoratur, an furandi, an verò occidendi animo domum ingreditur, *c. 3. h. t.* Sic quoque latro à viatore, hostis à milite, impune occiditur, *can. Cum homo xxxix q. 5.*

6. Necessarium quoque homicidium est, quod auctoritate legis aut superioris, ius gladii habentis jussu committitur, vel quod fit ab eo, qui iustum bellum gerit, *can. Quid culpatur xxxix q. 1.*

7. Casuale est, quod casu fit & præter occidentis intentionem, ita ut nec in se nec in sua causa sit volitum, *cap. Presbyterum 7. c. Dilectus 13. & seq. hoc tit.* Tale est, si quis alicui vulnus inflixerit non letale, mors tamen secuta sit, vel malitia Medici, qui noxia adhibuerit, vel negligentia & temeritate læsi, qui remedia opportuna adhibere noluerit.

Committitur casuale homicidium aut cum culpa, aut sine culpa. Commisum sine culpa non imputatur; uti quando occisor dabat operam rei licitæ, vel etiam illicitæ, secundum probabiliorē sententiam, si modo utroque casu sufficientem diligentiam & cautionem adhibuerit, ne quid inde incommodi sequeretur, *cap. Lator 9. d. c. Dilectus cum tribus seq. hoc tit.* quia quæ merè fortuito accidunt, non imputantur, quandoquidem humana providentiā prævideri non possunt, *cap. ult. hoc tit.* & sufficiens diligentia ac cautio omne periculum & culpam abstergat. Huic assimilatur homicidium à furioso, infante, dormiente commissum; nam & hujus nulla habetur ratio, *Clement. unica eod. l. Infans D. Ad L. Corneliam de sicar.*

8. Sin autem culpa commissum sit, puta si occisor dederit operam rei illicitæ vel licitæ, sed non adhibuerit sufficientem diligentiam, ne quid incommodi accideret, ei imputatur, & à jure Civili punitur, sed minus, l. 1. § *sed si, & l. 4. §. 1. D. eod. l. Si putator D. Ad L. Aquiliam*; a saceris verò Canonibus irregulariter notatur, c. 7. & 8. *h. tit.* Ratio est, quia tum est volitum in ipsa commissione cautionis seu diligentia: sicut submersio navis censetur voluntaria in negligentia gubernatoris.

9. Pœna homicidii voluntarii, dolo commissi, ex lege Cornelia olim in liberis hominibus erat deportatio in insulam, & bonorum omnium ademptio, l. 3. § *penultimo D. Ad L. Corneliam De sicar.* in servis verò & humilioribus ultimum supplicium; hodieque ultore ferro seu pœna capitali lex homicidas persequitur.

Nam 3

Neque



Neque aliàs referente Zyp. *h. t.* in Brabantia Princeps abolitionem concedere homicidis potest, nisi prius eum parte transegerint: aliterve induciæ vel silvus conductus, seu *gelyde*, ut vocant, concedi eis nequeunt; *Latus Introitus Caroli V. art. 21. & Maria art. 42.* Idem sanxerunt Pontifices Pius IV. & Pius V. prout & ne antè condemnati per contumaciam audiantur, nisi in carcere constituti, & citatis occisi hæredibus. Constitutiones eorum refert Petrus Matth. in vi. *Decretal lib. 5. tit. 8. cap. 7. & 8.* Ibidemque cap. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 9. & 10. alias Constitutiones adversus homicidas videre licet.

De jure verò Canonico pœna est excommunicatio *excommunicatio* xxiv. q. 3. & depositio ab Ordine quocumque, si sit Clericus, & post depositionem detentio in carcerem, utique ad tempus, veluti quinquennium vel sexennium, *d. cap. Sicut dignum in fine hoc tit.* Insuper homicida voluntarius privandus est beneficiis suis, cap. 1. & 2. inf. *De Clericis pugnanti in duello:* & quidem per sententiam, quia non privatur ipso jure, ut communiter sentit P.D. post Felinum in *c. Inquisitionis n. 3. sup. De accusat.* testatur Pias. 2. p. c. 4. art. 14. sub n. 16. præter assassinatum, Navar. in *Manuali c. 27. n. 24.* Adèd ut, licet lata fuerit sententia condemnatoria de homicidio, si in ea non fiat mentio privationis expressæ, non censetur adhuc privatus, quia præsumi possit, Episcopum voluisse eum eo dispensare in retentione beneficii, quippe qui & in hoc casu, sicut & plerisque aliis, quoad retentionem beneficii, habeat facultatem dispensandi, Pias. *d. loco.* Ideoque Clericus homicida fructus beneficii sui facit suos, & licet adhuc pendere, non prohibetur beneficio renuntiare, donec per sententiam privetur, Felin. in *cap. De quarta num. 31. sup. De præscript.* Quemadmodum & si in sententia sit expressa pœna privationis, & condemnatus appeller, durante appellatione resignare interim beneficium potest, & valida est resignatio, licet beneficium fuerit impetratum ab alio, in casum privationis. Pias. *d. loco n. 17.* ubi ait, pro indubitato id præstari in Curia Romana, post Genuen. in *Præxi c. 65. n. 18.* Quamvis non desint, qui talem renuntiationem putent invalidam, propter jus ad rem alteri quæsitum. Quæ ratione vero possit hodie Episcopus cum

homicida dispensare quoad sacros Ordines suscipiendos vel beneficium obtinendum, vide Conc. Trid. *Sess. 24. c. 7. De reformat.* Et quam pœnam incurrant, qui abortum procurant, quod Augustin. in *can. Aliquando xxxi. q. 2.* crudele facinus appellat brevitas causa omitto, traditurus alias. Videti interim potest ea de re Constitutio Sixti V. an. 1588. & altera Gregorii XIV. an. 1591. apud Pias. p. 1. c. 1. art. 5. n. 1.

## TITULUS XIII.

## De Torneamentis.

1. Torneamenta qua dicantur.
2. Pœna occisus quem in torneamentis, & occisus.
3. Quando licita torneamenta.
4. Agitatio taurorum prohibita.

Post tractatum de homicidio, tam in speciem quam in genere, sequitur de quibusdam actibus, qui quandoque causam homicidio præbent, & primò quidem de Torneamentis, id est ludis hastilibus seu equestribus.

1. Dicuntur autem Torneamenta à circumcundo; suntque induciæ quædam vel nundinæ ac fericæ, in quibus milites ex conducto vel conducto convenientes ad ostensionem virium suarum & audaciæ temerè congregi & aggredi solent, cap. 1. h. t. & ibid. Abbas; idque maximè in acie, dum otiosi sunt, vel in honorem Heroum defunctorum, Per Greg. Tholosan. *Synag. Juris universi lib. 48. cap. 16. num. 5.* Eaque hic & in *can. Monomachiam 2. q. 5.* prohibentur, quod ex iis sæpè periculum animarum & mors hominum proveniat, *d. cap. 1.* quodque spectantes hujusmodi spectacula Deum solummodo tentare videantur, *d. can. Monomachiam.*

2. Quòd si igitur quis in ejusmodi torneamenti seu ludis hastilibus alium occiderit, licet jure Civili nulli pœnæ subiciatur (decernere enim hasta leges Romanorum permiserunt, *l. Solent §. Senatus D. De alea lusu & aleator.*) de jure Canonico homicidii reus est, atque ex-



regularis, quia operam dedit rei illicitæ, & per se periculosa, d. c. 1. & 2. *hœc tit.* Ideo licet taliter occisus pœnitentia non negetur, sepultura tamen denegatur Ecclesiastica, si animo pugnaverint; secus, si alia de causa, puta ad percipiendam creditam seu debitam, d. c. 1. & 2.

3. Et hæc quidem obtinere videntur in torneamentis olim usitatis, de quibus d. cap. 1. & 2. loqui videntur; non etiam in iis ludis hiltibus, qui hodie frequentantur in inauguratione, vel nativitate, vel adventu alicujus Principis, cum in iis non subsit tantum periculi, nec hanc eo modo, quo olim, Hinc Joannes XXII. in *Extravag. unica eod.* Constitutionem Clementis, in quibusdam regnis torneamenta inhibentem, sub pœnis excommunicationis & interdicti, revocavit, & absolvit à censuris, hujus occasione incurris, Vide Navar. in *Manuali cap. 15, num. 9.*

4. Adinstar torneamentorum prohibita est agitatio taurorum intra circum, de qua plures scripserunt, & in primis eruditus Maranta post diversorum Pontificum Constitutiones Pii V. an. 1567. Greg. XII. an. 1575. Sixti V. an. 1586. Clementis VIII. an. 1596. quarum meminit cum Navar. d. cap. 15. cap. 19. cum Gutierrez lib. 1. *Can. quæst. c. 7.* & Azorp. 3. *Instit. Moral. lib. 2 cap. 15.*

## TITULUS XIV.

## De Clericis pugnantibus in duello.

1. Duellum unde dictum & quid sit.
2. Duella hodie prohibita omnino utroque iure.
3. Duellantium pœna ex jure Canonico.
4. Pœna duellantium & iis adfidentium ex Conc. Trid.
5. 6. 7. Quando & in quibus duellum pœna illa locum habeant, vel non.

Multò verò frequentiores cædes hominum nasci ex duellis, quam ex tornea-

mentis, experientia docet; ideoque major ratio prohibitionis hic est. Illa enim causa solius roboris & virtutis naturalis probandæ sunt, hæc verò ad controversiarum decisionem & in defectum probationis ab aliquibus offerri solent, & ab aliis suscipi, ut hac ratione victor probasse intelligatur, & victus in probatione defecisse.

1. Appellatur Duellum quasi duorum bellum, seu bellum, quo à duabus partibus de victoria contendentibus dimicatur: Græcis Monomachia, quasi pugna unius tantum cum altero, *can. Monomachiam 2. g. 5.* Quamquam etiam veteres Duellum dixerint, quod nos Bellum: unde & perduelles hostes; & quos hostes appellamus, eos veteribus perduelles appellatos fuisse testatur Cajus in l. *Quos nos hostes 234. D. De verb. signif.* & latius id ipsum ostendit Tholosan. *Synag. juris universi lib. 48. c. 16. num. 2.* Quia verò Clericis potissimum hæc pugna interdicta est, ideo Tit. inscribitur *De Clericis pugnantibus in duello.*

2. Tamen si autem duellum, Ulpiani tempore legibus Romanorum nondum fuerit damnatum, l. *Qua actione 6. si quis D. Ad L. Aquiliam*: tamen hodie omnino vetitum est, de jure tam Civili, l. *unica Cod. De digladiatorib. lib. 11.* quam Canonico, toto hoc Tit. *Decretal cap. 1. & 2. inf. De purgat. vulg. & d. can. Monomachiam.* Exstat: & Constitutionas Julii II. Clementis VII. Julii III. Pii IV. Gregorii XIII. quas refert Quaranta *P. Duellum.* Et quamvis olim tabulis legum Brabantiae Joan. Ducis 1312. certa duella, & sub certis formis, permitterentur, prout & legibus Germanorum, Hispanorum, Longobardorum, Galliarum, uti videre licet ex Gregorio Tholosan. d. loco num. 8. & Constitut. Philipp. Regis Galliarum an. 1305. quam explicat Guido Papa à Decis. 607. usque ad 624. tamen exstat Serenissimorum Belgii Principum Edictum 27. *Februarii an. 1610.* quo provocantes & consentientes in duellum declarantur infames, indigni nobilitatis insignibus, privati officiis & honoribus omnibus, cum publicatione dimidiæ partis bonorum: ipsis verò duellantibus, aut ad locum duello deputatum ex condito convenientibus pœna infligitur mortis cum publicatione bonorum omnium. Conformiter *Lato introitu Ducis Maria art. 19.* neque  
Dux



Dux poterat remittere hanc poenam. Alioqui lætus introitus Caroli V. *art. 24. costantum*, qui extra patriam duellum indixerit, punit ducenis marci puri auri, aut alias poena arbitraria, teste Zyp *hoc tit. num. 4.*

3. Non igitur tantum Clericis interdicitur duellum, sed etiam laicis, *c. 1. h. t.* Et non solum illi, qui ipsi in duello alium interfecerint, tamquam rei illicitæ & periculosa omnino operam dantes, sed & qui alium pugilem ad hoc subornarint, sunt irregulares, *c. 2. h. t.* Imò hoc ipso, quo Cleneus duellum in se, sive offerendo sive suscipiendo, sive victor, sive victus evadat, derigore Juris deponendus est. Quamquam Episcopus de jure communi cum eo dispensare valeat, si neque mors neque mutilatio membri inde secuta sit, *d. c. 1.* sicut & circa beneficium habendum. Alloquin hodie post Concil. Trid. & Constitutionem Clementis VIII. & Gregor. XIII. non videtur posse dispensare, Azor. 2. p. *Instit. Moral. lib. 3. cap. 50. quest. 12.*

4. Cum autem in duello soleant reperiri quinque genera personarum; primò, Principes, Imperatores, Reges, vel alii domini, duellum in terris sibi subjectis concedentes; Secundò, pugnantes; tertio, patrini eorum; quartò, ii, qui consulunt vel aliquo modo favent; quinto spectatores, qui ad spectacula concurrunt: hodie omnes hi ex decreto Conc. Trid. *Sess. 25. cap. 19. De reformat.* primò sunt excommunicati II. Domini temporales qui in terris sibi subjectis locum ad monomachiam inter Christianos concesserint, privantur jurisdictione & dominio civitatis, castri aut loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiserint, si hujusmodi locum ab Ecclesia obtineant: & si feudum sit, redit ad dominum suum directum. III. Pugnantes & eorum patrini, notantur infamia perpetua. IV. Confiscantur & publicantur bona omnia, & puniuntur ex æquo omnes, ut homicidæ, licet non fuerit secuta mors. V. Decedentibus in conflictu Ecclesiastica denegatur sepultura, prout & de jure communi denegari diximus. Et ex his poenis excommunicatio incurritur ipso facto: reliquæ per sententiam Judicis, idque his casibus, quibus duellum est illicitum, ut quando suscipitur ad solam virum ostentationem aut periculi militaris, *cap. 1. sup. De*

*torneamentis*: vel ad indagationem & probationem veritatis, aut criminis spontaneam purificationem, *c. 1. & 2. inf. De purgat. vulgari*; vel ad privati honoris defensionem, *Less. 2. De iust. c. 9. Dubit. 12. n. 84.* vel ob privatas simulas & inimicitias (sic enim Clemens VIII. in Constitutione *incip. Illius* an. 1592. declaravit, militum ob hanc causam alterum militantem in exercitu publici hostis provocantem ad singulare certamen, ob privatas simulas, contineri hac prohibitione: ut & eos, qui mittunt, scribunt, divulgant chartulas provocatorias, fautores & complices: vel ad oblectandos spectantium animos, uti apud gentiles fieri solebat in gladiatorum spectaculis: vel ad litem & contentionem, nisi certis casibus, Azor. *Instit. Moral. lib. 2. cap. 5. quest. 5.*

5. Quia imò prædictis poenis esse locum etiam in duellis, quocumque modo initis, abique alicujus Principis auctoritate vel consensu, respondisse Cardinales refert Azor. *d. loco n. 6. q. 1.* Sed & si alter alteri dicat: Tali loco te expectabo, ut pugnemus, & postea pugnent, nullis concurrentibus ad spectaculum, & absque Principis facultate ac patrinis, secundum Lud. Molinam *De iust. & iure Tract. 3. Diss. 17. nu. 4.* Quod tamen negat Azor. *d. c. 7. q. 2.* prout neque locum habent, si in iura alter alteri dicat: Defendete, & exerto gladio statim pugnent, cum id non ex condictione fiat, Riccius in *Praxi Decis. 634.* Molina *d. loco* referente Zyp. *h. tit. n. 6.* Ubi existimat, dictis poenis etiam locum esse, si ex condictione pugna, non telis, sed pugnis ineatur; neque enim inauditum esse quem pugnis interfici.

6. Ut autem domini locorum has poenas incurrant, necessum est, quod ad duella facultatem concedant: non etiam permittant tantum impune duella ad graviora peccata & majora mala evitanda.

7. Similiter non est locus poenis in duello licito: ut si in bello hinc inde inter se milites pari numero, sive unus contra unum, sive duo contra duos, sive decem contra decem alios, duello experiantur, ne scilicet militum animi concidant aut hostium provocantium exercitus audaciam indeumat, & crescat temeritas, vel aliis de causis, de quibus Azor. *d. cap. 5. quest. 3. & 4.* Si item necessarium illud sit ad vitæ defen-



defensionem, nec alia pateat ratio adversus injustum in valorem, Lest. 2. *De iust. cap. 9. Dub. 8. num. 49.*

Qui plura de hoc crimine desiderat, legat Azot. d. c. 5. & 6. Alciat. *Tract. De singulari criminis.* P. Greg. Tholos. *Synag. Iuris universali.* 43. cap. 16. ubi plura de forma duelli tradit, Nativit. in *Manual. cap. 11. nu. 391. & c. 13. n. 9.*

## TITULUS XV.

## De Sagittariis.

1. *Sagittarius quis dicatur.*
2. *Quis Ballistarius.*

**P**rohibetur hoc Titulo ars ballistariorum & sagittariorum; quia & hæc causam homicidii præstare solet, ut constitus illi hostiles, quos vulgus tormentamenta vocat, & duella, Dicendumque eos similiter irregularitatem incurtere, qui artem illam sagittariorum vel ballistariorum exercent, ubi, quando, & adversus quos non deest aut licet, nempe adversus Christianos & Catholicos, idque sub pœna excommunicationis, *unic. h. i.*

1. Sagittarius autem hoc loco sumitur pro eo, qui jacula seu sagittas emittit ex arcu seu ballista, non quidem majori, cuius etiam in bello usus fuit, ut constat ex *Cic. lib. 5. Ep. ad Attie.* Magna, inquit, tormentorum copia, multis sagittariis, magno labore, apparatu, multis sauciis ex nostris, incolumi exercitu negotium confestim.

2. Ballistarius verò dicitur, qui ballistâ utitur, non quidem minori, hodieque passim communi, sagittas ejaculante, cuiusque D. Hieron. meminit *contra Iovin.* dum ait, *Ballista quanto plus retrahitur, tanto fortius emittitur; & Manu-ballista* ab aliquibus appellatur: sed majori, quæ machina fuit bellica sive genus quoddam tormentorum Romanis usitatum, jaciens saxa majora & graviora ad quassandos & everrendos muros; de quo & doctè & curiosè L.

Lipfius in *Polyorcticis sive de Machinâ bellicâ.*

## TITULUS XVI.

## De Adulterio &amp; Stupro.

## §. I.

## De Adulterio &amp; pœnis illius.

1. *Adulterium & generaliter & specialiter sumi.*
2. 3. *Pœna adulterii de iure Civili & Canonico.*
4. *Hoc iure adulterium deprehensum cum uxore occidit fas non esse.*
5. *Pœna Clerici adulteri.*

**S**uperioribus Titulis actum est de homicidio, & quibusdam actibus, per quos ad homicidium quandoque pervenitur, quibusque corpus & vita læditur proximi: sequitur ordine Decalogi, id est legis antiquæ, decem præcepta continentis, de adulterio & stupro (ita enim in præcepto est, *Non occidas: Non machaberis*) ceterisque illiciti concubitus generibus, quibus vel thoros proximi violatur vel pudicitia læditur.

1. Quamvis verò Adulterium, generaliter sumptum omnem copulam, quæ non habet potestatem conjugii, comprehendat, *can. Nemo blandiatur & tolerabilior xxxii. q. 1. & Lex Julia* de adulteriis promiscuè Stuprum & Adulterium usurpet, *l. Inter liberos 6. D. eod. & l. Inter stuprum D. De verb. signif.* tamen specialiter sumptum dicitur alieni thori violatio *can. Non machaberis xxxii. q. 5.* & quasi ad alterius thorum accessio; deque Jure Civili propriè in nuptam committitur, non autem in virginem aut viduam: ac definitur, alienæ matrifamilias corruptio. Quamvis eodem Jure etiam ad sponsam extendatur, *l. Propter 7. Cod. eod.* quia sponsa pro uxore habeatur, *l. Si sponsa 74. D. De iure dot.* & quia neque matrimonium quaecunque spem matrimonii violare permittatur, *l. Si uxor 13 §. Divi & §. si minor D. Ad L. lul. De adult.* licet hoc casu mitior pœna decernatur. Verùm Jure Canonico etiam in solutam mulierem à conjugato committitur adulterium, *can. 19. & fin. xxxii. q. 5.* nam hoc iure eadem castimonia in marito requiritur, quæ in uxore, *can. Præcipit. can. Apud nos & d. can. fin. xxxii. q. 5.*

Quod



2. Quod ad pœnas adulterii attinet, Jure quidem divino pœna utriusque delinquentis est lapidatio, *Deuter. 22. Exod. 20. c. Satis xxxi. 1. 9. 5.* De Jure autem Civili, quando criminaliter agitur, ex L. Julia non videtur olim fuisse capitalis, sed vel deportatio, ut in militibus, *l. 2. §. miles D. De his qui not. infamia*; vel relegatio ut in paganis, *l. Si quis viduam. D. De quaestionibus*: ex posteriori verò jure, nempe ex *l. Quamvis Cod. Ad L. lul. de adult.* pœna sanguinis & gladii tam virò, quam fœminæ adulteræ interrogari cœpit, jam inde à tempore Justiniani, ut constat ex *l. Transigere Cod. de transact.* sed ea hodie in plerisque provinciis mutata est in pecuniariam, vel aliam, dummodò abfuerit violentia, aut qualitas aggravans, *Jul. Clarus §. Adulterium n. 7. circa finem. & latè Boër. Decis. 297.* Et ex Justiniani *Novella 134. c. 10.* mulier adultera non punitur gladio, sed virgis cœla in monasterium detruditur, potestate interim marito relicta intra biennium eam repetendi. Quod & Jure Canonico videtur receptum, *c. Gaudemus sup. de convers. conjugat.* Dosque hoc casu distribuitur certo gradu atque ordine inter descendentes, ascendentibus, & monasterium, *d. Novel. 134. c. 10.* Si verò civiliter agatur, hoc est ad separationem thori factâ separatione dos & donatio propter nuptias innocenti conjugi applicantur, *Novell. 117. c. 8. c. Plerumque 4. sup. De donat. inter virum & uxorem.* Quamvis autem in hoc sint pares maritus & uxor, quod ob solum adulterium alterius agere possint ad separationem thori, non tamen in lucro dotis & donationis propter nuptias: nam uxor ob solum adulterium amittit dotem (nisi fuerit viro reconciliata, *d. c. Plerumque*) maritus non antèquam si frequenter cum alia muliere egerit & bis monitus non respuerit, *d. Novel. 117.* Insuper uxor in adulterio reperiata est infamis ipso jure, etiam antequam condemnatur per sententiam: adulter verò non fit infamis, nisi per sententiam. Cumque maritus, uxore adulterâ, solutus sit à jure solvendi ei debitum conjugale, ingredi monasterium potest, *c. Constitutus sup. De convers. conjugat.*

3. Cæterum Jure Canonico alter conjugum, sive maritus sive uxor, ob alterius adulterium agere ad separationem thori potest coram Judice Ecclesiastico ad quem solum spectat eo casu cognitio, *cap. Tunc 5. sup. De procur. c. 1. sup. De*

*officio Jud. ordin. cap. At si Clerici §. De adulterio sup. De judiciis*: nisi alter, v. g. maritus sciens uxorem suam adulteram esse, vixerit porro cum eadem, non perfecta pœnitentia, quia hoc casu & ipse reus erit ac particeps delicti, *cap. Si vir 3. hoc tit.* vel nisi alter alteri adulterium obiciat, quia paria delicta mutua compensatione tolluntur, *c. penult. & ult. hoc tit.* Qua ratione autem Ordinarius possit ex officio procedere in causa adulterii, vide Concil. Trident. *Sess. 24. De reformat. matrim. cap. 8.* Sed & certis casibus ad hanc separationem agi non posse, jam antè diximus.

4. Denique licet Jure Civili permillum fuerit marito, atque etiam patri, deprehensum adulterum cum uxore vel filia occidere certis casibus impune: id tamen de jure Canonico nullatenus permittitur, *can. Inter hac can. Admonere vers. nam si virum, can. Si quod virum xxxi. 1. 9. 2.* Et hæc quidem jure Pontificio circa laicos statuta sunt, qui eodem Jure etiam excommunicari debent, *cap. Intelleximus 6. hoc tit.* ac pœnitentiæ subici; imò & in monasterium detrudi possunt, *juxta communem.* Vide Covar. *De matrim. 2 p. c. 7. n. 29.*

5. At verò Clericus, qui adulterium commisisse aut confessus, aut convictus fuerit à Judice Ecclesiastico, deponendus est ab officio & beneficio & in monasterium detrudendus, ad perpetuam pœnitentiam agendam, *can. Si quis Clericum Dist. 81. & damnatus de crimine ejusmodi est infamis Abbas in d. c. At si Clerici §. de adulterio.* Imò Præbiter infamatus ad solam confessionem mulieris adulteræ, assentientis se ab eodem cognitam fuisse, non quidem condemnandus est adulterii, sed eidem, veluti suspecto de adulterio, indicenda Canonica est purgatio, cum manu quinta sui ordinis, id est cum quinque vicinis Præbiteris: in qua purgatione si defecerit, ab officio suspendendus est, *c. Significasti c. 1. cap. Quam sit gravis 9. inf. De excessib. Prælat.* Potest tamen Episcopus cum Clericis dispensare in adulterio & aliis criminibus inferioribus, *cap. Cum non ab homine §. at si Clerici in fine sup. De judiciis.* Si quando vero ob gravitatem delicti imponenda fuerit pœna sanguinis, adiri debet Juxta secularis, *c. Sententiam c. Clericis sup. De Clericis sup.*

*No Clerici vel Monachi. &c.*

§. II. De



## §. II.

## De Stupro &amp; pœnis illius.

1. *Stuprum latè, striatè & striatissimè sumi.*  
 2. 3. *Pœna stupri de iure Civili ac Canonico.*

1. Quæmadmodum Adulterium subindè ita latè sumitur, ut omnem coitum, lege prohibita continet, ita & Stuprum, *l. Inter lictoræ* 6 D. *Ad L. lul. de Adult.* aliquando verò strictius sumitur, & committi dicitur in virginem, vel viduam, integræ vitæ ac honestæ viventem, citra vim, *d. l. Inter lictoræ* 101 D. *de verb. signif.* imò & in masculinum, *l. Qui domus* 3 D. *h. t.* Strictissimè vero & propriè capitur, pro virginum illicita defforatione, ut in *can. Lex illa xxxviii. q. 1.*

2. Pœna stupri citra vim commissi de iure Civili in personis honestis est publicatio dimidiæ partis bonorum; in humilibus coercitio corporis, cum relegatione, *§. Item lex lulia de adulteriis instit.* De publi. *judic.* Alioqui commissum vi, sive verè, sive interpretativè, veluti dum stuprator blandis verbis, & dolosis promissionib⁹ sollicitatæ seducitque & velut compellit virginem, *arg. l. 3. §. si quis violentem* D. *De lib. homine exhib.* *l. 1. §. 3. De servo corrupto*, punitur pœna capitali, ut volunt DD. in *d. §. Item lex lulia de adult.* id quod Justin. ibi diserte violentum stuprum exipiat, in verbis, *sine vi* Qui verò nondum viri potentem virginem corruperit, de iure communi non punitur pœna mortis: sed vel in metallū damnatur, si humilior fuerit, vel in insulā relegatur, si honestior, aut in exilium mittitur, *l. Si quis aliquid* 38. §. *qui nondum* D. *De pœnis.* Tutor stuprans pupillum deportatur ejusque bona publicantur, *arg. l. unica Cod. Si quis eam, cujus tutor &c.* A fortiori stuprans viduam cognatā, aut aliam cum qua nequit consistere matrimonium, deportatur, *l. Si quis viduam* D. *De quæst.* Servus, qui cum domina rem habuisse detectus fuerit ex Constit. Constantini traditur ignibus concremandus, domina capite plectitur, *l. 1. Cod. De mulieribus, quæ se propriis servis, &c.*

De iure verò Canonico stuprator virginis honestæ tenetur eam dotare & habere uxorem: nisi pater dare nolit, quo casu dotasse sufficit. Si verò ipse renuat habere, corporaliter castigatus excommunicatusque in monasterium,

ad agendam inibi pœnitentiam, detrudendus, *e. 2. h. t.* Sin non possit eam ducere, ut quia sic conjugatus aut Ordine sacro insignitus, nihilominus dotabit, quia utrumque est in obligatione, *arg. l. Celsus* §. 1 D. *De receptu arbitris.* Clericus vero etiā deponitur, ex communi sententia, apud Jul. Clarum, §. *Stuprum* n. 3. Insuperque pecuniaria pœna vel corporali veluti detrusione in carcerem aut monasterium, puniri potest, juxta arbitrium Judicis, Abbas in *c. At si Clerici* n. 20. *sup. De iudic. in cap. Vt Clericorum sup. De vita & honest. Cleric.* Wamel, *Conf.* 582. n. 5.

3. Quod si Episcopus, Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, Lector, Psalmista, aut Ostiarius, cum muliere, sanctificata Deo, mœchatus fuerit deponendus est, quia sponsam Christi corripit: si verò fuerit laicus, excommunicandus est, *can. Si quis Episcopus* xxxvii. q. 1. Et præterea ex Justiniani Constitut. Novella 123. c. 43. res ejus monasterio applicantur: aliæque pœna hoc scelus coercetur, De fornicatione cum filia spiritali vide *can. penult. & ult.* 111 q. 1. & latius de pœna stupri tam adversus Clericum quam laicum, in foro tam conscientie quam civili & Pontificio, vide Menoch. *De arbitrariis lib. 2. casu* 288. 294 & 420.

Illud hic subiiciendum, Paulum IV. Constituit, quam refert Pet. Matth. in vii. *Decretal. lib. 5. tit. 1. §. cap. 1.* statuisse, ut conciliatores, progeneretæ, lenones ac lenæ, quæ puellam virginem interpellaverint, flagitio quidem perfecto pœna capitali, imperfecto vero deportatione perpetua in insulam plecterentur: in cæteris autem calibus fustibus publicè cæderentur.

## §. III.

## De Incestu &amp; pœnis ejusdem.

1. *Incestus quid sit.*  
 2. 3. *Pœna incestus simplicis & incestuum nuptiarum ex utroque iure.*

1. Quæmadmodum Adulterium gravius est Fornicatione, ita incestus adulterio, *can. Adulterii malum* xxxii. quæst. 7. Est autem Incestus consanguineorum vel affinitum intra gradus jure prohibitos abusus, seu cum eis concubitus. Et Incestuosi dicun-



tur, qui consanguineis vel affinibus intra gradus prohibitos abutuntur, seu cum eis concumbunt, *can. Lex illa xxxvi. q. 1. can. De incestuosus xxxv. q. 2.* Unde & nuptiæ inter hos contractæ incestuosæ appellantur, *Novel. De incest. nupt. in prin. l. fin. Cod. eod. tit. can. Nec eam xxxv. q. 2.* quasi in his nuptiis minimè adsit castus, id est cingulum illud, quo Venus ad nuptias honestas utebatur, *Covar. 4. Decretal. p. 2. cap. 6 §. 8.* Virginum vero Deo consecratarum conjunctio non solum incesta, sed & sacrilega est & dicitur, *can. Si quis sacro xxvii. q. 1.*

Pœna incestus simplicis, id est absque matrimonio, de jure Digest. eadem est, quæ adulterii, *l. Si quis viduam D. De questionibus*, non etiam de jure Codicis, nisi cum alia specie fornicationis, committatur, puta cum adulterio vel stupro, *Iul. Clarus, §. Incestus* quia licet jure Codicis aucta sit pœna adulterii, non tamen pœna incestus.

2. Incestarum vero nuptiarum in honestis quidem personis, facta separatione, una cum infamia, pœna est exilii, & bonorum publicatio, ipso scilicet jure, à die commissi criminis, dummodò non supersint liberi ex alio matrimonio, in vilibus verò additur corporis coercitio, *Novel. 12. De incest. nupt. c. l. 4. Cod. eod. Covar. d. loco.* A pœna tamen amissionis bonorum, jure novissimo statuta, excusat ignorantia juris aut facti, etiam ex lata culpa contingens, *Covar. d. loco.*

In eum verò, qui Virginem Deo consecratam, jungendi matrimonii causa, vel saltem intentarit, capitalis pœna constituta est, *l. Si quis non dicam Cod. De Episc. & Clericis. Adde Novel. 12. §. penul.*

3. De jure Canonico Clericus, de incestu accusatus & infamatus, deponendus est & beneficiis privandus, *Iul. Clarus d. loco.* Eodem jure omnis incestus macula pollutus, si quidem scienter, infamis est; neque sacerdotes neque legitime conjunctas personas accusare potest, *can. Consanguineorum 111. quest. 4.* Estque excommunicatus ipso jure, *Clement. unica, De consanguinit.* à qua tamen excommunicatione per Episcopum absolvi potest, *Glof. ibid.* & à se invicem separandi sunt, *d. Clement. unica v. 1. c. Non debet sup. De consanguinit.* Alteroque morte prævento alter, quamdiu vivit, gra-

viter pœnitere debet absque spe conjugii cum alia, *can. Quadam cum aliquot segg. xxxi. q. 7. can. fin. xxxv. q. 8. & aliis, c. 2. & 8. sup. De eo qui cognovit consanguin. &c.* Quamquam si contraxit cum alia, subsistat matrimonium, quia tantum est impedimentum impediens, non autem dirimens.

Qui verò, contraxerit ignoranter incestas nuptias mitius arbitrio Judicis, puniendus est: sicut & is, qui ab initio bona fide contraxit, sed postmodum, detecta consanguinitate vel affinitate, nihilominus perseveravit, non incidit in pœnas incestus, à legibus & Canonibus impostas *Glof. in d. Clement. unicam ad V. Sentent. & Clar. d. §. Incestus n. 9.* At qui scienter matrem & filiam, aut duas sorores germanas carnaliter cognoverit; sicut & mulier, quæ patri & filio, aut duobus fratribus germanis, sui copiam fecerit, pœna ultimi supplicii plecti jubetur, ex Constitutione Sixti V. *Bajard, in Addit. ad Iul. Clar. d. §. Incestus n. 10.*

Denique filii nati ex incestuosis complexibus, scienter factis, non censentur legitimi, nec parentibus succedunt, *can. unico xxxvii. q. 7. l. Si quis & Auth. Incestus Cod. De incestu nuptiis.*

## TITULUS XVII.

### De Raptoribus & incendiariis & violatoribus Ecclesiarum.

#### §. I.

#### De Raptoribus Virginum.

1. Raptus in quo à Stupro differat.
2. Sponsus rapiens sponsam violentem non est raptor.

SEquitur in Decalogo post homicidium & adulterium de furto, ac proinde de eo quoque hic agendum esset; verum quia raptus est medium quoddam inter adulterium & furtum, cum & rapina dicatur improbum furtum, & raptus nihil sit aliud, quam abductio virgi-



virginum ad stuprum : idcirco hoc tit. Pont. de raptoribus tum corporum, tum rerum & bonorum, simulque de incendiariis & violatoribus seu raptoribus Ecclesiarum.

1. Raptus in genere hoc loco est mulieris ; virginis seu viduæ, seu Monialis, vel nuptæ aut etiam masculi, libidinis causa, abductio. Differt à Stupro, quod Raptus vim includat, siue ea fiat soli raptæ, siue iis, quorum potestati subest, ut parenti, marito, sponso, curatori siue iuriosque, *l. unica Cod. De raptu virg. can. De raptoribus xxxvi. q. 1.* Vim autem habent etiam persuasoria verba, *l. 1. §. persuadere D. De servo corrupto* : adeoque Solon magis eum punivit, qui verbis pellexisset mulierem, quam qui vi abduxisset, teste Plutarcho, in *Solone*. Insuper potest habere locum in corrupta. At verò Stuprum tantum habet locum in integra, & fieri potest absque ullo rapto; sicut & raptus fieri potest citra violationem, quia sufficit eo sine esse raptam.

Dixi, libidinis causa; quia si redigendi in servitutem & domini vindicandi causa fiat abductio, dicitur plagium, non raptus.

2. Dixi, abductio; quia si in loco violetur, non dicitur propriè rapta, sed vim seu stuprum passa: licet generaliter id etiam raptus vocetur.

Quamvis autem sponsus de presenti vel futuro raptus sponsam suam, de illius consensu, sed in vitis ejus parentibus, non dicatur raptor de jure Canonico, *cap. Cum causa 6. h. c. tit.* eo quod sponsus ex desponsatione aliquid juris in sponsam habeat, (raptusque non dicitur admitti, in *d. cap. Cum causa*, ubi ante de nuptiis nihil est actum) tamen dicitur raptor de jure Civili, *l. unica Cod. De raptu virg.*

## §. II.

## De pœnis raptus.

1. Pœna raptus est capitalis de jure Civili.
2. Eodem jure interdicitur matrimonium inter raptorem & raptam.
3. Non verò jure Canonico.
4. Aliapœna ex eodem jure.
5. Conc. Trid. decretum de hæc.

1. Ex civilis raptoris puellæ vel mulieris, honestæ, siue nuptæ, siue innuptæ, & maxime si Deo fuerint dedicatæ virginis vel viduæ, ultore ferro, id est capitis supplicio persequitur, cum bonorum ademptione, quæ addicuntur raptæ, vel aliis, juxta ordinem, *d. l. unica Cod. De raptu virg. Nov. 143. De raptu mulierib. & Nov. 150. De ea qua raptori suo nubuit. Adde can. Si quis rapuerit xxvi. q. 1.* Deprehensi verò in ipso ratu & fragranti adhuc ciimine tam raptorem quam qui eis auxilium præstiterint, possunt à parentibus vel aliis conjunctis personis, item à tutoribus vel curatoribus raptæ impunè occidit.

2. Insuper jure Civili interdicitur matrimonium inter raptorem & raptam *d. l. unica*. sicut & olim jure Pontificio *can. Placuit, can. De puellis xxxvi. q. 2.* Quod tamen posteriori jure Decretalium mutatum est, *c. ult. h. tit.* ut parebit ex jam dicendis. Cæterum raptui mulieris inhonestè viventis seu meretricis nulla jure Civili statuta est pœna, seu relicta est arbitraria & extraordinaria, Vide Menoch. *De arbitr. casu* 191. Jul. Clarum §. *Raptus n. 6.* Covar. *lib. 3. Var. resol. c. 13. n. 2.*

Jure igitur Canonico, hodie raptor raptam habere uxorem non prohibetur, *d. cap. ult. hoc tit.* dummodò rapta à rapto separata, & in loco tuto ac libero constituta, extra potestatem raptoris, liberè dein consentiat in matrimonium. Alioquin quamdiu in potestate manet raptoris, nullum inter eos potest consistere matrimonium, Conc. Trid. *Sess. 24 cap. 6. De reformat. matrimonii.*

3. Præterea raptorem alienæ sponsæ Canones publica pœnitentia mulctant, jubentque manere sine spe conjugii, *can. Raptor. 33. & can. seq. xxvi. q. 2.* sicque impedimentum matrimonii non est dirimens, sed impediens: quod tamen in quibusdam locis non est in usu, *Nat. var. in Manuali c. 22. n. 74.*

Quin etiam ob immanitatem facinoris & violentiæ, si ea intervenerit, raptor mulctari morte vel membro aliquo mutilari potest: quamvis Judex Ecclesiasticus hanc pœnam infligere non valeat, sed eam regiæ potestati reservare debent. Vel mortis aut mutilationis impunitate concessa raptor sit servus raptæ, eum potestate tamen seipsum redimendi, solvendo libertatis pretiū, competens aut mulieri



aut patri ejus, *can. De raptorib. xxxvi. q. 1.*

5. Insuper tam raptor, quam ejus fautores incidunt in excommunicationem, *can. Raptores & alii xxxvi. q. 2.* sententiæ non quidem latæ, sed ferendæ *can. 1. & seq. ibid.* Conc. verò Trid. d. loco, statuit, ut etiam securo matrimonio inter raptorem & raptam, nihilominus & raptor ipse, omnesque illi consilium, auxilium, & favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces, & si Clerici fuerint, de proprio gradu decident; teneaturque præterea raptor mulierem raptam, sive eam duxerit, sive non, decenter arbitrio Judicis dotare.

### §. III.

De Raptoribus rerum, atque incendiariis.

1. *Rapina quid sit, ejusque pœna de jure Civili.*
2. *Ratione rapinæ, quis sortitur forum in loco delicti.*
3. *Pœna violentis ac spoliatis Ecclesiæ est excommunicatio.*
4. *Constitut. Pontif. adversus occupatores & detentores bonorum Eccles.*
5. *Item adversus depradatores naufragorum.*

**D**iffert rapina à furto eodem ferè modo, quo stuprum à raptu, quia rapina & raptus est contrahatio & abductio violenta, furtum verò plerumque occultè fit, ut & stuprum defloratio est virginum plerumque fraudulenta.

1. Rapina igitur, prout à furto specialiter dicto distinguitur, est violenta & manifesta rei alienæ in viro domino contrahatio, *l. Si vendidero D. De furtis.* Per hoc enim, quod dicitur, violenta & manifesta, excluditur furtum: propriaque inde actio nascitur vi bonorum raptorum. Pœna rapinæ de jure Civili, rei etiam minimæ, intra annum utilem, est quadrupli, *Institut. De vi bon. raptorum §. 1.* Non tamen totum quadruplum est pœna veluti in furto manifesto, sed in quadruplo inest rei persecutio; & pœna tantum est tripli, sive manifestus sit, sive non manifestus, id est sive deprehendatur raptor in ipso delicto, sive non. Nec tamen peioris conditionis est fur, quam sit raptor, quia li-

cet quoad hæc pœnam pecuniariam gravius puniatur fur manifestus, quam raptor, tamen quoad alia, & in genere multo gravius punitur raptor, quippe qui de vi etiam publica vel privata teneatur: quæ de re videri possunt, quæ latius tradunt interpp. *Ad D. & Institut. b. 1.* quo lectorem remitto.

2. Illis verò ex hoc Tit. addere ista operæ pretium est, raptores rerum de loco ad locum iter faciunt, viasque obfident, ut rapinas & depradationes agant, ratione delicti sortiri forum ejus loci, in quo deliquerint; ideoque à quolibet iudice, in cujus territorio deprehensi fuerint, puniri possunt, *c. 1. b. 1.* Pœnam tamen sanguinis instigare non potest Juxta Ecclesiasticus, licet de raptu, & aliis criminibus, ex delegatione Principis cognoscere & judicare possit, *c. 4. b. 1.*

3. Quod si quis raptor fuerit manifestus, vel violator Ecclesiæ, veluti si corripuit vel polluerit Ecclesiæ, vel prædia ejus invaserit, si eidem vim intulerit, ostia fregit, vel privilegia infregerit, aut aliis modis, *de quibus xvii. q. 4. per tot.* eam violaverit, ipso jure subiacet excommunicationi, negato etiam pœnitentiæ ac sepulturæ beneficio, nisi prius ablata restituerit vel caverit de restituendo. Si verò renuat cavere, dum potest moriensque non possit, cum vult, negari quidem viaticum vitæ & sepultura non debet, verum sepulturæ ejus nulli Clerici interesse possunt, citra ordinis sui damnum & beneficii Ecclesiastici privationem, *cap. 2. hoc t.* Vide Covar. *lib. 3. Par. 9. resolut. cap. 3. num. 9.* ubi tradit, quando & qualiter prædicta cautio præstanda sit.

4. Refertur huc possunt variorum Pontificum Constitutiones, nempe Clementis VI. Leonis X. Pauli IV. Pii IV. adversus invalores & occupatores bonorum Ecclesiæ, quas recitat Petr. Matth. in vii. *Decretal. lib. 2. tit. 2.* è quibus Leo X. specialiter insurgit in Principes occupantes bona Ecclesiastica; & eorum libertati detrahentes: cuius decretum confirmasse Hadrianum VI. Clementem VII. Jul. III. & Pium IV. testatur P. Matth. d. loco. Recè proinde mandat Conc. Mechlinien. 1607. *tit. 22. cap. 12.* ut decretum Concil. Trid. *Sess. 22. c. 11.* adversus occupatores bonorum Ecclesiasticorum, seu ad quæcunque alia pia loca spectantia subinde populo per concionatores inculcet.

Spe.



Specialiter verò de spoliatoribus fidelium negotiantium, navigantium & naufragorum, statutum fuit in Conc. Lateran. sub Alex. III. tales excommunicandos esse c. 3. h. t. quæ excommunicatio hodie reservata est summo Pont. per Bullam Cœnæ Domini. Extantque ea de re Constitutiones Julii III. & Pauli III. apud P. March. lib. 2. tit. 14. Pii V. Gregorii XIII. apud Zerolam 2. p. v. *Naufragium*. Planè Julius III. eandem excommunicationem hujusmodi raptoribus infligit, & bona fide consilium auxiliumque naufragis impertientes indulgentiis donat. Dictam autem excommunicationem evitant, inquit Zerola d. loco, primò qui bona naufragorum suscipiunt, animo restituendi ea suo domino, nisi fuerint in mora, secundò quando ignorant bona esse naufragorum, tertio, quando dominus ea eiecit animo non recuperandi, vel pro derelictis habuit; quod non præsumitur, cum nemo præsumatur iactare suum: adeoque lex de confiscatione bonorum naufragantium esset tyrannica, inquit Zerola d. loco. Quod enim jus habet fideus, inquit Constantinus Imp. l. 1. Cod. de naufragis lib. 11. in aliena calamitate, ut in re tam luctuosa compendium sectetur.

Quantum ad incendiarios attinet, ii sunt vel Ecclesiarum seu rerum Ecclesiasticarum, qui scilicet dolo malo in Ecclesiam vel alia pia loca ignem iniecerunt, & tales ultra damni restitutionem excommunicari sunt ipso facto; vel rerum profanarum, & excommunicandi sunt: factaque publicatione seu denuntiatione ab Ecclesia non ab alio absolvi possunt, quam à summo Pontifice, cap. Tua nos 19. inf. De sent. excommunicat. nisi in mortis articulo, quo casu quilibet sacerdos eos absolvere potest, & absolute sepeliri in cœmeterio seu loco sacro Compelluntur tamen hæredes ad satisfaciendum, quatenus facultates defuncti ferunt illis, qui per incendium damnum passi sunt, ut saluti animæ consulatur, cum non dimittatur peccatum, nisi restituatur ablatum, cap. In litteris 5. h. t. Quod aliter se habet de jure Civili, quo delicta cum persona defuncti extinguuntur, l. Defuncto D. De publ. iudicio, l. Sanctimus Cod. de pœnis. Vide Covar. lib. 3. Par. resol. cap. 3. n. 7. vers. Tertio inquirendum. Eodem jure incendiarii qui ob iniurias vel prædæ causâ intra oppidum ignem in domum aliquam vel alium locum intulerint,

capite puniuntur, & plerumque vi exutuntur, l. Capitalium 28. §. incendiarii 12. D. De pœnis. Quæ pœna hodie apud nos recepta est, teste Damhoud. in Braxi Crimin. cap. 95.

## TITULUS XVIII.

## De Furtis.

## § I.

## Furti definitio enucleata.

1. Furtum unde dicatur, & quid Furti nomine veniat.
2. Furtum & rapinam specie distingui.
3. Furti definitio enucleata.

Cum viderimus de raptoribus seu rapu, qui est species furti; Insist. de vi bon. rapt. in princ. sequitur ut agamus de furtis in genere eoque magis, quod, ut ante diximus, circine Decalogi furtum subjungatur homicidio & adulterio.

1. Ubi præmittendum primo, Furtum dici vel à Furvo, id est nigro, ed quod clam & obscure fiat, & plerumque nocte, vel à Fraude, vel à ferendo, vel à Græco sermone, quod *φῶπας* fures appellant, similiter à Ferendo, l. 1. D. h. t. Alciat. 1. Disput. cap. 19. Secundò, quamlibet illicitam rei alienæ acceptionem sive occupationem generaliter vocari Furtum & Rapinam, cap. Si quid xiv q. 5. ubi dicitur, Si quid inveneris & non reddideris, rapuisti Sic Exod. 20. & in Decalogo dum prohibetur furtum, omnis iniqua rei alienæ usurpatio, sive sit furtum, sive rapina, sive usura, sive alia, nomine furti intelligenda est.

2. Alias furtum & rapina distinguuntur, tamquam duæ distinctæ species, ut patet ex Justiniano Inst. De obligat. qua quasi ex delicto nascuntur in princ. ubi hæc quatuor Furtum, Rapinam, Damnum, Injuriam, separatim enumerat satis indicans illa natura & specie distingui: & ex Juriscons. in l. 2. §. fin. re D. De vi bon. rapt. ubi ait, non minimam esse differentiam inter eum, qui clam facit, & eum, qui vi rapit: idemque probatur ex Philosopho lib. 5. Ethic. cap. 2. circa finem: & denique hac ratione, quia furtum ex sua ratione dicitur acceptionem rei alienæ, clam



clam factam, & ignorante domino; rapina vero eodem conscio, ac vim patiente; atque ita rapina includit in sua ratione violentiam, quam furtum excludit. Vide Covarr. *ad cap. Peccatum* p. 2. §. 1. n. 1. & 2. *De R. I. in 6.*

3. Furtum itaque prout à rapina distinguitur, est rei alienæ fraudulosa contrectatio, lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam usus possessionisve, l. 1. *in fine D. h. t.*

Dicitur rei alienæ; quia propriæ rei, quatenus propria est, contrectatione, non fit furtum. Dico, quatenus propria est; quia quatenus alteri est communis, commodata, vel oppignorata, potest fieri furtum, eo quod tunc auferatur & intervertatur illi sua pars, vel usus, vel securitas, quam in ea re habebat. Ideoque si quis re commodata, deposita vel oppignorata aliter utatur, quam acceperit, furtum facit, dommodò adsit animus fraudandi dominum, qui magis inspicitur, quam res, *can. fm. xiv. q. 6.*

Dicitur fraudulosa; quia simplex contrectatio non est furtum, nec furem facit, nisi ei fraus sit admixta. Duo autem vel tria includit hæc particula fraudulosa. Primum, ut contrectans rem sciat esse alienam: nam si putet probabiliter esse suam, aut se habere jus illam contrectandi, non committit furtum, quia est extradolum & fraudem, sine qua furtum non committitur, l. *Qui injuria* §. 3. *D. hoc tit. l. Furtum* 37. *D. De usucap.* Secundo, ut contrectatio fiat in scio & invito domino: nam qui contrectat rem, domino volente & consentiente, aut putans probabiliter dominum consentire, si ve verè si ve falso id putet, furtum non facit, l. *De eo* 63. *D. De donat. inter vir. & uxorem*, l. *Inter omnes* 46. §. *reliq. 7. D. hoc tit.* volenti enim & consentienti non fit injuria; nec quis fraudare eum dicitur, qui scit & consentit, l. *Quod autem* 6. §. *præterea* *D. Qua in fraudem credit. &c.* In dubio autem intelligitur quis invito & verante si ve non consentiente domino contrectare rem, quando dominus ignorat, l. *Qui unus* 48. §. *quod si dominus* *D. h. t.*

Per hanc itaque particulam à definitione furti excluditur rapina: nam licet hæc fiat etiam lucri faciendi gratia, &c. tamen non fit occultè & fraudulenter, sicut furtum, sed aperta invasione, per vim & arma, ut patet ex Tit. *De vi bon. rapt. & Ad L. Jul. de vi priuat.* Satisque col-

ligitur ex dictis, non necessario adici definitioni clausulam, *invito domino*, quia hæc includitur in dictione fraudulosa.

Dicitur, contrectatio; quod est genus definiti: nam omne furtum est contrectatio, non è contra, ut patet ex dictis. Nec sufficit animus seu conatus contrectandi ad furem constituendum, l. 1. §. *inde sola cogitatio*, l. *Vulgaris* §. *quis furti* *D. h. t. l. 3. §. si rerum* *D. De acquir. vel amit. poss. s. s. s.* Ideoque si quis intraverit alienam domum furandi animo, & nihil adhuc contrectarit, non tenebitur actione furti, d. *quis furti*; sed injuriarum aut de vi, si per vim intraverit arbitrio Judicis puniendus; l. *Saccularii* 7. *D. de extr. ord. criminib.* Sed nec verbo nec scriptura quis furtum facit, quia si non contrectat rem, l. *Si quis uxori* §. 3. §. *neque verbo* 19. *D. hoc tit.* veluti si quis furandi animo neget depositum, neque enim furtum est ipsa inhiatio, licet propè furtum sit, l. *Inhiando* 67. *D. eod.*

Contrectare autem non tantum est loco movere & auferre, sed attingere seu attrectare, modò fiat defraudandi dominum causa. Unde rei immobilis, veluti supdi, locive fraudulosa occupatio non est propriè furtum, l. *Quam rem* 38. *D. De usucap. l. Verum* 25. *D. hoc tit.* licet veteres quidam, Masurius & Sabinus securi, aliter existimant, §. 7. *Instit. De usucap.* Gellius lib. 11. cap. 18. Ratio est, quia hæc res contrectari, auferri vel occultari, fraudandi dominum causa, non possunt, d. l. 25. Nam contrectari est quasi manu tractari, quod non nisi de re mobili dici potest. Et hinc etiam, si quis majoris ponderis quid aperuerit vel refregit, quo totum tollere non possit, non est furtum, sed earum partium tantum, quas tulit, l. *Vulgaris* 21. §. *item si majoris* 8. *D. eod.* Hinc insuper rei incorporalis non fit furtum: veluti, si quis fraudulose impediatur, ne vicinus sua servitute utatur, quia res incorporalis nec tangi nec contrectari potest, sicut nec tradi, l. *Servitus* 43. §. *incorporalis* *D. de acquir. rer. dominio*, Ideoque licet quis, intervertendæ possessionis gratia, quæ incorporalis est, rem alterius contrectans, furtum facere nò videatur, facit tamen in re corporali, ac mobili, & sic per consequentiam dumtaxat, quatenus sublata re corporali intervertitur jus in corporale, quod alter in ea re habet,

Dictum



Dicitur fuit, lucranda causa, quia qui ancillam alterius celat vel abducit libidinis causa, non dicitur facere furtum, l. *Verum* 39. D. eod. nec enim factum quaeritur, inquit Ulpian. sed causa faciendi: causa autem faciendi libido fuit, non furtum. Excusatur proinde a furto etiam is, qui occulte capit rem alienam, extrema urgente necessitate, c. 3. h. t. nam tali casu, quis rem alienam accipiendo, videtur accipere quasi propriam vel saltem communem, quia ius positivum cedit naturali, quo omnia sunt communia. Alioquin non multum urgens necessitas non excusat, eoque casu capiens rem poenitere debet & puniri mitius, d. c. 3. & ibid. Glos. Vide Covar. in c. *Peccatum* p. 2. §. 1. n. 3. Similiter non est dicendus fur, qui compenlandi causa, dum aliter suum recuperare nequit, rem alienam capit.

Additum fuit, vel ipse rei etiam minimam, d. l. *Quam rem in fine*, ut scilicet illam totam sibi habeat.

Additum quoque fuit, vel usus ejus; sic enim, qui re commodata, deposita, aut oppignorata alteri alteri utitur, quam acceperit, furtum facit, §. *furtum autem fit* Institus. eod.

Non solum autem furtum committitis, qui rem alienam surripit, sed & qui spe lucri furem recipit & celat, c. 4. h. t. l. *Qui vult* 48. §. 3. D. eod. Gomez lib. 3. Var. resol. cap. 5. n. 15. Teneturque quilibet furti conscius iudici ex officio in furem inquirenti, vel etiam ad instantiam partis laesa, secundum Canones, iudicare furem, d. c. 4. Gutierrez lib. 1. Cap. quest. c. 11. Estque receptus usu praxis monitionum seu mandatorum ad suam revelationem, ut ajunt, idque in subsidium, & quando veritas haberi non potest Conc. Trid. sess. 25. c. 3. De reformat. Gutierrez d. loco. Maranta De iurisdic. p. 3. c. 4. n. 49. & seqq. Piaf. p. 2. c. 4. art. 13. n. 14.

## §. II.

## De furti generibus &amp; poenis.

1. Furtum aliud manifestum; aliud non manifestum.
2. Item aliud diurnum, aliud nocturnum; &c.
3. 4. Poena furti de jure Civili & Canonico.

1. Furtorum duo sunt genera, manifestum & nec manifestum. Manifestum est, quando

fur deprehenditur cum re furtiva, antequam eò loci pertulerit, quo destinaret eo die, quo furtum fecit, manere cum re furtiva, l. 4. D. h. t. sive deprehendatur in ipso actu furandi, sive in loco, in quo furtum fit, sive in alio, modò deprehendatur priusquam ad locum destinatum pervenerit. Furtum nec manifestum est, quod non est manifestum: nam furtum nec manifestum in legibus xli. Tabb. idem est, quod non manifestum.

Utrumque hoc genus ex adjunctis, alijsque circumstantiis, variè dividitur: nam aliud dicitur Conceptum, aliud Oblatum, de quibus §. 4. Institus eod.

2. Ex tempore, aliud dicitur Diurnum, aliud verò Nocturnum.

Ex persona furis aliud dicitur Domesticum; quod scilicet sit patrifamilias ab aliquo de familia v. g. ab uxore, quod peculiariter rei amotæ nomine appellatur; vel à servis aut liberis vel ministris: aliud dicitur non domesticum, cuiusmodi sunt reliqua.

Ex loco, aliud fit in tumultu, v. g. incendij, ruinæ, naufragij, &c. & hoc gravius est cæteris, quia tum major occasio est furandi, cum quis res suas minus valet custodire, l. 18. Cod. eod. aliud fit in balneo, unde balnearii fures, qui furantur vestimenta eorum, qui sunt in balneo aut se lavant; quod ex eadem causa gravius est.

Aliud denique est arborum furtim cæsarum; aliud gregis, quod Abigeatus dicitur: aliud simplex, aliud improbum, aliud improbius, Quorum distinctiones serviunt ad exaggerandam vel levandam poenam.

3. Poena autem furti manifesti de jure Civili, extra seu præter rei furtivæ persecutionem, est quadrupli, nec manifesti, verò dupli. Persequimur autem rem aut conditione furtiva, aut rei vindicatione, aut actione ad exhibendum; Inter quas & furti actionem, quid interfit, vide Interpp. ad Instit. Iustin. h. t. sicut & adversus quos habeat locum utraque poena & actio furti. Sed & criminaliter ad vindictam publicam de furto agi potest: & quidem jure Civili extra ordinem ad poenam arbitrariam, l. fin. D. eod. l. fin. D. De privati delictis, Hodie verò ex Frederici Imp. Constitutione in §. *si quis quinque solidos*, De pace tenenda, in iust. Feudor. qui

PPP



qui rem quinque solidis valentem, aut plus, fuerit furatus, laqueo suspendi iubetur; si minus, scopis & forcipe excoiri ac tundi. Quod & usus passim ferè recepit. Vide Wefemb. D. ad h. 1. circa finem, & Covar. Var. resolut. lib. 2. c. 3.

4. At verò Jure Canonico Clericis, in furto graviore capius, & de eo convictus, siue per sententiam, siue per confessionem, siue per evidentiam rei, deponitur, *can. Presbyter. Dist. 81. junct. Glof. ibid. in V. captus*; verbaliter scilicet, ut notat Joan. And. in e. Tua inf. De penis; Abbas in e. At si Clerici sup. De iudicis; & in monasterium detruditur, d. c. Tua Hostien. in Summa h. 1. §. fin. Insuper efficitur infamis, sicut laicus, condemnatus in foro seculari; nam quicumque sit infamis secundum leges, etiam sit infamis secundum Canones, *arg. can. Infamis. vi. q. 1. Dixi, in furto graviore*; quia poenalis non est imponenda, quando est furtum parvi momenti.

## TITULUS XIX.

### De Usuris.

#### §. I.

**Usura quid sit, & quibus modis accipiat.**

1. Usura quid sit.
2. 3. Quot modis accipiat: & definitio ejus enumerata.
4. Antichrestisura Civili licita, & Canonico prohibita.

**F**urto proxima est usura: nam & species est rapinae, *can. Si quis usuram xlv. q. 2.* imò non minus crudelis est, qui trucidat pauperem foenore, quam qui subtrahit aliquid vel eripit divitem. *Quid dicam xlv. q. 4.* & ex eodem fonte manat, quo furtum, nempe ex avaritia, teneturque usurarius non minus, quam fur, de restitutione, *c. Cum tuus. c. Tuas nos q. c. Consultus 10.* & aliis h. t. adeò ut quamvis debitor juraret creditori se usuras solutas non repetiturum ad eum tamen restitutionem per Judicem Ecclesiasticum compelli debeat, *c. Quia frustra 14. hoc tit.*

Usura, si propriam notionem spectes, idem valet, quod usus: unde & Latine dicimus, quem habere vel alicui eripi usuram, hujus lucis; & Cicero alibi, natura, inquit, dedit usuram vitæ, sicut pecuniæ. Inde transfertur ad significandum incrementum, quod tanquam fructus provenit ex usu cujusque rei. Ita Cicero de Senect. *Terranumquam sine usura reddis, quod recipis.* Hinc factum est, ut lucrum, quod ex usura seu usu pecuniæ provenit, tam sacri Canones quam leges usuram appellant: hoc tamen discrimine, quod leges civiles usuram magis in pecunia numerata constituant, alias autem res, quæ jure accessionis veniunt in vicem usurarum accipiunt, *l. Si u qui §. 1. D. De piguar. l. Si ea pactione, l. Si ea lego 17. C. h. t.* jus verò Canonicum in quavis accessione lucri supra sortem principale, ut patet ex *can. Consultus xlv. q. 3. per tot.* siue expressè siue tacitè hoc lucrum conceptum sit, idem lucrum etiam vocatur Foenus, *l. Improbum Fenus C.* Ex quibus causis infamia *Ec. & tota. D. & C. De nautico foenore*; à foetu scilicet seu foetura quadam pecuniæ parientis atque incrementis, ut ait Varro apud Gellium *lib. 12. c. 2.* & Græcè eadem ratione τόκος appellatur, quasi sit quidam partus, seu fructus pecuniarum, ut ait Aristoteles *1. Polit. c. 7.* Et hinc Foenerare & Foenerari, *can. 1. xlv. q. 3. l. Qui sine D. De negot. gestu & similib.* quæ tamen non semper capiuntur in malam partem, ut Deuter. 19. Foenerabili gentibus multis, *& à nullo scientis accipies*, id est, mutuabis Ecclesiæ. 29. Foenerare, proximo tuo in tempore necessitatis.

2. Tripliciter autem nomen Usuræ hoc Tit. capitur; Primi, pro voluntate ineundi contractum usurarium seu percipiendi lucrum ex mutuo ultra sortem; sicque nihil est aliud, quam voluntas capiendi lucrum supra sortem ex vi mutui. Nam & sola voluntate seu intentione usuram committi patet ex *cap. Consultus 10. h. t.* & illis Christi verbis, *Lucæ 6. Mutuum date, nihil inde sperantes*; siue scilicet principaliter, siue minus principaliter; tanquam pretium mutui, seu tanquam debitum ex obligatione justitiæ propter mutuum seu ex mutuo nata: quia per mutuum nulla ad tale lucrum nascitur obligatio, & ideo iniquum est illud sperare, tanquam ex obligatione justitiæ per mutuum inducta. Secundo sumitur pro ipsa



conventionem seu contractum usurario, quo lucrum ultra sortem ratione mutui pacifice mutatur, aut saltem speramus, *cap. 3. & 4. hoc tit.* Hinc dicitur usurarium contractum, usurarium negotium, *d. l. Qui sine in fine, & l. Suppelli in fine, D. De negot. gestis*; sicque nihil est aliud quam mutatio expressa vel implicita cum pacto reddendi aliquid ultra sortem ratione mutui. Tertio proprio lucro usurario. Hoc pacto dicuntur usurae *lo. vi vel restitui, & Cum tu 5. cap. Fratres 7. hoc tit.*

3. Et hoc modo accepta Usura definiri potest lucrum immediate proveniens ex mutuo. Nomine lucri intelligitur acquisitio alicujus rei supra sortem pecuniæ æstimabilis, vel alias indebitæ. Ideoque si alicui inurues, ut tibi desinat inique nocere, vel debitum antiquum solvat, aut reddat depositum, non erit usura, quia nihil acquirit nisi alio titulo tibi debitum, *cap. 1. in fine h. t.* Similiter non est usura, si inurues alicui, ut amicitiam vel favorem ejus consequaris, licet inde aliquid emolumenti vel beneficii speres, quia amicitia non æstimatur pecunia. Contra vero, si mutuum dederis, eoque nomine pignus accipias, eo pacto adiecto, quod interea, dum mutuum non erit exsolutum, fructus ex pignore percipias ultra sortem tanquam lucrum usuram committis, *d. c. 1. & 2. h. t.* quam ut evites debes eos in sortem imputare, id est quantum fructuum perciperis, tantum de sorte diminueres, *c. Conquestus h. t.*

4. Et in hoc differt jus Pontificium à Civili: nam jure Civili fructus pignoris pacisci, donec mutuum exsolutum fuerit, licet; & vocatur hæc usura antichresis, id est reciprocus usus, nempe quasi tu debitor utaris mea pecunia, & ego interea re tua, *l. Si pecuniam 32. D. de pignor. actione, l. Si ea 17. Cod. hoc tit.* Idque ea ratione, quia incertus sit fructuum proventus ex re oppignorata, & fieri possit, ut non tantum commodi ex fructibus pignoris percipias, quantum lucratus fuisses pecunia mutuata, si ea interea in aliqua negotiatione usus fuisses.

Additum fuit in definitione, immediate; quia totum lucrum provenire debet immediate ex vi mutationis: nam si immediate proveniat ex amicitia, vel gratitudine, vel spe alliciendi mutuantem ad continuandum mutuum, vel ratione periculi, cui mutuum expo-

nitur, vel ratione laborum & impensarum, quæ probabiliter timentur in mutuum recuperando, vel denique ratione damni emergentis aut lucri cessantis, non erit usura. Et hinc fit, quod licet pactio inter debitorem & creditorem, ut tam diu creditor lucraretur fructus pignoris, quamdiu mutuum non redditur, sit usura, *cap. x. 2. & c. Conquestus 8. hoc tit.* nihilominus tamen directus dominus fructus feudi vel rei emphyteuticæ, sive à vasallo vel emphyteuta pro debito oppignoratæ, legitime percipiat, nec in sortem imputare teneatur, *c. 1. sup. De feudis*. Ratio est, quia contractus feudalitatis & emphyteuticus inter alias tacitas conditiones, cum quibus semper censetur celebrari, nisi contrarium exprimitur, habet & hanc, ut si feudum vel fundus emphyteuticus oppignoretur directo domino, possit ipse percipere fructus, idque ne res apud directum dominum existens fructificet alteri; quod non videtur rationi consonum. Similiter gener fructus possessionum seu agrorum, pro dote promissa obligatorum, recte percipit, nec in sortem aut dorem imputare teneatur, *c. Salubriter 16. hoc tit.* Ratio est, quia non fuit mens soceri, ut ratione horum fructuum dos minueretur, sed ut gener frueretur illis ad sustinenda onera matrimonii donec illis dos representaretur; atque ita ex alia causa, quam ex vi mutui eos percipit. Alioquin si constaret rem esse oppignoratam in securitatem duntaxat dotis, nulla subesset ratio fructus illos retinendi, nisi ratione lucri cessantis.

Ut autem censetur ex vi mutui provenire lucrum usurarium, requiritur, ut mutuator intendat mutuatarium ex vi pacti mutationis obligare obligatione justitiæ, qualis per pactum induci solet, vel certe, ut mutuatarius putet hanc fuisse mentem mutuantis, *Less. 2. De iustitia cap. 29. Dubit. 2.*

Dicitur quoque fuit, ex mutuo proveniens; quia in eo proprie locum habet usura, *can. 1. cum seq. xlv. qu. 3.* & patet ex citatis Christi verbis. Ratio est, quia in mutuo transfertur rei mutuatae dominium in accipientem: ideo enim iniquum est pro usu rei, jam alterius factæ, aliquid exigere aut sperare. In aliis vero contractibus non habet usura locum, nisi quatenus in iis mutuum implicitum (quod ad usuram sufficit, *cap. Consultis 10. hoc tit.* continetur,



ratione ejus proinde plures alii contractus usurarii fiunt. Sic enim venditio rei pluris justo pretio ob dilationem solutionis, & emptio minoris justo pretio propter anticipatam solutionem est usuraria, *c. In civitate 6 d. c. consuluit & c. fin. h. r.* quia venditor concedens dilationem implicitè emptori mutuat pretium usque tempus solutionis; dum emptor anticipat solutionem, implicitè mutuat usque ad tempus traditionis. Et hoc mutuum Interpretes vocant obliquum seu brevi manu contractum. Magis autem spectandum est, quod agitur, quam quod simulatè concipitur, *l. Infulam D. de praescriptis verbis, toto Tit. Cod. Plus valere, quod agitur, & c.* Similiter usuraria est venditio, quando eidem apponitur pactum de recipienda re post certum tempus, modico constituto pretio, *c. Ad nostram 5. sup. De empt. & vendit.* vel quando quis emit rem aliquam, eo adjecto pacto, ut post tempus restituat eam venditori recipiendo aliquid ultra sortem fructibus, quos petcepit, in ea computatis, *c. Illo 4. sup. De pignori.* Aliud dicendum de venditione rei pluris justo pretio ob dilatatam solutionem, si verisimiliter dubitetur, an res quæ venditur plus minusve solutionis tempore sit valitura, nec venditor ante tempus illud venditurus: nam his duabus conditionibus concurrentibus licita est venditio, nec usuram continet, *d. c. In civitate.* Idque propter dubium eventum majoris vel minoris pretii tempore solutionis, quia utrimque emptori & venditori emolumento vel damno esse potest, *l. fin. h. r. Facit l. Si ea Cod. 904. & quod de jactu retis & fructibus futuris emendis respondit Pompon. in l. Nec emptio 8. D. de contrahenda emptione.*

## §. II.

## Quibus modis dividatur Usura.

1. Usura alia est Mentalis, alia Realis.
2. Realis vel Formalis vel Virtualis.
3. Item alia est Lucratoria, alia Punitoria, alia Compensatoria.
4. Rursum alia Centesima, alia Trientalis, Bessallis, & c.

**P**rimò dividi potest in Mentalem & Realem. Mentalis est, quando quis mutuat eo animo & intentione, ut lucrum ex mutuo accipiat, citra conventionem, expressam vel ta-

citam, eum mutuatario, de tali lucro percipiendo. Realis est, quando quis mutuat cum pacto expresso vel tacito de lucro ex mutuo percipiendo.

Unde subdividi potest in Expressam & Tacitam, Expressa est, quando pactum intervenit expressum de lucro ex mutuo percipiendo, Tacita, quando solum tacitum adest pactum, veluti, si Titius solutus sit mutuari cum usuris, & mutuas Cajo; dicat eidem, Seis consuetudinem meam in mutuando.

2. Secundò dividi potest Realis Usura in Formalem & Virtualetam. Formalis, in qua intervenit formaliter mutuum, cum lucro ex eo veluti, si mutues Cajo centum, ut elapso anno centum & quinque recipias. Virtualis est, in qua mutuum intervenit tantum virtute & implicitè, prout intervenit diximus in venditione rei pluris justo pretio ob dilatatam solutionem, & in emptione minoris justo pretio ob anticipatam solutionem.

3. Præterea dividi solet Usura in genere à jurisconsultis in Lucratoriam, Punitoriam, & Compensatoriam, Lucratoria dicitur, quæ merum lucrum continet, de qua hic agimus, Punitoria, quæ continet pœnam aliquam, solvendam per mutuatarium, propter ejus in mutuo reddendo moram. Compensatoria, quæ exigitur pro mutuo ratione justii interesse, damni scilicet emergentis vel lucri cessantis, vel ratione periculi, laboris, aut expensarum, quæ probabiliter timeantur in recuperando mutuo.

4. Denique dividi possunt Usuræ pro diversâ eorum taxatione & moderatione. Hinc alie dicuntur Centesimæ, quæ assis locum obtinent, ita ut reliquæ ad centesimam usuram redigantur, & in partes assis distinguantur. Appellatur autem Centesima, non quod centesimo mense æquet sortem, ut nonnulli tradiderunt, sed quod usura sive quantitas menstrua sit centesima pars sortis, *l. Eos Cod. De naut. fœnore, l. 4. D. eod. tit. fin. D. de jure dotium;* hoc est, Centesima usura est, quando in centum quolibet anno solvuntur duodecim, ita ut singulis mensibus pro centum denariis singuli pendantur denarii: nam veteres stipulabantur usuras in singulos menses. Duodecima autem pars, quæ quolibet mense solvebatur, est illa, quam Corn. Tacit. 6. *Annal.* & Livius lib. 7. vocat unciariam usuram, quia est pars duodecima centesimæ seu



seu unciā ipsius assis, & diximus enim centesimam usuram esse assem usurarum. Aliæ dicuntur Tientes, & sunt tertia pars centesimæ, quæ sollet pro centum quorannis quatuor reddunt, l. 7 §. qui autem De administrat. iurum, l. 3 in fine D. Ad L. Falcidiam Aliæ Bessales, quæ sunt duæ centesimæ partes, quando pro centum penduntur octo annuæ, d. l. Eos. Aliæ Semilles, quæ sunt dimidia pars centesimæ, & quolibet anno sex pro centum reddunt, d. l. Eos l. Alanna 30 D. de adimon. legatis. Sunt item aliæ Quineunces, quæ quintam centesimæ reddunt, nempe quinque pro centum quolibet anno. Cum quidam 17 in princ. D. De usuris. Aliæ Quadrautes, cum tres quorannis solvuntur, l. Libero 2 §. 4 D. de annuo & mensuris legat. Aliæ Septunces, cum septem, aliæ Doctrautes, cum novem; aliæ Dextunces, cum decem præstantur: ita tamen ut quatenus in specie sua excedunt, revocentur ad modum à Justiniano præscriptum in d. l. Eos.

## §. III.

## Quo jure usuræ sint prohibitæ.

1. 2. 3. Prohibitæ sunt jure divino, naturali & Canonico
4. jure Civili quatenus permittit.
5. jure Justiniano posteriori non esse prohibitas.
6. Anacismum id est usura usurarum sublata à Justiniano.
7. Fœnus nauticum jure Canonico non omnino improbatum.

Quæritur hic de solis lucratoriis: nam comensatoriæ quibus venit omnia, quod abest, sive ratione damni emergentis, sive ratione lucri cessantis, & punitoriæ non sunt aliquo jure prohibitæ, dummodò res ex veritate geratur, nec quidquam sit in fraudem usurarum. Et proinde requiritur, ut in punitoriis debitor verè sit in culpa, non solvendo; pœna sit moderata, juxta mensuram culpæ, & insuper ut mora sit notabilis; in quo tamen spectanda negotii qualitas & mos provincie. At verò lucratoriis prohibitas esse satis constat ex Clement. unica §. ult. h. t. & ex variis Scripturæ locis: Idèdque solum dubitatur, quo jure sint prohibitæ.

1. Et quidem primò prohibitas esse de jure divino, tam veteri quam novo, patet ex cap. Quia in omnibus 3 & seq. 3 h. t. Item Psal. 14. in quo dicitur cum, qui pecuniam suam non dedit ad usuram, habiturum in monte sancto Domini, à contrario sensu, & Ezechiel 18. ubi dicitur de eo, qui dedit ad usuram, quod non viveret. Et in novo Testamento, ex verbis Christi citatis Luca 6.

Nec obstat illud Deuter. 28. Non fœneraboria fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges nec quamlibet rem alienam, quasi ab infidelibus usuras exgere liceat: quia dicendum, solum fuisse permissas usuras erga infideles, vel majoris mali evitandi causa, ne fratres suos usuris exhaurent, vel quia infideles erant hostes Judæorum, quos proinde poterant rebus suis, sive artificio sive aliter privare.

2. Secundò prohibitas esse jure naturali constat eo, quod contra jus naturale sit, ut idem bis seu duplici pretio vendatur, & ut vendatur, quod non est vendentis, sed emptoris, jam autem qui usuram accipit, vel eas accipit, pro sorte, & sic pro eadem re accipit duplex pretium, nempe summam forti æqualem, & insuper usuram: vel accipit pro usu sortis, & sic vendit alteri usum rei non suæ, sed ipsius ut naturalii in quem per mutuum translatus est dominium, & consequenter usus rei. Adde, quòd pecunia nullum ex se fructum pariat, sicque nihil sit in mutuo, pro quo lucrum possit exigi ultra sortem principalem: quandoquidem usus rei mutuata non distinguatur à substantia rei, si alienatio spectetur, quia usus illius est alienatio, & quasi consumptio substantiæ, ideoque non potest pro usu & pro substantia accipi distinctum pretium. Vide Covar. 3. Variar. resol. c. 1.

3. Tertiò, esse similiter prohibitas jure Canonico patet ex xii q. 3. & hoc tit. Decretal. eodemque in 6. & in Clement.

4. De jure Civili res non est ita expedita. Nam in primis de jure Digest. & Cod. permittas fuisse usuram, dummodò immodicæ non essent, docet Covar. d. loco: & patet ex l. Placuit 26. & duabus seq. D. h. t. l. Eos, & duabus seq. Cod. eod. l. l. 40. D. de reb. cred. diversas tamen pro diversitate personarum & temporum. Nam centesimas fœnerari potuisse deprehenditur ex d. l.

PPP



ex d. l. *Lea* c. l. *Si pro mutua* Cod. *Sic certum* petatur. Verum Justinianus in d. l. *Eos* Cod. h. t. rem ad æquissimam proportionem reducens, centesimas permisit dumtaxat in trajectitia pecunia, id est quæ mare traicienda est periculo mutantis, quæ ideo usuræ nauticæ & fœnus nauticum appellantur; personis verò illustribus tricesimas concessit; besales mercatoribus, & iis solum, qui præerant ergasteriis, id est officinis operarum; semisses denique reliquis personis, præter nominatas.

5. Verum dubitatur, an eodem jure permiffa fuerint usuræ, tanquam licitæ, ut existimant quidam, eo argumento, quod ad eas exigendas concessa fuerit actio, si modò per stipulationem de iis convenisse, ut patet ex l. 1. c. 2. & alius Cod. eod. an verò ob bonum publicum dumtaxat, ad evitanda majora mala, sicut permittuntur lupanaria. Rursus controvertitur, an posterior jure Justinian. concessio non sit revocata. Revocatam existimant quidam, quia in l. 1. Cod. *De summa Trinit.* fateatur Justinianus se velle vivere secundum legem beati Petri Romanis traditam: & in *Novel. de Ecclesiis* in princ. approbet quatuor Consilia generalia, Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinam & Chalcedonensem, præcipiens observari sacras sanctiones eorundem. Constat enim in Concilio Niceno expressè prohibitas & damnatas esse usuras, can. *Quoniam* *Distinct.* 47. ita Gutierrez lib. 2. *Can. Quæst. cap. 18. n. 7.* 8. Verum non planè sublatas esse, alii existimant, quasi dictum Concilium loquatur tantum de Clericis, nec ad laicos loquatur tantum de Clericis, nec ad laicos pertineat: & tam d. l. 1. quam approbatio Justiniani tantum intelligatur quoad materiam fidei Catholicæ non etiam quoad ea, quæ idem Imp. aliis legibus statuerat. Quibus accedit, quod ex d. *Novel.* constet, certo modo usuras esse permiffas: & in *Novel.* 130. permittantur usuræ nauticæ.

6. Sustulit tamen Justinianus in l. ult. Cod. h. t. omnem anarocismum, id est usuras usurarum, quæ nascuntur ex eo, quod usuræ nondum solutæ annuereantur fortè, & patiantur similiter lucrum; quod rursus adicitur, & parit lucrum aliud, & sic in infinitum.

Cæterum omnes leges civiles, quatenus usuras approbant, & actionem ad eas exigendas

concedunt, sunt per jus Canonicum correctæ & damnatæ, tanquam illicitæ, ut patet ex plurimis Canonibus. Quinimò excommunicantur Judices, cogentes ad earum solutionem; Clement. *urica* eodem.

7. Observandum tamen, quamvis jus Canonicum usuras, ut illicitas, improbet: & in *Naviganti ult. h. t.* refertur Pont. censendum esse usurarium eum, qui naviganti vel euni ad undinas certam mutuatur pecuniæ quantitatem, pro eo, quod suscepit in se periculum, receptivus aliud quid ultra sortem: tamen per hoc indistinctè non improbat fœnus nauticum. Etenim vel improbat ibi Pont. centesimas dumtaxat, quæ jure Civili in pecunia trajectitia permittuntur: vel de eo loquitur, qui volebat aliter naviganti mutuare pecuniam, quam suscipiendo in se periculum, lucri alicujus capiendi causâ: cum enim tunc lucrum principaliter intendatur, & proveniat ex mutuo, erit verè usurarium. Secus dicendum, ubi sponte debitor cum creditore convenit, ut is suscipiat in se periculum, constituta certa mercede periculo proportionata: id enim licitum esse docet Covar. d. l. 3. *Variar. resol.* c. 2. n. 5.

## §. IV.

## De pœnis usurariorum.

1. 2. Tenentur omnes usurarii ad restitutionem, etiam mentales.
3. Etiam si jurasset debitor non repetiturum.
4. Etiam criminaliter puniri possunt.
5. Sunt infames: sunt excommunicandi, suspendendi ab officio.
6. Non habent testamenti faciliorem &c.

1. Cum usuram dixerim proximam esse tapinæ, can. *Si quis usuram* xvi. q. 4. usurasque accipere jure divino, naturali, & humano relictum sit: nec dimittatur peccatum, nisi restituatur ablatum, cap. *Cum tu* 5. hoc tit. tenentur in primis omnes usurarii, tam reales quam mentales, tam occulti quam manifesti, ad restitutionem usurarum: etiam Judæi, c. *Postmirabilem* 12. c. *penult. h. t.* Ea que obligatio transit & ad hæredes eorum, pro parte hæreditaria d. c. *Cum tu*, c. *Tua nos* 9. h. t. Quia imò licet nihil ad eos pervenerit, tamen satisfacere compellunt.



pelluntur jure pontificio, juxta facultates defuncti, ut saltem hoc modo expietur peccatum usurarii, *c. ult. sup. De sepult. c. in litteris sup. De reprobis*. Quod cum concedat favorem & salutem animæ, etiam jure civili servandum erit *arg. c. fin. sup. De prescript. licet alias de jure ci. vili pœna personam deliquentis non egrediatur, i. Sancimus Cod. De pœnis, nec hæredes ex delicto defuncti conveniantur, nisi quatenus aut ex delicto ad eos pervenit aut lite cum defuncto contestata, l. unica Cod. Ex delictis defunctor. §. non autem Vide Covar. 3. Var. resol. c. 3. n. 7. & Gutierrez lib. 2. Can. Quæst. c. 18. n. 46.*

2. Prædicta adeo obtinent, ut, licet debitor juraverit se soluturum usuras, aut non repetiturum, quod earum nomine solverit, nihilominus creditorem usurarium, compellere possit, ut vel remittat juramentum, si nondum solverit usuras, *l. 1. sup. De jurejur. c. Tuas 13. h. t. vel solutas restituat, impetrata prius absolutione à juramento, vel ejus remissione à creditore, idque officio Judicis per censuram Ecclesiasticam.*

3. Hæc rursus obtinent etiam in usurariis mentalibus, *c. Constat 10. h. t. non obstat c. fin. §. 1. sup. De Simonia*, ubi qui nullo pacto, sed solo animi affectu Simoniam commisit, non obligatur ad accepti restitutionem, sed sola pœnitentia abolet delictum: quia diversa est ratio, nam quod in usura datur, coactè datur; quod verò in simonia ultro datur. Præterea in usura turpitudine solum est ex parte accipientis; in simonia verò ex parte utriusque: in pari autem delicto prior est conditio possidentis, *cap. In pari De R. l. in §. nisi aliud lex specialiter disponat*, prout disponit in Simonia reali, non etiam in mentali, ad quam dispositio in reali, tanquam pœnalis extendi non debet, *c. Odi De R. l. in §. 6.*

4. Quantum ad pœnam criminalem attinet, ea de jure Civili est arbitraria, ut docet Jul. Clar. §. *Usura*. Et sicut contra usurarium agi potest criminaliter, ita & ad torturam pro eruenda veritate devenire licet, ubi legitima exstant indicia. Per. Cabell. *Resol. criminal. casu* 188. n. 6.

Insuper usurarii manifesti, id est facti vel jure tales, sunt infames etiam jure Civili, *l. Improbum 20. Cod. Ex quibus causis infamia inter. can. infames 1. §. 2. in fine*. Dicitur autem

manifestus usurarius facti, qui palam usuram exercet ita ut nulla tergiversatione id negare queat: Jure verò, qui vel hoc crimen confessus est in jure, id est in judicio, vel de eo per sententiam Judicis condemnatus, *c. fin. sup. De cohabit. Clericor. cap. Cum olim & c. Super inf. De verb. signif.*

5. Jure insuper Canonico usurarii, si laici sint, jubentur excommunicari; si Clerici, suspendi ab officio & beneficio, *c. Præterea 7. hoc t. imò & deponi, c. 1. h. t. can. 4. & 8. XIV. q. 4.*

Præterea usurarius manifestus neque ad communionem altaris, id est perceptionem Eucharistiæ, neque ad Ecclesiasticam sepulturam, neque ad oblationes admitti debet, *c. Quia in omnibus 3. h. tit. & qui oblationes à talibus accepit, eo ipso suspensus est ab officio, donec ad arbitrium Episcopi satisfecerit, acceptumque compellitur restituere, d. c. 3. h. t.* Qui verò scilicet sepulturam quem tradiderit, ipso facto est excommunicatus, nec absolvendus, donec arbitrio Episcopi satisfecerit, *Clement. 1. De sepult. Vide Less. 2. De iustit. cap. 20. Dubitat. 2. 1.*

6. Sed nec admittendus est ad confessionem suorum peccatorum, nec ad testamenti factionem, priusquam usuras restituerit, vel de restituendis idoneè, id est pignoribus vel fide jussoribus datis, caverit, juxta modum, qui statuitur in *c. 1. eod. in §. 6.* Præterea Ecclesiastici non possunt usurariis manifestis alienigenis seu externis elocare domos, concedere illis habitationem in terris suis: imò tenentur eos expellere intra tres menses sub pœna suspensionis ipso facto, si sint Episcopi; excommunicationis verò, si sint minores Episcopis: interdicti autem, si sit collegium vel universitas. Sed & Clement. V. *Clement. 1. h. t.* certas pœnas statuit in Pœrestates, Capitaneos, Rectores, Judices, Consiliarios, aliosque officiales communiarum qui de usuris solvendis vel non restituendis statuta condunt, dicant vel scribunt, vel secundum ea pronuntiant. Vide

Covar. 3. Var. c. 3.

¶ (†) ¶

TITU.



## TITULUS XX. De crimine falsi.

### §. I.

Falsum quid, & quibus modis committatur.

1. Falsum & Falsitas quid sit. 2. Falsicrimen quâ ratione punibile sit.
2. Falsum committitur dicto, facto, scripto, & aliis modis.

**H**oc crimine proximus vel maximè in bonis & rebus exterioribus læditur: de quo proinde ordo postulat, ut agamus, præsertim cum inter præcepta legis divinæ etiam hoc sit. *Non occides Non mœchaberis Non furtum facies, Non falsum testimonium dices.*

1. Falsitas secundum Justinian. in *Novella 73. in princ.* nihil est aliud, quàm veritatis mutatio, vel potiùs immutatio. Et falsum nihil aliud, quàm quod veritatem imitatur, & tamen verum non est: ut rescriptum, quod non est Papæ, & tamen videtur esse Papæ, *c. Tua nobis sup. De officio Vicarij.*

2. Ut autem criminis punibilis rationem habeat, duo insuper requiruntur, primum, ut dolo malo seu animo fallendi & contumpe-  
ndæ veritatis fiat, *l. l. Impubrem D. h. t. l. Nec exemplum Cod. eod.* Ideoque qui dicit falsum, quod putat verum, falsi crimine non tenetur, quia ream linguam non facit, nisi mens rea, *can. Homines in fine xxii. q. 2.* Secundum est, ut alteri noceat *Glos. in l. 23. Cod. h. tit.* Addi potest & tertium, nempe ut lege aliqua statutum sit, tale in immutationem veri esse punibilem pœna falsi, quia non omnis immutatio veritatis, ad alterius deceptionem instructa, falsi crimen habet, *l. Quid sit falsum D. h. t.* Ideo enim post legem Corneliam de falsis tot constitutiones & senatus consulta prodita sunt, ut casus lege Cornelia non expressi supplerentur, & ad classem falsorum redigerentur.

3. Quamquam autem varijs modis falsum committatur, ut varijs exemplis demonstrant Juris utriusque varij Tituli & variz Leges ac

Canones: ramen facilioris doctrinæ causa ad tria vel quatuor capita revocari possunt. Aut enim committitur falsum dicto, seu facto, si vere aut scripto, aut usu dicto, ut in teste, qui falsum testimonium dicit, vel verum supponit dolo malo, *c. 1. h. t. l. l. C. eod.* qui gravissimè conomine peccat, quod Dei præsentiam contemnat, Judicem mentiendo fallit, & proximum innocentem falso testimonio lædat, *de. i. Facto committitur, si quis falsam monetam percutiat, in aurum viri quid, putas vel stannum, injiciat, nummos radat, pingat, fingat, l. Quicumque 8. & seq. D. eod.* si pondera aut mensuras publicè probatas corrumpat, dolo malo fraudem faciat, *l. penult. D. eod.* si signum ad ulterius faciat, sculpat, exprimat, & item Lex Cornelia De falsis insinuat. De publicis judicijs: si duobus in solidum eandem rem diversis contractibus vendat, *l. Quid duobus 21. D. eod.* si Judicem corrumpat, *d. l. 1. in princ. D. eod.* si partem supponat, *l. Qui falsum 19. D. eod.* Scripto committitur, si quis testamentum vel aliud instrumentum falsum scribat, signet, recitet, celet, subijciat, *d. l. Item Lex Cornelia Insinuat. De publicis judicijs l. 1. §. 4. l. 2. l. Quid sit falsum 23. D. h. t.* si in testamento sibi dicitur legatum vel fideicommissum, *l. Si quis legatum 6. D. eod.* si prodit adversario instrumenta apud se deposita: si raris litteris aliud in locum ejus, quod scriptum erat, scribas, *cap. Olim sup. De rescriptis;* modò id faciat in loco suspecto, non aliter, *cap. Ex conscientia ult. h. t.* Usu denique si quis falsis litteris utatur, falsas leges alleget, *l. fin. D. eod.* si falsum nomen aut cognomen sibi usurpet, illicitis insignibus utatur, vel falso diplomate vias comeet, pro milite se gerat, *l. Falsi 13. & l. Eos qui 27. D. eod.* Pluraque alia horum modorum exempla passim extant in *d. Tit. D. & Cod.* Inter quæ licet plura sint, quæ propriè falsitatem in se non habeant, tamen ex interpretatione pro falsis habentur, & pœna falsi puniuntur: veluti, aperire litteras sigillatas alterius, & potissimum rescripta Principum, *cap. Olim sup. De potestate delegati:* aperire testamenta vel alia instrumenta, apud se deposita, & ostendere adversario deponentis, aliaque similia. Sic perjuri & falsi rei habentur, qui in causis civilibus aut criminalibus dicta testimonium sine Judicis auctoritate detegunt, juxta Constitut.



sicut Pli V. incip. *Licet contra*, quam refert Pet. Matth. in vii. *Decreta lib. 5. tit. 13 e. unico*. plurimis autem modis circa litteras Apostolicas falsitas committitur; quorum decem numerat pontifex in 5. *Licet 5. h. e.* Quo verò pacto Bullæ dicuntur falsæ ex mutatione styl, docetur in 4. *Quam gravi 6. eod.* qua de re vide Rebuff in *Praxi beneficii Tit. De Praxi Cancellaria Apostolica*.

## §. II.

## De pœnis falsi.

1. Pœna falsi de jure Civili.
2. Item de jure Canonico, & maxime falsificantium litteras Apostolicas.
3. Falsitas non presumitur, sed probari debet.

1. Pœna falsi vel quasi falsi, id est illius, quod ex Senatusconsulto vel interpretatione prudentum pro falso habetur, ex jure civili in servis est ultimum supplicium; in liberis hominibus deportatio, & olim omnium bonorum publicatio, l. 1. in fine & l. fin. D. h. e. nam deportatio succedit in locum pœnæ, qua olim aqua & igne interdicebatur, d. l. fin. soletq; bonorum publicationem inducere. *Pœna D. De jure fisci*. Hodie verò bonorum publicatio generatim, exceptis certis casibus, sublata est, per *Auth. Bona dam natorum Cod. de bonis præscripti*. Iudeque factum videtur, compositores Institutionum. *Tit. de publ. judiciis*, meminerint tantum deportationis. Subinde tamen pro criminis qualitate remissius puniuntur; veluti, relegatione ad tempus, l. falsi 13. l. Qui duobus 21. l. penult. & similibus D. eod. Interdum etiam severius, veluti, pœna capitali, ut in crimine falsæ monetæ, l. Quicumque 8. D. eod. in crimine suppositi partus, l. 1. Cod. eod. & similibus aliis.

2. Cæterum hæc pœna falsi ex jure civili, qualicumq; sit, hæredem non tenet, nisi quatenus ad eum pervenit: ideoque si reus, ante crimen illatum aut sententiam dictam, vita decesserit, cessante lege Cornelia, scelere quaesitum auferendum est ab hæredibus illius, l. Cum falsi 12. D. eod. nam turpia lucra etiam successoribus auferenda esse constitutum est, l. 5. D. De calumniatoribus l. 9. D. De jure fisci, Videatur plenius Jul. Clarus 5. *Sens. §. Falsum*.

De jure verò Canonico, si quis per se vel per alios falsum admisit circa litteras Apostolicas

sive laicus sive Clericus, cum suis fautoribus, excommunicatur, ex *Constitut. Sixti V. incip. Excommunicamus*, quam refert P. Matth. in vii. *Decretal. l. 5. tit. 9. cap. 4.* & insuper, si Clericus sit, officiis & beneficiis Ecclesiasticis exuitur. Deinde degradatur, & seculari potestati (per quam & laicus de falsitate convictus legitime puniuntur, puniendus traditur, si per se hoc crimen commiserit, c. *Ad falsariorum 7. h. e.* Qui autem falsis litteris utitur, si Clericus sit, officio & beneficio privari debet: si laicus, tamdiu excommunicationi subijci, donec satis fecerit, d. c. *Ad falsariorum* ubi idem statuitur servandum in iis, qui falsas litteras impetrant: quos ab hac excommunicatione absolvit summus Pont. dumtaxat, præterquam in mortis articulo, ex *Bulla Cæne Domini §. 6.* Ut & eos, qui personæ qualitatem & conditionem mentiuntur, ut aliquid consequantur facilius: litteræque per hujusmodi falsam rei narrationem extortæ & impetratæ decernuntur omnino surreptitiæ, invalidæ & nullæ, ex *Constit. Innoc. vii. l. incip. Sicut, & Leonis X. incip. In harendo vestigiis*, quas refert Pet. Matth. in vii. *Decretal. l. 5. tit. 9. cap. 1. & 2.* Quique suppositis ad examen personis beneficium veniuntur & impetrant, excommunicantur ex *Constitutione Pauli I. V. incip. Inter ceteras*, quam ibidem refert P. Matth. Sententia verò vigore litterarum falsarum lata non debet transire in rem judicatam aut mandari executioni: nec fides ulla adhibenda est rescriptis Pontificiis, si visa fuerint falsitatis redarguenda, c. 2. h. e.

Cæterum committens falsum in litteris delegati non tam acriter puniendus est: & extralitteras Apostolicas Clericus falsum admittens ab Ecclesiastico Judice deponitur, cap. *Cum non ab homine sup. de iudiciis*: & quandoque pro gravitate criminis in monasterium detruditur, can. *Si Episcopus 8. dist. 5. juncto cap. Tunc inf. de pœnis*. Sed & qui litteras falsas sciens apud se detinet, easque intra viginti dies à tempore, quo falsas esse cognoverit, non destruit aut resignat, excommunicationis vinculo constrictus ab alio, quam à summo Pontifice, absolvi nequit, c. *Dura 4. §. adjiciente h. e.*

Crimine falsi diximus quoque teneri adulteratorem monetæ, l. 1. & 2. *Cod. de falsa moneta Covar. De viâ, numis. collat. c. 8.* De quoniam foribus ac ratoribus monetæ, sive aureæ sive argen-



argenteæ; ultimo supplicio afficiendis exstat Constitutio Pii V. incip. Cum nihil, relata à P. Matth. in vii. Decretal. lib. 5. tit. 14. e unico In his verò ditionibus tales bullienti oleo immergi solent, ut hic Zyp. notat.

3. Denique falsitas non facile præsumitur, sed probati debet, maximè in litteris iustitiæ, siue ad lites, c. penult. h. t. quia tales faciliè impe- trantur. Sed nec in litteris gratiæ quævis liti- ra aut rasura in loco non suspecto statim falsi- tatem arguere debet, c. Licet 5. c. Quam gravi 6. & c. ult. h. t. ut neque obesse, quod vel in syllaba erratum sit, l. Qui habebat 54. D. De manumissis testam. Goffredus in Summa h. t. n. 9.

## TITULUS XXI.

### De Sortilegiis.

1. Sortilegi qui dicantur. 2. Sortes aliæ Divi- foria, aliæ Consultoria, aliæ Divinatoria, 3. 4. Divinatoria, & earum poena.

1. **S**ortilegia etiam falsitatem in se continent, quia sortilegi per sortes fallunt homines, cum solius Dei sit futura nosse: ideoque tracta- tur hoc loco de crimine sortilegii, quia cum cri- mine falsitatis affinitatem habet, licet aliàs pertineat ad ea crimina, quæ vergant in injuriam Dei.

Sortilegi, inquit Isidorus in can. 1. xxvi. q. 1. sunt qui sub nomine fictæ religionis per quas- dam, quas Sanctorum seu Apostolorum sortes vocant, divinationis scientiam profitentur, aut quarumcumque scripturarum inspectione futura promittunt.

2. Non tamen omnes sortes sunt illicitæ. Non in primis Divisoria, ut vocantur, id est quibus utuntur homines, ut sciant, quid cui- que tribuendum sit: veluti, in litibus, & con- troversis dirimendis, in hæreditatibus, pos- sessionibus, & aliis bonis communibus, divi- dendis, in honoribus, dignitatibus seculari- bus & publicis officiis atque administrati- onibus distribuendis. Harum enim usus non mo- do jure naturali, sed & Civili permittitur, l. Sed cum ambo 14. D. de judiciis. l. Si duobus 3. Cod. Communia de legatis 5. Opinionis Instit. De legatis. Sic Israelitis distributæ partes terræ per sor- tes, Num. 33. Josue 15.

3. Similiter neque illicitæ sunt Consultoria,

id est quibus divina voluntas exquisitur, ut sciatur quid agendum, quid cavendum fugi- endum ve sit, prout sæpe veterum Hebræorum populum, & Apostolos, dum Matthiam in A- postolum loco Judæ elegerunt, aliosque sorte usos fuisse legimus, can. xxvi. q. 1. His enim uti licet, quando necessitas exigit.

At verò Divinatoria, id est quibus homines utuntur, ut præsciant futura, vel etiam præ- sentia aut præterita occulta detegant, quia or- dinarie non sunt absque dæmonis conspirati- one, aut tacita ejus imploratione, & quia sub iis magna plerumque latitat superstitio & idolo- latia, can. Sors 1. ver. sic. His ita respondetur xxvi. q. 1. in illis magna sita est temeritas, quasi in quem sors tua sit casura, ille sit, quem quæras, & quasi Deus Opt. Max. tuæ sorti sit allega- tus, ut per eam tibi demonstret quem quæris, can. Non exemplo xxvi. q. 2. omnino illicitæ, & jure Canonico prohibita sunt, c. 1. h. t. can. Sors & pluribus aliis xxvi. q. 5.

Hinc prohibitum est, ne electiones ad bene- ficia & dignitates Ecclesiasticas, quæ magis idoneis conferri debent, fiant per sortes, quasi hoc modo teneatur Deus, indicare & revelare magis dignum, c. 3. & ibid. Abbas n. 3. h. t. Item ne quis furta inquirat per sortes, in codicibus scilicet vel tabulis, c. 1. h. t. vel ex aliis signis, puta inspectione astrolabii, aut alterius instru- menti Astronomici, cap. 2. h. t. quasi ex astro- rum inspectione deprehendi possit fur. Damna- ta propterea jure Canonum est Astrologia, di- vinatrix siue judiciaria, quæ ex astris seu signis cæli nascentium mores, actus & eventus præ- dicere conatur, c. Illud. & can. Igitur xxvi. q. 2. quæque ex elementis occulta promit & pro- dit, & futura conjectat, d. can. Igitur in prin- cipio. Damna etiam Constituit Sixti V. quam re- fert Quaranta V. Astrologia.

4. His igitur, qui ita sorte abutuntur, com- munitio Ecclesiæ interdicitur: sicut & ariolis, aruspisibus, aliisque incantatoribus, nisi res- piciant: Clerici verò sunt degradandi. Sed & jure Civili in tales animadvertitur, ut videre licet in Tit. Cod. de maleficiis & Mathematicis.

Ut autem omnes superstitiones, sortilegia & magiæ jure divino & humano prohibita sunt, ita prudenter admodum inquit Zyp. h. t. Piiissimi Belgarum Principes jam olim suis E- dictis



his sanxerunt, ut ii qui sub vulgari Ægyptiorum nomine vagantur, ex his ditionibus semper exterminarentur. Et postmodum Carolus V. Imp. an. 1537. 5. Febr. Philippus ejus filius, Hispaniarum Rex, an. 1560. 2. Septemb. & in Addit. ad Latum Introitum Brab. voverunt sub pœna confiscationis corporis & bonorum, ne hujusmodi homines eorumve affectu, qui vese tales dicerent, aut eorum habitu uterentur, in suis ditionibus subsisterent aut versarentur. Idemque Rex edicto an. 1592. 20. Julii, quod ex latia Synodo ultima Antverp. admodum severe præcipit Judicibus omnibus, cum Ecclesiasticis tum secularibus, ut omni modo adnitantur extirpare magias & superstitiones omnes, consuetudinemque coloris & tituli, Physionomiam, Necromantiam, Chiromantiam, &c. cum clausula, ut quisque hac in re fungatur officio suo, sub pœnis in dicto Edicto relatis. Tandemque Sereuil. Principes in Edicto ad Synodum provinciam Mechlin. an. 1607. art. 13. mandarunt hujusmodi augures extra provincias suas relegari, & graves multas indici eos consulentibus. Et art. 14. dictam Regis Ordinationem executioni mandari volunt. Quamquam ex Concordatis Brab. §. De criminibus, sortilegiis &c. (ut & ex Galliæ Senatûconsultis hodie, etsi olim secus, ut constat ex Choppin. *De sac. polit. lib. 2. tit. 2. n. 11.*) ad solos seculares horum criminum cognitio & correctio remissa esset. Nihilominus tamen eadem ad iudicem spectat Ecclesiasticum, casu quo fiant sortilegia per invocationem dæmonum aut abnegationem fidei, tanquam tunc sapientia hæresin: hæreticum enim esset à dæmonibus expectare responsa, declarant Sixtus IV. Alexander VI. & Hadrianus VI. Ejusque rei cognitionem Inquisitoribus mandavit Leo X. Maxime verò puniri debent, secundum Innoc. VIII. qui morbos, grauidines, auras lævias, sterilitatem in hominibus & pecoribus procurant, maribus & fœminis actus conjugales impediunt, seu ligulam stringunt, ut vulgò loquuntur, Constitutiones eorum refert P. Matth. in vii. *Decretal. lib. 5. tit. 12.*

Qui plura de sortilegiis & eò spectantibus desiderat, videat Farinat. *Tract. De hæresi quæst. 181.* & latissime Tholosan. *Syntag. juris universi lib. 34. cap. 1. & pluribus seqq. Axor. Instit. Mo-*

*ral. p. 1. lib. 9. c. 16. & 17. Deltio Disquisit. Magic. lib. 3. p. 2. q. 4. sect. 8.*

## TITULUS XXII.

## De collusione detegenda.

1. Collusio quid sit, & in quibus causis locum habeat.
2. Pœna collusionis.

1. **C**rimini falsi affine quoque est crimen collusionis, quia illi etiam quædam inest falsitas: nam Colludere in Jure dicitur, qui aliud agunt, aliud simulant, quod ipsum falsi speciem habet.

Est igitur Collusio inter actorem & reum latens ac fraudulosa conventio, qua interveniente delicta aliquando manent impunita, *Glos. in c. 3. h. t. V. G. si, duobus litigantibus, reus videns se superatum iri ab actore, promittat ei centum, ut veras probationes simulet, & falsas defensiones admittat, ut pœnam sibi infligendam evitet, dicetur cum adversario suo colludere. Et ista conventio dicitur Collusio, quæ committi potest in causis tam civilibus, quam criminalibus, tam in temporalibus quam spiritualibus & Ecclesiasticis, tam per partes principales, id est actorem & reum, quam per procuratores & advocatos. Eique dicitur involvi quædam falsitas, & proinde pœnam aliquam meretur, quandoquidem nemini dolus suus patrocinari debeat.*

2. Hinc colludens in causa beneficii, puta per collusionem beneficium censuale constituendo, seu pensioni subiciendo, beneficio suo privandus est, *c. Audivimus 1. h. t.* & desistente accusatore potest Judex adhuc ex officio suo inquirere super crimine illato, absolutioque à crimine per collusionem facta non impedit facultatem iterum accusandi & inquirendi de eodem, *c. ult. h. t.*

Cæterum quia sæpè per ejusmodi inquisitionem ex officio, desistente accusatore, Judex de regit collusionem actoris cum reo, ideo hic

Tit. inscribitur De collusione detegenda.

Qqq 2

TITU:



## TITULUS XXIII.

## De delictis puerorum.

1. Puer doli capax, crimen committens puniendus.
2. Pater ex delicto filii non tenetur.

**Q**uoniam in pueris relinqui solet inultum, quod in aliis provecioris ætatis severius corrigendum leges statuunt, *c. 2. h. t.* cum tamen furtis, mendaciis & perjuriis plena sit puerilis ætas, *c. 1. h. t.* ideo hic post crimina, quæ in maioribus promissæ notantur & puniuntur, opportunè quæritur de delictis puerorum, an ii talia criminum rei & obnoxii pœnis haberi possint.

Dicitur autem Puer, qui intra septennium & decimum quartum annum constitutus est, si masculus sit, & inter septennium ac duodecimum, si femina.

Quod si igitur puer crimen aliquod perpetrat, puta furtum, mendacium, homicidium, aut aliud, non debet id manere impunitum, si fuerit doli capax, ut intelligere potuerit, se malè agere, illud committendo, *l. Impuberem 23. D. De furtis*. Mitius tamen puniri par est, quam si ab aliis commissum esset, quia aliquid ætati indulgendum, *d. c. 1. h. t. & l. Infans 12. D. Ad L. Corn. De sicar*. Quinetiam puberes, sed minores xxv. annis, si quid deliquerint: non tam severe puniendi sunt, quàm maiores, ut respondit Juriscons. in *l. Auxilium 37. vers. in delictu D. De minoribus*.

2. An verò pater ex delicto filii sive puberis sive impuberis, quem in sua potestate habeat, conveniri possit, quæ situm est. Et respondit Pont. non posse: sed ipsemet filius conveniri debet, *d. c. 2. h. t.* Quod idem etiam jure Civili proditum est, *Inst. De noxalib. actionib. in fine*.

## TITULUS XXIV.

## De Clerico venatore.

1. Venatio cum strepitu interdicta Clericis.
2. Non etiam quieta & qua sine strepitu fit.

**T**racat deinceps Pont. de delictis peculiaribus Clericorum, quæ aut non depre-

henduntur in laicis, aut gravius puniuntur in Clericis quàm laicis. Cujusmodi in primis est venatio voluptatis causa suscepta, quæ una cum canibus, accipitribus, aut aliis ejusmodi ad venandum Clericis interdicitur, *c. 1. & 2. h. t.* quia pugnat cum professione & statu Clericorum. Et ideo si Episcopus sæpius talibus venationibus det operam, tribus mensibus à communione: si verò presbyter fuerit; duobus: si Diaconus aut Subdiaconus, ab omni officio suspenditur, *d. c. 1. & ibid. Abbas & Glossa*. In moribus verò constituti arbitrio Judicis puniri debent, ex quo nulla eis certa pœna statuta est, *arg. c. De causis sup. De officio delegati*.

2. Hæc tamen prohibitio intelligi debet potissimum de venatione saltuosa & clamosa, quæ cum strepitu fit canum & armorum: nam quieta venatio, quæ fit absque strepitu cum laqueis, retibus & paucis canibus, modò etiam raro fiat, nec avocet ab officiis divinis, non est omnino prohibita Ecclesiasticis, siue fiat causa necessitatis, siue exercitii, siue moderatæ recreationis, ut docet Less. 2. *De iustit. c. 5. Dubitat. 9. n. 40.* post Abbatem in *d. c. 1. h. t.*

## TITULUS XXV.

## De Clerico percussore.

1. Clericis interdicta percussio, non moderata correctio.

**S**icut Clericis interdicta est venatio, ita & percussio: adeo ut, si Clericus percussor mortuus non desistat, jubeatur deponi, *c. 1. h. t.* & si Episcopus jusserit aliquem eadè crudeliter fustibus, ab administratione Missarum duobus mensibus suspendi, *c. 2. h. t.* Nam Clericos ita decet mansuetudo vigorque disciplinæ, ut nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta, *can. Sunt namque 15. Dist. 45.* & sibi subiectos malè meritos non tam verbis quàm verberibus corrigere debent, *can. 2. & aliis d. Dist. 45.*

Permittitur tamen Clericis levis & moderata percussio: modo Episcopus non percutiat propriis manibus, sed per alium, qui non sit laicus, *c. Univerſitatis inf. De sent. excommunicat.* Sic Abbates & Priores sæpius Monachos suos verberant & castigant.

TITU-



## TITULUS XXVI.

## De Maledicis.

1. Clerici maledici poena.
2. Item ejus qui summo Pont. maledixerit.
3. 4. Quisque in Deum & Sanctos blasphemus fuerit, ex utroque iure.
5. Item ex moribus & Constitutionibus hodiernis

1. Cum percussio alia fiat manu, alia lingua, *juxta* Glos. & Abbatem ad Rubr. b. t. recte & de hac sequitur, id est de maledicis, sic dictis à maledicendo: qui, praesertim si Clerici sint, graviter puniendi sunt. Et quidem Clericus quilibet maledicus, maximè sacerdos, cogendus est postulare veniam, aut, si noluerit, degradandus est, necnon quam abique satisfactione ad officium revocandus, *can. Clericus maledicus Dist. 46.*

2. Qui verò summo Pontifici maledixerit, in depressionem officii & beneficii puniendus erit, arbitrio Judicis, gravius aut mitius, spectata atrocitate verborum, personarum qualitate, loco, tempore & aliis circumstantiis, *arg. c. 1. hoc t.*

3. Gravissimè autem puniendi sunt blasphemus in Deum, B. Virginem ac Sanctos, *c. 2. h. tit.* qui scilicet in Deum convitium aliquod evomunt probrosè Deo tribuendo, quod ei non convenit, aut detrahendo, quod eidem convenit.

4. Tales in veteri lege jussu Dei lapidibus à populo obruebantur, *Levit. 24.* Jure verò Canonico olim laici quidem excommunicabantur, Clerici deponebantur, *can. Si quis xxii. q. 1.* Postmodum statutum fuit, ut solemnè poenitentia & poena pecuniaria coercerentur, quam si renuerit recipere, & peragere poenitentiam, Ecclesiae interdicatur ingressus & mortuis Ecclesiastica denegatur sepultura *d. 2. h. t.* Quod tamen accipiendum est de laicis: nam Clericis publica poenitentia remittitur, *can. Ex poenitentibus Distinct. 50. can. Quicumque Distinct. 57. c. 1. sup. De bigamis.*

Jure Civili poena est ultimum supplicium, *Novel. 77. Ut non luxuriantur homines &c.* in eos

scilicet qui ex consuetudine & absque emendationis ac correctionis spe maledicunt, Covar. in c. *Quamvis pactum de pactis in 6. p. 1. §. 7. n. 8. 9. & 10.*

5. Ceterum hæ poenæ, tam Canonicae, quam civiles, in desuetudinem abierunt, & ex Constitutionibus regnorum ac regionum alia: atque alia: receptæ sunt, ut testantur Covar. *ib. n. 22. Boer. Decis. 301. n. 14. & 15. Jul. Clarus §. Blasphemia n. 3.* & alii, quos citat Zerola *d. loco.* In Belgio nostro habemus Constitutionem Caroli V. *an. 1517. ult. Novemb.* qua pro prima vice blasphemis pecuniariam poenam pro arbitrio Judicis imponi jubet, pro secunda publica ignominia exponi, pro tertia fustigari & in exilium mitti. Verum mitigata hæ poenæ altera Constituit ejusdem Principis, *an. 1518 §. la. nuari*, qua pro prima vice poena est sexaginta floren. pro secunda ac tertia duplicatur ac triplicatur poena, cum carcere sex dierum in pane & aqua, pro quarta per duas horas exponi ignominiosè jubentur, vel, si graviores fuerint blasphemiae, nempe si blasphemando Deum negaverint, aut similes, mancipari carceri ad mensem unum: prout etiam improbè jurantes aut pejerantes arbitrariè ac sine dissimulatione puniri debent, ex edicto *an. 1531. 7. Octob. Zyp. h. t. n. 2.* Ubi subiicit *n. 4. Ex Constitut. Pii V.* auctores libellorum famolorum, vel litteras, indices aliquorum falsorum criminum, alicui scribentes, omnibus poenis à Jure statutis subiectis, eosdemque ex Constit. Greg. XIII ipso facto infames esse, & ad tritremes vel perpetuò vel ad tempus pro criminis admissi qualitate condemnandos. Utamque refert P. Matth. in *vii. Decretal. lib. 5. tit. 5. c. 2.* Alias Constitutiones Caroli V. & Maximiliani Imp. & Regum Galliae refert Pet. Greg. Tholosan. *Syntag. juris universi lib. 33. cap. 12. n. 12. Ubi n. 13.* subjungit, spectandum esse in hoc crimine, an quis sit solitus assiduè pejerare, an iracundia nimia, quæ ad dementia accedit, an verò dementia (quæ excusat, *Infans D. Ad L. Corn. de sicariis*) an in graviores, an breviores blasphemias proruperit, ut gravius vel puniatur, vel excusetur, aut poena minuatur.



## TITULUS XXVII.

De Clerico excommunicato,  
deposito vel interdicto  
ministrante.1. *Pœna Clerici ac Sacerdotis excommunicati celebrantis.*

**D**elicta jam explicata omnibus Clericis communia sunt, ob quæ Clerici vel suspenduntur, vel deponuntur, vel excommunicantur: quæ sequuntur, circa functionem Ordinum Ecclesiasticorum versantur, ex eo, quod tales Clerici, suspensi, depositi vel excommunicati, subinde celebrare & divinis officiis sese ingerere præsumant; & sic aliud delictum de novo committunt, ac priori accumulatur.

Si quis igitur Clericus, depositus, degradatus, vel suspensus, in Ordine suo ministrat, & monitus non desistat, excommunicatur; & si nec sic desistat, per sæcularem potestatem ad requisitionem Ecclesiæ exilio damnatur, *c. 1. & 2. h. t.* Sacerdos verò, sciens se excommunicatum (majori scilicet excommunicatione) vel aliàs interdictum celebrans vel se ingerens celebrationi divinorum, sit irregularis, id est in perpetuum ab officio sacerdotali deponi ac beneficiis omnibus spoliari debet, *cap. Lator, c. Fraternitati tua 6. h. t.* licet per solum rumorem ac famam sciat se excommunicatum, quo tamen casu cum eo potest misericorditer dispensari, *c. Illud Dominus 5. h. t.* Sed nec collatio beneficii facta Clerico excommunicato tenet, & tali beneficium conferens suspenditur à beneficiis collatione, *c. 7. h. t.* nisi tempore collationis fuerit absolutus, *c. Præposuit 8. h. t.*

Dixi, sciens se excommunicatum; nam si ignoranter, non sit irregularis, ac proinde quoad hoc nulla indiget dispensatione, nisi forte ignorantia esset crassa ac supina aut erronea, *cap. Ad Apostolica 9. h. t.*

Addidi, majori scilicet excommunicatione; quia minori excommunicatione innodatus, licet celebrando peccet graviter, tamen non sit

irregularis, *c. ult. h. t.* Et licet eligi prohibetur, non tamen eligere, vel ea, quæ sunt jurisdictionis exercere, *d. c. ult.* Similiter si alius consecrat Sacramenta, quamvis peccet, nullius tamen notam incurrit irregularitatis, & tenet collatio, quumque effectum habet, cum non videatur à collatione, sed participatione Sacramentorum, quæ in sola consistit perceptione, remota, *d. c. ult. in fine.* Et hoc est, quod dici solet ab interpretibus, implicitum minori excommunicatione suspensum esse à Sacramentis Ecclesiasticis quoad se, non quoad alios, quod desumptum est ex *c. ult. sup. De cohabit. Clericor. &c.* Vide Covar in *c. Al. mater De sent. excommunicata in 6 p. 1. §. 8. n. 1. & 2.*

## TITULUS XXVIII.

## De Clerico non ordinato ministrante.

1. *Pœna Clerici ministrantis in Ordine, quem non suscepit.*  
2. *Item laici & non ordinati celebrantis.*

**G**ravissime quoque delinquit Clericus dum ejus Ordinis quem nondum suscepit ministerium & functionem exercet: veluti dum Subdiaconus Diaconi, vel Diaconus Sacerdotis officio fungitur.

1. Si igitur Clericus ministrat in pertinentibus ad Ordinem, quem nondum suscepit, puta si nullâ instante necessitate baptizavit, aut aliquod divinum officium exercuerit, deponendus est, & amplius non ordinandus, *c. 1. h. t.* Dixi, si nulla instante necessitate; quia si urgeat necessitas, potest quilibet baptizare, ut diximus *ad Tit. De baptismo.*

Diaconus verò Missam celebrans ad Sacerdotii Ordinem promoveri non potest, & à Diaconatu suspenditur ad biennium vel triennium, prout Diocessano visum fuerit, *cap. 2. h. t.* De beneficio tamen cum eo misericorditer agi poterit per Episcopum, ne sustentatione privatus ad sæculi negotia in opprobrium Clerici cogatur reverti, *d. cap. 2.* Sic quoque videtur



Episcopus cum eodem posse dispensare, ut post dignam poenitentiam ad officium Diaconatus revertatur, non tamen ut ad maiorem Ordinem promoveatur, Abbas in *d. c. 2.* eo argumento, quod Episcopus solum dispense in casibus à Jure expressis; expressum autem sit, quod dispensare possit in beneficio & Diaconatu, non verò quoad promotionem ad altiorum Ordinem.

Sed quid si non Clericus Missam vel aliud sacrum ministerium celebret? Judicis arbitrio puniendus erit, ex quo hucusque nulla à sacris Canonibus imposita sit poena; ideo fortè, quod antiqui Patres non existimarent laicos unquam eò temeritatis prorupturos, prout postmodum aliquando prorupisse compertum fuit.

An verò Clemens VIII. Constituit, incip. *Epist. alias ann. 1601.* quam refert Piafec. 2. p. c. 4. art. 14. n. 12. decrevit, ut quisquis non Sacerdos Missam celebraverit vel confessionem Sacramentalem audierit, ab Ecclesia abiciatur, & ab Ordinibus, quos habet, ritè degradatus curia seculari tradatur, debitis poenis plectendus. Ubi licet non comprehendatur sacerdos sine jurisdictione confessiones accipiens, nihilominus ob grave sacrilegium, quod non multum ab altero reatu abest, severè arbitrio æqui Judicis puniendus est, Zyp. h. t. Lopez in *Addit. ad Bernardum Diaz cap. 12. in lit. c. ex Constitut. Pauli IV.*

## TITULUS XXIX.

## De Clerico per saltum promot.

1. Quid sit per saltum promoveri & poena sic promossi.

**D**elinquunt præterea Clerici in Ordinibus suscipiendis, dum vel per saltum promoventur, vel Ordinem furtivè suscipiunt, nullaque differentia est inter non ordinatum & non ritè ordinatum, arg. l. *Quoties D. Qui satisdare coguntur.*

1. Cum igitur serie quadam & gradatim, non autem per saltum & ordine præpostero Ordines suscipiendi & conferendi sint, *can. Sollicitudo*

*Dist. 52. tota dist. 59. 60. & alii*, si quis prætermisso Ordine inferiori superiorem suscipiat, v. g. Diaconatum & Subdiaconatum vel præbyteratum ante Diaconatum, collatio quidem tenebit, & character imprimetur, Abbas in *cap. unic. h. t.* sed per sententiam et executio Ordinis interdicenda est, donec congruo tempore prætermissus suppleatur, & cum eo poenitentia imposita dispensetur, ut in Ordine suscepto ministraret: quæ dispensatio fieri potest per Episcopum; quando non ministravit, ut patet ex Conc. Trid. *Sess. 23. c. 14. De reform.* Idque non solum, si promotus fuerit per saltum, omisso aliquo sacrorum Ordinum, sed etiam omittis minoribus aut uno eorum vel etiam omittis prima tonsura, juxta declarat Cardd. 1588. Notant tamen Dominicus, Præpositus & alii in *d. can. Sollicitudo*, quod si quis scienter se fecerit ordinari per saltum vel ambitionem vel superbiam, deponi omnino debeat, nec cum eo dispensari, vel non facile, & quidem per summum Pontificem, non per Episcopum, Host. *ad d. c. unic.*

## TITULUS XXX.

## De eo qui furtivè Ordinem suscepit.

1. Furtivè suscipere Ordinem quis dicatur.  
2. Poena Ordinem furtivè susipientis.  
3. Examen ordinandorum omnino necessarium.

1. **A**liud delictum Clerici in suscipiendis Ordinibus traditur hoc Titul. dum scilicet furtivè Ordinem suscipit: quamvis cum quis per saltum promovetur etiam furtivè promoveri dicatur. Furtivè suscipere Ordinem quis dicitur, dum clandestinè eum suscipit; quod sit variis modis. Primò, quando quis sine ordinatione & consensu Episcopi vel sine examine in multitudinem ordinandorum irreptit, *can. Quando Episcopus Distinct.* 24. *can. Extra conscientiam Distinctio.* 44. Secundò, quando admissus ad minores tantum Ordines, una & eadem die etiam Subdiaconatum



na: si suscipit, e. 2. h. 1. Tertiò quando quis contra inhibitionem superioris eodem tempore ad duos sacros Ordines suscipiendos sese ingerit, e. ult. h. 1. Quartò, quando per saltum ordinatur.

2. Quantum ad pœnam sic Ordinem suscipientis attinet, distinguendum est; nam prohibitus suscipere Ordinem sub pœna excommunicationis, non potest in ordine sic suscepto ministrare, vel ad superiorem ascendere citra dispensationem summi Pont. nisi in monasterio aliquo habitum susceperit regularem ejusque vita & mores id exegerint; quo casu etiam Abbas illius loci quoad alios Ordines dispensare poterit, e. 1. 2. & 3. Si verò sententia excommunicationis lata non fuerit, poterit Episcopus, post peractam pœnitentiam, nisi alia impediant, dispensare, d. c. 2. & 3. Alioquin Conc. Trid. Sess. 23. c. 8. *De reform.* furtivè ordinatum suspensum esse vult ab executione ordinum, quamdiu Ordinatio videbitur expedire. Postque hodie Episcopum cum furtivè promotum dispensare, si crimen sit occultum & non deductum ad forum contentiosum, ex dicto Conc. Sess. 24. c. 7. tradit Lopez in *Praxi Crim. Canonica* c. 35. in V. *Lata est excommunicatio.*

Quod si Episcopus, dum confert Ordines, utatur his verbis. *Non intendimus ordinare non examinatos & approbatos*, cum qui se ingerit citra examen & approbationem in numerum ordinandorum, depud ordinandum est, injuncta prius pœnitentia, ob grave delictum, quod sic se ingerendo ordinum susceptioni commisit, Lopez in *Praxi Crim.* c. 25.

3. Prædictum autem examen ordinandorum necessarium est non solum in Clericis secularibus, sed & in Regularibus, privilegiis quibuscunque quoad hoc penitus exclusis, juxta Conc. Trid. d. Sess. 23. c. 12. Nisi forte quis ad Episcopatum promoveatur, quo casu valebit perinde Prælatorum attestatio, ac si publico alicujus Academiæ testimonio idoneus ostendatur, Conc. Trid. Sess. 22. c. 2. *De reform.*

### TITULUS XXXI. De excessibus Prælatorum & subditorum.

1. Excedit Prælatus subditos quæstionibus premens,

2. Item uniens Ecclesias, quod solum est Episcopi.
3. Sed neque Episcopo unire qualibet beneficia licet.
4. Excedit Abbas ingerens se jurisdictioni Episcopi.
5. In quibus subditus adversus superiorem excedere dicatur.

**H**Atenus variis Titulis actum est de criminibus omnium Clericorum communibus; nunc paucis agendum est de excessibus sive delictis peculiaribus ipsorum Prælatorum erga subditos, & horum erga Prælatos sive superiores suos.

Excedere, licet alias idem significet, quod superare & antecellere, tamen hoc loco idem est, quod transgredi limitem seu terminum debitum; & hujusmodi transgressio hic vocatur excessus.

1. Prælati verò excedere dicuntur in subditos, quando iniquis oneribus eos premunt, quod ipsis ex avaritia omnium malorum radice *can. Bonorum distincti*, 4. 7. commune est. A quibus proinde jubentur abstinere, sive Archiepiscopi, sive Episcopi, sive his inferiores, *cap. 1. 2. & c. Nimis iniqua* 16. (ubi recensentur quindecim gravamina inferri solita Religiosis, à quibus jubentur Prælati abstinere) & *Nimis prava* 17. (ubi ponuntur duodecim gravamina Prædicatorum & Minorum, à quibus pariter præcipiuntur abstinere Prælati) *hoc tit. puniendi alioqui pro ratione delicti*, d. c. 1. in *forma*. Imò possunt subditi Prælati suis impune non parere, si, quod imperant velexigunt, sit contra libertatem & privilegia sui ordinis, *cap. Sanè* 5. *hoc t.* Et si tortè eo nomine Prælati eos excommunicaverint, hujusmodi excommunicatio est nulla, *cap. Cum ad quorundam* 7. *hoc tit.* tanquam iniqua & injusta, cum eos velut filios & fratres benignè ac fraternam debeant charitate fovere, d. c. 1. in *princ.* & aliu à *Gloss. ibid.* citat in *V. charitate*.

2. Interdum excedunt Prælati, ingerendo sese rebus, non ad se, sed ad superiorem spectantibus; veluti, si Prælatus, non Episcopus, velit unire Ecclesias, id est ex duabus facere unam, quod ad solum Episcopum spectat, e. *Sicut unire* 8. h. 1.

3. Si item Episcopus ex vi decreti Conc. Trid. Sess. 23. *cap. 18.* quod permittit Episcopo applicare



cate & unire Seminatio beneficia simplicia primo vacatura, velut unire ea, quæ eo decreto non comprehenduntur; cuiusmodi sunt vacatura per resignationem, non quidem simplicem, sed conditionalem, in favorem scilicet tertii, & non alteri, vel sub reservatione penhous, aut simili, vel quæ sunt suæ collationis; quod non potest, *ex declarat. Cardd.* Prout nec potest facere unionem Ecclesiæ curatæ cum alia item curata, nisi forte propter paupertatem, ut inde sufficiens competentia uni assignetur, Conc. Trid. Sess. 21. c. 5. & Conc. Provinciale Mechlin. 1607 ad sedem Apost. confirmatum, ut neque regularia curata aut diversarum dioceseon Conc. Trid. Sess. 14. c. 5. *De reformat. & Sess. 24. cap. 13. §. in unionibus* Similiter licet idem Conc. Sess. 24. cap. 15. permittat Episcopo unire præbendis Cathedralibus tenibus alia beneficia, tamen ex quo loquitur tantum de præbendis, non extendit se concessio illa ad fabricam, Sacristiam, Capellanias, aut mensam Capitularem, licet tenue, quia aliud est Capitulum, aliud singuli de Capitulo. Et hinc fit, quod debita mensa Capitulari cedant his, qui tempore solutionis sunt de Capitulo, etiam de novo admissi, licet debita iam antecesserint, quia solutio fit Capitulo, quod semper est idem, *arg. l. Proponebatur D. De iudiciis*, non verò singulis de Capitulo, prout docet Gonz. ad Reg. viii. *Cancell. Glossa 37 n. 25. ex Calderino Consil. 21. De præbendis* Si inquam, eiusmodi beneficia unire Seminario, aut alicui alteri five beneficio five officio, Episcopus voluerit, dicitur excedere limites suæ potestatis ad unendum.

4. Excedit & Abbas, non Episcopus, si is cognoscat de causa matrimoniali, aut publicas poenitentias injungat, vel indulgentias concedat, quod de jure communi solis Episcopis permittitur; *c. Accedantibus 12. h. t.*

Interdum etiam excedunt Prælati in collatione beneficiorum: veluti, si aliquid suo alicui reservent, vel sibi ea conferant, *c. Ad nures*; *& c. Illud 6. h. t.* vel si conferant indigno, aut alteri, primâ collatione nondum improbatâ: quo casu conferens pro ea vice potestate conferendi privandus est, *c. Inter dilectos 11. h. t.*

5. Contra, subditus in superiorem excedere dicitur: si non sit continens, *c. Clerici 4. h. t.* si Ecclesiam suam, vel sibi subjectam, citra con-

sensum Episcopi subjecerit five unierit alteri, non obstante assensu vel confirmatione Metropolitanæ, *d. c. Sicut unire 8. h. t.* si de crimine publicè gloriatur, *c. Quam sit gravis 9. h. t.* si homicidio auctoritatem consiliumve directè vel indirectè præstiterit, *c. Ex litteris 10. h. t.* si cum inferior esset Episcopo, publicas poenitentias injunxerit aut indulgentias concesserit: aut aliàs dignitatem vel officium usurpat superioris, *d. c. Illud 6. h. t.* Si Ecclesiasticam læserit potestatem, interdicti sententiam violando, *c. Tanta est 18. h. t.* Si contra fidem homagii præstiti negaverit Prælatus esse suum Dominum, vel de eoram Iudice seculari conquestus fuerit, aut eundem invaserit, *c. Gravem 15. h. t.*

## TITULUS XXXII.

## De novi operis nuntiatione,

1. Nuntiare opus novum quid sit.
2. Quare introducta sit nuntiatio novi operis.
3. 4. Forma ejusdem & effectus.

**T**Am Prælati quàm subditi etiam aliquando excedunt in ædificando seu novo opere construendo, etiâ si in piis rebus versentur, ut in ædificandis Ecclesiis & aliis piis locis, in præjudicium vicinorum, vel altorum Ecclesiarum, aut piorum locorum. Quia verò hic excessus per novi operis nuntiationem coercetur, ideo his Tit. inscribitur *De novi operis nuntiatione.*

1. Opus novum facere videtur, qui aut ædificando, aut detrahendo aliquid, pristinam faciem operis mutat. *l. 1. §. opus novum 11. D. eod. tit.* Nuntiare hoc loco sumitur pro prohibere; & ideo nuntiat opus novum, qui denuntiat vicino, ne de novo ædificet. Nuntiatio verò novi operis est sollemnis prohibitio vicino facta, ne in opere novo ædificando pergat, donec de jure ædificationis constituerit, aut præstita sit eo nomine satisfactio.

Dixi, in opere novo ædificando; quia novi operis nuntiatio solum competit adversus operam, quæ nondum facta sunt, ne fiant, non autem



adversus ea, quæ jam ante nuntiationem facta sunt; nam eo casu recurrendum ad interdictum quod vi vel clam, vel aliud simile.

2. Fit autem nuntiatio novi operis vel ad conservandum jus nostrum, vel ad avertendum damnum, quod nobis infertur, vel ad publicum jus servandum, l. 1. §. *nunc videamus*, juncto §. *nuntiatio D. eod.* Potestque fieri à quocumque, cujus interest nuntiare, proprio vel alieno nomine, & cuicunque existenti in opere novo extruendo, sive is sit servus, sive liber, sive dominus, sive faber, sive major, sive minor, sive masculus, sive femina; nam sufficit sic fieri, ut domino possit renuntiari.

3. Quod ad formam attinet, tribus modis nuntiatur novum opus, vel simpliciter verbo, vel auctoritate magistratus seu Prætoris per publicam personam, vel denique per jactum lapilli in ipsum opus, l. *De pupillo* §. §. 10. *D. eod.* Et differunt hi modi, quod in verbali nuntiatione possessor amittat possessionem, non autem qui nuntiat per Prætores vel jactum lapilli.

4. Effectus hujus nuntiationis utroque jure est, quod, postquam nuntiatum est, ædificans desistere debeat à cæpto opere: alioqui si spretâ nuntiatione porro pergat, quidquid postea ædificatum fuerit, sive jure sive injuriâ, expensis ipsius ædificantis destrui jubeatur, c. 1. §. 2. *h. t. d. l. D. eod.* tum quia nuntiatio ista est quædam appellatio extrajudicialis, quâ pendente nihil attentandum est; tum quia factâ nuntiatione, is, cui factâ est, juris non facti via se tueri debet, id est Judicem adire & se illius jurisdictioni subicere; ideoque si non adierit, ob contemptum judicis opus factum demoliri cogitur. Quod verum est, nisi notoriè constituerit nuntianti non competiisse ullum jus nuntiandi, aut periculum fuerit, aut nuntiatio (quæ debet fieri in re præsentis, id est eo loci, ubi novum opus fit) facta sit separatim ab opere, id est alio loco, quàm ubi opus fit: nam his casibus impune sperni potest. Videatur plenius Gaill. l. 1. *Obser.* 16.

Ne tamen per ejusmodi nuntiationum opus aliquod temerè diutius impediatur, statutum est, ut novum opus nuntians intra tres menses probet opus inceptum injuria construi, d. c. 1. §. *ult. h. t.* Quibus peractis seu lapsis, ædificandi, oblata satisfactione de opere suis sumptibus

demolendo, in casum, quo injustè ædificatum pronuntietur, permittitur in opere cæpto pergere, d. c. *ult. §. l. unica Cod. eod.*

## TITULUS XXXIII.

### De Privilegiis & excessibus privilegiorum.

#### §. I.

#### De Privilegiis.

1. *Privilegium quid & quomodo à Beneficio ac Legibus distinguatur.*
2. 3. *Privilegia non extendenda extra personam, locum aut rem.*
4. *Privilegia quibus modis amittantur.*
5. *Ad privilegii substantiam non est necessaria scriptura.*

1. **T**RACTATUR hoc Tit. de Privilegiis in ordine ad delicta & excessus privilegiorum, vel potius de utrisque simul ex proposito: nam ut privilegia Clericis ac Religiosis concessa temerè violari non debent, ita neque delicta eorum manere impunita, qui privilegiorum limites excedunt, illique abutuntur.

Dicuntur autem Privilegia, quasi privatæ leges, c. 3. *Distin.* 3. quia scilicet alicui particulari personæ aut communitati seu corpori, vel loco, speciale ac singulare jus concedunt, ut colligitur ex d. c. 3. c. *Abbate inf. De verb. signif. & alie.* Addit communis sententia, contra jus; ut distinguat Privilegium à Beneficio Principis, quod speciale jus concedit secundum aut præter jus, non autem contra jus, Bart. in l. 1. *De jur. & facti ignor. & in l. fin. Cod. Si contra jus.* & c. latè lason. in l. fin. n. 27. *D. De Constitut. Principum.* Verum non videtur necessaria additio ista, cum sæpè unum pro alio sumatur, aut sub alio contineatur, tanquam species, uti privilegium sub beneficio, prout ostendit Suarez 8. *De Legibus c. 1. n. 5.* possitque privilegium etiam præter jus dari.

A cæteris autem legibus distinguitur privilegium, quod illæ jus commune statuunt &



concedant, hoc verò jus singulare;

2. Et idem ad alios, quam quibus concessum est non extenditur, licet in alijs vel par vel major sit ratio, *c. Sanè 9. h. t. c. Privilegia De R. l. in 6. & alijs similibus*.

3. Similiter nec ad alia loca vel res, quam quæ privilegij tenore exprimuntur, producit, *c. por- 19. h. t.* Idemque exemptus, ratione certæ rei vel certi loci, non ceditur exemptus ratione alterius rei aut loci, *c. Cum Capella 16. h. t. quæ Constitutio est Innoc. III. cui inhxrendum est peculiari- ter censuit Conc. Trid. Sess. 24. c. 11. de quæ hac re videri plenius potest Weyant. in sua Analyse ad d. Cum capella ubi latè tractat de Capella Ducis-Burgundie, cujus in d. c. fit mentio, Hinc etiam exempti vel privilegiati, licet non teneantur nisi coram suo Iudice respondere adversarijs, tamen ratione delicti, contractus, aut rei, in loco non exempto, coram locorum Ordinarijs conveniri possunt, ubi vel deliquerint, vel contraxerint, vel res sua sita est, non etiam ratione domicilij, *c. Volentes h. t. in 6.**

Similiter privilegium monasterio indultum, ne Monachi ejus possint à quoquam interdici, suspendi vel excommunicari, accipiendum est de Monachis in ipso monasterio commoranti- bus, vel in Ecclesijs eidem quoad temporalia & spiritualia subjectis, non etiam de alijs, aut aliò missis, puta ad Ecclesias vel Prioratus subjectos Ordinarijs; quia tunc loci Ordinarius, non ob- stare privilegio vel qualitate monachali, etiam quoad prædicta in eos jurisdictionem exercere poterit, quamdiu ibi manent, *c. Quoniam 21. h. t. d. c. Volentes §. in eos autem*; quæ est Constitutio Innoc. IV. quam & Conc. Trid. Sess. 7. c. 14. Derogavit, innovandam censuit. Neque enim mo- nasterio aliquo per privilegium exempto à juris- dictione Ordinarij, ideo & capellæ, eidem mo- nasterio subjectæ, censi debent exemptæ; *d. c. Cum capella & c. Ex ore 17. h. t.* quia non faciliè præsumitur summus Pontifex jurisdictione Or- dinarij velle in aliquo derogare, nisi id in termi- nis expressum sit, *c. Pastoralis 19. h. t.* quia pri- vilegium, ut dixi, jus est singulare, quod neque ultra personas, neque ultra res, aut lo- ca, quam quibus datum est, extendi debet: ita ut non ulterius detrahatur jurisdictioni Ordina- rij, quam discretè exprimit, & eatenus ces- set, quatenus contra illud præscriptum est in

toto vel in parte. Sicque interpretandum venit, ut quantum fieri potest, non lædatur jus com- mune aut tertij, ut colligitur ex l. Quoties Cod. de precibus Imp. offerantur, c. 1. & 2. sup. De presbyt. modo tamen per talem interpretationem non reddatur prorsus inutile, *cap. in his 30. h. t.*

Quod si instrumentum privilegij perditum sit, per testes probari poterit, si modò delis- tribus deponant; primò, quod instrumentum privilegij aliquando extiterit; secundo, quod talis fuerit ejus tenor, qualis fuisse asseritur à privilegiato; tertio, quod illud fuerit sine vi- rio, *c. Cum olim 14. h. t.*

4. Amittuntur verò privilegia semel con- cessa plurimis modis, de quibus videre licet Pa- normit. in c. Suggestum sup. De decimis, Felin. in c. Qua in Ecclesiis sup. De Constitut. Primò, amittitur privilegium morte privilegiati, si per- sonale sit, *c. Privilegium De Reg. Juris in 6. & alijs*, Cæterum licet mandatum obitu mandan- tis finiatur, non tamen privilegium morte concedentis, quia privilegia principis perpetua sunt, & decet esse mentura, *cap. 1. & 2. xxv. q. 2. c. Decet De R. l. in 6.* Sunt enim favores & gratiæ, quæ morte concedentis non extin- guuntur, ut colligitur ex c. Si cui nulla De præ- bend. in 6. & alijs. Aliud dicendum, si conce- dens privilegium addiderit, Donec decessero aut usque ad beneplacitum meum, Suarez d. loco c. 32. sub finem Ubi etiam n. 4. & seqq. do- cet, quando destructo loco, cui concessum est privilegium, finiatur, & restituto restituatur. Secundo per abusum, si privilegiatus suo pri- vilegio abutatur, aut aliorum privilegij deroget, *c. Dilecti 4. c. V. privilegia 24. in princ. eod.* Vide Suarez De legibus lib. 8. cap. 36. Tertio, lapsu temporis, quod privilegio constitutum est, *d. l. Quoties Cod. D. precib. Imp. offer.* Sed hic modus obtinet tantum in privilegio temporali IV. Si privilegiatus contraveniat suo privile- gio. V. per delictum VI. si datum sit ad faciendum aliquid, eoque per decennium non u- tatur privilegiatus, datà utendi facultate & occasione, *arg. l. 1. D. De nundinis* An verò privi- legium datum ad aliquid faciendum finiatur unico actu, vide Suarez d. lib. 8. c. 29. n. 7. VII. Contrarià præscriptione xxx. aut xl. anno- rum, *c. Si de terra 9. c. Accedentibus 15. h. t.* Vi- de Suarez d. lib. 8. c. 34. VIII, Cessante ex



toto causa finali, *e. Cum cessante sup. De appellat.* IX. Si incipiat alicui esse perniciosum, præsertim ei, in cuius bonum datum, *e. Suggestum & ibi Gl. sup. De Decimis X.* per sententiam, latam contra privilegium, in iudicio exhibitum, qua non fuit appellatum, *arg. e. Suborta in fine & ibi Gl. sup. De sent. & rejudicata.* XI. Privilegium speciale prius tollitur per speciale posterius, faciens mentionem de priori, *e. Caterum e. Cum ordinem sup. De rescriptis.* Similiter generale privilegium prius, sicut & mandatum, per posterius speciale tollitur, licet prioris generalis nullam faciat mentionem, *e. 1. & e. Pastoralis sup. De rescriptis.* Speciale verò privilegium non tollitur per subsequens generale, nisi de eo mentionem fecerit, *d. cap. Cum Ordinem* nam species semper derogat generi, sive præcedat, sive sequatur, Abb. in *e. 1. sup. De rescriptis XII.* Per renuntiationem tacitam vel expressam, de qua, quomodo fieri possit vel non, vide Suarez *d. lib. e. 33. cum aliis, quos citat.* XII. Per revocationem, de qua vide eundem Suarez *d. lib. e. 37. cum alijs quos citat.* Quid autem dicendum sit, quando locus unus vel Ecclesia alteri unitur, vide Glor. & Hostiens. in *e. 1. sup. Ne sede vacante, &c.*

5. Denique licet privilegium sit rescripti species, ad substantiam tamen ejus non requiritur scriptura, ut satis colligitur ex *can. Institutiones xxv. q. 2. Clement. Dudum De sepulturis* ibi, *gratias aut privilegia, verbo aut scripto concessa, & ibi. Glor. ac De extravag. D. D. Dominici De sentent. & remiss. ibi, tam verbo quam scriptis concessis exinde literis, vel non: & iterum, quas concedi quomodolibet impoſterum continget verbo, literis, &c.* Subinde tamen requiritur scriptura ad privilegii probationem.

## §. II.

## De Excessibus privilegiatorum.

1. Privilegia prava interpretatione non extendenda.
2. Privilegia Regularium quatenus limitata aut limitanda.

**Q**uodnam ad excessus privilegiatorum attinet, de quibus quatenus privilegiati sunt, hoc Tit. agitur, sciendum, hujusmodi excessum non esse aliud, quam privilegiorum abusum. Nam sicut privilegium alicui datum neque directe neque indirecte est à quoquam

violandum, *e. Quando 26. h. t.* nec maligna interpretatione ita restringendum, ut privilegiato proſus sit inutile, *e. in 1. 30. h. t.* ita è diverso privilegiati non debent pravâ interpretatione privilegia sua, contra & præter mentem concedentis, in alterius præjudicium producere & extendere. Et propterea exempti per privilegium à jurisdictione Ordinarij non licet Ecclesias vel decimas de manu laicorum sine consensu Diocessani recipere, *e. 3. hoc tit.* Similiter non licet excommunicatos nominatim vel interdictos ab Episcopo admittere ad divina vel sepulturam, *d. e. 3. §. Excommunicatos & e. Ad hac h. tit.* nec in Ecclesijs suis, quæ ad eos pleno jure non pertinent, Presbyteros, inconsulto Episcopo, instituere vel destruere, *d. e. 3. §. in Ecclesijs.* Hinc etiam exemptus in loco non exempto construere Ecclesiam non potest absque licentia Episcopi, & si de facto construxerit, cedit jure Episcopi, *e. Cum olim 14. h. t.* Denique confratres exemptorum seu ipsorum oblati, nisi se ad eos in totum transulerint, nullatenus eximuntur ab Episcopali jurisdictione, *d. e. 3. §. De confratribus: & quicunque privilegijs suis quoquo modo abutuntur, vel aliorum privilegijs derogant suis privandi sunt, e. Dilecti 4. & e. Vi privilegia in princ. 24. h. t.*

2. Cæterum licet Regulares varijs summorum Pontificum privilegijs à jurisdictione Ordinatioſum sint exempti, prout videlicet ex eorum privilegijs, latæ collectis & explicatis apud Eman. Roder. *Quæst. Regular. tit. 1. à q. 45.* omnesque tam Mendicantes quam non mendicantes sua sibi privilegia communicent, illisque æqualiter, etiam uni tantum Ordini concessis, gaudeant: in plurimis tamen ista eorum privilegia fuerunt à diversis Pontificibus restricta & limitata, speciatim ab Innoc. III. in Conc. Lugdunensi, Bonif. VIII. *totò h. tit. 6.* Conc. Constantiensi *Sess. 43.* Leone X. in Conc. Lateranensi, cujus Constitutionem, *eundem an. 1516.* refert Piaſ. *2. p. e. 3. a. 6. n. 5.* ac novissime per Conc. Trid. prout videlicet tum apud Piaſ. *d. loco,* ubi ex professo tradit casus, quibus non obstantibus suis privilegijs, subsunt jurisdictioni Episcoporum, tum apud Eras. Chiquet. *Tract. De jurisd. Ordinarij in exemptis p. 2. q. 45.* ubi ejusmodi casus 116. enumerat. Videtur etiam Zyp. *h. t. qui n. 2.* refert ex Choppino à Se-



Senatu Parisiensi iudicatum, huiusmodi exemptionem non extendi ad iura quædam honorificatæ Episcopi in Ecclesia exempta adjudicatam eminentiorem sedem: sacrum concionandi munus aut Concionatoris dandi arbitrium, inquisitionis Canonico collegio, & jus dimissorias litteras tribuendi, cum libero in concessum Capitulo introitu, quoties de Ecclesiæ commodis obsequiove Principi debito Concilium iniretur. Insuper tradit quod licet sacra Congregatio censuerit, Regulares Canonicos, qui de mandato suorum Superiorum Parochiali Ecclesiæ suo monasterio unitæ, deserviunt, si delictum commiserint, curam animarum aut administrationem Sacramentorum non concernens, non posse ab Ordinario, sed tantum à superiori Regulari puniri, quod quomodo concedat cum c. 3. sess. 6. Conc. Trid. se non videre ait: nihilominus in his partibus possessio habeat, ut qui in cura extra monasterium stant, plenius subdantur correctioni ordinariæ. Addit ex Gonzales ad Reg. viii. Canell. Gregorium XIII. statuisse non licere Canonicis regularibus congregationis Lateranensis habere beneficia curata in perpetuum vel etiam ad tempus absque dispensatione summi Pontificis. Et ita tunc praxim Romanæ Curie habere, ut qualescumque Monachi si e dispensatione Papæ beneficia curata obtinere non possint. Quamvis autem exempti ab Episcopo excommunicari nequeant, nisi in casibus, in quibus Conc. Trid. vult cessare eorum exemptiones, ult. sess. 25. Bulla Pii V. incip. in Principis 1565. 24. Febr. tamen in casibus, in quibus à Jure excommunicantur, citari possunt, & declarari excommunicati & vitandi Zyp. h. t. in fine.

## TITULUS XXXIV.

## De purgatione Canonica.

1. Purgatio duplex Canonica & vulgaris.
2. Canonica quomodo fiat.
3. 4. Compurgatores quot & quales assumendi.
5. Poena deficientia in purgatione.
6. Purgatio quando permitti debeat.

**T**Ractatu criminum absoluto, restat posterius hujus libri caput de poenis, quibus ea coercerentur & puniuntur. Verum cum poena

in flagi nequeat, nisi crimine luce meridiana clarius probato, ult. Cod. de probat. & tamen deficientibus accusationibus vel probationibus, crimina manere impunita reipubl. perniciosum sit, introducta est purgatio, qua reus de objecto sibi crimine se purgat seu excusat: sic enim accipitur hoc loco Purgatio, estque duplex, Canonica, & vulgaris.

1. Purgatio Canonica est innocentia alicujus criminis, de quo quis diffamatus est, Canonice facta ostensio, seu demonstratio. Colligitur ex c. 2. 3. & 4. h. t. Vocatur Canonica, eo quod à sacris Canonibus inventa & prodita sit, toto h. t. Decretal. contra Vulgarem.

2. Ea fit hoc modo: In primis reus, tactis sacrosanctis Evangelii, jurat se crimen obiectum non perpetrasse, nec per se, nec per submissam seu tertiam personam, neque aliquem suo nomine se sciente commisisse, c. Quoties 5. h. t. modò fide dignus sit: nam hoc juramentum nec temerè nec nisi fide dignis deferri debet & solet.

3. Insuper adhibet sibi compurgatores, interdum duodecim, interdum septem, interdum pauciores, pluresve, c. 2. & 10. h. t. pro arbitrio scilicet iudicis, qui pro qualitate delicti, personæ, rei compurgatorum numerum determinabit, vel etià, ubi ita videbitur, compurgatores omittere, d. c. 8. in V. sicut expedire, c. Significasti in V. juxta arbitrium tuum sup. De adul. & aliis. Quinimò quandoque ipse rei, si levior sit diffamatio, simplici negatione contentus erit. Planè in can. Qui presbyterum xvii. q. 4. statuitur, ut qui presbyterum occiderit, si liber sit, cum septuaginta duobus juret (magno sanè numero, nisi fortè legendum sit duodecim, ut alii Codices habent: si autem servus, super duodecim vomeres ferventes se expurget; quæ est purgatio vulgaris, postmodum ab Honorio III. damnata, c. ult. inf. De purgat. vulgari.

4. Debent autem hi compurgatores esse vicini: probatæ & honestæ vitæ, cap. Cum dilectus 11. h. t. saltem de nullo crimine condemnati vel suspecti, c. Constitutus 9. h. t. qui reum familiariter noverint, c. Cum P. 7. hoc in. & jurare, tactis sacrosanctis Evangelii, se credere, reum crimen obiectum non commisisse, & verum jurasse. Unde hoc juramentum compurgatorium est credulitatis: rei verò qui se purgat veritatis, d. c. Quoties c. De testibus 13. h. t.

Rit 3

5. Quod



5. Quod si verò diffamatus de crimine defecerit in hac purgatione, vel quia jurare nolit vel quia non inveniatur compurgatores, qui eum expurgare velint, tamquam convictus de crimine, auctorque sceleris puniendus erit, *c. De hoc 11 c. In sinuatum 13 sup. De simonia*; & si crimen tale sit, quod mereatur depositionem, deponendus, *d. c. Cum 3*. Quia etiam, si crimen grave sit, vel monitus non viderit occasionem, quæ eum infamem reddat, suspendi potest ab officio & beneficio, donec se purgaverit, *c. 2. & c. Inter 10. h. t.*

6. Non permittitur tamen hæc purgatio, nisi ubi de crimine magna est suspicio, nec tamen magna probatio, *c. Cum dilectus 15. h. t.* ubi enim crimen aliter probari potest, vel adsunt indicia ad torturam, non est indicenda purgatio, *d. c. Si quis de gradu h. t. Ricc. Decis. 680.* si cur nec ubi crimen est notorium vel propria confessione, vel testibus, vel evidentia facti, sed debita tunc pronuntiatur sententia & pœna infligitur, *d. c. Cum dilectus*, ideoque hoc remedium subsidium reputatur, *Ricc. d. loco*. Sic nec reo indicenda est necessarii, quando infamia ortum non habet ex probabilibus conjecturis, sed tunc diffamatus simpliciter absolvendus est nisi adversarius valde instet, *cap. Cum in iuventute 12. versic. ceterum quia procurator h. t.*

Cæterum licet hæc purgatio à sacris Canonibus indita sit, & pro magna parte in desuetudinem abierit, præterquam in Regularibus, *Ricc. d. Decis. 680.* nec olim fuerit in usu, nisi quoad Clericos, *Jul. Clarus § fin. q. 63. n. 4.* tamen in foro etiam sæculari usu receptam esse quibusdam in locis, veluti in Flandria & aliis, testatur Damhauderus in *Praxi crimin. cap. 44.* præsertim in causis hæresis: *Jul. Clarus d. loco. Bern. Diaz in Praxi Crim. Can. cap. 149. n. 2. & ibid. Lopez ad cap. 148. in fine, & potissimum, dum aliquis accusator non est, c. Nos inter 6. h. t.* Notatque *Zyp. h. t. n. 1.* Joannem Lucem an. 1312. in tabulis Legatum Brab. sanxisse, ut ad huiusmodi purgationem admittatur diffamatus cum duobus compurgatoribus; qui si extraneus sit, juret se innoxium, & innocentem suæ testes siue compurgatores invenire non posse. Addit ex Concordatis Hannoniæ, iuris inter Episcopum Cameracensem & Consiliarios suæ Majestatis, 2. Martij 1541. quod in casu vehementis suspicionis aut notoriæ diffamationis,

deficiente probatione, Officialis possit indicere modo consueto purgationem.

Effectus autem purgationis hujus est, absolvi, & in pristinum statum restitui, *can. Omnibus 2. q. 5. can. Memnam. can. Presbyter ibid.* non tantum, si omnino innocentes fuerint, sed & si culpam commiserint, ex qua nota fuerit diffamatio, ut patet ex *d. c. Inter 19. h. t.* ubi Decanus, ob culpabilem familiaritatem cum hæreticis diffamatus & suspensus, purgatione peracta, fuit loco restitutus. Sic verò purgatus & restitutus deinceps vitam suam instituere bonisque operibus adornare debet, ut infamia convertatur in bonam famam, & scandalum ac suspicio omnis de Catholicorum mentibus deleatur, *d. c. Inter in fine.*

Æquum porro videtur, ut se purgans si causam culpabilem suspicionis dederit, condemnatur in expensas, prout olim obtinuisse, & cautum esse in statutis Curiarum Ecclesiasticarum provinciæ Mechlin. 12. Octob. 1617. atque observatum à Conc. Brabantia: eodem anno refert *Zyp. d. loco n. 3.* Quamquam in Concordatis Hannoniæ cum Episcopo Cameracensi an. 1449. decretum fuerit, ne reus, per purgationem absolutus, expensas ullas luat, Vide *Diaz cap. ult. sua Praxi & ibid. Lopez*

## TITULUS XXXV.

### De Purgatione vulgari.

1. Purgatio vulgaris quo pacto fiat.
2. Causa prohibitionis.

1. Purgatio Vulgaris, sic dicta à Vulgo (quo instigante diabolo, inventa, & induta est) sit vel per duellum, vel per aquam calidam aut frigidam, vel per ignem, id est, per ferrum candens, per prunas & rogam, vel per alia similia, *cap. Ex tunc 8. De purgat. Canonica, cap. 1. & 2. & fin. nu. 1. can. Monachum 2. q. 5.* Ut v. g. si alter alterum criminis alicujus accuset, quod probare non possit, & provocet ad duellum, ut uter ceciderit, is habeatur reus criminis vel falsæ accusationis, *d. cap. 1. & 2. hoc tit.* vel si quis dicat se falso accusatum, & ferrum candens manu comprimatur, vel super ignitum ferrum nudis plantis incedat, absque



adulterio, habeatur innocens; si secus, reus, *ult. hoc tit.* Exempla refert Covar. lib. 4. Var. re. fol. 23. & ibid in Annotat. Uffellius. Delrio, *Disquisitio magis lib. 4. cap. 4. §. 4. Sect. 3.*

2. Ceterum hæc purgatio tribus de causis merito à sacris Canonibus reprobata & vetita est. Prima, quia per eam sæpè contingeret quem condemnari, qui esset absolvendus, & absolvi, qui condemnandus, *d. c. 2. h. tit.* Secunda, quia inventa à diabolo, *can. Mennam, can. consulisti* 2. *quest. 5.* Tertia, quia per eam teneretur Deus, *d. ult. hoc tit.* Ubi tamen publica salus duellum exposceret, licitum esset, imò laudabile, *arg. text. in l. 1. §. sed si quis operas D. De postulando;* ubi licet locans operas, ut cum bestiis pugnet, sit infamis, tamen non est infamis, qui locat operas, ne expugnet feram, regioni noxiam. Videatur plenius de utraque hac purgatione Tholoan. *Synag. Iuris Universi l. 48. c. 35.*

## TITULUS XXXVI.

## De Injuriis &amp; damno dato.

## §. 1.

De Injuriis & earum pœnis.

1. Injuria generaliter & specialiter sumitur.
2. Specialiter pro contumelia, & sit re aut verbis.
3. Pœna injuriantium ex utroque jure.

1. IN judicio criminali prosequendo & terminando non solum de pœna, ob crimen commissum luenda, tractandum est, verum etiam de privata injuriarum aut damni dati reparatione. Sed & cum deficiente accusatore, & purgatione Canonice præstita, absolvendus sit reus, teneaturque accusator sive denunciator accusato actione injuriarum & de damno dato, ideo recto ordine subnectit hunc Tit. Pont.

2. Injuria dupliciter sumitur, generaliter & specialiter. Generaliter dicitur omne id, quod non jure sit, indequè suam appellationem habet, *l. 1. D. De injuriis.* Specialiter rursus tripliciter sumitur: primò, pro contumelia, quæ à contemnendo dicitur; secundò, pro culpa seu damno, culpa & non jure dato, ut in *Leg. Aquilia*; tertio, pro iniquitate seu injustitia, ut quando Judex inique & injustè judicat. Hic verò sumitur pro contumelia; & duobus potissimum modis fit, re & verbis. Re, si manus

alicui inferantur; ut si quis alium pulset aut verberet. Verbis fit dupliciter; Primò, quando quis ad contumeliam alterius verba contumeliosa profert. Unde & convitium dicitur: significat enim convitium injuriarum verbis factam, *d. l. 1. §. 1. D. eod.* maxime si cum vociferatione & in coram hominum fiat, alias non dicitur propriè convitium, sed infamandi causa dictum, *l. 1. in §. ait Prator:* veluti si quis in coram hominum alium appellet securam, nebulonem: si dicat, Tu mentiris licet addat, salvo honore; quia verbum injuriosum præcedens declarat voluntatem injuriantis, quæ deest in reservatione inde facta, & quia dici solet, protestationem repugnantem cum ipso actu esse nullam, *arg. l. Cum precario D. De precario.* Secundò fit litteris seu scriptura: ut si quis librum ad infamiam alicujus pertinentem aut carmen famosum, vel historiam scripserit, composuerit, ediderit, dolo vel malo fecerit, quo quid eorum fieret, si ve suo sive alterius nomine, vel sine nomine: item qui emendum vendendumve curaverit, *l. Lex Cornelia §. si quis lib. 9. D. h. tit.* aut invenerit, legerit, nec corruperit, sed dolo manifestaverit, *l. unica Cod. De famosis libellis.*

Ex famoso autem libello gravissima nascitur injuria, quæ pœna capitali punitur *d. l. unica C. De fam. libellis:* nempe si criminaliter agatur: alioqui si civiliter, condemnatus jubetur esse inestabilis, *d. §. si quis librum.* Eaque pœna constituta est non tantum in auctorem libelli, sed & in eum, qui de via repertum non decerpserit, sed divulgaverit & in publicum projecit, ut à quovis legeretur.

Ceteroquin quoddam ad pœnas & æstimationem injuriarum attinet, illud hic præmittendum est, injurias quasdam pertinere ad læsionem corporis, ut cum quis pulsatur aut verberatur; quasdam ad læsionem dignitatis, ut cum comes matronæ abducitur: alias ad infamiam, ut cum pudicitia alicujus attentatur, *d. l. 1. §. 2.* alias ad læsionem rerum, ut in *Tit. Ad Leg. Aquiliam*. Rursus ex his quasdam dici injurias atroces, quasdam leves. Atroces sunt contumeliosiores & majores, habita ratione personæ, temporis, loci & rei, prout hæc omnia explicantur in *l. Aut factus §. ff. de pœnis. l. Prator edixit ff. atrocem, cum l. sequenti ff. hoc tit §. atroc. Instit. eod.*

Pro varietate igitur injuriarum, atrocis vel levis, crescit vel minuitur æstimatio injuriarum. Agitur



Agiturque ob injuriam aut civiliter, aut criminaliter Civiliter, ad æstimationem injuriæ, ut scilicet Judex tanti reum condemnet, quanti injuriam passus æstimaverit, vel minoris, prout ei visum fuerit. §. In Summa juncto §. Pœna Instituit eod. Criminaliter agitur ad pœnam extraordinariam, officio Judicis reo interrogandam. Et quidem utroque hoc modo agitur ex præscripto juris Civilis, quo etiam una actio tollit aliam, l. 6. 7. & ult. D. eod. quia utrumque judicium ad pœnam & vindictam comparatum est, & unum idemque delictum vindicari iterum non debet, l. Senatus 14. D. De accusationib.

At jure Pontificio si quis in Clericum aut Religiosum violentas manus injecerit, excommunicatur ipso facto, can. Si quis suadente xvii. q. 4. c. 5. cum similibus inf. De sent. excommunicat. & in eum, qui Cardinalem fuerit hostiliter insecutus vel percussit, &c. veluti in reum læsæ majestatis advertitur, c. Felices de pœnis in 6. ubi plenius vide. Qui autem in Episcopum hæc perpetraverit, eisdem ferè pœnis coercetur. Clement. 1. De pœnis c. unico eod. s. in 6. Deniq; qui in alterius famam publicè scripturam aut verba contumeliosa confecerit, & repertus scripta nō probaverit, flagellari debet. Qui autem libellum famosum invenerit, nec ruperit, quasi auctor hujusmodi delicti utroque Jure puniendus est, can. 1. & ult. V. q. 1. l. unica Cod. De famosis libellis.

## §. II.

## De Damno dato.

1. Damnum quoquo modo datum reparari debet.
2. Visus victori condemnandus in expensas.

1. Sed probato crimine reus ante omnia Damnum alteri injuriâ quoquo modo, etiam levissimâ culpâ datum, sive per se, cap. 1. 2. & 3. h. t. sive per alium, vel alii opem ferendo, c. ult. eod. plane resarcire debet, d. c. 1. & c. 6. eod. sive Clericus sit, sive laicus, cap. Olim 7. h. t. sive damnum datum sit in rebus vel animatis vel inanimatis, toto Tit. D. & Cod. Ad L. Aquilam & potissimum, l. In lege D. eod. quia factum suum cuique nocere debet, non alteri, ut habet, regula Juris, l. Imperitia 132. D. de R. l. cum non debeat quis affectare id, in quo vel intelligit vel intelligere debet infirmitatem imperitiamve suam alicui futuram periculosam,

Idem est in eo, cujus negligentia damnum illatum est: ut in Medico, qui deseruit curationem ægroti; in Notario, cujus negligentia error in instrumento admissus est, in eo, qui negligentem ignem custodivit ne longius seiperet: nam hi omnes & similes ad restitutionem damni rectè conveniuntur, ut latius tradit Casus in Summa lib. 3. tit. 2. §. damnum, quem plenius vide, ut & ea, quæ traduntur in Tit. Instit. Ad L. Aquilam, & De noxalib. actionibus, ne superflue, quæ ibi traduntur, repetamus.

2. Non solum autem damnum illatum resarcire reus debet, sed & expensas, quas occasione litis injustè motæ adversarius justè rececit, refundere tenetur, d. c. Olim 7. h. t. 4. inf. De pœnis: quia regulariter victus victori in expensas condemnatur, etiam in causis civilibus & pecuniariis cap. Properandum §. sive autem Cod. De judiciis. Ad id ut statutum de damnis non resarcendis dispensens, etiam si quis illud servare juraverit, non extendatur ad expensas, c. 8. In nostra 8. h. t. quia aliud appellatur damnum, aliud expensæ; & iuramentum strictè accipiendum est de iis tantum, de quibus expressim fuerit actum.

## TITULUS XXXVII.

## De pœnis.

## §. I.

Pœnæ quotuplices & quo pacto infligendæ,

1. Pœna à multa in quibus distinguatur.
2. Pœna alia Civilis, alia Criminalis.
3. Civilis alia Conventionalis, alia Legalis, alia Judicialis.
4. Criminalis alia Perpetua, alia Temporalis.
5. Temporalis alia Pecuniaria, alia Corporalis, alia Spiritualis.
6. Pœna item alia est personalis, alia Realis, alia Mixta.
7. Item alia Capitalis, alia non capitalis.
8. Iudex Ecclesiasticus secundum Canones judicare debet.
9. Quid iudex in infligenda pœna attendere debeat.
10. Etiam heredes delinquentium jure Canonico interdum puniri.
11. Iudex Ecclesiasticus quatenus pœnam pecuniariam infligere possit.

Rei



**R**ecriminatio, de quibus hucusque satis superque actum est, præter damna & expensas etiam poenas pari debent easque vel à Canonibus statutas, vel arbitrio iudicis pro qualitate criminis, infligendas, si nullæ à Canonibus statutæ sint, c. *Dilectus filius* 11. h. t. cum ut dicitur in l. *Infamia* §. 1. inf. *De sent. excommunicat.* l. *Item vulnere* §. fin. D. *Ad L. Aquiliam*, expediat Rei publ. ne crimina maneat impunita, & eo sine poenæ adinventæ sint, ut homines à delictis coercentur & in officio continentur eoque pacto, Res publ. pacata & tuta sit.

Pœna (a pendendo dicta juxta Varronem d. *Lingua Lat.*) est supplicium, quo quis ob delictum afficitur, siue nexa vindicta, seu delictorum omnium coercitio vel satisfactio à lege vel ministro legis imposita.

1. Distinguitur à Multa; primò, quòd pœna generale sit nomen, omnium delictorum coercitio, multa verò specialis delicti. Secundò, quòd multa animadversio tantum pecuniaria sit. Pœna etiam capitis & exiliumationis irrogari solet. Tertiò, quòd pœna à lege, multa ex arbitrio ejus, qui multam dicit, & ut plurimum ubi pœna non est à lege imposita, indicatur. Quartò, multam is indicere potest, cui adjudicatio data est, poenam verò quisque cui criminis executio competit, irrogare potest, ita hæc discrimina traduntur in l. *Aliud* fraus 13. D. *De verb. signif.*

2. Dividi autem pœna in genere multifariam potest, & primò in Civilem & Criminalem. Civilis est, quæ non tendit ad vindictam publicam, sed ad privatum commodum, puta civiliter agitis, etiam de crimine, arg. l. *unica Cod. Quando civilis actio præjud. crim.* 3. Et hæc vel est Cõvèntionalis, vel Legalis, vel Judicialis. Conventionalis ex conventionione partium, veluti si quid datum factumve non fuerit, committitur & præstat: ita ut, si uterque conventioni contraveniat, uterque in poenam incidat, cap. *Constitutus* 7. h. t. Legalis est pœna civilis, quæ à lege imponitur, pro reparatione damni illati, vel propter contumaciam aut contemptum, judicialis propriè est, quæ à Judice infertur,

4. Criminalis est, quæ tendit ad vindictam publicam; totiesque infligenda est, quoties delictum iteratur c. 1. h. t. Et hæc dividi potest in perpetuam & Temporalem, quarum

illa nunquam unus pro alio punitur, Can. 1. q. 4. de qua intelligitur illud. *Filius non portabit iniquitatem patris.*

5. Temporalis subdividi potest in Pecuniariam, Corporalem & Spiritualem. Pecuniaria alias Multa vel Emenda, vel Cõpositio vocatur. Tholos. *Partit. luris can.* l. 4. r. 16. c. 1. Corporalis est duplex: alia enim corpori ipsi infligitur, alia autem versatur circa statum vel dignitatem personæ, ut servitus, infamia. Spiritus est quadruplex Excommunicatio, Interdictum, Suspendio & Degradatio, de quibus dicitur postea.

6. Aliter dividi solet pœna in Personalem, Realem & Mixtam. Personalis est quæ personam tantum afficit, ut Depositio, Suspendio, Excommunicatio, Incarceratio, in monasterium detrusio, Verberatio. Servitus, Relegatio ad triremes, publica ad infamiam criminosis in theatro aut columnam ostentatio, quam moribus nostris infamiam irrogare asserit, Bul. ad L. *Item* D. *De his qui notantur infamia*, ut refert Zyp. h. t. Realis est, quæ in odium personæ rebus imponitur, ut missio in possessionem beneficii vel ejus privatio, rerum confiscatio. Mixta denique est, quæ partim est personalis, partim realis, ut Interdictum, absolutio vassalli à fidelitate,

7. Tertiò, divid potest pœna in genere secundum divisionem criminum: ut enim erimina alia sunt capitalia, alia non capitalia, ita & pœnæ alia capitales, alia non capitales, l. 3. D. *De publ. judiciis*. Capitalement poenam dividit Jurisconsultus in l. *Capitalium* D. *De pœnis*, in ultimum seu summum supplicium metalli coercionem & deportationem. Unde patet capitalium alias esse majores, alias minores. Quin etiam inter ultimi supplicii poenas majora dici potest, quæ majus opprobrium infert. Alias divisiones poenarum omitto, de quibus videri potest Tholosan. d. loco.

8. Porro sicut Juxta secularis secundum leges civiles judicare debet, *Insist. De officio lud. in princ.* & à præscripta jure pœna non discedere l. 1. §. 1. D. *Ad SC. Turpill* ita & Juxta Ecclesiasticus secundum Canones judicare, nec à poenis per eos statutis recedere debet, c. 1. *sup. De constitut.* c. 1. *De sentent. & re judicata*, nisi causa subit, quia cum permillum est utrique poenam vel augere vel minuire, vel etiam prorsus remittere, c. fin. *sup. De transact.* l. 3.



4. *Cod. Ex quibus causis irrog. infamia*; pro varietate scilicet circumstantiarum, causarum, personarum, loci, temporis, quantitatis, qualitatibus & eventus, *l. Aut facta 18. D. h. t.*

9. Nam in primis in infligenda poena Judex diligenter attendere debet, an delictum sit voluntarium, an involuntarium: tunc enim maleficia puniuntur, cum ex corde committuntur, *Glos. in c. 1. sup. De convers. conjugat. can. Illa cavenda xv. q. 1.* Similiter considerare debet personarum statum; conditionem, gradum, qualitatem, *l. 2. § 3. D. De termino moto.* Sic quoque diversitas temporis plurimum facit ad distinctionem criminum & poenarum, *can. fin. Distinct. 14.* sicut & loci, *can. Ante terminum, can. Aliter Distinct. 30. c. Cum olim sup. De Cleric. conjugat. Ut & diversitas quantitatis: nam qui ovem surripit, fur; qui gregem, abigeus dicitur, d. l. Aut facta 1. § fin. D. De abigeis.* Et ut delictorum alia sunt majora, alia minora, *can. Adulterij malum, can. Flagitia, can. Quod in omnibus xxxi. q. 7.* ita & poenarum alia majores, alia minores: quas ita inferre Judex Ecclesiasticus debet, ne unquam poenam ingerat sanguinis *c. Clericis & c. penulti sup. Ne Clerici vel Monachi & c.* sed ut, si quando vel ex delegatione Principis vel alio jure cognitio criminis, poenam sanguinis exposcentis, sibi competit, eam vel ad ipsum remittat Principem, vel alicui Judici laico demandet, *c. In Archiepiscopatu sup. De raptorib.* Vide Canis in *Summa l. 3. t. 22. ad finem.* Sic quoque crimina ob frequentiam majorem puniri gravius possunt, quam alias puniri deberent, *d. l. Capitalium §. solent, & l. Servos §. §. viles autem Cod. Ad L. Iul. De vi publica.* Quotiesque ex eodem facto plures delicti species oriuntur, totidem etiam poenae infliguntur, *l. 2. D. De privatis delictis;* aut saltem altera imponenda augetur, *l. unica §. 1. Cod. De raptis virg.*

10. Quin etiam ob gravitatem criminum haeredes delinquentium subinde Jure quoque Poenificio puniuntur. Nam qui v. g. Episcopum suum occiderit, non tantum ipse omnia quae ab Ecclesia obtinet, amittit, sed & liberi, usque ad quartum gradum, ab Ecclesia illiusque beneficiis arcantur, *c. Ad aures 10. c. In quibusdam 12. h. t.*

11. Nec obstat, quod dicitur, filium non portaturum iniquitatem patris, quia id accipiendum est de poena aeterna, non de temporaria *cap. Vergentis 30 sup. De haereticis.*

Cavere etiam Judex Ecclesiasticus debet, ne poenam inferat pecuniariam, quando alia est a Canonibus statuta, *c. Licet 2. hoc tit.* quia secundum canones judicare debet. Alioqui si nulla certa poena a Canonibus statuta sit, relinquitur ejus arbitrio, ut etiam pecuniariam infligat, si ita videatur, ut satis constet ex *c. Presbyteri 2. h. tit. c. Postulasti sup. De iudiciis.* Felin late in *9. Irrefragabilis n. 6 sup. De officio Ordin.* modò omnem avaritiam vitet suspicionem *d. c. Licet.* nec poenam in proprium usum, sed in piam convertat causam, Concil Trident. *sess. 15. cap. 3. De reformat.* adeò ut ne quidem merces Vicarij, vel Officiorum desumi inde debeat, prout declarasse Sacrosanctam Congregationem, post Ant. Genuen. refert Ricc. in *Praxi can. Decis. 340.* Hinc licet Edictum Principum nostrorum de Festis, velit in condemnatione nominatim exprimi usum pium, cui addicatur multa, ob festorum violationem inflicta, neutrum tamen inquit Zyp. hic praxis observat, ob exiliterem, ut credit, dotium Episcopaliū in Belgio. Putat tamen Riccius *d. loco* in omni casu consulendam esse Sac. Congregat.

Poena verò pecuniaria, quae solet vulgò poni in contractibus, licet exigi de jure possit, Felin in *c. 1. De constit. n. 43.* tamen de consuetudine non exigitur, nisi quatenus concurrat interesse aliquod, *plac. d. p. 2. c. 4. art. 14. n. 18. in fine.* post Navar. in *Manuali c. 23. n. 68. c. Suam 9. juncta Glos. fin. h. t.*

## § II. De alijs observandis circa poenarum impositionem.

1. Carceris poena quatenus Judex Ecclesiasticus uti possit.
2. Clericus perpetuo carcere includi non debet.
3. Laici per Iudicem Ecclesiasticum incarcerari possunt.
4. Verberum poena quatenus licita jure Canonico.
5. Clericus pro crimine torqueri etiam potest.
6. Damnatio ad triremes.

1. Quantum ad corporalem poenam attinet, hujusmodi est incarceratio, Verberatio, Damnatio ad triremes, eam quoque infligere Judex potest Ecclesiasticus: carceris tamen non passim nec leviter, & non nisi praevia informatione; quia praedictum generat irreparabile, Judexque injuste Clericum



cum carceri mancipans, poenam excommunicationis non effugit, *c. Si Clerico, De sent. excom. munitat. in 6.* Nec carcer debet esse squalidus aut sordidus, sed decens & conveniens qualitati criminis & personæ, secundum Conc. Trid. sess. 25. c. 6. *De reformat.*

2. Perpetui etiam carceris poenâ plesti Clerici nequeunt, nisi in casibus à jure expressis, *c. penult. q. ult. sup. De heret.* quibus scilicet de jure Civili infligenda esset poena mortis; non simplex, sed atrocior, juxta enormitatem & atrocitatem delicti, puta ignis, damnationis ad bestias membrorum lacerationis &c. *Pias. p. 2. c. 4. mss. 14. n. 1. post Diaz in Pract. Crim. Can. c. 137.* Prospectendumque hoc casu, ne defectu alimentacionis aut cibi inclusus carcere moriatur; nam secunda ex ea causa morte Juxta fieret irregularis, Abbas in *c. Anobis sup. De Apostatis.* Alias Clericus etiam custodiæ tantum causa committi carceri potest, licet civiliter agatur, si utique de fuga sit suspectus *c. Si Clericus 15. De sent. excommunicat. in 6. c. Dilectus sup. De appellat.*

Sed & laici in criminibus Ecclesiasticis à Judice Ecclesiastico infligi carceris poena potest, *Clement. 1. de hereticis.* Quinimò ad apprehendendos & mancipandos carceri Clericos Juxta Ecclesiasticus laicorum ministerio utitur licet, nec tunc laici poenam incurrunt excommunicationis, capiendū Clericum, vel etiam percutiendū, si se defendat. & aliter detineri non possit. *Pias. d. loco n. 5. ex Hostiens. & Angelo.*

4. Verberum quoque poena usitata & recepta est jure nostro, *c. 1. sup. De calumniat. can. fin. Distinct. 35.* ejusque frequens est mentio apud Gratian. ut in *can. 1. v. q. 1. in can. Nullus Clericus 11. q. 1. can. Cum beatus Distinct. 45.* ubi ait, quod Presbyteri & Abbates non nisi pro gravioribus & mortalibus culpis subiacere verberibus debeant. Et non nisi per Clericum vel ipsum Judicem Clerico sunt infligenda verbera, *cap. Vni veritatis 24. inf. De sent. excommunicat.* etiam incorrigibili. *Diaz in Pract. cap. 125.* ita tamen ut Episcopus ipse neminem manibus suis percutiat, *can. Non liceat Distinct. 86.* id quippe alienum à sacerdote esse debet.

Cavendum etiam, ut citra mortis aut mutilationis periculum, verbera infligantur & ne in vindictam sanguinis transire videantur, *cap. In Archiepiscopatu 4. sup. De raptorib. Quam-*

quā si casu & ex post facto sanguinis sequeretur effusio, non per hoc incurreretur irregularitas, quia ea non contrahitur nisi morte vel membri mutilatione, *Diaz d. c. 135.*

Abstinere item oportet judicem Ecclesiasticum quam maxime ab hujusmodi corporalibus poenis, & ut iis non nisi in atrocioribus utatur culpis, faciliusque contra minores Clericos, quam Sacerdotes *Pias. d. loco num. 6.* Et verbis potius quam verberibus Clerici corripendi sunt: leviter enim castigatus reverentiam exhibet castiganti; asperitatis autem nimia increpatio nec increpationem recipit, nec salutem, *d. can. Cum beatus Dist. 45.*

5. Huc pertinet, quod Clericus pro crimine torqueri possit, quamvis civiliter adversus eum agatur, *Diaz c. 117.* dummodò magna & violenta ad hoc urgeant indicia, per quos minimum testes probata, & fuerit Clericus infamatus de eo crimine: neque enim ob testimonium unius, qui fuerit particeps criminis, quis torquendus est, nisi alia suffragentur; nec etiam ad testimonium unius testis, bonæ famæ, si item reus ex sua parte habeat adminicula integræ conversationis.

Confessio autem extra judicium facta licet non sufficiat regulariter ad torturam in Clerico *Diaz d. cap. 117.* tamen contrarium usu servati, ex aliis, quos eam in rem citat, notat *Pias. d. loco n. 7.* Ubi etiam subjungit, quòd, licet tortura non debeat infligi Clerico per laicum, tamen usu obrinuerit contrarium. Videatur de hac poena plenius *Diaz d. l. c. ad eum Lopez.*

Pœna quoque corporalis est damnatio & relegatio ad tiremes in Italia usitatissima, de qua *Diaz c. 134.* Qua poena si Clerici damnetur, ad vitam, prius degradantur; si ad tempus deponuntur verbaliter tantum; & utroque casu licet verberantur à ministris triternum, *Pias. d. l. n. 8.*

## §. III.

De poena privationis.

1. *Ad privationem beneficii requiritur sententia judicis declaratoria.*
2. *Quomodo quis privandus ob absentiam vel non residentiam.*

Nemo privandus est beneficiis vel officiis suis nisi in casibus à jure expressis: & in casibus, quibus quis ipso jure privatur, sententia requiritur Judicis declaratoria, nec antequam quis teneatur dimittere beneficium, *Pias. 2.*



*p. c. 4. art. 14. n. 15. & 16.* Ubi etiā docet, quod à sē-  
tētia privationis appellant, durāte appellatione  
non sit privatus: & proinde, si resignet interim  
beneficium, validam esse resignationem, licet  
beneficium jam ante fuisset impetratum ob pri-  
vationem; idque pro indubitato praticari in  
Curia Romana.

2. Ut verò quis privetur ob non residentiam  
seu absentiam a beneficio, post præviam moni-  
tionem per censuras primum Ecclesiasticas, ac  
deinde per sequestrationem & subtractionem  
fructuum, compellitur ad residētiā, ita ut post  
quemlibet terminum pœnæ expectetur absens  
ad minus per sex menses, *c. Quoniam §. porro sup.*  
*Pr. lite non contestata &c.* & demum, si adhuc per-  
tinaciter se absenter, venit privandus, *Conc.*  
*Tri. l. Sess. 23. c. 1. De reform.* Absens verò citan-  
dus est personaliter: si sciat, ubi sit, sin autem  
id ignoretur, in Ecclesia sua ter, successivè; nec  
sufficeret, una citatio pro tribus, *Glos. in d. c. Quo-*  
*nam in V. canonibus, Abbas Consil. 7. l. 1. Felin. in*  
*c. Consuluit n. 13. sup. De officio delegati.* Neque va-  
leret sententia, qua privaretur non residens, non  
præmissa trina citatione, vel non servata forma  
dicti Concil. si scilicet non residens non fuerit  
primò censuris, sequestratione fructuum, & aliis  
juris remediis compulsus & punitus, ut fuisse de-  
cisum in Rota Rom. post Genuen. refert *Pial. d.*  
*l. n. 18.*

Ne autem Judices facilius in rigorem decli-  
nent, sanxit Pius IV. *Constitut. incip. Cupientes.*  
quam refert Quaranta *V. De benef. privat.* ne ipsi  
Judices eorumve affines aut familiares ea bene-  
ficia obtineant, quibus alii privantur.

Denique crimina, quæ privationem indu-  
cunt ipso jure, & qui hujusmodi privationem  
effectus sequantur, latè recenset Azor. 2. p. *Insti-*  
*tut. Moral. l. 7. c. 17.* ut & ea, ob quæ quis Judicis  
sententia privandus venit, *d. l. 7. c. seq.* quæ brevi-  
tatis causa videri apud eundem possunt.

#### §. IV.

#### De pœna Exilii.

1. 2. Pœna exilii cur utilis, & quatenus ea exten-  
datur.

3. Hodie pœna omnes arbitraria.

**I**N exilium quoque mittere judicem Eccle-  
siasticum posse, constat ex *c. 1. sup. De calum-*  
*niis can. Cum beatus Distinct. 45. can. Hi qui 111.*  
§. 4. eamque pœnam condueere plurimum, u-

bi crimen puniendum cohæret loco, & per loci  
mutationem tolleretur scandalum & delin-  
quenti occasio iterum delinquendi, juxta illud  
Isidori in *can. Valet Distinct. 81. Valet*, inquit in-  
terdum conversis pro anima salute mutatio loci.  
Plerumque enim dum mutatur locus, mutatur &  
mentis affectus, Congruumque est inde corporaliter  
avelli, ubi quisque illecebris deservit vit. Nam locus,  
ubi quisque pravè vixit, hoc in aspectu mentis ap-  
ponit, quod sæpè ibi cogitavit vel gessit.

2. Hæc tamen exilii pœna non extenditur ex-  
tra dioccesim & territorium judicantis, *Felin.*  
in *cap. Postulasti n. 2. sup. De foro compet.* Quam-  
quam Archiepiscopus non ex sua tantum dio-  
cesi, sed ex tota provincia mittere in exilium  
possit, *Pial. d. loco n. 14.* Ubi addit, hanc pœnam  
posse ex justa causa relaxari per Episcopum;  
quod & tradit *Diaz. c. 126.*

3. Illud hic restat subiciendum, pœnam esse  
arbitrariam, ubicumque jus utrumque illam no-  
minatim non exprimit, hodieque ex praxi om-  
nes ferè pœnas ubicumque locorum factas esse  
arbitrarias: ac proinde poterit hoc tēpore Juxta  
moderatè pœnas legum pro varietate & circum-  
stantiis delictorum, locorum, & personatum.

### TITULUS XXXVIII.

## De Pœnitentiis & Remissioni- bus.

#### §. I.

### De variis Pœnitentiæ significationibus & divisionibus.

1. Pœnitentia nomen aquivocum.
2. Dividitur generaliter sumpta in bonam & ma-  
lam.
3. Pœnitentia hoc loco quid significet.
4. Est vel Publica, eaque solemnis & non solemnis,  
vel Privata.

**P**ŒNÆ, quas jam recensui, fori sunt externi,  
seu judicialis: postulat ordo, ut aliquid etiam  
dicamus de pœnis fori pœnitentialis, seu interni  
sive animæ, id est de Pœnitentiis ejusque parti-  
bus, Confessione, Contritione, & Satisfactione,  
item de Remissionibus seu Indulgentiis.

Ubi in primis observandum, nomen Pœ-  
nitentiæ



nitentia esse æquivocum, ejusque varias significationes. Et primò quidem, generaliter ejus usus spectato, dicitur prioris sententia seu confititio mutatio & conversio, poenitereque generaliter dicitur: qui nolle fecisse vel omisisse, quod fecit, vel omisit, idque sive bonum sive malum.

2. Unde Poenitentia sic generaliter sumpta dividi potest in Bonam, quæ habetur de actu malo; & Malam, quæ de bono. Id autem dupliciter rursus contingit, vel sine dolore, ut in Beatis, quos sine dolore suorum poenitet peccatorum: & in Deo, qui *Genesis* 6. *Poenitet*, inquit, *me fecisse hominem*; pro cujus explicatio- ne vide *can. Incommutabilis* xxii. q. 4. vel cum dolore in viatoribus, qui non solum nolunt, sed etiam dolent se peccasse, juxta illud D. Aug. in *can. Poenitentia* 4. *Dist.* 3. *De poenit. Poenitentia*, inquit, *est quidam dolentis vindicta, puniens in se, quod dolet commississe.*

Inde verò transfertur ad significandam specialem virtutem seu habitum poenitendi ac dolendi de peccato. Ejusque actum, prout sic accipitur, definitus D. Ambr. in *can. Ecce nunc tempus* 39. in fine *De poenit. Distinct.* 1. *can.* 1. & 6. *d. Dist.* 3. Poenitentiam, inquit agere est, præterita mala plangere, & plangenda non committere. Quod intellige quoad propositum & intentionem: quia non est de ratione, poenitentia, ne semel commissâ iterum committantur sed bene propositum & intentio illa amplius non committendi.

3. Tertio, translaturum est hoc nomen ad significandum Poenitentia Sacramentum, de quo hic agitur, ut in *c. Quod in te* 11. h. t. Ac denique ad significandam poenam seu vindictam, sive sponte susceptam sive à Sacerdote impositam, in satisfactionem peccatorum, ut in *cap. Omnis utriusque* 2. hoc tit. & d. *can. Poenitentia* *Dist.* 3. ibi *Poenitentia est quadam dolentis vindicta: & rursus ibidem dicitur, poenam tenere, qui semper punit, quod commississe dolet. Quomodo etiam hic accipitur nomen Poenitentia.*

4. Et quidem ita acceptum hoc nomen: prout poenam seu vindictam significat; potest poenitentia statui duplex, nempe Publica & Privata. Publica rursus duplex, Solemnis & non solemn. Publica solemn est, quam imponit Episcopus ob gravissima crimina publica,

io capite quadragesimæ peragendum, servatis solemnitatibus, de quibus in *can. Poenitentes* 63. & *can. In capite* *Dist.* 50. Et hæc, ne Ecclesiæ vilescat auctoritas, non nisi unica esse debet, si- cut unum est baptisma, teste Ambr. *can. Si quis post remissionem d. Dist.* 50. Idque ex speciali Ecclesiæ quarundam consuetudine: nam alibi iterare licet, *can. Nihil prodest*, 21. §. *ex persona De poenit. d. Dist.* 3. Nec aliter sacerdotibus olim imponi poterat, quam cœlestis militiæ cingulo exutis, seu depositis, propter scandalum, *arg. can. Alienum* & *can. Confirmandum* *Dist.* 50. c. *Quasitum* 7. h. t. quia ut dixi, non nisi ob gravissima & famosissima crimina imponebatur. Et inde factum est, ne publicè poenitentes ad Ordines sacros promoveri valeant, ut dixi *lib.* 1. nec item, quamdiu tales sunt, communicare nisi in mortis articulo, nec matrimonio jungi. Hoc verò tempore hæc poenitentia non est in usu.

Publica poenitentia non solemn est, quæ publicè citra ullam Juris solemnitatem, peragenda, inungitur. Cujusmodi est peregrinatio, certi habitus delatio, & his similia: quia manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda, c. 3. h. t. *can. Si peccaverit* 2. q. 1. *can. Ego Berengarius De consecrat. Dist.* 2. Et hæc imponi potest à Sacerdote: solemn est autem non nisi ab Episcopo d. *can. Poenitentes*, & plurimis aliis similibus. Quando autem publica poenitentia imponenda sit, vide *Conc. Trid. Sess.* 24. c. 8.

Privata seu secreta poenitentia est, quæ nec solemn, nec publica est, sed privatim suscipitur vel inungitur, peragiturque quæ etiam pro gravioribus criminibus, sed occultis, imponitur, d. c. *Quasitum* h. t. Occulta enim peccata non sunt publicè puniendâ, *can. Si peccaverit* 2. q. 1. *can. fin.* xv. q. 5. *can. Si quis potestatem* xxiii. q. 4.

## §. II.

## De Poenitentia, ut est Sacramentum.

1. Poenitentia definitio.
2. 3. Materia ejus remota sunt peccata mortalia, non venialia.
4. Materia propinqua sunt Contritio, Confessio & Satisfactio.

DE Sacramenti hujus institutione, ratione, ac necessitate patet ex dictis antè de Sacra-



Sacramentis in genere & videlicet Conc. Trident. *Seff. 14. cap. 1.* ubi ait, hoc Sacramentum Pœnitentiæ non secus lapsis post Baptismum ad salutem necessarium esse, quam nondum regeneratis ipsam Baptismum. Unde in *can. Secunda De pœnit. Dist. 1.* appellatur *Secunda post naufragium tabula*: quia uti fracta navi unum vitæ servandæ perfugium naviganti superest, si forè vel tabulam aliquam fractæ navis arripere liceat, atque ita evadere: ita post innocentiam Baptismi amissam seu fractam per peccatum mortale, nisi quis ad hanc pœnitentiæ confugerit tabulam; haud dubiè de ejus salute desperandum erit.

1. Potest autem Pœnitentia, quatenus est Sacramentum novæ legis, definiti, esse Sacramentum, quod Contritione, Confessione & Satisfactione concurrentibus, peccatorum operatur remissionem.

2. Hac definitione indicatur duplex ejus materia, remota scilicet & propinqua. Remota sunt peccata, non ut amplectenda, sed ut detestanda maximè: quæ proinde sunt materia Pœnitentiæ circa quam, ut vocant; sicut lignum est materia ignis, à quo absumitur, & morbus Medicinæ; non autem eo modo, quo æst est materia statuar, seu materia ex qua.

Peccatum vero est duplex, Originale, quod ab ortu nobis congenitum per Baptismum in Christo condonatur; & Actuale, quod est factum, dictum, vel concupitum, contra vel præter legem Dei, aut Ecclesiæ. Et hoc rursus est duplex, Mortale, sic dictum, quia mortem animæ præsentem adfert; de quo ejusque variis speciebus vide *can. Unum oratorium Dist. 25.* & Veniale, sic dictum, quia facilè ei venia tribuitur ac remittitur, veluti per orationem Dominicam, *can. De quotidianis De pœnit. Dist. 3.* per eleemosynam, modicum jejunium; asperisionem aquæ benedictæ, *can. Aquam De consec. Dist. 3. can. Qui vult De pœnit. Dist. 61.* Et sine hoc ne quidem iusti veniunt; nam ut *Proverb. 24.* dicitur, *Septies cadit iustus & resurgit*, *can. Septies De pœnit. Dist. 3.*

3. Neque est materia necessaria hujus Sacramenti, hoc est, non tenemur illud confiteri, licet utiliter confiteamur, ut definitum exstat in Conc. Trid. *Seff. 14. c. 5.* Ideoque sola mortalia peccata, post Baptismum commissa, sunt

materia necessaria Pœnitentiæ, necessarioque confitenda. Dico, post Baptismum commissa; nam commissa ante Baptismum non sunt necessarii confitenda. Imò nec subiiciuntur clavibus Ecclesiæ.

4. Materia proxima sunt tres actus pœnitentis, Contritio, Confessio, & Satisfactio. Conc. Florent. in *Instruct. Arminiorum* & Conc. Trid. *seff. 14. in doctrina De SS. Pœnitentia Sacramento c. 3. 4. 5. & can. 4.* qui etiam partes integrales ejus vocantur, quia ex Dei institutione in pœnitente ad integritatem Sacramenti & plenam perfectamque peccatorum remissionem requiruntur, Conc. Trid. *d. c. 5.* Unde in *can. Perfecta De pœnit. Dist. 3.* dicitur, *in corde Contritio, in ore Confessio in opere tota humilitas* (id est Satisfactio) *Hac est perfecta & fructifera pœnitentia.* Vocantur autem à Conc. Florent. & Trid. hii tres actus quasi materia, non quia veræ materiæ rationem nō habeant, sed quia non sint ejusmodi materia, quæ extrinsecus adhibeantur, ut aqua in Baptismo, chrisma in Confirmatione, panis cum vino in Eucharistia. Vide plenius *Gloss. in d. Can. Perfecta, & in can. 1. 2. & 3. De pœnit. Dist. 1.*

### §. III.

#### De Contritione.

1. 2. 3. 4. *Contritio quid sit, & ad eam requisita.*

5. 6. *Est duplex, Contritio propriè dicta, & Attritio.*

1. **C**ontritio est animi dolor ac detestatio de peccato commissio, cum proposito non peccandi de cætero, Conc. Trid. *d. l. Adde ex eadem, & simul confitendi ac satisfaciendi.*

2. Ad Contritionem igitur requiritur in primis odium & detestatio peccati præteriti, quia sine his vera contritio & pœnitentia concipi non potest. Hinc quotiescunque Scriptura aliquos invitat ad pœnitentiam, hortatur & ad odium detestationemque peccati, *Joan. 1. Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & fletu, & planctu, & scindite corda vestra can. Convertimini; 3. cum seqq. & can. Qui aliquando 87. De pœnit. Dist. 1.* Hanc detestationem peccati, quam contritio essentialiter includit, in viatore necessariò consequitur dolor tanquam immediatus ejus effectus. Ac

proin-



proinde propositio illa Conc. Trid. Contritio est dolor animi, est casualis: illa verò, Contritio est odium ac detestatio peccati, est formalis & essentialis.

3. Secundò requiritur propositum de cætero non peccandi, juxta illud Iſaiæ 1. *Quiſcite agere perverſe*: & illud, *Derelinquat impius viam ſuam, & can. Quis aliquando*: & illud Ezech. 18. *Proſiſcite à vobis omnes iniquitates veſtras, & facite vobis cor novum*; aliaque ſimilia.

4. Tertiò requiritur propositum confitendi & ſatisfaciendi, ut patet ex Conc. Trid. loco citato, & Conc. Compluten. in quo damnata fuit opinio Petri Olinaenſis, aſſerentis, per ſolam cordis contritionem remitti peccata mortifera ſine ordine ad claves.

Tametiſi autem hoc propositum, quemadmodum & propositum de cætero non peccandi, ordinariè debeat eſſe explicitum & formale: tamen dari poteſt caſus, in quo juſtificari quis poteſt abſque expreſſo, ſed cum utroque virtuali, non peccandi, inquam, de cætero & confitendi, veluti, dum non occurrat vel invincibiliter ignoratur eſſe neceſſariam ejuſmodi expreſſum propositum, vel quando ex defectu temporis haberi nequit, ut quando quis ſubitò, ad martyrium rapitur.

5. Contritio duplex eſt: una perfecta, quæ proprie Contritio appellatur: altera imperfecta quæ Attritio dicitur, Conc. Trid. d. loco cap. 4. Contritio perfecta eſt dolor ac detestatio peccati propter Deum ſummè dilectum, ob ejus bonitatem ſupernaturalem, ſeu uti auctor eſt gratiæ ac gloriæ. Et ideo ſemper eſt cum charitate & voto Sacramenti, hominemque Deo reconciliat, priuſquam actu ſuſcipiat Sacramentum, ut patet ex Conc. Trid. d. 4.

6. Attritio eſt contritio imperfecta: quamvis non omnis contritio imperfecta ſit proprie dicta attritio, ſeu ſalutaris. Verum Attritio proprie dicta eſt dolor ac detestatio peccati ſuper omnia, cum propoſito vitæ melioris ac voto Sacramenti non tamen propter Deum ſummè dilectum, ſed vel ob gehennæ ac pœnarum metum, vel ob turpitudinem peccati. Conc. Trid. d. loco.

Unde patet, Attritionem proprie dictam ſpecie diſſerre à Contritione: nec unquam poſſe fieri contritionem proprie dictam, licet quis ex attritu poſſit fieri contritus; quia ad hoc ſolum

requiritur identitas ſubjecti, ad illud verò requiritur identitas actus.

Dixi autè, Attritio proprie dicta; quia cum attritio in genere non ſit aliud, quam contritio imperfecta, ſit, ut tot ſint ſpecies attritionis, quot modis contingit dolorem ac detestationem peccati à perfecta contritione deficere.

## §. IV.

## De quantitate Contritionis.

1. Dolor de peccatis, ut ſit contritio, debet eſſe ſummus.
2. Saltem in univerſali, non in particulari.
3. Dolor ſenſus neceſſarius non eſt, licet utilis.

1. Quemadmodum amor Dei debet eſſe maximus ac ſummus, ſaltem appetitivè, licet non intensivè, juxta probabiliorè ſententiam: ita etiam dolor de peccatis, ut ſit contritio, quæ oritur ex amore & charitate Dei, debet eſſe ſummus non quidem intensivè, ſed ſaltem appetitivè, ut DD. loquuntur, id eſt, ut omnis verè pœnitens ſaltem virtualiter & implicite atque in univerſali ita doleat de peccato ſuo ſuper omnia, ut pro nulla re creata vellet Deum offendiſſe, aut in poſterum offendere. Hinc D. Aug. in can. *Si quis poſitus* 2. in can. *Si quis autem* 4. & in can. ſin. *De pœnit.* Diſt. 7. dubitat de illorum ſalute, quos non, antequam ægitudine premantur, pœniter peccaſſe, quia ſcilicet difficile ſit preſſum morbo, metu mortis, & aliis curis, erigere animum ad hunc ſummum dolorem, requiritum ad perfectam contritionem, concipiendum.

2. Dixi, atque in univerſali: quia juxta doctrinam Innoc. d. loco, & aliorum communem, non tenetur pœnitens tales comparationes in particulari facere, quod mallet amittere conjugem, proles, bona omnia, ignitas ſubire ſartagineſ, quam Deum offendere. Imo cavendum Confeſſariis, ne ejuſmodi comparationes in particularibus pœnitentibus proponant, quia objecta hujusmodi in particulari propoſita voluntati, longè majorem adferunt difficultatem, quam dum proponuntur in univerſali: & facile, illis ſuccumbit quis in particulari, quibus non ſuccumberet in univerſali.

3. Cæterum licet dolor ſenſus (veluti ſingultus, planctus, lacrymæ, & id genus alii) non ſit neceſſa-



cessarius, sed sufficiat causalis seu qui est in voluntate, arg. can. Si propterea 28. can. Si cui 30. De poenit. Dist. 1. tamen & ille admodum utilis ac bonus est exemplo Davidis, Petri, Magdalene, Ninivitarum, & aliorum. Quamvis etiam utilissimum sit de singulis peccatis mortalibus contritionem elicere, singulaque detestanda sint, ac de illis dolendum, juxta illud Esaiæ 38. *Revergitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*: non tamen id absolute necessarium est, sed sufficit unico actu contritionis simul omnia peccata, post examen occurrentia, detestari: ut patet ex eo, quod traditur, peccatorem in momento posse justificari, juxta illud Ezech. 33. *In quacumque hora conversus fuerit & ingemuerit peccator*; relatum in can. Ponderet, Dist. 5. & juxta can. 3. De poenit. Dist. 7. Quod falsum esset, si pro numero peccatorum mortalium numerus actuum doloris requireretur. De modo acquirendi contritionem vide Conc. Trid. Sess. 14. c. 5.

## §. V.

## An &amp; quando obliget præceptum Contritionis.

1. *Contritio de necessitate est præcepti & medii.*
  2. *Non obligatur quis statim à commisso peccato ad contritionem.*
  3. *Præceptum contritionis quando obliget sub peccato mortali.*
1. **C**ontritionem peccati esse necessarium necessitate præcepti simul & medii colligitur satis ex Conc. Trid. Sess. 6. cap. 14. & Sess. 14. cap. 4. ubi definit, contritionem omni tempore fuisse necessariam peccatori ad justificationem; vindicans se loqui de utraque necessitate: & ex illo Luca 13. *Nisi poenitentiam habueritis, omnes simul peribitis.*
2. Et licet optimum acutissimum sit, statim commisso crimine conteri, juxta illud, *Non tardes converti*; tamen cum præceptum contritionis, sicut & confessionis, sit affirmativum, non obligat ad perpetuum, sed solum determinato tempore; uti & reliqua præcepta affirmativa. Ideoque non obligatur homo sub peccato mortali statim post commissum peccatum ad contritionem, quamvis commoditatem habeat illam eliciendi. Ejustamen dilatio sine causa, quæ nulla esse potest, circumstantia est aggravans peccatum commissum.

3. Obligat verò præceptum contritionis sub peccato mortali in periculo salutis animæ vel corporis: veluti in gravi infirmitate, in partu periculoso, instante naufragio, dum incundum est prælium, aut instituenda longa & periculosa navigatio, v. g. in Indiam; dum Sacramentum aliquod est administrandum vel suscipiendum,

## §. VI.

## De Confessione.

1. 2. *Confessio quid sit; & minister illius.*
3. *In eo requiritur potestas ordinis & jurisdictionis.*
4. *Proprius Sacerdos in hoc Sacramento quid dicatur.*
5. *Nullus audiri confessionem potest, nisi approbatus ab Ordinario.*
6. *In mortis articulo vel alio periculo quilibet sacerdos absolvere potest.*
7. *Aliquis sacerdos approbatus ex licentia propriis audire confessiones potest.*
8. *De casibus Romano Pont. reservatis.*
9. *De casibus Episcopo reservatis.*

**S**ecunda pars integralis Poenitentiae est Confessio, quam jure divino omnibus post Baptismum in mortale peccatum lapsis, necessariam esse, atque à Christo ipso institutam (Joan. 10. illis verbis, *Accipite Spiritum Sanctum &c.* & Matth. 16. & 18. *Quodcumque solveritis super terram &c.*) definit ac docet Conc. Trid. Sess. 14. c. 5. & can. 6. 7. & 8. Unde facile refelluntur opiniones quorundam, apud Glossam in summa Dist. 6. De poen. aliter de hujus institutione sentientium.

1. Est autem Confessio sacramentalis; de qua hic agimus; peccatorum suorum sacerdoti proprio ad eorum sacramentalem remissionem obtinendam facta declaratio.

Dicitur peccatorum suorum, ex c. Omni utriusque 12. h. t. in verbis, *omnia sua solus peccata.*

2. Dicitur, Sacerdoti: nam eum solum esse, ministrum hujus Sacramenti definitum est in Conc. Lateran. Florent. ac novissime Trid. can. 6. & 10. Colligiturque ex præcipitis verbis Christi Joan. 20. loquentis solis Apostolis, & sic solis sacerdotibus; & Matth. 16 & 18. ubi similiter non omnibus, sed soli Petro & Apostolis promissæ sunt claves regni caelorum.

3. Dicitur



3. Dicitur etiam proprio; id est ei, qui habet absolventi potestatem propriam, aut delegatam: nam in ministro huius Sacramenti iure divino requiritur non solum potestas Ordinis, quæ illi confertur in sua consecratione; dum ordinatur Sacerdos, sed etiam iurisdictionis; quæ illi quidem confertur etiam in sua ordinatione, sed quasi in habitu & incompletè, quia nequit exire in actum, nisi habeat subiectos, quos accipere debet ab Ecclesia, & accipit, quando legitimè præfuitur curæ animarum vel beneficium curatum obtinet, Conc. Trid. Sess. 23. c. 15. *De reformat.* tunc enim illi completa confertur iurisdicção.

Et hinc fit, quod potestas iurisdictionis ab Ecclesia impediri possit, non etiam potestas ordinis seu consecrandi.

Defectu igitur potestatis Ordinis Confessio laico, aut Clerico non sacerdoti, etiam in necessitate non est sacramentalis, ne quidem ad effectum valet absolutionis iuxta communem Theologorum sententiam, veram ac definitam in Conc. Trid. Sess. 14. can. 10.

Non obstat canon. *Quem poenitet. h. quare Depoñit. Distinct. 1. nec. canon. Qui vult confiteri. Dist. 6.* ubi Augustinus seu auctor libri de vera & falsa poenitentia sic ait *Tanta via confissio est, ut, si deest sacerdos, confiteatur proximo*, id est laico, ut patet ex sequentibus: quia id intelligi debet de consilio causa humilitatis & consilij aut auxilij petendi & accipiendi à proximo, non autem ad effectum sacramentalis confessionis, vide Navar. ad can. 1. d. Distinct. 6.

Defectu verò iurisdictionis non potest absolvere quilibet simplex Sacerdos, excepto articulo mortis, sed is solum, cui competit iurisdicção, ordinaria vel delegata, in consuetam, ut patet ex Conc. Trid. Sess. 14. c. 6. & 7. & can. 9. & 10. & Sess. 23. c. 15.

4. Proprius autem Sacerdos in primis summus est Pontifex respectu totius Ecclesiæ, cuius Pastor in Conc. Florent. appellatur; Episcopus in sua diocesi, ut & Vicarius Episcopi, quia is quoque nomine Ordinarij venit, & representat Episcopum, Sanchez *De matrim. lib. 3. Disputat. 29. n. 15.* Gutierrez *lib. 1. Can. quæst. cap. 1. n. 8.* Zyp. *h. tit. n. 1.* Item Parochus in sua parochia *d. e. Omnia utriusque h. c. Quod autem* 14. h. 1. non etiam per totam diocesim: adeo

ut relicta parochia sua, absque licentia ulterio-  
ri non possit amplius confessiones audire, Piaf. 2. p. cap. 1. art. 2. n. 3. multò minus in aliena diocesi, si in altera tantum sit approbatus; quia Conc. Trid. ita intelligi debet, ut sit approbatus ab ordinario loci, in quo audit confessiones, vel sit electio, ex vi Bullæ Cruciatæ: quod & in alijs ejusdem Conc. decretis sæpè usu venit Zyp. d. n. 1. in fine & Piaf. d. loco ex declarat. *Sacra Congregat.*

Prælati quoque Ordinum respectu suorum subditorum, & alii de eorum licentia, d. e. *Omnia utriusque h. c. 2. eod. in 6.* Vel ex permissione Juris: quo licet Episcopis, alijsque superioribus, imò & minoribus, Prælati exemptis, etiam præter sui superioris licentiam, providum & discretum sibi eligere Confessarium, c. fin. h. t. à quo absolvi quovis loco possunt, & à casibus ac censuris, à quibus subditos suos possunt absolvere. Quod licet multis Abbatibus concessum sit, non tamen Abbatis, quia non sunt Prælati, nec claves habent iurisdictionis. Similiter Parochi & simplices Sacerdotes, ubi non est contraria consuetudo, vel præceptum Episcopi, qui illorum proprius est sacerdos, possunt sibi Confessarium eligere, quem volunt, in casibus non reservatis. Vel denique ex privilegio, ut Religiosi Mendicantes & quidam alij, quibus si quis ex licentia Papæ confessus fuerit, non veniet iterum eadem peccata confiteri Parocho suo: *Extravag. Vas electionis De heret. Conc. Lateran. sub Leone X. Sess. 11.*

5. Ubi observandum, quod cum Bonif. VIII. in *Extravag. Super Cathedram De sepult.* statuisset, ut Mendicantes præsentent Episcopo idoneos: qui ab eo acciperent potestatem prædicandi & confessiones audiendi, postea Benedictus XI in *Extravag. Inter cunctas*, sustulit statutum illud, concessa Mendicantibus facultate prædicandi ac confessiones audiendi, absque eo quoddam Episcopis præsentarent. Verum statutum Bonif. VIII. innovatum deinde fuit per Clement. *Dudum De sepult.* Tandemque Conc. Trid. cui hodie standum est, Sess. 23. c. 18. definivit, neminem, etiam Regularem, posse confessiones sæcularium, etiam sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut idoneus judicetur, & approbationem ab eis obtinuerit, privilegijs, & consuetudine

T r c                      diao



dine quacumque etiam immemoriali, non obstantibus.

6. Dixi autè, excepto articulo mortis; quia tunc quilibet sacerdos, nullo prorsus excepto, potest absolvere ab omnibus peccatis & censuris Ecclesiasticis, ut patet ex *c. Felicius De penis in 6. & similibus aliis* ac denique Conc. Trid. Sess. 14. c. 7. sicut & alio tempore à peccatis venialibus, aut etiam mortalibus, semel autè confessis, permittente in Ecclesia Vide Navar. in *Manuali* c. 4. n. 5. *Quin can. Placuit De poenit. Diff. 6. n. 22.* Verius autem hic non distingui articulum mortis ab evidenti periculo, arg. *c. Eos qui De sentent. excommunicat. in 6.* ubi Pont. meminit *articuli mortis* & postea vocat *periculum*. Cui adde, favores ampliandos esse, & odia restringenda: Ecclesiamque velut piam matrem, voluisse saluti filiorum suorum consulere, non solum ipso mortis puncto, sed & in probabili periculo potissimum dum non adest alius magis idoneus Vide Navar. in *Man. c. 26. n. 26. & 31.*

7. Sufficit autem ad confitendum alieno sacerdoti licentia à proprio, sive tacita, sive expressa modò tamen signo aliquo exteriori fuerit manifestata, Navar. in *d. can. Placuit*. Hancque licentiam dare alteri approbato possunt, qui propriam & ordinariam jurisdictionem habent: quales sunt supra recensiti, & inter eos Parochus, licet careat potestate ordinis, Navar. in *d. can. Placuit n. 50.* Imò etiam substitutus à Parocho, si hic illi absolutam sacramenta administrandi facultatem dederit: non item delegati & subdelegati, nisi expressim talem facultatem à delegante vel subdelegante acceperint.

8. Observandum etiam hic, multos esse casus reservatos summo Pontifici, à quibus nullus Confessarius, absque speciali licentia, absolvere potest: cujusmodi sunt in primis, qui recensentur in Bulla, Cœnæ Domini, quam refert Pias. p. 2. c. 1. & 3. subjiciens alios quadraginta duos, desumptos tam ex corpore Juris communis, quam ex diversorum Pontificum Constitutionibus. Permittit tamen Conc. Trid. Sess. 24. c. 6. Episcopis facultatem absolvendi in foro conscientie delinquentes quoscumque sibi subditos per seipso, aut per Vicarium, ad id specialiter deputandum, in quibuscumque casibus occultis, non deductis ad forum conten-

tiosum, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, etiam in crimine hæresis, ut tamen eo casu soli Episcopi per se absolvere possint, quorum censetur in hoc crimine electa indultia, non eorum Vicarij. Attamen prædictum Conc. Trid. decretum non procedere quoad casus Bullæ Cœnæ Domini declaratum fuisse à Greg. XIV. & Clemente VIII. post Genuens. refert Pias. d. c. 1. & 3. n. 4. subjungens declarationem Card. quoad causas hæresis. Idemque tenet Navar. in *Manuali* c. 27. n. 275. Hincque videmus quotidiè in praxi, inquit Pias *d. loco*, multos Episcopos obtinere à Sede Apostolica facultatem absolvendi ab hæresi etiam occulta. Eadem de re fufius agit Zerola 2. p. *V. Absolutio ad 8. & 27. pæus h. 1. n. 5. 6. & 7.* quoad Episcopos Belgij.

Extra casus, reservatos summo pontifici, absolvere potest Episcopus in foro animæ, estque ordinarius rector & confessor suæ diocesis, Pias, d. c. 1. art. 2. *in princ.*

9. Cavendum etiam est inferioribus Episcopis, licet ab eo approbati fuerint, ne absolvant à casibus, Episcopo reservatis, nisi ad hoc specialem facultatem obinuerint, quia ea non continetur sub approbatione: neque enim generali concessione veniunt ea quæ requirunt speciale mandatum. c. *Si Episcopus h. 1. in 6. Clement. Non potest. De procurat.* Sunt autem casus Episcopo reservati, alij de jure, ut levis percussio Clerici, & *Pervenit inf. De sent. excommu. nicat.* quæ cum potius sit facti, quam juris, ex omnibus circumstantijs, veluti quantitate personæ percussæ, percutientis, modo & loco percussione, committitur arbitrio Jubicis seu Ordinarij ex *communi DD. sententia, & extravag. Ioan. xxii. quam refert Pias. d. c. 1. art. 3. n. 5.* Alij de consuetudine: Alij verò quos ipse Episcopus sibi reservavit, prout reservare potest, *juxta c. pen. & ibi Glos. h. 1. in 6. Clement. Undum & per ejusmodi juncta Glos. De sepult. & novissime.* Conc. Trid. Sess. 14. c. 6. Aded ut nulli alij, ne quidem Regulares, quorumque indulgentiarum prætextu, ab ijs absolvere possint, quantumvis sint generaliter ab ipso Episcopo approbati, ut respondisse Sac. Congregat. Carolo Borromæo refert Pias. *d. loco n. 3.* Zerola 2. p. *V. Absolutio Ad primum.* Imò nec Pœnitentiarius ipse, ex vi sui officij, sine speciali mandato. Navar. *Conf. 20. h. 1. Riccius in Praxi Decif. 572.*



De casibus autem Episcopo reservatis videre licet Pias. d. art. 3. n. 4. & seqq. Quo loco tradit Episcopum in reservandis huiusmodi casibus oportere servare modum, præscriptum decreto Sacre Congregat. ad Archiepisc. Neapolit. quod ibidem n. 12. refert, ut & Pias d. Decis. 562. nempe ut non reservet sibi in primis casus contentos in Bulla Cœnæ Domini, seu aliâ reservatos Sedi Apostolicæ, neque eos, quibus annexa est maior excommunicatio, à jure imposita; neque eos in quibus absolutio non datur, nisi facta restitutione: neque eos, qui versantur circa res parvi momenti: neque peccata carnis, nisi cum magna circumspetione. Sic quoque Clemens VIII. animadvertens quosdam regulares, dum conscientiam superiori aperire reformidant, adduci posse in æternæ damnationis periculum, sanxit, ne eorum superiores sibi absolutiones reservent, nisi in casibus expressis, seu eorum aliquibus, de quibus vide Zyp. h. t. n. 16.

## §. VII.

## Quos &amp; quando obliget præceptum Confessionis.

1. Confiteri omnes tenentur saltem semel in anno.
2. Et quidem mortalia peccata, non venialia.
3. Et instante Paschate.
4. Confessio actualis quibus casibus obliget.

**E**X præcepto Ecclesiæ, quæ jus divinum determinavit ad tempus, omnes utriusque sexus fideles, ubi ad annos discretionis pervenerint, tenentur saltem semel in anno omnia peccata sua mortalia, quorum post diligentem sui discussionem scientiam habuerint, confiteri proprio sacerdoti; vel alteri probato, de ejus licentia, cap. Omnis utriusque h. t. Licet olim statutum fuisse videatur, ut ter in anno, scilicet in Paschate, Pentecoste, & Natali Domini quisque fidelium confiteretur, eam. Et si non frequenter 16. De consecrat. Dist. 2.

2. Dixi, mortalia: quia venialia, quibus à gratia Dei non excluduntur, neque ex præcepto Christi, neque ex statuto Ecclesiæ tenentur quis confiteri, ut patet ex Conc. Trid. Sess. 24. cap. 5. nisi fortè ratione conscientie erroneæ ad illa confitenda obligetur: puta si existimet se ad ea confitenda teneri, quia putet esse mor-

talia, aut de illis dubitet, vel ratione alicujus voti particularis aut statuti, cui subest. Quo pacto in Clement. Ne in agro §. 1. Sane de statu Monachor. præcipitur Benedictinis, ut tam in monasteriis quàm extra constituti, singulis mensibus saltem semel omnes & singuli accedant ad confessionem & communionem. Idem de Monialibus statuitur in Conc. Trid. Sess. 15. c. 10. De Regularibus.

3. Confitentur hodie communiter Christiani instante Paschate: non quòd ab Ecclesia illud tempus sit determinatum pro confessione, ut satis constat ex d. c. Omnis utriusque, h. t. Covar. in c. Alma mater p. 1. §. 1. n. 6. & 7. Conc. Trid. d. loco, sed quia tunc obliget præceptum de communionem, quam præcedere debet confessio.

Tametsi verò quis non teneatur mox, atque peccavit, confiteri, licet commoditatem confitendi habeat, ut constat ex d. c. Omnis utriusque & ibi Panorm. Conc. Trid. d. loco Navar. in princ. dist. 5. De penis, ubi argumenta in contrarium solvit: tamen in lege Evangelica toties propositum obligat confessionis, quoties contritionis præceptum.

4. Ipsa autem actualis confessio obligat, Primò in mortis articulo seu evidenti periculo, siye statu, cui mors certa, velut plurimum, conjuncta est, qualis est status agonizantium; gravi & acuta febris laborantium, eorum scilicet, de quibus desperant Medici, quibus imminet partus difficilis, aut naufragium, aut aliud probabile periculum mortis, Abbas in cap. Pastoralis §. 1. sup. De offic. lud. Ordin. & in c. Cum infirmitas 13. hoc tit. ubi ea præcipue de causa Innoc. III. præcipit Medicis sub poena exclusionis ab ingressu Ecclesiæ, ut vocati ad infirmos, gravi & periculoso morbo laborantes, eos ante omnia moncant & inducant, ut medicos advoceant animarum. Quod decretum non solum innovavit Pius V. motu proprio incip. Supra gregem 11. Martii 1566. apud Piascep. 2. cap. 3. n. 18. sed etiam jussit, ut Medici, dum creantur Doctores, jurent se hanc Constitutionem servaturos: vetuitque ne Medici ultra tres dies visitant ægrotos, in lecto jacentes, nisi peccata confessi fuerint. Cujus Bullæ observatio, inquit Zyp. h. t. n. 18. Medicis quantum fieri potest, commendata in Synodo Antwerp. 1609. Sed quia hic morbi non ita solent



esse acuti, ut intra paucos dies perimant, sicut in Italia, & aliis locis calidioribus, difficilius in usum deduci potest.

Secundo obligat, quando quis existimat se à peccato aliquo abstinere non posse, aut vincere gravem aliquam tentationem, nisi confiteatur, quia quisque jure divino tenetur adhibere remedia necessaria ad vincendum peccatum.

Tertiò, quando sumenda est Eucharistia, & adest copia Confessarii, *juxta Glos. cap. De homine sup. De celebrat. Missar. Conc. Trid. sess. 13. c. 7. & can. 11.* Quod si necessitate urgente Sacerdos sine prava confessione celebraverit, quam primum confiteatur, inquit Conc. Trid. *de e. 7. in fine*.

Ad susceptionem verò aliorum Sacramentorum sufficit & requiritur quem contritum esse, *can. per Esaiam 1. q. 1.* illis verbis: *omnia sacramenta prosunt dignè sumentibus*: nam inde à contrario colligitur non poenitentibus & indignè sumentibus, non prodesse. Idem dicendum de administrante Sacramenta, *per d. can. Per Esaiam*, illis verbis: *omnia Sacramenta cum ob sint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus*. At tamen utile admodum est ad aliorum quoque Sacramentorum susceptionem confiteri. Hinc in *can. Ut se juri. De consecrat. Distinct. 5.* præcipitur, ut susceptionem confirmationem moneantur prius confessionem facere. Et Synodus Concil. Trident. *Sess. 24. cap. 1. De reformat. matrim.* hortatur conjuges, ut, antequam contrahant, ut saltem triduo ante consummationem matrimonii, confiteantur.

Quartò, ratione juramenti aut voti, *arg. cap. Magna sup. De voto &c.* aut poenitentia à Confessario injecta, vel ratione statuti, religionis, aut præcepti superioris.

Quintò, ratione conscientia erronea, dum putat quis se ad confessionem teneri, quamvis sufficiat illam deponere, Navar. *in Manuali cap. 2. m. 20. arg. 6. inquisitioni inf. De sent. excomm. cap.*

Sextò, quando quis credit probabiliter se alioquin non habiturum eo anno Confessarii idonei copiam, Navar. *d. loco*: sicut ad audiendum Sacrum, quod unicuique mane celebratur, tenetur quis, licet alioquin ad illud audiendum sit latitudo totius diei.

## §. VIII.

## De conditionibus &amp; qualitatibus Confessionis.

1. *Conditiones ad Confessionem requisita de necessitate sunt tres.*

Sacramentalis Confessionis qualitates sedecim exprimuntur his verbis:

*Sit simplex, humilis Confessio, pura, fidelis, Nuda, frequens, discreta, libens, nec non veracunda, Integra, secreta, & lacrymabilis accelerata, Fortis, & accusans, & sit pariter parata.*

1. Pro quarum majori explicatione vide Navar. *in can. Præter De panis. distinct. 5.* Sunt autem istæ conditiones de perfectione Confessionis, non tamen omnes de necessitate, sed vix dumtaxat, nempe, ut sit lacrymabilis, id est cum contritione vel saltem attritione illa salutari, ut Sacramentum ex attrito faciat contritum, id est conferat illi eum effectum, quem confiteretur, si esset contritus. Secunda, ut sit sincera & pura ab omni mendacio & simulatione, verbiique superfluis, etiam si se quisque accolet, in quantum illi eum fecius est, aut probabiliter existimat se deliquisse, non augendo nec aggravando, aut minuendo, vel excusando peccata, sed certa tanquam certa, dubia tanquam dubia excusando. Alioqui eum mendacium semper sit peccatum, *can. Primum xxii. q. 2. c. Super eo sup. De iur. i.* gravius est, quod in iudicio committitur; ideoque mendacium de peccato mortali in confessione seu confessionis iudicio, puta si neget se commississe peccatum mortale, quod commisit, aut affirmet se commississe, quod non commisit, est peccatum mortale, cum sit contra integritatem Confessionis, nisi forte in posteriori casu ignorantia excuset, qui scilicet existimet se melius facere, accusando se graviter de eo, de quo dubitat, quia hoc modo et si falsum dicat, non tamen mentitur pernitiosè ad fallendum, *arg. can. Animadvertendum xxii. q. 2.* ubi dicitur mendacium esse falsa vocis significatio, cum intentione fallendi. Adde, quod bonarum mentium sit, timere culpam ubi non est, *can. Ad ejus De panis. Dist. 5.*

Ter-



Tertio, ut sit integra, omniumque scilicet (& quidem singulorum, quando sunt diversæ speciei & generis; peccatorum mortalium, etiam occultissimorum, ut quæ sunt adversus duo ultima Decalogi præcepta, quorum post diligens & debitum examen memoriam habet: insuperque circumstantiarum, quæ peccati mutant speciem, Conc. Trid. Sess. 14. c. 5. & can. 7. Conc. Florent. in instruct. Armenior. Alias enim Sacerdos, à Christo Judex constitutus, non posset ferre justam sententiam, nec juxta mensuram delicti infligere poenam, siue satisfactionem imponere: quam tamen requirit Conc. Trid. d. loco, juxta illud Deuter. 25. *Debet juxta mensuram delicti esse plagarum modus.*

Quod si ejusdem speciei sint peccata, debet eorum exprimi numerus, non quidem Mathematicè, sed moraliter, quoad fieri potest. Sin autem ignoretur certus numerus, is exprimendus est, quem putat probabilem; veluti, dicendo, Quia quies plus minus non jejunavi in Quadragesima. Quod si ne probabiliter quidem plus vel minus ejusmodi numerum confiteri possit, sufficit indicare tempus, conditionem, & propensio. nec autem in talis speciei peccata,

## §. IX.

De circumstantiis in Confessione exprimendis.

1. Circumstantia quæ sint.
2. Exprimenda circumstantia, quæ speciem peccati mutant.
3. Quæ item excommunicationem annexam vel casum reservatum habent.
4. Quæ peccatum mortale aggravant aut minuant aut ex veniali mortale reddunt.
5. Circumstantia temporis quatenus exprimenda.
6. Etia, quæ personis communes sunt.
7. Circumstantia quoque finis exprimenda.

Quantum ad circumstantias peccatorum attinet, ex nihil aliud sunt, quam accidentia eorum actuum, qui sunt peccata, & variæ sunt, juxta can. Aut facta 19. De poenit. dist. 1. Sicut dignum sup. de homicidio, l. Aut facta D. de poenit. & continentur hoc versu,

Quis, Quid, Vbi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando?

De quibus vide Navar. in can. Consideret De poenit. dist. 5. Subinde autem ad integritatem Confessionis necessaria est circumstantiarum expressio, ut patet ex Conc. Trid. loco citato.

2. Et quidem in primis earum, quæ speciem peccati mutant. Conc. Trid. d. Sess. 14. c. 5. & can. 7. Facit d. can. consideret. Talis circumstantia est loci sacri: ut si quis in loco sacro fureretur, vel fornicetur, vel cum injuria sanguinem humanum effundat, ut aliquem è loco sacro contra immunitatem Ecclesiasticam vi abducat; cum enim talia in loco sacro committi, ob ejus reverentiam, legibus specialibus prohibeantur, can. Quisquis xvii. q. 4. cap. Proposisti sup. De consecr. & similibus. l. Prasenti Cod. De his qui ad Ecclesias confug. hujusmodi circumstantia loci sacri specialem habet repugnantiam cum ratione ac speciali lege, ideoque novam deformitatem alterius rationis à deformitate prioris objecti superaddit. Hinc furtum rei non sacre, è loco non sacro, dicitur simplex furtum: at verò furtum rei non sacre, in loco sacro ad custodiam positæ Sacilegium vocatur.

Talis quoque subinde est circumstantia personæ. Nam si persona sacra, vel quæ votum castitatis emisit, fornicetur, non simplicem fornicationem, sed sacrilegium committit. Quod si uterque, vel alter fornicantium sit conjugatus, constituitur adulterium; si inter consanguineos vel affines hoc crimen committatur, est incestus; si cum virgine, stuprum; si inter personas omnino solutas a vinculo matrimonii, cognationis, affinitatis. Ordinis & voti, est simplex fornicatio; si inter personas ejusdem sexus vel cum brutis animalibus, est sodomus.

Secundò, ex circumstantiis exprimendæ sunt, quæ excommunicationem annexam vel casum reservatum habent, ut percussio enormis Clerici, subreptio bonorum naufragantium; est enim necessarium Confessario scire, num poenitens sit excommunicatus, can. Excommunicatos can. Rogo xi. q. 3. vel casum aliquem reservatum habeat.

4. Tertio, quæ intra eandem speciem transferunt peccatum à veniali ad mortale, qualis est magnitudo furti, aut etiam intra eandem speciem peccatum mortale valde aggravant, licet speciem non mutant, juxta probabiliorum sententiam, quia alià non poterit Sacerdos, tantumquam



quam Iudex, debitum proferre iudicium, nec secundum mensuram delicti injungere poenitentiam, quod tamen requirit Conc. Trid. loco antè citato, *can. Non offeramus* xxiv. q. 1.

Unde à pari sequitur, explicandas quoque esse eas circumstantias quæ valde notabiliter minuunt peccatum aut etiam efficiunt nullum: veluti, si quis infirmus ex præscripto Medici comedere carnes in Quadragesima, aut in gravi admodum necessitate positus abstulerit rem alienam, *juxta text. in can. Discipulos De consecrat. Dist. 5. Glos. in c. Si quis propter sup. Defurtis*, id exprimere debet. Sententia nihilominus contraria, negans ejusmodi circumstantias notabiliter aggravantes intra eandem speciem esse exprimendas, tuta est, pro qua vide Navar. in *can. Consideret, De poenit. Dist. 5.*

Quantum verò ad circumstantiam temporis attinet, veluti diei festi, utile quidem est confiteri non tamen ordinariè est necessum, quia præceptum de colendo Sabbatho ac Festo, *Exod. 20 & Levit. 23.* præcipit dumtaxat quierem ab operibus servilibus corporalibus seu manualibus, mechanicis, non etiam à spiritalibus, qualia sunt peccata, quorum pleraque poenitus sunt mentalia, ac proinde nullatenus inter servilia corporalia opera possunt censeri, *can. Testamentum, can. Sed pensandum dist. 6. can. Sicut De poenit. Dist. 1.* Idem dicendum de circumstantia diei jejunii, aut orationis. Aliud tamen dicendum, si quis intenderet festum vel jejunium vel orationem per scelus violare Navar. in *d. can. Consideret n. 23. ad 1. & in Manuali cap. 6. n. 10. & 11.*

5. Non obstat de *can. Consideret*, innuens circumstantiam temporis esse confitendam: quia in eo *Can. multa* ab August. consultivè dicuntur. Unde ista verba, *omnis ista varietas constituenda est*, subaudi de consilio, non de præcepto: nisi talis varietas sit, quæ peccatum mortale in aliam peccati mortalis speciem, aut veniale in mortale transferat, cujusmodi non est circumstantia temporis.

6. Similiter nec circumstantiæ personis communes, quæ peccatum aggravant in eadem specie v. g. si bonus aut malus, juvenis aut senex superior, aut inferior peccet, nisi scandalum vel alia circumstantia accedat. Quamvis aliqui ejusmodi circumstantiæ personis

communes peccatum augeant: nam cæteris paribus, magis peccat in dignitate constitutus quam privatus, *can. Homo Christianus; Dist. 40. c. 2. sup. De translat. Episc.* illis verbis: *idem Archiepiscopi tanquam majores plus excefferint.* Ubi Gloss. citat illud Juvenalis, ex Satyra 8.

*Omne animi vitium tanto confectius in se Crimen habet, quanto qui peccat major habetur.* Sic magis peccat Prælati, quam subditi, *can. Præcipue xi q. 3. & sic de similibus.*

7. Quartò circumstantia finis exprimenda est, quando est prohibita aliâ lege speciali ab actu principali, quia trahit ad aliud peccatum: ut si quis furetur ad mœchandum, non tam fur quàm mœchus dicitur juxta Aristot. 5. *Ethic.* vel ad occidendum, quò casu magis homicida dicitur, Videatur Navar. in *Manuali c. 6. n. 4. in fine.*

## §. X.

Quando liceat dividere seu dimidiare Confessionem.

1. Dividi Confessio potest ob necessitatem poenitentis.
2. Ob necessitatem Sacerdotis.
3. Ob sociorum necessitatem.
4. Ob periculum quod inde sequeretur.
5. Ob periculum revelandi peccatum alterius.

1. **T**ametsi, quantum est ex natura Confessionis, seu per se, omnia peccata mortalia, cum circumstantiis prædictis, sint uni eidemque Sacerdoti confitenda, aliterque facta seu dimidiata confessio ex intentione confitentis & sine legitima urgente causa non valeat, *can. Consideret §. cautus, & ibi Navar. & can. Non potest de poenit. dist. 1. & can. fin. dist. 5. c. Omnis utriusque 12. h. 1.* tamen legitima causa subsistente, seu per accidens dividi potest, ut docet Navar. d. loco veluti primò ob necessitatem poenitentis, si post uocum atque alterum peccatum etiam veniale, confessum privetur usu loquelæ vel rationis, imminet atque periculum mortis, omninò absolvendus est.

2. Secundò, ob necessitatem Sacerdotis; veluti, si Sacerdos, postquam incipit audire confessionem, fiat æger, ita ut progredi nequeat nec sit alijs, qui poenitentem audire possit, & imminet periculum mortis, absolvere eum debet, 3. Tertiò



3. Tertiò, ob sociorum necessitatem: veluti, quando imminente naufragio non omnes, in navi existentes, vel in bello humi jacentes, aut in hospitali moribundi audiri possunt, Sacerdos, ut subveniat omnium necessitati, dictante id ratione & exposcente charitate, potest excipere aliqua eorum peccata, & absolvere.

4. Quarto, quando cumque ex confessione aliquis peccati sequeretur periculum vitæ, corporalis vel spiritualis, propriæ vel alterius, tale peccatum subicere licet, si non sit commoditas alteri integrè confitèdi. Navar. in *Manuali* c. 7 n. 3. ubi n. 1. putat idè obtinere, quando verisimiliter timetur magna diffamatio complicit, apud Sacerdotem, qui illum novit. nec est commoditas alteri confitendi. Quamvis contrà alii putent ob hoc solum non esse licitum subicere. Judicium de hoc dubio Theologis relinquo.

5. Quinto, quando Sacerdos non potest aliter confiteri peccatum suum, quam revelando alienum, auditum in confessione, dimidiare confessionem debet, omitendo tale peccatum, quia major est obligatio secreti seu sigilli confessionis, quam integritatis confitendi. Est communis. Navar. in *Manuali* c. 8. n. 6.

Quo pacto autem servari possit integritas Confessionis, dum pœnitens habet aliquos casus reservatos, & inferiori confiteretur, dissecant DD. Nam quidam tenent, posse inferiorem etiam à reservatis absolvere, obligando pœnitentem: ut reservata iterum confiteatur superiori. Alii contra existimant, inferiorem non habere hujusmodi potestatem, præterquam in articulo mortis: quia nullo jure extra articulum mortis invenitur concessa talis potestas, ne quidem tacite, & contrarium videatur satis indicare Conc. Trid. Sess. 14. c. 7. Nolim tamen hic alteram damnare sententiam, sed potius Theologis judicium malim relinquere.

An vero qui post signa tantum doloris & pœnitentiæ edita privatur usu linguæ & rationis, ita ut nullum in specie peccatum confiteri possit, absolvi queat & debeat in periculo mortis, etiam controvertunt Interpp. Juris una cum Theologis. Favorabilior ac praxi conformior videtur affirmantium opinio: quæ probari videtur ex *can. Is qui* & *can. His qui* xxvi. q. 6. Conc. Arausicano, c. 11. ubi dicitur, quod subito obmutescens, & baptizari & pœnitentiam

accipere possit, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habeatur, aut præsentis proprio nutu. Favet ratio quia hic omnia requisita ad absolutionem Sacramentalem adsunt, nempe dolor externus manifestatus cū aliqua confessione peccati in genere, quod sufficit.

Nec obstat, quod in Conc. Trid. Sess. 14. c. 5. *can. 9.* dicatur anathema ei, qui dixerit, ad absolutionem non necessariam esse confessionem, non tantum in genere, sed etiam sigillatim, & in specie: quia dicendum, ita necessariam esse confessionem in specie, sicut necessaria est integra confessio omnium peccatorum mortalium, nepe quando haberi potest. Idque solum voluit Conc. Trid. contra hæreticos.

§. XI.

An Confessio possit esse publica, fierique per litteras aut interpretem, vel nuntium.

1. *Potest esse publica Confessio, & fieri simul à pluribus.*

2. *Potest fieri per interpretem.*

3. *Confiteri per scriptum est contra usum Ecclesiæ.*

Non esse de essentia confessionis sacramentalis, ut fiat uni sacerdoti dumtaxat, secreto vel publicè, colligitur ex Conc. Trident. d. Sess. 14. c. 5. ubi inter cætera dicitur, quod non satis consultè humanâ aliquâ lege præciperetur, ut delicta præsertim secreta, publicè essent confessione aperienda. Ideoque meritò Leo in *can. Quamvis* 82. *De pœnis. Dist. 1.* sustulit consuetudinem, quâ homines pœnitentes cogebantur publicè confiteri.

1. Poterunt igitur plures tempore naufragii, si unus dumtaxat sit Sacerdos, non sufficiens omnibus secreto audiendis, omnes simul altâ voce eidem confiteri, & ab eo absolvi, hac formâ, *Ego vos absolvo ab omnibus peccatis vestris, in nomine Patris, &c.*

2. Poterit etiam à fortiori quis confiteri per interpretem, cum ita minùs publica sit confessio, quàm priori casu, Navar. in *can. Fratres De pœnis. Dist. 5. n. 86.* Poterit & pluribus sacerdotibus simul confiteri & ab iis absolvi, utentibus eadem absolutionis formâ, *Ego te absolvo, &c.* vel hac, *Nos te absolvimus.*

3. Cæterum licet non sit contra naturam hujus Sacramenti confiteri peccata Sacerdoti per



per scriptum absque verbis : est tamen contra perpetuum & communem usum Ecclesiæ, qui fuit, ut confessio voce perageretur, quodcumque id fieri posset. Similiter non licet confiteri absenti per litteras aut nuntium saltum ordinari, juxta Catechismum Roman. cap. De Sacramento pœnit. & declarationem Card. ad Conc. Trid. Sess. 24. c. 6 De reform. & dispensare. Navar. in Can. Quem pœnitet, De pœnit. Diff. 1. & in Manuali c. 2. l. n. 36. ubi plenius vide.

## §. XII.

## De nullitate Confessionis.

1. Nulla est, vel ex parte pœnitentis, idque ex variis causis.

2. Vel ex parte Confessarii, ex variis similiter causis.

1. Variis modis potest contingere, ut Confessio sit nulla, sive ex parte pœnitentis sive ex parte Confessarii.

Ex parte pœnitentis primò sit nulla, ob defectum intentionis, si non intendat suscipere Sacramentum; aut suscipere quidem intendat, sed ob finem, qui est peccatum mortale, & per consequens obex absolutionis; nam veniale, non reddit iterum Sacramentum. Secundò, ex defectu attritionis vel contritionis: quò refertur defectus abstinentiæ à peccato. Nam peccato venia non datur, nisi correcto. c. peccatum De R. l. in 6. can. Legatur xxii q. 2. Estque communis sententia. Terriò ex defectu integritatis, dum scienter, sine legitima causa, vel ex crassa & culpabili negligentia, non confitetur omnia mortalia, cum circumstantiis necessariò exprimendis. Quariò, ratione excommunicationis, non ignorat: quia quatenus de illa non confitetur ei, qui potest absolvere, ponit obiectionem Sacramentum: nam excommunicatus, etiam minori excommunicatione, exclusus est à participatione Sacramentorum, cap. Si celebrat sup. De Clerico excommunicato ministr. vide Nav. in d. can. Fratres De pœnit. Diff. 5. ante n. 41.

Dixi, non ignorat; quia scius, si eam ignoret, & bona fide petat absolutionem, quia nullo jure vel ratione contrarium probatur; & rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit, c. Sine culpa De R. l. in 6. Quintò ex defectu diligentiae sufficientis ad revocandum in memoriám peccata commissa. Adhibenda autem est tanta diligentia, quanta judicio pru-

dentis & boni viri adhiberi debet in re magis momenti, qualis haud dubiè est salus animæ.

2. Ex parte Confessarii est nulla, primò ex defectu intentionis si non intendat absolvere. Patet ex ante dictis de intentione ministri ad Sacramentorum administrationem requisita. Secundò, ex defectu potestatis seu jurisdictionis, ut patet ex dictis ante circa definitionem Confessionis. Terciò, si ejus jurisdictio impedita sit per excommunicationem, uti in hæretico, can. 1. §. laborat De pœnit. Diff. 6. cui, tanquam ab Ecclesiæ unitate per culpam diviso, can. Sanè xvi q. 7. ne quidem in extrema necessitate licet confiteri, Navar. in d. §. laborat Unde & Ermenegildus Rex maluit appetere mortem, quam communionem sacram sumere è manibus Episcopi Arriani, can. fin. xxi v. q. 1. Vide plenius Navar. in d. can. Laborat. Ubi notandum post Conc. Constantien. solos notorios Clericorum persecutores aut nominatim excommunicatos privari jurisdictione. Quariò, si non proferat absolutoris verba: nam in hoc judicio debet sententia ferri voce Sacerdotis, nec satis est illam scribere, uti in aliis tribunalibus, in quibus potest permixtum ferri, modo illa sit scripta à iudice & approbata. Quinò ex defectu scientiæ, in Confessario requiritur: veluti si tanta labore & ignorantia, ut absolvere nesciat, vel peccata mortalia contra decem præcepta decalogi ignoret. Ubi observandum, Deum ordinariè hujusmodi defectus essentielles in ministris non supplere, nec dare gratiam extra Sacramentum, nisi contritis.

## §. XIII.

## De sigillo seu secreto Confessionis.

1. Sigillum Confessionis quid sit.

2. Qui ad hoc sigillum teneantur.

3. 4. 5. Teneri autem omnes jure naturali, divini positivo & Ecclesiastico,

6. Pœna revelantis Confessionem.

1. Sigillum Confessionis nihil est aliud, quam obligatio non revelandi ea, quæ audita sunt in Sacramentali Confessione; sic dictum per metaphoram, quia ut sigillum continet occultam rem obsecretam in charta vel tabula, l. 1. §. fin. l. Si quis ex signatoribus, ff. Quemad. testam. ap. ita hæc obligatio efficit, ne in confessione audita manifestentur.



2. Ad hoc autem sigillum servandum tenetur non solum Confessarius ipse, sed & interpretes, & alius quicumque, sive vir, sive femina, sive laicus, sive Clericus, qui sive casu, sive de industria, sive directè, sive indirectè, sive mediatè, sive immediatè, confessionem alterius audiverit, quia præceptum seu obligatio huius sigilli servandi non cadit in ipsum Sacerdotem primariè, sed in ipsam scilicet confessionem, quam vetat revelari. Et ideo ad quemcumque transeat, cum hoc onere suo, neque sigilli non revelandi, transit, *c. Ex litteris sup. De pœnitent. c. Pastoralis sup. De decimis & similibus.*

3. Teneturque quilibet ad servandum hoc sigillum triplici jure, naturali, divino positivo & Ecclesiastico. Naturali, quia illud docet, non faciendum alteri, quod nollemus nobis fieri: nemo verò veller secretum, quod alteri commisit, maxime peccata sua, occulta, manifestari alijs. Accedit, quod ex ejusmodi revelatione gravissima possent sequi mala, veluti infamia proximi, & alia; ipsaque Confessio rediretur gravissima & odiosa, ab eaque multi magis detererentur ac retraherentur.

De Jure divino positivo probatur, quia Christus instituens Sacramentalem Confessionem, haud dubiè etiam sigillum ejus, sine quo consistere nequit, nec fieri commodè potest, omnibusque esset exosa, instituisse censendus est, arg. *c. Præterea sup. De offic. Deleg. c. 13. C. De iurisdic. om. judic. l. pœnit. D. De usu fructu Navar. in can. Sacerdos num. 33. De pœnit. Dist. 6.* Et hinc sequitur, à nulla potestate humana posse præcipi alicui, sub quantavis pœna, etiam excommunicationis, revelationem confessionis, vel super ejus sigillo dispensari, prout fufius probat Navar. *d. loco n. 130.*

De jure Ecclesiastico patet ex *d. can. Sacerdos c. Omnes utriusque h. 1.*

5. Nec obstat, quod in istis Juribus fiat tantum mentio sacerdotis; expressio autem unius sit exclusio alterius. *c. Nonne sup. De præsumpt.* quia qui de uno dicit, de alio quidem dissimili negat, sed non de simili, *can. Qualis Dist. 23 arg. c. si tibi absenti in nota Gloss. De præbend. in 6.* Iam verò licet Confessarius & alii non sint quoad omnia similes, sunt tamen tales quoad obligationem seu onus secreti confessionis, ut constat ex jam dictis. Ideo verò in citatis Ju-

ribus fit potius mentio sacerdotis, quam alterius, quia frequentius contingit sacerdotibus potentia revelandi, quam alijs, quibus rarius confessio aperitur. Quæ autem causa frequentioris usus exprimuntur, non restringunt regulam.

Non obstat etiam huic sigillo Confessionis *c. 1. h. 1. nec §. secreta sub can. Quis aliquando De pœnit. Dist. 1. cum d. c. 1. concordans, à contrario sensu;* quibus probatur, pro manifestis peccatis imponendam esse pœnitentiam publicam: quia dicendum cum Navar. in *d. can. Sacerdos n. 100.* Ista jura intelligi debere de correctione exteriori, de qua multa *cap. h. 1. loquuntur;* ut *c. 2. c. Quod autem c. Licet 6. c. Quasitum, c. Cum ex eo c. c. pœnit.* non autem de interiori seu Sacramentali: nisi eo casu, quo pœnitens sponte peccet, vel suscipiat talem pœnitentiam, sique expressè vel tacite consentiat in confessionis suæ publicationem ex justa aliqua causa, ut satisfaciatur Deo & populo, cui scandalum fuit. Navar. *d. loco ubi in can. falsas De pœnit. Dist. 5.* ubi plenius probat, Canones Pœnitentiales, qui in fine Decreti Gratiani edit. Gregorianæ leguntur, de simili correctione exteriori intelligendos esse, dum de publica pœnitentia imponenda loquuntur.

Denique pœna revelantis Confessionem, secundum Gregor. in *d. can. Sacerdos* est depositio & perpetua peregrinatio. Verum quia huiusmodi peregrinatio non soli Clerico, sed toti Clericorum ordini erat dedecori, *can. Diaconi Dist. 23.* ideo in *d. cap. Omnis utriusque h. 1.* temperatur, ut sit depositio & perpetua reclusio in arctum monasterium: derogat enim lex nova veteri, quatenus statuit contrarium, licet eius mentionem non faciat, *c. 1. De Constit. in 6.*

6. Ista tamen pœna non habet locum in alijs à Sacerdote, saltem in laicis, quia cum laici non sint in ordine constituti nequeunt quoque deponi ab ordine, *argument. l. Decem D. De verb. oblig.* Cæterum de hac pœna revelantis confessionem vide plenius

Lopez ad praxin crimin. Can.

Diaz. cap. 113. cum alijs, quos citat.



## §. XIV.

## De Satisfactione. tertia parte Pœnitentia, &amp; quod duplex ea sit.

1. Cur necessaria sit pœnitenti Satisfactio
2. 3. Satisfactio in genere & in specie quid sit.
4. 5. Specialiter accepta, alia est voluntaria, alia Sacramentalis.

Quamvis subinde possit tanta esse contritio, ut simul cum culpa remittatur tota pœna sicut per Baptismum & Martyrium uti constat in latrone pendente de cruce, in Maria Magdalena, S. Paulo, & alijs.

1. Quia tamen non semper per Sacramentum Pœnitentia, dimissa culpa, tota pœna remittitur, sed æterna in temporalem mutatur, ut definit Concil. Trid. sess. 6 cap. 14. & can. 3. & sess. 14. cap. 8. & can. 12 patetque ex varijs cum Canonibus tum Scripturæ sacre testimonijs, ea ratione, quod cum peccatum non solum sit contra Dei amicitiam, sed etiam contra iustitiam, fiat, ut pœnitente in amicitiam & gratiam divinam recepto, maneat debitum luendæ pœnæ temporalis, loco perpetuæ & infinitæ, cujus Deus per Sacramentalem absolutionem obliviscitur; ideo ad satisfaciendum iustitiæ necessaria est pœnitenti post confessionem satisfactio; pro pœna illa temporali in quam virtute absolutionis infinitam & perpetuam mutatur.

2. Est autem Satisfactio in genere nihil aliud, quam compensatio quædam, qua is, qui alterum læsit, tantum facit, quantum alter pro injuria sibi illata iuste requirit, arg. l. 1. D. Qui satisf. cog. & similibus. Atque ita latius patet restitutione, quam sub se comprehendit, tanquam genus, ut innuit Glos in c. Peccati venia De R. l. in 6. Navar. in can. Satisfactio De pœnit. Dist. 3. Nam restitutio est repositio rei in pristinum statum, l. Restituere D. De verb. significat. can. Si quem §. fin. 2. q. 3. seu redditio rei ablata; sive jure, sive injuria ablata sit; vel damni illiciti compensatio, toto tit. Decretal. De restitu. spoliar. Atque ita restitutio respicit rem, dum præstat æquivalens, vel rem ipsam exhibet: & habet locum, ubi damnum est datum, vel res alterius ablata. Et proinde est æstus exterioris iustitiæ commutativæ, cujus est constitucere æqualitatem inter datum & accep-

tum, inter damnum & compensationem. At verò satisfactio respicit personam, dum præstat id, quod alteri satis est, etiam si non sit æquivalens debito: & habet locum etiam pro injuria illata & honore violato, etiam si nullum damnum datum sit. Sic enim Deo satisfacimus, cui tantum damnum non inferimus, nec quicquam restituere possumus, cum omnia sint Dei perfectissimè. Denique satisfactio fit etiam pro damno irreparabili, restitutio pro reparabili tantum.

3. Satisfactio verò, specialiter pro tertia parte Pœnitentiæ accepta, est compensatio Deo facta pro injuria ei illata per peccatum, cum Proposito de cætero non offendendi, & spe veniæ.

Nec obstat huic definitioni can. Satisfactio 3. De pœnit. Dist. 3. ubi Aug. definit, Satisfactionem Pœnitentiæ esse peccatorum causas excidere, nec eorum suggestionibus aditum indulgere; quia dicendum, definitionem illam non esse completam quoad expressionem, sed solum tacite & implicite; nam cum satisfactio duo respicit, nempe redditionem vel placationem debiti, & insuper abstinentionem à novo debito vel nova offensa, dicta definitio August. secundum tantum exprimit, ac primum continet implicite dumtaxat.

4. Est verò duplex Satisfactio, alia voluntaria alia Sacramentalis. Voluntaria est, quam quis sponte suscipit; cujus innumera sunt exempla in sacra Scriptura, veluti Job. ult. & Davidis in can. Totam cum seq. & can. Illud De pœnit. Dist. 3. Achab. in §. de contra sub can. Si post ordinationem Dist. 50. & §. Achab quoque sub can. Voluisset, & in can. Sicut Achab De pœnit. Dist. 3. quæ, sicut & alia innumera evidentissime ostendunt stoliditatem Lutheri ac Melancthonis, asserentium, pœnas susceptas sponte esse hypocriticas, & cum Dei præcepto pugnare.

5. Sacramentalis est, quam Sacerdos per potestatem clavium sibi traditam non solum ad solvendum sed etiam ad ligandum, (ut constat ex illo Matth. 16. Quodcumque ligaveris &c. in can. Ita Dominus Dist. 10. can. In novo testamento, can. Quamvis Dist. 20. & illo Matth. 18. Quasumque alligaveris &c.) pœnitenti injungit. Et hæc longè præstantior priori est; cum quia ex obedientia suscipitur; tum quia effectum, efficiat ac fructum suum trahit à Sacramen-



to, quod ex opere operato operatur: illa verò à virtute poenitentiae tantum. Et hinc fit, quod hæc impleta etiam in peccato mortali reviviscat, & suum effectum sortiatur remota satisfactione, seu accedente gratia, & recuperata charitate: non autem illa. Vide Navar. in *can. 1. n. 48. De poenit. Dist. 6.* ubi rationem reddit.

## §. XV.

Per quam opera satisfiat, & de modo in satisfactione servando.

1. Satisfiat poenitens per bona opera, etiam non poenalia.
2. Item per bona opera aliis debita.
3. De modo servando in poenitentia imponenda.

1. Satisfiat verò poenitens per bona opera, non modò poenalia, sed etiam non poenalia. Nam & ditissimus ac liberalissimus potest satisfacere per elemosinam, & temperatissimus per jejunium; quorum tamen neuter ex talibus sentit poenam aut tristitiam, licet quo magis poenalia sunt, eo magis sint satisfactoria.

2. Rursus non tantum per opera bona alias non debita, sed & per aliis debita, satisfacere quis potest, Navar. in *can. 1. De poenit. Dist. 6. n. 40.* & in *Manuali c. 26. n. 23.* Nec mirum, posse quem unico actu satisfacere duplici obligationi aut pluribus, cum unico jejunio satisfaciat quis vigiliæ & quatuor temporibus: unico sacro diei festo ac Dominico: unica recitatione officii beneficio & ordini sacro; & sic de similibus.

3. Quis autem modus in Satisfactione seu Poenitentia imponenda sit servandus, docet Conc. Trid. Sess. 14. c. 8. Cum enim Sacerdos simul sit constitutus iudex & medicus, eique datur sint clavos ad solvendum & ligandum, curare debet, ut secundum mensuram delicti sit plagarum modus, *Deut. 25.* Ideoque diligenter perpendat necesse est quantitatem & qualitatem, aliasque circumstantias delicti, *cap. 3. Eccl. Deus 8. h. tit.* contritionem atque ætatem poenitentis, *can. De his, cum aliquot seqq. xxvi. q. 7. cap. 2. sup. De delictis puerorum, & similibus.* Item scientiam, veluti an amens vel furiosus deliquerit, *can. Indicat. 3. q. 9. can. Si quis insaniens xv. q. 1. an putaverit se delinquere, an non, l. fin. D. De ritum nupt.* Insuper sexum, *can. indignatur xxii.*

*q. 6. ac conditionem, can. Qui compulsus xxii. q. 5. can. aut facta De poenit. Dist. 1.* Præterea observare debet modum, tempus, locum, delinquendi voluntatem, propositum, eventum, cæteraque, quæ, ut delicta, ita & poenas delinquentium variant, juxta *l. Aut facta D. De poenit.* nam, etiam his omnibus spectatis, lex civilis poenas arbitrat, *d. l. Aut facta:* ut de his fusiùs Tholosan, *Synag. l. xiv. universit. 30 à c. 2. usque ad 11. Navar. in can. Mensuram de poenit. Dist. 1.*

## §. XVI.

An poenitens teneatur acceptare & adimplere poenitentiam sibi impositam.

1. Teneri acceptare & adimplere probatur.

1. Teneri poenitentem semper acceptare & adimplere poenitentiam rationabilem sibi impositam, nisi legitime commutetur, probatur ex *c. Omnia utriusque 12 h. t. Glof. in can. Contrarium De poenit. Dist. 5.* Ratio peti potest ex Conc. Trid. Sess. 14. c. 8. & *can. 13.* cum enim ibi dicatur, Sacerdoti datas esse claves, non solum ad solvendum, sed etiam ad ligandum, haud dubie poterit eis debite utendo obligare poenitentem ad rationabilem poenitentiam, pro peccato mortali impositam. Censetur autem rationabilis, quæ cujuscumque statui & fragilitati congruit, etiam si non sit condigna.

Si tamen quis vellet omnino reservare poenam, in purgatorio persolvendam, suo judicio relinquendus erit, Navar. in *can. Consideret 6 poenat se De poenit. Dist. 5. & can. Sacerdos eod. tit. Dist. 6.* ubi testatur hanc esse communem DD. sententiam in *c. Significavit 3. h. t.*

## §. XVII.

An unus pro alio tam vivo quam mortuo satisfacere possit.

1. De fide est justum pro alio justo satisfacere posse.
2. Sacramentalis satisfactio per alium adimpleri nequit.

1. De fide est, posse unum justum pro alio justo satisfacere. Colligitur ex Symbolo Fidei, in quo confitemur communionem Sanctorum, id est, secundum omnium Catholicorum, id est, *Uuu 2 rum*



rum interpretationem, omnium bonorum totius Ecclesiae, juxta illud Davidis Psal. 18. *Particeps ego sum omnium timentium te, Domine. & custodientium mandata tua.* Confirmatur, quia ad Ephes. 4. 1. Corinth. 12. ad Roman. 12. omnes in Christo; singuli autem alterius membra. Etenim membra viva unius corporis & capitis se mutuo juvant, variosque labores, imò interdum sectiones & ultiones pro se invicem sustinent. Unde ad Galat. 6. dicitur *Alter alterius onera portate*; onera, inquam, non modò corporalia, sed etiam spiritualia.

Dixi, justum pro justo; quia ut aliena satisfactio prodest, debet uterque & satisfaciens, & is, pro quo satisfacit, esse in gratia & charitate: quia satisfactio unius pro alio admittitur, quatenusambo, sunt viva membra unius corporis Christi per gratiam & charitatem: & peccatum quamdiu manet, reddit impium incapacem remissionis poenae, pro peccato debitae.

2. Sacramentalis tamen satisfactio, cum sit pars Sacramenti, est actus personalis, qui proinde non magis potest per alium fieri, quam unus pro alio baptizari, confirmari, vel confiteri. Ideoque si quis in articulo mortis nequeat illam adimplere per seipsum, ab ea implenda excusatur; & si committat alteri, proderit, quidem illi, non tamen erit Sacramentalis; multoque minus proderit, quam si ipsemet illam adimplevisset.

## §. XVIII.

## De Remissionibus seu indulgentiis.

1. *Indulgentia nomine quid hoc loco significetur.*
2. *Esse in Ecclesia potestatem concedendi indulgentias.*

**S**atisfactioni affinis est materia Indulgentiarum, quae hoc loco Remissiones specialet appellatur; eum alias Remissio in genere fit liberatio ab aliquo onere inuncto vel injungendo.

1. Ubi illud quoque praemittendum est, Indulgentiam apud Latinos sumi interdum in malam partem, pro molli scilicet & delicata quadam remissione, ac nimia licentia; ut apud

Quintil. *Mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes & mentis & corporis frangit*: & apud Plinium, *Vis simia catulos feræ complexa necat, ita nonnulli parentes, immodico erga liberos affectu & indulgentia, corrumpunt illos.* Interdum in bonam partem; quandoque verò pro remissione culpae, qua Deus multum de iure suo remittit, ut Iudith. 8. *Indulgentiam ejus fusi lacrymis postulemus*; quandoque pro remissione poenae peccato debitae; juxta illud Esai. 6. *Misit me ut modorem contritis corde, & predicarem capivis indulgentiam.* Quo modo & in foro æterno remissionis poenarum vocantur indulgentiae. Indulgentia, inquit Impi. quos liberat, notat, nec infamiam criminis tollit, sed poenam gratiam facit, l. ult. C. De generali abolitione. Ad cujus exemplum poenarum temporalium in foro conscientiae debitum remissio rectè dicitur indulgentia. Et his duabus posterioribus significationibus accipitur Indulgentia hoc t. Decretal. Hic autem agemus de ea secundum postremam significationem, non quidem quomodo libet, sed prout sumitur pro condonatione poenae temporalis, Deo debitae, pro peccato jam remisso, quoad culpam, extra sacramentalem abolitionem facta seu concessa à Praelato Ecclesiae, ex thesauro ipsius Ecclesiae. Nam licet per contritionem & confessionem Sacerdoti factam deleatur culpa peccatorum: remanet tamen poena temporalis, in quam æterna commutatur, subeunda, ut antè diximus, & patet ex can. *Se peccatum De poenit. Distinct. 1.* Hæc autem per remissionem & indulgentiam extinguatur.

1. Esse verò in Ecclesia hujusmodi potestatem concedendi indulgentias patet ex cap. Cum ex eo 40. hoc tit. Extravag. Unigenitus cod. ex Concil. Trid. Sess. 21. cap. 9. & sess. 25. in Decreto De indulgentiis: ex Scriptura item facit, Matth. 16. illis verbis, *Tibi dabo, claves regni caelorum*; & aliis quibus Christus promisit Petro, ejusque successoribus, claves regni caelorum unaque cum clavibus amplissimam potestatem tollendi impedimentum ingressus in regnum illud: cujusmodi haud dubie est non solum culpa, sed etiam reatus poenae Rursus Matth. cap. 18. illis verbis, *Quaecunque solveritis super terram &c. & Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata &c.* Quibus concessa est Apostolis omnibus



omnibus potestas; remittendi peccata, non solum quoad culpam, verum etiam quoad poenam, ut colligitur ex illa particula, *Quacumque*, & ex perpetuo Ecclesiae usu, quo in arbitrio Episcoporum fuit, habita ratione personarum & peccatorum, remittere vel minuere poenas, pro peccatis debitas, quod nihil est aliud, quam concedere indulgentias. Addere his licet, quae de indulgentiarum tum origine tum progressu commentatus est Boet. Episcopus *ad Consol. Alexandri III. incip. Quod autem h. s.*

## §. XIX.

Quid sit thesaurus indulgentiarum, & unde originem trahat?

1. Originem habet ex redundantibus Christi & Sanctorum satisfactionibus.
2. Quo modo thesaurum illum dispenset summus Pontifex.

Pro Indulgentiarum maiori explicatione, sciendum est, opus in charitate factum, non solum esse meritum gratiae & gloriae, quatenus est charitate informatum, verum etiam satisfactionem, quatenus est ipsi operanti poenale; & satisfactionem Christi tam fuisse abundantem, ut non solum poenam omnem, pro peccatis totius mundi debitam, tollere possit, si debite per Baptismum vel per Poenitentiae Sacramentum omnibus hominibus applicetur, sed ob conjunctionem humanitatis cum divinitate infinitam excedat, *Extravag. Vnigenitus h. s.* nec tamen omnibus applicari: & similiter Sanctos, ut Joann. Baptistam, Martyres, Confessores, Monachos, Eremitas ac Virgines, multo plura sine comparatione esse passios, quam eorum peccata merebantur, juxta illud Job. 6. *Vinam apprehenderunt peccata mea in statera, & calamitas, quam patior, quasi arena maris multo gravior apparet.* Quod ipsum clarius apparet in Dei Matre, cujus, licet nullo unquam peccato contaminata fuerit, animam gladius doloris pertransivit.

1. Unde necessum est tam Christi, quam Sanctorum has redundantes satisfactiones, cum non sint remuneratae quoad satisfactionem, licet quoad meritum praemium retulerint, remanere in acceptatione divina, & ex iis constitui thesaurum, ad utilitatem militantis Ec-

clesiae, pro indigentibus, prout definit Clemens Pontifex in *d. Extravag. Vnigenitus*. Quemadmodum in omni Republica bene ordinata thesauri & aeraria conflari solent ex bonis redundantibus, pro publicis necessitatibus. Et in veteri lege erat gazophylacium, in quo recondita erant necessaria pro pauperibus. Hunc autem thesaurum, cum non debuerit esse supervacuum, inanis, aut superfluum, non in sudario repositus nec in agro absconditus, *d. Extravag. Vnigenitus*. Christus Beato Petro, ejusque successoribus, suis in terris Vicariis, commisit, fidelibus salubriter ex iustis & rationabilibus causis dispensandum.

2. Dispensat autem illum summus Pontifex, Petri successor, quando concedit indulgentias, hoc est, quando merita satisfactoria Christi & Sanctorum redundantia applicat in satisfactionem pro alienis peccatis, & sic per modum solutionis, quatenus per illa aequivalens debito offertur. Nam etsi Deus absoluta & in dependenti potestate sua remittere possit poenam omnem, sine ulla compensatione, non tamen ita vult remittere: adeo ut ne quidem in Baptismo vel aliis Sacramentis remittat poenam, siue temporalem, siue aeternam, absque merito Passionis Christi. Et ideo Pontifex non potest absolvere a poena Deo debita, sine applicatione hujus thesauri, quem semper applicare intelligitur, quando concedit indulgentias. Et hinc patet indulgentiam esse condonationem & solutionem, sed diverso respectu; condonationem respectu recipientium; solutionem in ordine ad Christum & Ecclesiam.

## §. XX.

An indulgentiae possint concedi animabus in purgatorio existentibus?

1. Aliter mortuis, aliter vivis concedi indulgentias.

1. **P**ossit patet: tum ex eo, quod ad hoc, ut unus pro alio satisfaciatur non sit necesse, ut iudicet absolvarur, verum sufficiat ut tantum solvatur pro eo quantum debet: tum ex facto summorum Pontificum, veluti Paschalis V. qui dedit indulgentias plenarias, per modum suffragii; animae in purgatorio, pro qua

Uuu 3



qua quis celebrare aut curaverit celebrare quinque Missas in Capella Ecclesie sancte Praxedis Romae: quas indulgentias successu temporis alii idem Pontifices confirmarunt.

Longe tamen aliter mortuis, aliter vivis conceduntur indulgentiae ab Ecclesia seu summo Pontifice, ejus capite. Nam cum vivi, quamdiu vivunt, subsint tribunali Ecclesie militantis, seu Pontificis jurisdictioni, & potestas concedendi indulgentias spectet ad clavem jurisdictionis, ut docet D. Thomas in 4. Dist. 20. q. 3. art. 3. & pater ex c. *Quod autem* 4. hoc tit. (licet Hostiensis in c. *Accedentibus* sup. De excess. Pralat. contrarium docere videatur) ideo Pont. potest vivis concedere indulgentias per juridicam absolutionem, seu directo absolvendo illos a poenis debitis, quamvis absolvendo solvat etiam & satisfaciatur pro ipsis ex praedictis thesauro Ecclesie, ut habetur in d. *Extravag. Vnigenitus*. Atque ita non dimittit gratis poenas vivis, pro peccatis debitas; sed dimittit simul solvendo & satisfaciendo pro ipsis.

At vero mortuis, quia non subsunt amplius Ecclesie militantis tribunali, ut satis constat ex illo, *Quodcumque ligaveris* & *solveris* super terram &c. ideo absque juridica absolutione, per nudam hujus Ecclesiastici thesauri applicationem, concedit indulgentias, satisfaciendo scilicet & solvendo pro illis ex isto thesauro Ecclesie ad eum modum, quo vivi mortuis suffragantur Missarum sacrificiis vel precibus oblatis, vel elemosinis datis, vel jeuniis susceptis, vel aliis denique quibuscumque piis operibus, nomine mortuorum factis; vel quo Princeps aliquis solveret pro reo, in alterius Principis potestate constituto, aliquid ex thesauro suae Reipub. quo ipsius debitum exsolveret.

Et hinc patet, qua ratione dici soleat, indulgentias concedi mortuis seu animabus in purgatorio existentibus per modum suffragii, seu compensationis & solutionis, quia scilicet Pontifex satisfactiones Christi & Sanctorum, tanquam quoddam suffragium immediate illis applicat absque ulla absolutione juridica per se in

pena.

## §. XXI.

Quibus competat potestas concedendi indulgentias.

1. Competit summo Pont. Concilio Generali.
2. 3. Episcopo, Archiepiscopo Legato summi Pont.
4. Et conceduntur subditis tantum.

1. Competit primò summo Pontifici, tamquam Christi Vicario, & vocato in plenitudinem potestatis, d. *Extravag. Vnigenitus*, can. *Quodcumque* xxiv. q. 1.

Secundò, Concilio Generali, tanquam representanti Ecclesiam. Eaue potestate uti est synodus Basiliensis.

2. Tertiò, Jure communi & ordinario competit Episcopus in suis dioecibus, c. *Quod autem* 4. h. t. Archiepiscopus item in suis provinciis, modo tamen statutum Concilii Generalis non excedant, c. *Nostro postula* si penult. h. t. id est modò in dedicatione basilicæ ultra annum, & in anniversario dedicationis ultra quadraginta dies non concedant indulgentias, c. *Cum ex eo* 14. h. t. Alioquin si exceleserint, eas in validas decernit Bonifac. VIII. can. *fin. h. t. in 6.* Quod intellige quoad partem, quam dare non possunt, nam quoad eam, quam dare possunt, semper sunt validæ, Glos. in c. *Indulgentia* h. t. in 6. & in d. c. *Cum ex eo*: quia utile per inutile non vitiatur, c. *Vile* De R. l. in 6.

3. Quartò, Legatus summi Pontificis potest speciales & certas concedere in provincia sibi decretæ, Glos. in d. c. *penult. h. t.* Abbatibus vero, aliisque Prælatibus inferioribus, non competit hæc potestas, nisi speciali pri vilegio vel legitima consuetudine fuerint valati, c. *Accedentibus* sup. De excess. Pralat. Glos. in d. c. *penult.*

4. Ceterum quia concedere indulgentias est jurisdictionis, non vero ordinis, ut dictum est, ideo Pont. mox atque electus est, etiam non sacerdos, concedere eas potest, & similiter Episcopus, mox atque electus est, & confirmatus à Papa, licet nondum sit consecratus vel sacerdos. Ex eadem causa suis tantum subiectis quis eas concedere potest, d. c. *Quod autem* non tamen in vitis: quia licet alias aetus jurisdictionis exerceri in invitum possit, non tamen tunc, quando in suscipiente requirit aliquam dispositionem, ut patet in Sacramento Eucharistie. Alia est ratio de absolutione ab excommunicatione.

## §. XXII.



## §. XXII.

## De effectu indulgentiarum.

1. Per indulgentias datur remissio pœnæ non culpæ.
2. Concedi indulgentias sub triplici forma.

Effectus Indulgentiarum non est remissio mortalis culpæ, nec etiam pœnæ æternæ, quia hic effectus est proprius Sacramentorum, Baptismi & Pœnitentiæ; nec indulgentiæ dantur secundum jura, nisi contritis & confessis, c. 1. h. tit. in *Extravag. Clement. unica circa finem De reliquiis & venerat Sancti*. saltem in voto *Gloss. in d. 1. ad V. consuevitur*. Adde ut, si quando in formula concessionis significetur dari consequentibus indulgentias remissionem peccatorum quoad culpam & pœnam id intelligi debet, ut diversis respectibus, quod scilicet datur remissio culpæ per contritionem & confessionem, à Deo scilicet, qui tamquam causa principalis culpam remittit, juxta illud *Esaiæ, Ego solus deleo iniquitates tuas per memetipsum*: pœnæ autem per indulgentias, non quidem ejuslibet, sed temporalis, quatenus in formula tuerit expressum, juxta id, quod dici solet, indulgentias tantum valere, quantum sonant, supposita scilicet iusta causa & sufficienti dispositione in recipiente, ut patet ex d. *Extravag. Viginti*: ubi definitur, Pontificem posse virtute thesauri Ecclesiæ aut æqualem aut partialem pœnam pro peccatis debitorum remittere. Ideoque diligenter inspicere semper debet tenor formulæ seu litterarum quibus conceduntur.

2. Solent autem concedi sub triplici forma: primò, per dies vel annos: Secundo, per dimidiam, tertiam, quartam, aut quintam partem remissionis peccatorum: tertio, sub forma plenariæ, plenioris & plenissimæ, c. *Extravag. 1. hoc tit.* Et tum datur remissio totius pœnæ debitorum, quia hodie non est distinctio inter plenam, plenariam, plenariorem, & plenissimam indulgentiam: sicut nec ulla est differentia quoad relaxationem inter jubilæum & plenariam indulgentiam, licet in Jubilæo soleat dari facultas absolventi à votis, casibus reservatis, eligendi Confessarium &c. quæ facultas non datur per quancunque plenariam indulgentiam.

Si igitur in litteris dicatur, *Concedimus in-*

*dulgentias viginti annorum aut dierum, De pœnia injunctis*, intelligitur de injunctis tantum, nisi Pontifex aliud declararet. Si verò in forma non fiat restrictio ad injunctas à Confessario, tum intelliguntur dari tam de injunctis, quam quæ rationabiliter injungi possent, & de pœnis purgatorii illis correspondentibus, juxta communem doctrinam: quia ubi neque jus neque ratio restringit, nec nos restringere debemus, *Gloss. in can. Consulisti 2. q. 5. per varia jura qua ibid. allegat.* Et ridiculum esset dari indulgentias centum & centum annorum si solum intelligerentur de injunctis, quandoquidem nemini unquam injungatur tot annorum pœnitentia.

Concedere autem indulgentias unius anni aut unius diei est remittere tantam pœnam purgatorii, quæ est maxima, ut inquit August. in *can. Nullus De pœnis. Dist. 7.* quanta remitteretur per pœnam uno anno vel uno die factam Innoc. in c. *Qui autem b. 1.* Ideoque quando datur indulgentia centum annorum aut dierum absolute hæc restrictio ad injunctas vel injungendas, quamvis nonnulli per centum annos aut dies intelligant tot annos aut dies purgatorii, probabilius tamen videtur intelligi centum annos aut dies, quibus aliquis in hac vita, juxta Canones pœnitentiales pœnitere deberet, si tamdiu viveret, & per consequens tantum remitti de pœna purgatorii, quantum huic pœnitentiæ canonice respondet: quia iste modus dandi indulgentias ortum habet ex antiquo usu dandi indulgentias de injunctis, proindeque ita semper videtur intelligendum, licet non exprimat. Et ex his patet, quid sit concedere indulgentiam dimidiæ vel tertiæ partis peccatorum.

## §. XXIII.

## De causa indulgentiarum.

1. Causa debet esse iusta & rationabilis.
2. Causa requiritur non æquivalens, sed sufficiens.
3. Eaque spectatur tum ex opere, tum ex parte finis intenti.

1. **A**D validitatem indulgentiarum non sufficit potestas concedentis, sed & iusta ac



ac rationabilis requiritur causa, quia, ut antè diximus, ex d. *Extravag. Unigenitus* Pont. non dominus sed fidelis dispensator thesauri Ecclesie est constitutus, ac proinde non nisi ex iusta & rationabili causa indulgentias concedere debet: alioquin non dispensaret, quam dissiparet. Hinc in c. *Cum ex eo h.* indulgentia indiscretè damnanatur, & concessa sine causa ulla sunt nullæ. Accedit, quòd, cum reatus pœnæ post culpæ remissionem relictus sit, iure divino Deo debitus, non possit summus Pontifex sine iusta causa quemquam eximere ab obligatione Juris divini, ut patet in injusta dispensatione à voto & iuramento, quæ ideo etiam est nulla.

Aliud dicendum de iis, quæ à mero iure humano dependent, uti absolvere à censuris & casibus reservatis, eligere confessarium, aliisque similibus, quæ absque iusta causa concessa subsistunt; licet taliter concedens peccet.

Et hinc fit, quòd licet indulgentia sine iusta causa non valeat ad tollendam obligationem pœnæ Deo debitæ, valeat tamen ad tollendam obligationem peragendi pœnitentiam ex præcepto Confessarii iunctam, quia hæc est solum juris humani, super quo summus Pont. dispensare potest.

2. Non tamen requiritur causa æquivalens, quia sic indulgentia non esset remissio aut absolutio, sed commutatio: Ideoque sufficit, ut sit sufficiens. Et hæc sufficiens commensuranda est secundum quantitatem indulgentiarum ut scilicet major indulgentia majori causa indigeat, d. cap. *Cum ex eo*, & *Extravag. Unigenitus*. Aded, ut, si causa indulgentiarum non sit omnino, sed tantum ex parte sufficiens, tum indulgentiæ valeant, secundum proportionem causæ, & non quoad partem, quæ causam excedit. Vide Navar. in *Comment. De indulgentiis Notab.* 15. Ratio vero est, quia sicut indulgentia sine ulla causa concessa tota est nulla, ut diximus, ita concessa ob causam non sufficientem non ex toto sed ex parte, erit nulla quoad partem, quæ causæ non correspondet, sed eam excedit; quia ut se habet totum ad totum; ita pars ad partem, l. *Qua De tota D. De rei vindicatione*.

3. Hinc sequitur non semper tantum valere indulgentias, quantum sonant, sed secundum

proportionem causæ. Spectatur autem causa indulgentiarum ex duplici capite: primò ex opere, quod Pont. requirit pro indulgentia, quale est jejunium, oratio, elemosina: secundò, ex parte finis intenti, qui debet esse bonum commune Ecclesie, veluti favor fidei, conservatio religionis, ejusdemque augmentatio, conversio infidelium; & quando finis est excellentior & magis necessarius Ecclesie, tantò cæteris paribus major potest dari indulgentia, licet opus, ob quod datur, sit leve, quia sufficit esse proportionatum ad finem consequendum. Hoc modo subinde vel solum reverentiam exhibendi alicui imagini datur magna indulgentia.

#### §. XXIV.

De requisitis ex parte volentium acquirere indulgentias.

1. 2. *Debent esse membra Ecclesie, contriti & confessi.*

3. *Opera præscripta per se adimplere,*

4. *Esse in statu gratiæ & absque peccato mortali,*

1. In primis debent esse membra Ecclesie, quia talis Ecclesia suos thesauros non distribuit, can. *Nihil sic debet* 1. q. 3. can. *Si quis Catholica* xxiii. q. 4. & cum deitur ex potestate clavium, quæ Baptismum præsupponit, videtur catechumenum non esse earum participem antè susceptionem Baptismi.

2. Secundo, debent esse contriti & confessi, cap. 1. h. t. in *Extravag. Clement. unica* circa finem *De reliquiis & venerat. Sanctorum*. Ideoque semper in Bullis dicitur, *verè pœnitentibus & confessis*. Sufficit tamen confessio antea facta, si modo quis in statu gratiæ perseveraverit usque ad tempus indulgentiarum, Turrecrem. in §. in *Levitic. 10. n. 8 sub can. Mensuram De pœnit. Dist. 1.*

3. Tertiò, subire debent, & quidem per se, nisi aliud exprimator, illa opera, quæ pro indulgentiarum consecutione præscribuntur: alioquin partem eorum tantum adimplens, neque totam indulgentiam, neque partem acquirat: quia neque relictum nempe pars relicta sub conditione, quaeritur, si pars dumtaxat, non etiam tota conditio impleatur, l. *Cuiusmodi D. De condit. & demonstrat.* Est autem confessio



cessio indulgentiarum conditionata.

Quarto, debent eo tempore, quo promerenda sunt indulgentia esse in gratia & absque peccato mortali: quia membrum mortuum; cuiusmodi est existens in peccato mortali, nullum potest viventis corporis suscipere influxum. Et ideo quando idem est tempus operis & acquisitionis, necessarium est, ut opus fiat quoque in gratia. Navar. in d. Comment. De Indulg. notab. 19. Alioquin juxta communem de Frinam. adimpletio operis in peccato mortali non impedit indulgentiarum acquisitionem, quando diversum est utriusque tempus. Ratio est, quod non sit necesse, ut opus ipsum sit meritum remissionis seu indulgentiarum; verum sufficit, quod sit actio moraliter bona & utilis ad placandum Deum, & avertenda flagella temporalia. Navar. d. lxxv. Alias actionibus malis nemo consequitur indulgentias, juxta communem. Optimum tamē & securius est, perficere ipsum opus in gratia, quia sic non solum est satisfactorium, sed & meritum.

Dum autem quis acquirit alteri indulgentias, non est opus ipsum esse in gratia, modo is sit, cui acquiritur, juxta Navar. quia indulgentia non nititur ullo opere, quod facit peccator, sed thesauro Ecclesiae, per Pontificem distributo, hujus autem distributionis est capax, quisquis est in gratia & indiget satisfactione.

Peccatum verò veniale non impedit fructum indulgentiarum, nisi vitiet ipsum praescriptum. Quod addo, quia tunc tale opus, v. g. jejunium vel elemosyna facta ex vana gloria displicet Deo, meliusque esse abesse quam adesse.

Similiter nequit quis consequi indulgentiam plenariam, quamdiu manet in affectu peccati venialis: quia quamdiu manet talis tamdiu manet culpa & reatus poenae qui culpam necessitati comitatur. Potest tamen consequi indulgentiam pro remissione poenae debita pro aliis peccatis remissis. Quando igitur in formula praescribitur confessio, communiter intelligitur de his, qui peccatum habent mortale, ut scilicet per confessionem disponant se ad gratiam, fiantque capaces indulgentiarum: alioquin ad earum capacitatem sufficit quem esse in gratia, quod potest fieri

per contritionem cum proposito confitendi. Aliud dicendum esset si Pont. requireret confessionem tamquam conditionem sine qua non.

## §. XXV.

Quoties quis possit consequi indulgentias, & quamdiu durent.

1. Indeterminatè concessa, semper lucrari licet.
2. Ad opus limitatum semel tantum.
3. Ad certum tempus, expirant lapsa tempore.

1. Quando conceduntur indeterminatè, vel quoties quoties, semper illas consequitur. qui facit opus praescriptum, modo iteratio non cedat in contemptum, & derivum indulgentiarum, juxta Navar. d. loco Notab. 15. & 31.

2. Quando autem conceduntur ad opus limitatum, à primis scilicet vespere usque ad secundas, vel usque ad noctem, semel tantum potest eas consequi. Navar. d. Notab. 31. cum aliis, quos citat. An vero multas indulgentias, à diversis Pontificibus concessas, possit quis simul uno actu lucrari (vel utri uno sacro tot animas è purgatorio liberare, quot habet grana benedicta) non satis convenit. Tutius videtur, ut quando aliud Pont. non exprimit, pro diversis indulgentiis multiplicentur actus, quia non videtur credendum Pontificis aliam fuisse vel esse mentem.

Notandum hic, quòd sic ex aulario publico non debet succurri iis, qui cum possint de suo x̄s alienum solvere, nolunt, quia hoc pacto daretur materia delicti & negligentiae. Ex parte sup. De consuet. l. Conveniri d. De pact. dotal. ita neque ex thesauro Ecclesiae, debeat solvi pro negligentibus, qui nihil aut parum curent operibus poenalibus satisfacere, & poenam purgatorii redimere; quibus proinde nihil profuit indulgentiae. Similiter non potest quis sibi thesaurizare indulgentias, quae ipsi praesint pro futuris poenis, quia solutio non fit ante debitum contractum, sed illud supponit. Ideoque si quis non indigeat aliqua indulgentia, quam alias lucraretur, illa remanet in thesauro Ecclesiae.

3. Quod si vero indulgentiae non habeant tempus determinatum non expirant morte concedentis, sed demum per revocationem ab eo, qui potest revocare, aut per inter-



tum loci aut rei, cui sunt concessæ. Vide Navar. in d. *Comment. Notab.* 31. determinatæ autem ad certum tempus expirant elapsi tempore.

## §. XXVI.

## De Jubilæo.

1. 2. Ratio nominis & collatio cum jubilæo veteris legis.
3. Primo celebratum fuit jubilæum centesimo .  
deinde quinquagesimo, hodie vigesimo  
quinto anno.
4. Effectus jubilæi.

1. **N**omen Jubilæi derivant quidem à Jubilō sive Jubilando, quod significat lætitiā immentā, quæ verbis nequit exprimi, sed voce & tripudio manifestatur. Festus Pompeius *Jubilare*, inquit, *est rustica voce inclamare, sicut lo, lo*. Alii aliunde deducunt. Propriè verò dici videtur à *Iobel*, quod Hebræicè *Buccinam* significat: & inde annus quinquagesimus in veteri Lege annus Jubilæus appellatus est, quia eo anno personabant buccinæ, ut constat ex Josue 6, v. 4. *Septem autem Sacerdotes tollent septem buccinas, quarum usus est in jubilæo: & Levit. 25. Numerabisque tibi septem hebdomadas annorum, & clanges buccina mense septimo: erit autem hic sollemnis*. Eoque multa fiebant, ut constat ex d. *Levit. 25. & Num. 6. penult.*

Inde vero translata est vox illa ad significandum apud Catholicos illum annum, quo dantur plenissimæ peccatorum remissiones & indulgentiæ, concessâ potestate cuilibet Sacerdoti ad hoc selecto absolvendi à quibuscunque peccatis, quantumvis enormibus, ut vel ad Episcopum vel ad Pontificem recurrere non sit opus; idque ex similitudine quadam. Nam ut in illo anno Jubilæo veteris Legis debita temporalia, ita in hoc spiritualia condonantur: ut in illo libertas temporalis; ita in hoc spiritualis restituitur: ut in illo possessiones terrenæ alienatæ recuperabantur, ita in hoc nostræ virtutes & merita per peccata deperdita dimissa culpâ restaurantur: ut in illo exules in patriam redibant, ita in nostro exules à patria cœlesti ad eandem reducuntur: ut in illo denique, secundum aliquos, in carcerem conjecti solvebantur, ita in nostro ligati

vinculis & funibus peccatorum relaxantur & solvuntur. Videatur Turcetem in §. item in *Levit. ad 8. in fin sub. can. Mensuram De pœnit. dist. 1.*

3. Constituit autem Bonifacius VIII. anno Christi 1300. in c. *hoc tit. in extravag. commun.* ut hic annus Jubilæus centesimo quoque anno celebraretur: Quamquam Bonifacium hunc non primum fuisse Jubilæi centenarii auctorem probabile sit, idque se ex ore ipsius Bonifacii audivisse scribat Joan. Picardus, cognomento Monachi, ad d. c. 1. Postmodum verò an, 1350. Clemens VI Jubilæum reduxit ad annum quinquagesimum, *Extravag. Unigenitum h. 1. actandem an. 1445. Sixtus IV. secutus Pauli II. decretum ad annum xxv. contraxit, cap. 4. hoc. tit. in Extravag. commun.* Atamen præter hæc statuta Jubilæi seu indulgentiarum generalium tempora, solent Pontifices frequenter, Ecclesiæ necessitate ita postulante vel pro pace inter Christianos Principes firmanda, Indulgentias plenissimas concedere.

4. Quando igitur maximæ indulgentiæ in Ecclesiâ conceduntur, id fit per modum Jubilæi: & dum in eo datur facultas eligendi Confessarium, per quem quis possit absolvi à censuris, potest ea facultate uti, qui omnino habet animum consequendi indulgentias, & faciendi opus præscriptum, licet postmodum ob impedimentum aliquod, vel ex negligentia præscriptum opus omiserit. Ideoque si quis incœperit jejunaire feria quartâ, cum bona fide præstandi reliqua, & interim confiteatur, atque à censuris absolvatur, non per hoc in censuras relabatur, quod reliqua jejunia & opera, in Jubilæo præscripta, nisi Pontifex aliud expresserit, juxta communem sententiam, de Graphiis *decis. aur. p. 1. c. 15. n. 37*. Imo quando oppositum non exprimitur, potest quis ex vi ejusmodi facultatis ratione Jubilæi toties absolvi à casibus reservatis, quoties in eos relabatur priusquam durante adhuc Jubilæo indulgentiam sit consecutus, quia hæc videtur esse mens Pontificis. Videatur Navar. in d. *Comment. notab. 3. n. 4.* quique plura de Indulgentiis & Jubilæo desiderat, videat eundem Navar. d. loco Turcetem, De Graphiis, *locus cit.* Joan. Francif. de Pavinis In *Glof. ad d. Extravag. Unigenitum Rutil. Benzozum, Trad.*

De Jubilæo.

TITO



## TITULUS XXXIX.

## De sententia excommunicationis.

## §. I.

Quid sit excommunicatio: & species Censuræ Ecclesiasticæ.

1. Ratio ordinis & inscriptionis Tit.
2. Censura Ecclesiastica qua dicatur.
3. Species illius sunt Excommunicatio, Suspendio, & Interdictum.
4. 5. Excommunicatio unde dicta, ejusque definitio.

Post tractatum de pœnis, quæ in foro tam contentioso quam spiritali seu pœnitentiali infligi solent, subiiciendum est aliquid de quadam speciali, qua coercetur ii, qui adversus prædictas pœnas rebelles ac refractarii existunt, nempe de Excommunicatione: hæc enim rebellium & contumacium pœna idcirco vocatur, *can. Nullus, can. Ceterum xi q. 3.* præsertim cum ab hominem infligitur: nam dum infligitur à Jure, infligitur ratione delicti, secundum Abbatem in *Rubr. hostie*. Estque pœnam omnium gravissima.

1. Inscribitur autem hic Tit. De sententia excommunicationis, non quod excommunicatio sit propriè sententia: cum nec definitiva sit, quandoquidem causam non definit, quippe cum petenti absolutionem nunquam denegetur audientia, *c. Ex parte inf. De verb. signif.* Nec etiam interlocutoria, cum hæc dicatur, quæ profertur à Judice inter principium & finem causæ, ut notatur in *Clement. De sequestrat. poss.* &c. excommunicatio autem quandoque feratur extra judicium, ut in *c. Dilecto h. tit. in 6.* Verum sic inscribitur, quia excommunicatio sæpius per sententiam contra rebelles & contumaces profertur & exercetur. An verò sententia ista magis accedat ad interlocutoriam, quam ad definitivam tam in interponenda appellatione, quam in aliis notatur in *cap. Per tuas & h. tit. c. Venerabilibus ad in 6.*

2. Quia verò excommunicatio, est species censuræ Ecclesiasticæ, ideo aliquid de ea pro clariori intelligentia præmittendum est. Censura igitur latine propriè est idem, quod Censoris (cujus erat de moribus civium indagare & indignos ab honoribus repellere) dignitas: indeque derivata vox est ad significandam severam aliquam correctionem vel potiùs multam, quæ loco pœnæ imponitur. Prout verò est in usu Ecclesiæ, & à Canonibus usurpatur, definitur potest pœna spiritalis & medicinalis, privans primario usu aliquarum actionum spiritalium per Ecclesiasticam potestatem: ita imposita, ut per eandem ordinariè absolvi possit, ita Suarez. De Censura Dissutat. 1. n. 5.

Genus definiti est pœna spiritalis, quia omnis censura Ecclesiastica est pœna spiritalis, non e contra nam irregularitas sæpè est gravis pœna & spiritalis, non tamen est censura, sed inhabilitas quædam.

Dixi, Primario usu &c. quia privat etiam usu actionum corporalium, si ve externarum actionum, ut communicatione humana, honore, salutatione, sed in ordine ad spiritalia. Nec privat hominem spiritalibus habitualibus, seu permanentibus, & internis, ut sunt character, gratia habitualis, virtutes infusæ, ideoque non privat potestate Ordinis.

Dixi, Ita imposita, ut per eandem &c. quia ex institutione sua est vinculum quoddam dissolubile: quandoquidem ab Ecclesiâ instituta sit, non solum, ut sit pœna, sed etiam, ut sit medicina seu resipiscere hominem faciat, *can. Corripiantur xxiv quæst. 3.* nam id non præstaret, si esset perpetua & absque spe remissionis.

3. Censuræ Ecclesiasticæ ex institutione Ecclesiæ tres sunt species, Excommunicatio, Suspendio, & Interdictum, *cap. Quaranti inf. De verb. signif.* Ratio est, quia illæ tres sufficiunt ad effectum seu finem censurarum, qui est inobedientes & contumaces aut corripere, aut si duriores sint, ab Ecclesiâ præscindere.

Excommunicatio idem sonat, quod extra communionem ejectio, & græce Anathema dicitur: licet hæc vox interdum etiam in bonam partem sumatur, & interdum, pro solemnī excommunicatione.



Excommunicatio, in genere est censura Ecclesiastica separans hominem à communione. Per genus definiti excluditur irregularitas, quia non est propriè censura, ne quidem illa, quæ ex delicto contrahitur, sed inhabilitas quædam, persequentem partem excluditur suspensio & interdictum. Nam suspensio solum separat ab usu officii vel beneficii, vel utriusque, non etiam à communione Sacramentorum vel convictu fidelium. Interdictum verò separat dumtaxat à divinis officiis, sacris, & sepultura Ecclesiastica, non autem à fidelium communione, in quo differt ab excommunicatione majori.

## §. II.

## Quotuplex sit Excommunicatio.

1. Dividitur Excommunicatio in Majorem & Minorem.
  2. Item in eam, quæ est à jure & quæ ab Homine.
  3. Et hæc non nisi trina monitione prævia fieri potest.
  4. Item alia est lata sententia alia ferenda.
  5. Majori excommunicatione qui notentur.
  6. De monitoriis ad finem revelationis, ut vocant.
  7. Præterea Excommunicatio alia est iusta, alia iniusta.
1. Variis modis dividi potest; ac primò in Majorem & Minorem. Major est censura Ecclesiastica, privans hominem communione, tam activâ, quàm passivâ Sacramentorum, & hominum, colligitur ex cap. 8. 9. & penult. h. tit. Hostiens. in Summa h. tit. num. 1. Et hæc est excommunicatio simpliciter dicta altera secundum quid. Ideoque intelligitur major, dum excommunicatio simpliciter sine expressione majoris vel minoris à Judice fertur d. cap. penult. licet alias dispositiones pœnales in dubio intelligantur & præsumantur de minori pœna, cap. in penis De R. L. in 6.
- Excommunicatio minor est, quæ tantum separat à perceptione passivâ Sacramentorum, d. e. penult. Et ideo minori excommunicationi implicitus potest exercere ea, quæ sunt

jurisdictionis, & eligere, non tamen eligi, cap. ult. sup. De Clerico excommunicato ministrante. Et hæc licet olim soleret ab homine & à jure inferri pro omni sacrilegio, ut patet ex eam. Minor xvii. q. 4. tamen nunc solum incurrit eam scienter participans cum irerito majori excommunicatione, cap. Cum desideres 15. versic. quia quicumque excommunicato h. tit. in humanis scilicet rebus, & extra crimen, ob quod est excommunicatus. Nam qui in divinis cum eodem communicat, veluti, percipiendo ab eo Sacramenta vel eodem cum illo ritu orando, aut alia divina officia exercendo, aut in eodem crimine, incurrit etiam majorem excommunicationem, c. Significat & alia h. t.

Dixi, scienter, quia ignorantia non improbabilis excusat, eam. Quoniam xi. q. 3. Excusantur etiam uxores, liberi, servi, ancillæ, seu mancipia, nec non rustici servientes, & quotquot ex officio tenentur excommunicato adesse, nec adeo curiales sunt ut eorum consilio scelera perpetrentur, d. eam. Quoniam: item peregrini propter necessitatem; & qui humanitatis intuitu aliquid dant excommunicatis, d. eam. Quoniam. Insuper creditor debitoris excommunicati, cap. Si vero 34. h. t. Præterea qui cum excommunicato in his, quæ ad absolutionem vel ad salutem animæ pertinent, in sermone participat, cap. Responsio 43. c. Cum voluntate 54. Hinc versus ille Glos. in d. c. Cum desideres.

Hæc Anathema quidem solvunt ne possit obesse, Utile, lex, humile, res ignorata necesse.

Notandum verò hic post Conc. Constantien. se nos teneri ad vitanda solum duo genera excommunicatorum, nempe nominatum excommunicatorum & denuntiatorum: item, eorum, qui sunt notorii Clericorum percussores. Quod & Leo X. ordinavit in Concil. Lateran. cujus ordinationem refert Pialec. 2. p. cap. 4. art. 13 num. 10. ita ut alii notorii, etiam si evidenter constet fuisse excommunicatos, sive à jure sive ab homine, vitandi non sint, antequam fuerint denuntiati, Covar. in cap. Almamater §. 7. Gutierrez lib. 1. Cap. Quasi. cap. 1. Navar. in Manuali c. 27 num. 35. Eoque magis obtinet, quod Conc. Basileense solos Clerici percussores notorios decreverit esse vitandos Pias. d. loco. ubi refert ejusdem Concilii decretum, Ipse tamen excommunicati non minus tenentur



mentur alios vitare, post dictum Concilium, quam antè, quia expresse, significat per suum decretum nullo modo se revelare excommunicatos ipsos, sed solum in favorem aliorum id e. d. disse. Sunt autem hi excommunicati vitandi in his, quæ continentur hoc versu:

*Os, orare, vale, communicio, mensa, negatur.*

Per Os, prohibetur amplexus, collocutio, salutatio verbis vel litteris, Per Orare, vetatur, ne pro illis oremus publice, & tanquam ministri Ecclesiæ, neve coram ipsis divina officia celebremus, vel cum ipsis intersumus sacris. Per Vale, prohibentur omnes salutationes, & refutationes, siue fiant verbo, siue scripto, siue nutu, siue alio signo. Per communionem, interdicitur omnis communicatio, tam in divinis, quam in humanis, modo antè dicto. Per Mensam, interdicitur simul comedere in eadem mensa, vel simul dormire in eodem lecto; non autem in diversa mensa, modò idem non sit convivium.

Secundò, excommunicationum alia est à Jure, alia ab homine. A Jure est, quæ infligitur ab ipso Jure Pontificio vel Synodo siue generali, siue particulari. Et hæc semper durat, seu est perpetua: ferturque propter futuram delictum, & quidem non nisi ob mortale, *can. Nemo x. quæst. 3.* nullaque requiritur præcedens monitio, sed ipse canon est & facit pro monitione, Innoc. in cap. *Sacro 48. hoc tit.* Ab homine est, quæ per mandatum aut sententiam hominis infertur. Et hæc mortuo, siue naturaliter siue civiliter, aut deposito iudice, qui eam tulit, expirat, *Glossa in cap. A nobis 28. in V. non nisi, & ibi Abbas & DD.* quantum scilicet adeos, qui illam ante mortem vel depositionem ejus non incurrerunt: alioqui manet eà excommunicatione ligatus, qui illam antè contraxit.

Insuper hæc non nisi tria monitione præmissa ferri potest, *d. c. Sacro, c. Statuimus, c. constitutionem h. tit. in 6.* Nec sufficit una monitio pro tribus, nisi in una ponantur tria interstitia, primum pro prima; secundum pro secunda, & tertium pro tertia: & quidem ad minus sex dierum, pro quolibet interstitio, prout in praxi quotidiana servari testatur *Pias 2. c. 4. a. 13. num. 8.* Ubi subjungit, quod etiam in ferenda sententia declaratoria excommunicationis, requiratur præcedens monitio, & aliàs

esse nullam, ex Felino in *c. Rudolphus n. 41. sup. De rescriptis.* Monitionem istam oportet esse personalem, nisi reus vel malitiosè latitet, prout de Clerico non residente præsumitur, vel impediatur, quo minus moneri possit aut non deuratus ad eum accessus. Quibus tamen casibus non sufficit constare Judici de aliqua harum causarum privatim: verum ex actis hoc constare debet: ita ut nuntius legalis omnem adhibeat diligentiam pro inveniendâ persona, faciatque relationem ad acta, non potuisse se invenire: tuncque cum attestazione duorum testium denuò citet in loco solito habitationis, *arg. d. c. Sacro, Maranta 6. p. De cit. n. 126.* Alias Judex, excommunicans aliquem, non præmissis monitionibus, punitur, & ipso facto incurrit suspensionem ab ingressu Ecclesiæ per mensem, *d. c. Sacro* nisi periculum esset in mora vel nisi excommunicaret in defensionem proprii Juris, ut si turbetur in sua jurisdictione *c. Dilecto eod. in 6. Pias d. loco.* Ubi nihilominus existimat, excommunicationem laram sine monitione, vel non servato Juris ordine, tenere excepta excommunicatione majore lata contra communicantes cum excommunicatis, quæ est omnino nulla, si non fuerit præmissa monitio.

4. Tertiò, alia est lata sententiæ, alia ferendæ. Excommunicatio lata sententiæ dicitur, quæ ipso facto incurritur, ante denuntiationem aut sententiam Judicis. Et hæc nunquam incurritur, siue à jure, siue ab homine, nisi verbo exprimat: cujusmodi verbum est Ipso facto: vel, ipso jure sit excommunicatus, Excommunicamus; vel aliud æquivalens, veluti, Sub pœna excommunicationis lata sententiæ. Ita si dicat Judex: nisi infra decem dies paruerit, excommunico, eo lapsa termino tenetur reus abstinere à participatione cum fidelibus, nisi excusetur juris vel facti ignorantia probabili.

5. Majori excommunicatione involvuntur ipso facto hæretici, eorumque fautores, receptatores, falsarii litterarum Apostolicarum: Simoniaci: Item effractores & spoliatores Ecclesiarum, *c. Conquassati 22. hoc tit. incendiarii c. Tuos 19. iniicientes manus violentas in Clericum, etiam consentientem, c. Contingit 36 h. t. aut iniici mandantes vel iniicientem non impediētes, cum impedire & prohibere possunt, cap.*

Xxx 3

Quanta



*Quanta* 47. *h. t.* & alii plures de quibus Hostien. in *Summa* h. t. §. 3. Navar. in *Manuali* c. 27. n. 49. & seqq. & quia postremo casu nulla requiritur Judicis sententia, quæ reus pronuntietur excommunicatus, *can. si quis suadente* xvii. q. 4. Ideo vocatur Canon lata sententia, *d. can. si quis suadente*, c. *Cum non ab homine* 14. h. t. Eoque tenentur etiam, qui in Monachum vel Religiosum, etiam non Clericum, & Conversum manus violentas iniecerint, c. *Non dubium* 3. & alii h. t. quia hoc privilegium est commune omnium personarum Ecclesiasticarum, id est omnium, quæ se divino cultui manciparunt, *can. Quisquis* xvii. q. 4. Ab hoc tamen *can. si quis suadente*, seu excommunicatione ab eo lata, excipiuntur plures casus, quos videre licet in c. *si vero* §. *si vero*, c. *Perpendimus*, c. *In audientia*, c. *Cum voluntate*, c. *Veniens*, c. *Ut fama tua* & alii h. t.

Excommunicatio sententiæ ferendæ est, quæ non incurritur ipso facto, sed per sententiam Judicis Ecclesiastici. Talis continetur his formulis, Excommunicetur, Sub pœna excommunicationis.

Quia verò nulla pœna in Ecclesia est major excommunicatione, *can. Corripiantur* iv. q. 3. ex quo privat hominem non solum participatione in divinis, sed & humanis cum fidelibus, Hostien. in *Summa* h. t. n. 1. Ideo Prælati non possunt quemquam suorum subditorum excommunicare, nisi subsistente justa causa, exprimenda in ipsa sententia, & propter contumaciam tripla monitione præmissa, *d. c. Contingit in verbis*, si tertio à te commoniti, *d. cap. Sacro*; & non solum verbo, sed in scriptis, ejusque copia dando reo, si petat. Alioquin Judex contraveniens suspenditur ipso jure per mensem à divinis officiis & ingressu Ecclesiæ, *cap. 1. h. t. in 6.* Hanc tamen suspensionem non incurrit Episcopus cum in *d. c. 1.* non fiat ejus specialis mentio, *arg. c. Quia periculosum* eod. in 6.

Cæterum hæc in re revocanda quoque in memoriam est Conc. Trid. moderatio, *sess. 25. cap. De reformat.* qua Judex Ecclesiasticus in causis civilibus & criminalibus prohibetur uti excommunicatione, nisi in subsidium, quando scilicet executio realis vel personalis haberi non potest. Sed neque punire debet pœnâ excommunicationis in contractu etiam sponte apposita, aut declarare excommunicatum con-

tractui contravenientem, prout ordinavit Pius V. cujus ordinationem refert Pias. *d. c. 4. art. 13. n. 12.*

6. Videndum etiam juxta decretum dicti Conc. loco citato, ne monitoria illa, quorum supra meminimus ad Tit. D. *furti*, quæ ad finem revelationis, ut vocant rerum deperditarum aut subtractarum concedi solent, ab alio, quam ab Episcopo decernantur (vel ejus Vicario generali, si hanc illi facultatem Episcopus expressim concesserit, ut sæpius respondisse Sac. Congreg. post Genues. testatur Pias. *d. loco n. 4.*) & non nisi pro re gravi, judicando & determinanda arbitrio Episcopi, per pensis maturè omnibus circumstantiis, loci, temporis, paupertate petentis, prout latius deducit D. Matthea *De luv. dist. p. 3. c. 4.* Gutierrez *lib. 1. Can. quæst. cap. 11.* Nam posset dici summa viginti vel triginta ducatorum sufficiens ad concedenda monitoria personæ pauperi, quæ tamen in persona divite pro levi reputari posset. Et quidem Curia Romana servat ut non concedantur monitoria, nisi pro summa ad minus quinquaginta ducatorum, ut refert Matthea *d. loco n. 23.* Pias post Zerolam & Genuesem *d. loco*. Circumstantia quoque temporalis efficere potest, ut hodie negentur, quæ alias concedentur. Zyp. *h. t. n. 1.* Ubi addit Pium V. 27. Julii 1570. præscripsisse formam quo concedendis monitoriis, quam refert Pias, *d. loco* & speciatim, ut non in genere sed in specie subtracta designentur, Zerola *p. 2. V. Excommunicatio* §. 1. nec concedantur, nisi ei cujus interest, nec quando aliter haberi veritas potest, Zyp. & Pias, *d. locis*. Quando vero ex urbe hujusmodi rescriptum impetratur, publicandum est verbo tenus, sine alteratione sensus aut sermonis; alioqui excommunicatio esset nulla, præterquam, quod pro idiotis in vernaculam linguam transferri, & ita publicari possit, ut rescriptum Sac. Congregat. post Genues. testatur Zyp. *d. l.*

7. Denique quo pacto formari debeant monitoria, & quibus casibus excusetur quis à restitutione eorum, quæ deperdita vel subtracta sunt, vel etiam à revelatione, Vide Pias. *dist. loco*.

Quartò, dividitur Excommunicatio in Justam, id est legitimè laram, quam scilicet fecerit, qui potest, propter quod & quomodo debet; & injustam, id est illegitimè laram, qualis est



etiam, quam fertis, qui non potest, vel fert aliter vel ob aliud, quam debet. Injusta est duplex: alia injusta valida, qualis est ea, quam Judex legitimus in eum, qui meretur excommunicari, sed ex odio, aut non inscriptis, nec post triam monitionem, vel alijs similibus modis fert. Nam ut alia sententia, licet sint injusta, regulariter valeant quoad forum exterius, & earum virtute in reum tanta est executio, quanta iustarum. *Cum inter sup. De sent. & rejudicata l. in re iud. ff. De R. l. ita & excommunicatio injusta in valida esse potest, & ideo dicitur Juris textus, excommunicationem injustam semper esse timendam.* Alia est injusta nulla, & irrita: & hæc nullo modo timenda est, ut si quis excommunicetur exemptum, vel suæ jurisdictioni non subditum, *e. Cum capella c. Quando sup. De privilegijs c. Nullus sup. De parochijs vel eum, qui ante litem sententiam excommunicationis legitime & ex sufficienti causa appellavit, c. Per tuas 40. c. Ad presentiam sup. De Appell. vel si contineat intolerabilem errorem Juris, ut si quis excommunicetur, quia non commisit peccatum mortale can. Qui resistit xi. q. 3. vel si Judex ferens sententiam non intendat ligare, nam excommunicatio sumit vires ab intentione, vel si feratur à delegato in casu sibi non permisso, aut contra intentionem delegantis, *c. fin. sup. De prebend. vel à Judice excommunicato, interdicto aut suspensio, Glof. in 1. Presenti hoc tit. in 6. ubi plures casus nullitatis colligit Pias. d. art. 13. n. 10. & 11. suspensio, inquam, à jurisdictione. Alioquin suspensus ab Ordine tantum ea exercere potest, quæ sunt jurisdictionis, tenetq; excommunicatio: sicut & suspensus ab Ordine tantum potest ea facere, quæ sunt jurisdictionis, Pias. d. c. 4. art. 12. n. 5. & 6.**

## §. III.

## De effectu majoris excommunicationis.

1. Privat participatione Sacramentorum.
2. Suffragia Ecclesie, electione.
4. Suspendis ab officio & beneficio.
5. Liberat subditos ab obedientia superiorum excommunicatorum.
6. Non potest saliter excommunicatus esse testis. &c.
7. Mortuum privandum est Ecclesiastica sepultura.

1. IN primis privat hominem participatione quâ activâ, quâ passivâ Sacramentorum, ita ut ea nec accipere, nec dare possit. Ad eod uti der, fiat irregularis; excepto casu necessitatis.

2. Secundò, privat hominem suffragijs generalibus Ecclesie, ita ut non liceat pro excommunicato publicè & nomine Ecclesie orare. Item communicatione cum fidelibus, tam in divinis, quam convictis: & usu sacri Ordinis, quem si excommunicatus scienter exerceat, fit irregularitate Papæ reservata, *e. 2. sup. De Clerico excommunicato, & c. 1. si qui habet h. t. in 6. quam irregularitatem non incurrit minori excommunicatione excommunicatus, c. Si celebrat. sup. De Clerico excommunicato, prout nec qui appellat à sententia excommunicationis, de qua probabiliter dubitat, an sit valida, licet postea declaratur male appellasse, Pias. d. loco m. 27. & 28.*

3. Insuper privat electionem, tam activâ quam passivâ, ad officia Ecclesiastica vel dignitates sæculares, *c. Venerabilem sup. De electione: an nullat collationem beneficii factam excommunicato.*

4. Similiter electionem, præsentationem, permutationem Beneficiorum, & impetrationem litterarum Apostolicarum: suspendit ab officio & beneficio ad eod ut, quamdiu quis est excommunicatus & in mora petendæ absolutionis, sit incapax fructuum beneficii, teneaturque si illos recipiat restituere. Si tamen habeat officium publicum, valebunt acta per eum ratione illius officij v. g. sententiæ & alij actus juridici, si sit Judex, quamdiu ab Ecclesia toleratur, quia quamdiu Ecclesia eum tolerat, non privat eum jurisdictione, sed tantum ab ea suspendit ob gravia & multa incommoda, quæ alijs sequerentur. Sin autem non toleretur, actus ejus erunt nulli.

5. Præterea liberat subditos ab obedientia superiorum excommunicatorum, si utique sint denunciati aut notorii Clericorum percussores, ita ut ne quidem absque peccato possint illis servire, *can. Nos Sanctorum, can. Iuratos xxv. quast. 6.*

6. Adhæc non potest talis excommunicatus esse testis, advocatus, actor, procurator, *c. fin. sup. De procurat.* Potest tamen esse reus, sequi in judicio etiam per se defendere, & alia, quæ ad defensionem necessaria sunt, peragere, *c. Intelleximus sup. De judiciis.*

Nec



Nec obstat, quod ibi dicatur, debere per alium respondere: quia vel verbum debet referendum est ad verbum respondere, illud enim per se & directe agebatur, & quærebatur in illo textu: ita ut additum sit, per alium, ad indicandum convenientem modum pro evitanda communi-  
one, vel intelligendum est, debere saltem per alium respondere.

Licet autem de jure disputeret, an excommuni-  
catus non tamen hæreticus, aut reus læsæ  
Majestatis possit condere testamentum, prout  
videre licet apud *Glos. in c. Decernimus in V. Et  
testificando h. t. in 6.* ubi in negativam magis in-  
clinat: tamen verius videtur potuisse testari, li-  
cet illicite Notarius & testes cum eo commu-  
nicarent, *Zyp. h. t. n. 5.* ubi dicitur quod hodie li-  
cite conficiantur testamenta: sicut & in plerisque  
locis etiam hæretici, ut in Germania, post Inter-  
rim, ut vocant Caroli V. qua de re pro Belgio vi-  
de eundem *Zyp. Tit. De hæreticis.*

7. Denique mortuus in excommunicatione  
tali, Ecclesiastica caret sepultura, & si sepultus  
sit in loco sacro, ejusque corpus vel ossa discerni  
queant, exhumari debent & abici, *c. Sacris sup.  
De sepultis.* Quod intelligunt quidam de denun-  
tiatione & notorio Clericorum percussore.

## §. IV.

## De effectu minori excommunicationis.

1. Privat perceptione Sacramentorum passiva.
2. Dispositio ad irritandam electionem ad beneficia.
3. Taliter excommunicatus peccat certe casu ve-  
nialiter conferens sacramenta.
4. Interposita appellatione non suspenditur effectus  
excommunicationis lata sed bene ejus decla-  
ratio.

1. Effectus ejus sunt tres præcipui: Primus  
est privare hominem passiva Sacramento-  
rum perceptione: ita ut si suscipiat, peccet qui-  
dem, non tamen fiat irregularis, *c. Si celebras sup.  
De clerico excommunicato.*

2. Secundus, quod electionem ad beneficia  
reddat talem, ut merito irritari possit, licet eam  
de facto non irritet, *d. c. Si celebras.*

3. Tertius, quod tali excommunicatione in-  
nodatus conferens sacramenta, peccet recipere

liter, Covar. in *c. Alma mater*, p. 1. §. n. 8. 12.

4. Præterea effectus excommunicationis in  
genere est, quod non suspendatur appellatione  
post latam sententiam interposita, *c. licet h. t. in  
6.* quamvis declaratio excommunicationis ap-  
pellatione suspendatur. *Glos. in c. Cupientes in V.  
Privatos de elect. in 6.* ita ut liceat communicare  
cum declarato excommunicato, durante appel-  
latione, nec ipse celebrans incurrat irregularita-  
tem, si dubitet de valore excommunicationis  
aut confidat suæ appellationi. Quamvis sit tu-  
tius in talibus abstinere ab illis actibus qui in-  
ducunt irregularitatem ob vulgatum axioma  
quod etiam injusta excommunicatio liget,  
quodque salutaris animæ sit sequendum, *Pia-  
d. c. 4. art. 13. sub n. 28. versic. Notandum.* Insuper  
excommunicatio suspendi non potest, sed vel  
statim ligat vel statim nulla est, *c. Pastoralis sup.  
de appellat.*

## §. V.

## Quinam excommunicare possint.

1. Possunt quicumque jurisdictionem Eccles. ha-  
bent in foro externo.
2. Episcopus existens extra diocesim non potest.
3. Potest extraneus in sua diocesi & suus in aliena.
4. Possunt delegati potestatem habentium.
5. Laici & mulieres non possunt, & nemo seipsum  
nec parem nec superiorem.

1. Primo generaliter, qui habent ordina-  
riam jurisdictionem Ecclesiasticam in  
foro exteriori: ut in primis summus Pontifex  
tanquam universalis Ecclesiæ pastor Episcopi  
etiam ante consecrationem: quia potestas ex-  
communicandi pertinet ad elavem jurisdictionis,  
Covar. in *d. l. Alma mater* §. 11. n. 1. Omnes  
item Prælati majores & inferiores Episcopis ha-  
bentes jurisdictionem ordinariam in foro exte-  
riori: ut Abbates, Præpositi Ecclesiarum colle-  
giatarum regularium & sæcularium etiam non  
benedicti, Priores absoluti qui non constituuntur  
ab ipso Abbate, sed per electionem: Item  
Capitulum sede vacante, generales Ordinum &  
generaliter quicumque habent jurisdictionem  
Ecclesiasticam in foro exteriori, & sic de simili-  
bus.

2. Et si autem Episcopus extra suam diocesim  
existens



existens aliquem excommunicare non possint, *c. Vi animarum De constit. in 6. can. Episcopum non debere 9. q. 2.* quia ad excommunicationem requiritur jurisdictio & tribunal quod non habet extra diocesim; nisi quando extra eam est pulsus modo qui exprimitur in *Clement. 1. De foro competenti*, tamen excommunicatus in uno loco vitari ubique debet, quia hanc vim & efficaciam habet excommunicatio ex sua constitutione ab Ecclesia, unde Juristæ dicunt quod excommunicatio sequatur excommunicationem, ut lepra leprosum quia illi quasi inest, & ideo semel excommunicatus & denunciatus semper evitari debet donec constiterit de absolutione, *Glos. in c. Proposuit in V. De absolutione sup. De Clerico excomm. ministrante, d. loco V. semel autem ubi citat Arm.*

3. Potest tamen Episcopus extraneos in sua diocesi delinquentes excommunicare, quia ratione delicti sortiuntur ejus forum, & similiter tenet excommunicatio prolata in subditos extra diocesim delictum perficientes quod in diocesi inchoantur.

4. Secundò ex delegatione possunt excommunicare omnes qui potestatem accipiunt ab iis qui habent ordinariam: ut sunt delegati Papæ, Episcopi, Archiepiscopi. Denique ex consuetudine præscripta excommunicare possunt qui ex tali consuetudine habent jurisdictionem in foro externo, dummodo saltem taceat hæc consuetudo sit approbata à superiore, *c. duo sup. De officio ordin. a. Cum contingat sup. De foro compet. conquisitus 4.*

5. Talem jurisdictionem habent Cardinales non Episcopi in Ecclesia sui tituli, similiter Archiepiscopi, Archipresbyteri, Decani, qui ex consuetudine præscripta habent subditos, quos citare & punire possunt. Parochi quoque olim talē potestatem habuisse videtur excommunicandi ob quædam delicta, ut furtum, rapinam & similia, sed hodie videtur talis consuetudo in iis cessare.

6. Laici vero non possunt excommunicare, *c. Ecclesia S. Maria sup. De constit. can. bene quidem, can. Imperator 96. Distinct. nec item mulieres, c. Nova sup. De poenit.* nemo etiam potest seipsum, aut patrem aut superiorem excommunicare, sed solum subditum, *can. Cum inferiori 21. Dist.* quia excommunicare est actus jurisdictionis contentiosæ seu in foro externo, in quo nullus sit inferior ratione peccati, Et hinc fit

quod Papa non possit à quoquam excommunicari; bene tamen ab inferiori absolvi possit si se illi subiiciat, prout potest quoad forum interius, non autem quoad exterius; alia ratio diversitatis reddi potest quod absolutio sit beneficium quod nihil vetat superiorem ab inferiore accipere; excommunicatio autem sit poena, sique contra rationem jurisdictionis, ut superior puniatur ab inferiori, hinc etiam fit quod licet Episcopus delinquat contra suum statutum habens annexam excommunicationem non incurrat excommunicationem, *Piaf. d. loco n. 87. ex Hostien. Arm. Navar. quos citat.*

## §. VI.

Quinam excommunicari possint vel non.

1. Non possunt non baptizati.
2. Nec universitates, nec collegium.
3. Nec mortui, sed bene declarari quod sint excommunicati.

1. In primis excommunicari non possunt qui non sunt baptizati: ut Judæi infideles, & alii et si sint catechumeni: quia non potest præscindi à corpore Ecclesiæ qui non est de Ecclesia, nec communione privari: qui eam non habet.

2. Secundò, excommunicari non potest Universitas vel collegium, *cap. Romana §. in universitat. h. t. in 6. juncta Glos. in V. penitus*, idque verum est sive feratur excommunicatio in ipsam universitatem seu communitatem ut communitas est, ita ut in singulas personas secundum se non feratur sive feratur in communitatem ratione singulorum personarum: ita tamen ut non feratur in personas certas & determinatas, sed communiter & confuse in omnes personas hujus v. g. Civitatis aut provincie: quia peccatum ob quod fertur excommunicatio est particulare aut particulare personarum, non communitatis, nec debet unus pro alio puniri vel excommunicari, *can. Si habes 14. quæst. 1.* quod fiet si excommunicatio generalis ad omnes extenderetur. Adde quod universitas sit nomen juris, non personæ nec upam & propriam communem omnibus animam habeat, *Innoc. in cap. Gravem sup. eod.* alioqui excommunicatio non solum à Papa, sed etiam ab Episcopo lata sub hac forma: Excommunico omnes

Yyy



omnes de universitate vel collegio qui tali delicto consenserunt, valet, *d. e. Romana.*

Cæterum in omnes absoluti ab Episcopo lata est invalida tamquam contra jus commune, sic verò lata à Papa non continebit innocentes. Vide Covar. 2. *Variar. c. 8.*

Denique mortui propriè excommunicari non possunt uti nec absolvi ab excommunicatione; tum quia non amplius subjacent tribunali Ecclesiæ, tum quia non censentur contumaces, & ideo excommunicari non possunt, tum denique quia vel sunt in inferno, & patet absolvi non posse, vel in paradiso & non indigent absolutione, vel in purgatorio & non possunt privati suffragiis Ecclesiæ cum sint confirmati in gratia, possunt tamen per Judicis sententiam declarari excommunicati ut humata eorum corpora in loco sacro exhumari possint & extra locum sacrum sepeliri, vel comburi & ne pro illis oretur, bonaque eorum confiscantur juxta *c. Accusatus §. in eo verò casu De Hæreticis in 6.* Similiter possunt declarari absoluti ab excommunicatione, ut tradantur sepultura Ecclesiasticæ.

### §. VII.

Quis possit absolvere ab excommunicatione.

1. *A minori potest quilibet sacerdos approbatus.*
2. *Et etiam à majori in articulo mortis.*
3. *Aliis regulariter ille qui eam tulit vel ei æquivalens.*
4. 5. 6. *Dantur varia exceptiones.*
7. *Decipiens aut extorquens non absolvitur.*
8. *Potest quis in vitis absolvi.*
9. *Absolutus sine requisitis potest reincidere.*

1. **P**rimò, ab excommunicatione minori potest absolvere omnis qui potest absolvere à peccatis, *c. Nuper sup. eod.* & ideo quilibet Sacerdos approbatus potest absolvere ab excommunicatione contracta ob peccatum veniale.

2. Secundò in articulo mortis quilibet Sacerdos potest absolvere ab omni excommunicatione etiam reservata Summo Pontifici, *c. Non dubium, c. unico in Extravag. Joannis XXI. hoc sit. Conc. Trid. Sess. 14. cap. 7.* adhibita tamen cautione, ut sic absolutus, promittat se, ubi convalescit vel periculum evaserit, repræsentatu-

rum ei cui erat reservata, ut mandata ejus suscipiat, *c. De cætero & ibi Glos. sup. eod.*

Tertiò, ab excommunicatione majori, lata ab homine contra aliquem in particulari, is solus absolvere potest, qui eam tulit, vel ejus superior successor, aut delegatus *c. Pastoralis §. Præterea sup. De officio delegati.* Alias enim existeretur omnis disciplina Ecclesiastica. Contra tamen aliqui casus quibus non potest is absolvere qui excommunicavit, de quibus Navar. in *Manuali. c. 27 n. 4.* Ab excommunicatione etià lata à jure vel ab homine, sed generaliter si nō sit reservata quilibet potest absolvere qui potest absolvere à peccato mortali propter quod est inflicta, *d. c. Nuper Navar. d. l. n. 44.* quasi ex commissione ejus qui eam tulit hoc ipso quo illam sibi non reservavit Dixi, si non sit reservata, quia à reservata solus absolvere potest qui eam sibi reservavit vel ejus superior exceptis certis quibusdam casibus. Hinc ab excommunicatione ob injectas manus violentas in Clericos regulariter solus Pontifex absolvere potest, *c. 1. in fine c. 7. q. 15. 19. 28. 37. & alii sup. eod.* vel ejus Legatus à latere *c. 20. & 21. sup. eod.* non alii nisi id eis specialiter mandat Pontifex, *c. Porro in fine sup. eod.*

4. Dixi, regulariter; quia in extremo vitæ spiritu potest quis à quolibet Sacerdote absolvi, ut antè diximus. Similiter si ob justam aliquam causam veluti ob puerilem ætatem, senium, paupertatem, corporis infirmitatem, fragilitatem sexus muliebris, itinerum difficultatem, inimicitias aliquorum, vel aliam similem, non possit quis sine magno periculo vel incommodo Romam proficisci; potest absolvi ab Episcopo loci, *c. 1. §. 6. 13. §. Si verò 26. & 18. hoc sit.* debet tamen ei quem absolvit sub juramento injungere, primò quòd de cætero in Clericum vel Monachum vel alicujus religionis Conversum non iniiciet manus violentas, nisi sese defendendo, aut de mandato sui Prælati vel ex officio, *c. ap. Ex tenore sup. eod.* Secundò quod cessante impedimento, eò quod Papam adire non potest, cum adibit mandatum ejus suscepturus, *cap. De cætero in fine cap. nescitur & similibus sup. eod.* nisi sit impubes qui Clericum percussit, nam is hoc posterius jurare non debet sive antè sive post pubertatem absolvarur, *cap. ult. sup. eod.* Quod si forte monachi vel religiosi in monasterio se invicem ver-

bera-



beraverint, possunt ab Abbate suo absolvi, *c. Canonica sup. eod.* Monialis verò percutiens Monachum vel Conversum aut Clericum potest ab Episcopo loci absolvi, *c. De Monialibus sup. eod.*

5. Et similiter mulier incurrens excommunicationem ob percussione[m] Clerici potest ab Episcopo absolvi, *c. Mulieris sup. hoc tit.* quòd tamen obtinere non putat Zerola 2. p. *V. excommunicatione* in excommunicatione per alias summorum Pontificum constitutiones inflicta mulieribus cum reservatione v. g. in excommunicatione per Bullam Pii V. inflicta mulieribus ingredientibus claustra virorum, modò tamen inquit, cesset necessitas vel impossibilitas De excommunicationibus summo Pontifici reservatis videri potest Covar. *d. loco Navar. d. loco n. 49.* Suarez *De censuris Disputat. 21. §. seq.* Sicut & de non reservatis idem *Disputat. 23.*

6. Quintò, hodiè per Concil. Trid. *Sess. 24. c. 6.* possunt Episcopi per se vel vicarios suos absolvere in foro interiori ab omni excommunicatione reservata Papæ, quæ provenit ex delicto occulto, (non etiam ex delicto notorio) excepto quòd facultas absolvendi ab Hæresi in foro conscientiarum detur Episcopis tantum, non autem eorum vicariis. Cum autem possit quis pluribus excommunicationibus partim à jure, partim ab homine & ob diversas causas esse ligatus, potest ab omnibus unica absolutione absolvi, si omnes exprimat absolventi, alioqui potest ab una absolvi & non ab alia.

7. Quod si dum impetrat absolutionem explicet falsam causam vel non omnes principales, absolutio non erit valida, *c. Cum pro causa sup. eod.* quia tunc non censetur Judex eum velle absolvere; Secus si constaret Judicem velle sine causa absolvere, nam valet absolutio, nisi injustè detur, modo detur ab eo qui habet potestatem & non decipiatur à poenitente, Navar. *d. loco n. 38.* minus valet absolutio si etiam extorqueatur, imò extorqueus hoc ipso novam excommunicationem incurrit, *c. 1. De his quæ vimetusque causa in 6.* vide Navar. *d. loco n. 123.*

8. Cum autem excommunicatio sit poena à jure humano statuta nec pendeat à voluntate excommunicati, potest quis etiam invitus absolvi. Quantum verò ad formam absolutionis attinet non habet certa verba, sed quæcumque significantia absolutionem sufficiunt, Forma

verò ordinaria est hæc, Ego te absolvo à vinculo excommunicationis quam ob talem causam incurristi, & restituo te Sacramentis Ecclesiæ ac communioni fidelium, In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, Amen. De prærequisitis ad absolutionem petendam, vide Tholosanum 1. *part. Juris Canonici lib. 5. tit. 16 c. 12.*

9. Potest autem absolutio concedi ad tempus tantum cum reincidentia: ut si Judex velit absolvere aliquem ad effectum, ut ferat testimonium, vel ad cautelam: de quâ vide quos citat Pias. 2. p. *cap. 4. num. 88. Vers. Absolutio item.* Etsi autem excommunicatio possit de consensu partis priusquam incuratur tolli, non tamen ubi semel est incurta, nec potest ita deferri, ut semel sublata lapsu termino in quo de consensu partis debebat incurri, iterum alio termino arbitrio partis incuratur, nisi hujusmodi prorogatio fiat auctoritate Judicis, ex qua non etiam ex pacto nascitur excommunicatio, Pias. *d. loco n. 88. in fine.* Statuit autem Conc. Trident. *Sess. 25. cap. 3.* ut contra quemcumque infordecentem per annum (perfectum scilicet) in excommunicatione & aliis censuris Ecclesiasticis procedatur tanquam contra suspectum de hæresi, quod intellige si ex criminali si ex civili causa (Quod olim controversum fuit) excommunicatus sit, nam immediatè ante Conc. quem excommunicari potuisse ex utraque causa tradit Menoch. *lib. 2. arbitrar. cent. 5. c. 416. n. 54.* ubi n. 59. docet procedi debere contra eum prævia citatione ut se purget: in Concil. verò Tribun. decretum fuit, inquit Zyp. *hoc tit. n. 4.* ut qui post excommunicationem inclinati non fuerint ad poenitentiam subeundam, per Principem sæcularem subigantur; unde infert perseverantes per tempus aliquod in excommunicatione posse ante annum puniri poena temporali & multâ pecuniaria per ipsummet Judicem Ecclesiasticum; idque juri & praxi consonum probare Gutt. *lib. 1. Canon. q. 1. c. 12. n. 2. & sanxisse in Gallia Beatum Ludovicum anno 1228.* ex Chopp. ibidem refert Zyp



## §. VIII.

## De Suspensione.

1. 2. *Suspensio variè capitur, & quomodo hic.*
3. *Est multiplex.*
4. *Quomodo differat à privatione & depositione.*

**Q**uia de prima specie censuræ Ecclesiasticæ amegimus, non abs re fuerit de duabus aliis speciebus, nempe Suspensione & Interdicto aliquid subicere, ut earum plenior cognitio habeatur.

1. Omnis autem Suspensionis aliis significationibus, ut qua fit suspendi & quis suspensio esse animo dicitur, & similibus. Suspendio generaliter in Jure & passim apud DD. sumi solet pro prohibitione usus officii vel facultatis alicujus: sic enim sententia per appellationem suspendi dicitur; & pro interdicto ab ingressu Ecclesiæ sumitur in c. *De sent. excom. in 6.* & pro impedimento utendi aliquo temporali munere in *extravag. unica Ioan. XXI. de sentent. excommunicat.*

2. Hic verò strictius sumitur pro censura Ecclesiastica, qua Clerico ob culpam suam inhibetur à jure vel à Juce exercitium Ordinis, officii, vel beneficii sui Ecclesiastici, siue in totum siue in partem, siue in perpetuum, siue ad tempus; *ut in c. 3. v. Suspendi sup. De pœnis* Et hinc patet laicum non posse suspendi: uti nec Ecclesiasticum alio respectu, quam quatenus est Ecclesiasticus.

3. Et insuper suspensionem esse multiplicem, nempe aliam esse à jure (quales enumerantur apud Silvestrum, *verb. Suspendio § 6 nu. 40.* & sexdecim enumerat Navar. c. 17 art. 154.) aliam ab homine, aliam perpetuam (quoad partem scilicet) quia prohibitio totius exercitii officii vel beneficii in perpetuum, est potius depositio vel privatio, quam suspensio, Navar. d. locum. 151 ubi alios citat. aliam temporalem, aliam in totum, aliam in partem; aliam ab Ordine, aliam ab officio, aliam à beneficio, aliam à pluribus ex his simul. Quibus adde aliam incurrì ipso facto, ut quando dicitur: sit ipso facto suspensus, suspendimus: & tales à jure multæ feruntur, quas tangit *Gloss. in Clem. cupientes de pœnis*, & recenset Navar. d. l. nu. 154. Alia non incurritur ipso facto, ut dum dicitur: suspendatur sub pœna suspensionis. Alia est à

divinis: alia ab aliis, ut colligitur ex c. 1 § fin. h. t. in 6. c. 1. *de re judicata eod. lib.* Suspendio verò ab officio vel beneficio differt à privatione officii vel beneficii & depositione, quod suspensio fit censura Ecclesiastica, inducens irregularitatem, si quis actum aliquem officii, à quo suspensus est, exerceat, à qua non nisi per Summum Pontificem liberatur, c. 1. *De sent. & re judicata in 6.* Salvo quod hodie ex Conc. Trid. Sess. 24 cap. 6. *De refor.* permittatur Episcopus in irregularitatibus omnibus, ex delicto occulto præventibus, excepta eà, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum, contentiosum, dispensare: at verò privatio & depositio non sunt censura Ecclesiastica.

4. Secundò per suspensionem non amittitur beneficium, nec ea pars fructuum, quæ est planè necessaria ad sustentationem: secus per privationem beneficii aut depositionem.

## §. IX.

Quis possit suspendere, & quæ sit forma suspensionis.

1. *Suspensio fit ab eo qui potest excommunicare.*
2. *Idque propter culpam & plerumque mortalem.*
3. *Debet fieri scripto.*

1. **S**uspendere autem potest omnis & solus, qui excommunicare; ideoque licet confessorius & parochus possint alicui prohibere, ne celebret, ita ut contraveniens peccet, non possunt tamen suspendere per censuram, ita per violationem incuratur irregularitas, *Glossa in cap. l. cui De sent. excom. in 6.*

2. Requiritur verò ad suspensionem culpa aliqua; & plerumque requiritur mortalis: quia tam graves pœnæ non debent communiter ferri ob venialem: quamvis si ferantur, possint etiam ob venialem incurri, sicut & interdictum, Navar. d. locum. 15. Cæterum quia suspensio non potest ferri sine propria culpa, cujus sit pœna, ideo ea suspensio, quæ fit ob senectutem, lepram, debilitatem, vel aliam similem causam, licet generaliter suspensio dici possit, non est tamen suspensio de qua hic agitur, quæ scilicet est censura strictè sumpta. Quæ autem crimina sint digna suspensio-

ne



ne non potest certa tradi regula, Pias, 2. p. e. 4. n. 78. in fine ex Abbate & Diaz.

Quantum ad formam suspensionis attinet non est certa aliqua & determinata seu certis verbis præscripta, sed sufficit, si scribatur verbis atque significanda accommodatis.

3. Dico, si scribatur; quia suspensio debet fieri in scriptis expressa causa seu peccato, ob quod fertur, sicut & excommunicatio: alioqui Judex Ecclesiasticus incurrit suspensionem à divinis officiis & ab ingressu Ecclesiæ per mentem, c. 1. sup. h. tit. valida tamen esset aliter lata, Debet etiam præcedere monitio, quando fertur ob contumaciam, non etiam, quando solum in penam, Navar. d. loco n. 159.

## § X.

De effectu suspensionis & forma absolutionis à suspensione.

1. Exercent contra suspensionem incurrit irregularitatem.
2. Secus si non solemniter.
3. Suspensio solum in tantum ligat quantum exprimit iudicis sententia.
4. Suspensus tamen ab ordine inferiori suspenditur quoad omnes superiores.
5. Forma absolutionis.

**E**ffectus suspensionis est, ut ante diximus, inducere irregularitatem, si quis actum aliquem officij, à quo suspensus est, exerceat. Hinc suspensus ab ingressu Ecclesiæ efficitur irregularis, si in ea exerceat aliquem actum ordini sacro deputatum, non autem si domi vel in Oratorio privato celebret, Pias, 2. p. e. 4. n. 78. *Verf. Suspensus item.* Nullus tamen suspensus, præterquam ille, qui suspensus est à divinis, si ve absoluitur, si ve in aliquo loco incurrit irregularitatem contraveniendo suspensioni, licet peccet ut ex Felino d. l. tradit Pias. & suspensus à divinis tum demum incurrit irregularitatem, quando exercet aliquem actum alicui ordini sacro vel minori specialiter deputatum, id est, cuius faciedis specialis potestas traditur in ordinatione: ut in presbyterio potestas consecrandi & baptizandi solemniter, in Diaconatu potestas canendi solemniter Evangelium, ac etiam prædicandi solemniter tamquam ex officio, si non lege divina

qua videtur soli sacerdotio peculiaris, tamen lege & consuetudine humana secundum Navar. c. 27. n. 163. in Subdiaconatu potestas solemniter canendi Epistolam, in Acolitatu ferendicereos, &c.

2. Secus si non solemniter aliquid istorum faciat: ut si canter Epistolam, ferat cereos tamquam alius laicus, vel actum Ordini sacro vel minori non specialiter deputatum exerceat: ut si psallat in choro, si suspensus à perceptione Sacramentorum illa percipiat, nam & sic ea suscipiendo peccet mortaliter, non tamen incurrit irregularitatem, sicut nec Sacerdos, qui suspensus à beneficio in electione votat, et sic de similibus quæ non specialiter alicui Ordini sacro vel minori deputata sunt: prout tradit Navar. d. n. 163. Circa verò effectum suspensionis.

3. Notandum, suspensum ab uno non ideo suspensum esse ab alio non conexo: & proinde suspensus ab Ordine non est suspensus à jurisdictione, alia ratione, quam ordinis competentem. Similiter suspensus à jurisdictione non est suspensus ab ordine; nec suspensus ab ordine est suspensus à beneficio, nec suspensus à beneficio per hoc est suspensus ab officio, vel è contra: vide Navar. d. loco n. 160. Item suspensus à superiori ordine, v. g. sacerdotali, non est suspensus ab inferiori, v. g. quoad Diaconatum vel Subdiaconatum, & suspensus ab exercitio Pontificalium solum suspensus est ab illis, quæ dependent ab ordine Pontificali, & ideo officium Sacerdotale licet exercere potest, sicut & suspensus ab ordine sacerdotali exercere potest officium Diaconi vel Subdiaconi, nam suspensio in tantum ligat, quantum Judex exprimit in sententia, & ideo suspensus ab ingressu unius Ecclesiæ potest in alia licet suum officium exercere, & Judex semper debet exprimere à quibus actibus suspendat Diaz. in *Praxi*. 127.

4. Suspensus tamen ab ordine inferiori: v. g. Diaconatu suspensus est quoad omnes superiores: v. g. Sacerdotalem & Pontificalem, Navar. in *Manuali* cap. 27. n. 163. Notandum vere hic Episcopum nunquam incurrere suspensionem vel censuram aliquam Juris vel hominis nisi de ipso expressa fiat mentio, c. *Quia periculosum* h. in 6. casus tamen in quibus expressè



expressè suspenditur recenset Piaf. l. p. c. 4. n. 80.

5. Quantum verò ad formam absolutionis spectat, non est etiam certa aliqua seu certis verbis determinata, sed sufficit si voluntas absolventis significetur, solet tamen quando certa est suspensio, hæc ordinariè servari, Absolvo te à vinculo suspensionis, quam incurristi propter talem vel talem causam, & restituo te ad hoc vel illud, à quo fuisti suspensus, In Nomine Patris & Filii &c, quando verò est incerta & dubia hæc: Si teneris aliquo vinculo suspensionis à quo te possim absolvere, absolvo te &c. Vide plenius Navar. d. loco & Suarez censur. disp. 25. Suspendus autem sicut & interdictus ad tempus, adveniente tempore ipso facto est absolutus nec indiget alia absolutione, durante verò tempore suspensionis incurrit à jure ob delictum commissum, non potest totaliter absolvi ab Episcopo sed dispensative potest Episcopus poenam moderari Navar. d. loco n. 162. Piaf. d. loco n. 81. si verò suspensio fuerit inflicta à jure ob contumaciam, tum ab illa absolvi potuerit Episcopus, nisi conditor Canonis absolutionem sibi reservaverit, Nuper sup. h. t. Navar. & Piaf. d. illis locis.

### §. XI.

#### De Interdicto.

1. Definitur & distinguitur contra alias censuras.
2. Est triplex Personale, Locale, & Mixtum.
3. Interdicto loco interdicuntur eius annexa: secus est in personis.
4. Interdicta universitate interdicuntur sub ea contenti.
5. 6. 7. Subdivisiones interdictorum.
8. Interdictum generale non comprehendit infantes & amentes.

1. **O**missis aliis Interdicti significationibus, de quibus Suarez De censuris disputat. 32. sect. 1. hic usurpatur, prout est censura Ecclesiastica, prohibens usum quarundam rerum divinarum ut fidelibus communem, quatenus talis est. In hac definitione abstrahitur à loco & persona, & ab usu activo & passivo, quia interdictum in genere etiam ab illis abstrahit. Dicitur, ut fidelibus communem; ut separaretur interdictum à suspensi-

one, quæ privat etiam aliquo usu, verum non ut communi, sed ut proprio alicujus potestatis Ecclesiasticæ: & ideo suspensio per se solum privat usu activo, ac perinde per se solum privat Clericos, at vero interdictum privat indifferenter, & de se est commune. Additur, quatenus talis est; ut distinguatur ab excommunicatione. quæ privat quidem usu talium rerum sacrarum, sed non quatenus est usus rei sacræ, sed quatenus est communicatio cum aliis fidelibus, Interdictum verò formaliter privat usu talis rei sacræ per se ac independentè à communicatione cum aliis. Adde & hoc aliud discrimen, quòd excommunicatio privet non solum communicatione in divinis, sed etiam in humanis; interdictum vero solum privet usu sacrarum rerum, non quidem omnium, sed earum quæ in jure expressæ sunt, & modo in jure declarato: ita Suarez loco citato.

2. Interdictum est triplex Personale tantum, Locale tantum: & Mixtum, id est, Locale & Personale simul. Locale tantum dicitur, quo locus solus interdicatur: ut v. g. Ecclesia, Parochia, oppidum, regnum. Personale tantum quo solæ personæ interdicuntur. Inter ista duo interdicta hoc discrimen est, quod, quando solus locus est interdictus, possint personæ, quæ in eo sunt, nec fuerint causa interdicti, in alio loco audire divina, dare, & suscipere. Quando autem personæ sunt interdictæ nusquam id possunt, c. Si sententia se sent. excom. in 6. Quod si verò solæ personæ alicujus Ecclesiæ vel Civitatis interdictæ sint, in ea ab aliis & coram aliis, puta peregrinis & alienigenis non interdictis, celebrari potest, etiam januis apertis.

3. Rursus interdicta aliquâ civitate, castro, aut villâ, eo ipso etiam suburbia arque adificia continentia interdicta intelliguntur, sicut & interdicta Ecclesia etiam capellæ ejus ac cimiterium contiguum interdicta censentur: secus si non sint contigua, c. Si civitas ord. in 6. idque ne interdictum reddatur elusorium. Aliud est in personis: nam interdicto Clero non intelligitur interdictus populus, nisi aliud expressum sit. Nominetamen Cleri comprehenduntur Monachi, & Monachæ, religiosi, & religiosæ, novitii & novitiz, Similiter si propter delictum domini & Reatoris civitas sit interdicta, cives ejusdem qui-



culpabiles non existunt, alibi divinis licet interesse poterunt, nisi & ipsi quoque propter dominum vel Rectorem puniendum interdicti fuerint, *d. e. Si sententia*. Quod in excommunicatione contingere non potest, quia pro peccato unius non potest alius, puta ipse famulus, excommunicari.

4. Interdictum a universitate vel populo alienus loci, singuli de universitate si populo, etiam religioni & religiosae interdicti censentur, *Navar. c. 27. n. 146*. Ubi tamen observandum, quod civitas, terra, universitas non possit interdici pro debito pecuniario, sine speciali mandato Papae ex Constitutione Bonif. VIII. in *Extravag. provide §. Praesentis hoc tit. Felin. in Sane sup. De off. deleg. num. 3*, idem ex Constitutione Clementis VII. & Leonis X. in concordatis Galliae, quas omnes Constitutiones refert Petrus Matth. 7. *decretal. lib. 2. tit. 8.* & ante Carolus V. Galliae Rex 5. Januarii 1369. *Choop in praeas. Desas. polit. n. 8.* & ex concordatis Brabantiae: nec pro delicto privatae personae, sed bene pro delicto domini Officiarii vel communitatis delinquentis.

5. Mixtum interdictum est, quo interdicuntur locus & simul persona vel personae. Exemplum quotidianum est interdictum illud, quod Canonistae appellant ambulatorium, quo scilicet interdicuntur persona & locus, ubi est, vel ubi fuerit, quasi simul ambulet cum persona. De mixto interdicto, quatenus est locale, judicandum, ut de locali tantum; & quatenus est personale, ut de personali.

Potest verò unumquodque horum interdictorum subdividi in generale, quo scilicet interdicuntur locus universalis, ut regnum, provincia, vel universitas hominum, ut populus talis regni aut provinciae, & speciale, quo interdicuntur locus particularis, vel loca particularia: ut Ecclesia, vel aliqua Ecclesiarum alicujus civitatis, regni, aut provinciae vel personae singulares, una, vel plures certae vel incertae. *n. 6.* Et horum unumquodque dividi ulterius potest in simplex & mixtum, hoc est in generale tantum, aut in particulare tantum, aut generale, & particulare simul: de quo quatenus est generale, judicandum ut de generali tantum, & quatenus est particulare, ut de particulari tantum.

7. Praeterea in interdictum à Jure, & interdictum ab homine seu Judice. Interdictum à Jure fertur in Civitatem sive aliam Universitatem, si v. g. portorium ex rebus Ecclesiarum vel Ecclesiasticorum, quas negotiationis causa, non differunt, exegerit vel extorsit, *cap. penult. De Consensu in 6.* vel si repressas ad verus Ecclesiasticas personas concesserit, *c. 1. De injuria in 6.* vel si Civitas hostiliter insecuta fuerit, aut coeperit Cardinalem Romanæ Ecclesiae vel Episcopum suum, sive aliis id facientibus opem tulerit, suaserit, vel consuluerit, *cap. fin. De penis in 6. c. 1. eod. tit. in Clement.* vel si Civitas in electione Roman Pontificis (cum eo mortuo apud se electio celebranda est, non observaverit, quae servanda jubet, *c. Vbi periculum De electi in 6.*) Item si dominus territorii Legatum vel Nuntium Apostolicum non admiserit: nam ejus ditiones interdicto Ecclesiastico subiiciuntur, & sic de similibus casibus, de quibus vide latius in auctoribus citatis. Ita supradicta exempla profert Canisius in *Summa Iur. Canon. lib. 3. tit. 23.*

8. Interdictum à Jure. Interdictum verò à Judice Ecclesiastico non nisi ex causa, eaque scripto interdicti comprehensa, ferri debet, *cap. 1. h. t. in 6.* non tamen; ut diximus, ex causa pecuniaria vel ob culpam privati alicujus hominis, sed propter culpam ipsius, qui loci dominus est, vel in eo jurisdictionem habet, ita Canis. *d. loco §. Interdictum verò à Iudice.*

8. Interdicto autem generali numquam includuntur infantes & amentes, ac proinde possunt ad divina admitti, quia sicut sunt incapaces praeceptorum humanorum, ita & peccatorum Ecclesiasticarum: quod verò non possint sepeliri in loco sacro, sit, quia locus ipse est inhabilis.

## §. XII.

Quis possit & ob quam causam interdicere, quae sit forma interdicti, quis effectus & poena interdicti violati.

1. Interdictum debet ferri ob gravem causam & scripto.
2. Qui posuit interdictum, debet quoque observare.
3. Forma interdicti.
4. Quanam eo prohibentur & quanam.
5. Poena transgressionum.

Igitur



**I**nterdicere potest, qui excommunicare & suspendere, & similiter qui potest excommunicari & suspendi, potest etiam interdici, & insuper loca <sup>1</sup>. Non debet autem iudex Ecclesiasticus ferre interdictum nisi pro causa gravi, veluti ob inobedientiam vel grave crimen, convictum cum contumacia, eaque scripto interdicti comprehensa, *cap. 1. eod. in 6.* & prævia monitione, quando illud fertur ob contumaciam; secus si in poenam præteriti delicti. Nam tunc non requiritur prævia monitio, ut nec in interdicto à jure lato, quia cognitio juris habetur pro admonitione. Non debet etiam ferre ex causa pecuniaria, *e. 2. h. t. in Extravag. com.* aut ob culpam privati alicujus hominis, *Cov. in c. Alma mater p. 2 § 1. n. 5.* sed ob culpam ejus, qui loci dominus est aut in eo jurisdictionem habet, *e. Non est sup. De sponsalibus d. 6. Si sententia.* Et interdictum regulariter est nullum iis casibus, quibus excommunicatio est nulla, *Navar. c. 27. n. 127.*

2. Is autem ipse reservare debet interdictum, qui illud tulit: & ideo si Episcopus celebret in Ecclesia à se interdicta incurrit poenam juris, scilicet irregularitatem. Alias nunquam Episcopus à jure vel ab homine conferat interdictum aut suspensus, nisi specialis ejus fuerit facta mentio, *juxta c. Quia periculosum h. t. in 6.*

3. Quantum autem ad formam interdicti attinet, non est certa aliqua & determinata, sed sufficit si verbis effectum interdicti significantibus exprimat. Ordinaria vero forma est hæc: Talem populum aut locum, & c. interdicto Ecclesiastico subicimus, *ex cap. Cum in parvis sup. De verbor. significat. cap. Sane sup. De officio delegati.*

4. Interdicto autem prohibentur omnia divina officia sacra. Ecclesiastica sepultura, item solemnitas conducendi corporis cum orationibus, comitatu Cleri superpelliciate & processionaliter, ut moris est, incedentis (quamvis si quis sepeliatur in Ecclesia tempore interdicti non sit exhumandus: quia multa facta tenent, quæ fieri prohibentur, *Glos. in cap. à Nobis 2. V. forma sup. hoc tit. Pialec. 2 p. c. 4. nu. 47.*) exceptis iis quæ expresse vel tacite permittuntur, ut colligitur ex *d. c. Non est.* Permittuntur autem Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, & Eucharistia, sed hæc duo prostrata tan-

tum morientibus, *cap. Quoniam eod. in 6.* Item permittitur missæ, aliorumque divinarum officiorum celebratio, *e. Quod in te sup. De pœnit. c. Alma Mater h. t. in 6.* dummodo submissa voce, januis clausis, non pulsatis campanis, dicantur, *d. c. Alma Mater:* præterquam in festivitibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes & Assumptionis Divæ Virginis, quibus divinarum officiorum celebratio, etiam pulsatis campanis, apertis januis, altaque voce permittitur, ut latius in *d. c. Alma Mater.* Adde & solemnitatem Corporis Christi & ejus Octavam per Extravag. Martini V. & Eugenii IV. licet etiam interdicti possunt ingredi Ecclesiam orationis causâ, quando ibi divina officia non peraguntur. Similiter potest concio haberi interdicti tempore, & ad eam finem pulsari campana: sicut & pro Ave Maria, ut moris est, *6. Responso 43. h. t. Pialec. d. c. 4. art. 11. n. 8.* Ubi addit, etiam contractum matrimonii tempore interdicti non esse prohibendum, ex Abbate, Aim. & Glossa, quamvis solemnitas benedictio sponsalium dati non debeat, *Navar. cap. 27. n. 179. ubi alios citat.*

5. Scienter verò celebrans vel actum aliquem Ordini sacro deputatum exerceans in loco interdicto, nisi super hoc privilegiatus existat, aut à jure sit ei concessum, irregularitatem incurrit, à qua nequit per alium quam per Romanum Pontificem liberari, & adeo sit ineligibilis, ut nec ad eligendum cum aliis debeat admitti, *6. li quis, verò eod. in 6.* Aliud dicendum de celebrante in cessatione à divinis, nam is non incurrit irregularitatem, Religiosi verò tam exempti quam non exempti violantes interdictum sunt excommunicati, *e. 1. & 3. h. t. in Clement. juncto c. 12. Conc. Trid. Sess. 14. De regularibus,* sicut & Domini locorum *juxta Clement. 2. h. t. salva tamen Constitutione Martini V. quam refert Canis. in Summa juru Canonici lib. 3. t. 23. §. 1. sent.* Sic sepeliens interdictum in Ecclesia cum officio & pompa exequali solita, quæ tunc exercet actum sacerdotali Ordini deputatum, incurrit irregularitatem, *Pialec. d. loco n. 11. ex Sylvest. quem citat.*

Ceterum licet in Ecclesia, polluta sanguinis vel seminis humani effusione, vel Simoniace consecrata, aut præsentanti majori excommunicatione innodato, celebrari à jure ve-



ceatur. *Is qui eod. in 6.* tamen in tali Ecclesia celebrans scienter, licet temerariè agat, non incurrit irregularitatem: quia id non est in jure expressum. Interdictos autem nemo vitare tenetur in humanis, sed solum in divinis, postquam fuerit denunciatus interdictum, *Pias. d. lxxxvii. q. 9. ex Navar. d. 27. n. 170.*

## §. XIII.

## De irregularitate.

1. *Definitur Irregularitas.*
2. *Distinguitur à Censuris.*

**E**st Irregularitas generaliter sumi possit ad designandum impedimentum, ratione cuius homo est incapax illius gradus vel actionis, quæ alijs communis est, eaque ratione, omnes censuræ Ecclesiasticæ, aliæque impedimenta dici possint irregularitates: tamen hic specialiter sumitur prout à censuris distinguitur; de eaque hic agendum est, propter magnam, similitudinem, quam cum censuris habet.

1. Est itaque irregularitas hic, inhabilitas seu impedimentum Canonicum, ex se & natura sua directè ac primariò impediens acceptionem Ordinum Ecclesiasticorum. Dico, Canonicum; quia Irregularitas inducta est à Jure Canonico; nec potuit introduci à jure civili aut potestate temporali, cum hæc de spiritualibus rebus, qualis sunt Ordines Ecclesiastici vel Clericorum status, non disponat. Per hanc itaque partem excluditur omnis incapacitas ad Ordines suscipiendos, orta ex jure divino: qualis est non baptizati aut fœminæ. Similiter excluditur peccatum mortale quod licet suo modo excludat à perceptione Ordinum, saltem sacerdotum, quia peccato mortali contaminatus non potest illos sine novo peccato accipere; non tamen id habet ex aliqua lege Ecclesiastica, sed ex natura sua, sicut & carentia membrorum necessarium ad ministerium Ordinis, quæ proinde partiter per eandem partem excluditur.

2. Dicitur, directè impediens; ut distinguitur Irregularitas à Censuris, quæ etsi sint etiã impedimenta quædam Canonica respectu aliquarum rerum vel actionum, tamen directè non impediunt susceptionem ordinum, verum excommunicatio, v. g. privat communicatio-

ne fidelium, & subeuratione, susceptione & usu Ordinum, quia sunt communicationes cum alijs fidelibus, non quatenus Ordines sunt: Interdictum privat auditione divinorum, Suspendio privat muneribus, respicitque solum actus, eorumque usus prohibet, & imponitur solis Clericis, ac proinde primam tonsuram supponit: cujus susceptionem, ut & aliorum Ordinum: ac totum statum impedit Irregularitas. Per eandem partem excluditur Depositiò, quia privat Ordinibus jam susceptis; Irregularitas verò susceptionem impedit. Quantum verò ad dispensationem super irregularitate, quatenus ea permittitur Episcopis vel non, vide Conc. Trid. Sess. 24. c. 6. *De reform. Sanchez De Matrim lib. 8. Disputat. 34. n. 55. & seqq. & quæ supra diximus in §. 1. De suspensione in fine.*

## §. XIV.

## De Depositione &amp; Degradatione Clericorum.

1. *Quid Depositiò verbalis.*
2. *Quid actualis, & ob quæ crimina feratur.*
3. *Verbalis non tollit privilegium clericale.*
4. 5. 6. *Verbalis absoluta & respectiva variè distinguuntur.*
7. *Quid depostiò ad degradationem ordinata, & quid degradatio.*
8. *Depositiò non tollit Ordinem, nec privat e-  
nere Ordini conjuncto.*

**Q**uamvis Depositiò & Degradatio non sint propriè censuræ Ecclesiasticæ, cum non sint pœnæ medicinales, uti sunt censuræ Ecclesiasticæ, sed vindicativæ tantum: quia tamen ut hic sumuntur, sunt etiam solennes pœnæ Ecclesiasticæ, & magnam habent affinitatem cum ipsis censuris Ecclesiasticis; adeò ut Suspendio subinde vocetur depostiò, Glossa in *can. Si quis Episcopus Dist. 86.* & è contra, ideo de his quoque agendum est.

1. Depositiò in genere fieri potest dupliciter, scilicet verbaliter, & verbalis depostiò. nuncupatur, & actualiter, diciturque actualis depostiò seu degradatio: quæ inter se differunt, quòd verbalis depostiò fiat per solam sententiam Episcopi adstante certo numero Episcoporum, si Clericus qui deponitur in facris sit constitutus; & quidem si sit Episcopus, in

Z z z

p r æ



præsentia duodecim Episcoporum; si presbyter, sex, si Diaconus aut Subdiaconus, in præsentia trium: ut communiter tradunt ex *can. Felix* & *can. Si quis* 13 q. 7. Servanda tamen quoad hæreticos limitatio adhibita in *cap. 1. De hæret. in 6*. Hodie verò standum est definitioni Conc. Trid. Sess. 13. *cap. 14. De reformat.* quod depositionem Sacerdotum & inferiorum: nam ibi de depositione Episcoporum nihil statuit, vel quia illa reservata est summo Pontifici, tanquam proprio Episcopo aliorum Episcoporum, vel quia ob dignitatem Episcopalem non expediebat præsentiam Episcoporum in inferiorum præsentiam commutari. Vide Concil. Trident. Sess. 24. *cap. 45. De reformat.* In minoribus verò nulla aliorum Episcoporum præsentia, opus sed sufficit sententia Episcopi.

2. Realis depositio seu degradatio fit ad instar ex auctorationis militaris, eum scilicet ob delictum Clerico vestibus Clericalibus induto ac si in officio ministrare deberet, vestes & insignia Ordinis sui detrahuntur per Episcopum ordine retrogrado: vide *c. 2. De pœnis* & *can. 3. cum seqq. xv. q. 7.* Insuper depositio realis seu degradatio solum fieri solet in tribus casibus notatis à Glossa in *c. Ad absolvendum sup. De hæreticis*; scilicet ob crimen hæresis, *d. c. Ad abolendam*; crimen falsi litterarum Apostolicarum, *c. Ad falsariorum sup. De crimine falsi*; denique ob calumniam & contumeliam gravem proprio Episcopo illatam, *can. Si quis Sacerdotum xi. q.* Hunc tamen casum restringunt Doctores ad calumniam & contumeliam conjunctam incorrigibilitati, quia alias iniquum videretur, quod propter simplicem injuriam illatam Episcopo degradaretur Clericus & brachio sæculari traderetur: non tamen latrocinium, homicidium, aut alia similia atrociora crimina.

3. Insuper differunt, quòd per depositionem verbalem non amittatur privilegium Clericale seu fori, secus per degradationem; ideoque degradatus statim fori efficitur sæcularis, à quo per privilegium fuerat exemptus: ac proinde privilegio sublato statim revertitur ad pristinum forum, eundemque degradatum Judex illi eò tradit sæculari Judici. Quod dum facit, efficitur pro eo intercedat necesse est, ut citra

mortis periculum sententiam circa eum modo retur, *c. novimus inf. De P. S.*

4. Verbalis Depositio rursus fieri potest dupliciter, aut absolute & per se sive ordine aliud, & vocatur Depositio absoluta, quæ non, aut vix videtur distingui à Suspensione perpetua; aut in ordine ad depositionem realem seu actualem, sive quod idem est, ad degradationem realem, & vocari potest Depositio Verbalis Respectiva. Inter quæ hoc discrimen primò statui potest, quod depositus absolute tantum non possit sine nova sententia degradari, depositus verò cum respectu ad degradationem possit statim degradari, & tradi Judici sæculari.

Et hinc resultat alia differentia, nempe quod ad respectivam depositionem certa solemnitas sit à Jure præscripta, ut patet ex *c. 2. De pœnis in 6.* non autem ad absolutam: quodque respectiva nunquam imponatur vel incurratur ipso jure & facto, quia requirit prædictam solemnitatem, quæ non potest, nisi mediante hominis sententia adhiberi: Depositio verò absoluta interdum imponitur ipso jure, ut patet ex *c. 1. De homicidiis in 6, can. 2. Distinct. 5.*

5. Rursus Depositio Respectiva & Degradatio dici possunt differre, sicut sententia & sententiæ executio: nam per verbalem depositionem respectivam profertur sententia; per degradationem mandatur executioni; quoad aliquas actiones vel effectus, qui per ipsam sententiam absque hominis actione perfici non possunt. Unde & pro iisdem criminibus imponuntur, quia veluti unam integram pœnam complent; sicut sententia & executio idem crimen respiciunt.

Unde rursus fit, quod degradatio cum prævia depositione solum videatur posse fieri in casibus; in quibus post degradationem Clericus traditur brachio sæculari; juxta *c. 2. De pœnis in 6. d. c. Novimus inf. De verb. signif.* ut sunt casus supra numerati, crimen inquam, hæresis, crimen falsi litterarum Apostolicarum, & calumnia gravis proprio Episcopo illata, quibus adde, si non ordinatus celebret; nam & is pœnâ degradationis puniendus est, ex Ordinatione Clementis VIII, quam refert *Pias. p. 2. c. 4. art. 14. n. 12.* item crimen nefandum



contra naturam, Prout voluit Pius V. cujus constitutionis verba refert Navarr. in *Manuali* cap. 27. num. 249. & addit eam intelligendam esse non de quocumque committente hoc crimen, sed. exercente, cum frequentatione actuum. Quia & in alijs delictis atrocib<sup>9</sup> pro arbitrio poenam hanc infligi posse, tenet Diaz c. 128.

6. Et hinc iterum resultat discrimen inter Depositionem Respektivam, & Degradationem à Depositione Absoluta; quia hæc habet locum etiam in alijs criminibus, ut furto, homicidio, perjurio, &c. c. *Cum non ab homine sup. De jurisdictione*: in quibus etiam, si quid atrocius commissum fuerit à Clerico, post depositionem in archum monasterium poenitentia peragenda causa includitur, c. *Tua sup. De poenis can. Sacrosanctos Distinct. 81*, Quo casu ex beneficijs suis ali debet, vel ab Episcopo, si sit pauper, *can. De lapsis xv. q. 6*. Cæterum hisce temporibus hæc decessio in monasterium vix est in usu, cum monasteria passim recipere tales, recusent, nec ab Episcopo, ut recipiant, cogi possint, quippe ubique ferè exempta, *Pias. d. loco n. 9. in fine*. Ubi paulò antè tradit, neminem deponendum, nisi in casibus à jure expressis, vel illis tantum, quibus Jus Civile infligit poenam mortis: hodie tamen poenas omnes esse arbitrias, posseque judicem pro arbitrio suo hanc poenam imponere,

7. Ex prædictis Depositio, ad Degradationem ordinata, definiri potest, quod sit privatio perpetua Clericalis muneris, per Canonicam sententiam, cum debita solemnitate prolata: Degradatio verò sit perpetua, privatio Clericalis muneris & privilegij per similem sententiam, adjuncta reali actione & ceremoniâ per Canones instituta. Ita Suarez, *De Censuris Dist. 30. sect. 2, n. 6*.

8. Ex eo autem, quod Depositio & Degradatio sint poenæ ex institutione sua perpetuæ, sequitur jure Ordinario castolli à nemine posse, sed tantum per potestatem absolutam summi Pontificis: qui rarò, vel nunquam id facit. Imò secundum præsentem Ecclesiæ statum non datur remissioni locus, quandoquidè degradatus statim tradatur sæculari brachio poenam mortis multandus.

Ex eo verò quod Depositio non privet Ordine ipso, cum per characterem indelebilem impri-

matur, ac proinde non possit auferri ab Ecclesia: sequitur, sacerdotem depositum verè consecrare, verè ungere, cæteroque actus Ordinis validè exercere, quando scilicet non requirunt jurisdictionem (quod addo, ut excludatur absolutio sacramentalis) & similiter Episcopum depositum verè ordinare, confirmare, si debita forma & materia ac legitima intentione utatur. Ob eandem causam depositio non privat onere Ordinis conjuncto: v. g. recitationi horarum Canonicarum, servandi castitatem, & inhabilitatem ad matrimonium contrahendum, si depositus sit sacris initiatus.

Illud denique hic subiiciendum, edicta princeps. nostrorum aut Concordata non aliter prohibere exercitium censurarum, quam contra Officiales seculares. Imò discretè eadem Concordata executiones decretorum & sententiarum Ecclesiasticarum per censuras fieri permittunt, teste Zyp. *h. e. in fine*.

## TITULUS XL.

## De Verborum significatione.

1. *Varia verbi significatio,*
2. *Verba non semper accipienda prout sonant. sed juxta mentem profertentis.*

Uo sequentes Tituli per universam Juris nostri materiam diffunduntur, ideoque potestremo loco, uti factum quoque in Digestis, collocantur. Et primus quidem *De Verborum significatione* utilitatem suam habet, cum sæpè dubitari contingat de significatione terminorum, seu vocum ipsarum.

1. Nam ut alias Verbi significationes omitram, quibus significat nunc secundam personam in divinis, nunc apud Grammaticos tertiam orationis partem; nunc apud Logicos conceptum in intellectu retentum, quo aliquid cogitamus, quod deinde vocibus declaramus; nunc quod à re sive facto distinguitur, juxta illud.

*Non opus est verbis, credere verbis ait.*

& dum dicitur. *Non opus est verbis, sed factis, & Dare alicui verba* pro decipere: sumitur Verbum

Z z z 2



bum hic generaliter, prout idem est, quod vox seu dictio aliquid significans, siue sit verbum, siue nomen siue pronomen siue aliqua alia pars Orationis apud Grammaticos: quod Vario à veritate deducit, quasi verum nos loqui oporteat. Hoc verò Tit, potissimum traditur, quid significant, & quomodo verba accipienda sint, siue voce proferantur, siue scripto, veluti in testamento, vel rescripto, vel alio instramento contineantur V.g. quid veniat appellatione Novalis, ut in c. 1. quid nomine Patris, ut in c. 2. quid Unigeniti, ut in c. 3. quid Primogeniti, ut in c. Ioseph. & c.

2. Quantum autem ad modum, quo accipi debent, in primis traditur, verba, cum inventa sint, ut indicent proferentis mentem, l. Labeo D. De supellest. Legata, non semper accipienda esse pro ut sonant, sed magis inspiciendam esse mentem proferentis; & cum de ea constat, non esse laborandum de verbis, c. In intelligentia, Nihil obstat, c. Præterea h. t. quia non intentio verbis, sed verba intentioni servire debent, c. In h. b. t. aded ut verba contractuum pro rei qualitate, & tuenda voluntatis seu intentionis causa contra propriam significationem interdum accipiantur & intelligantur, ut in l. Ex conducto 15. §. Papinianus & in l. In lege 29. D. locati. Et ideo non vitatur factum, vario modo narratum ubi idem in substantia concluditur: & intelligi debent verba eo respectu & ad eum finem, ad quem proferuntur, l. Debitor §. fin D. Ad Trebell. & restringi ad rem, super qua proferuntur, §. Quod autem instituit. De legitima agnatorum tutela.

Proponuntur etiam variarum vocum definitiones, veluti Pacti, in c. Pactum interdicti, in c. Cum in partibus novatis, in d. c. 1. & c. Quid per novat. similiter quis dicatur Præpositus, c. Quamvis eod.

Si verò queratur de verbis rescripti, summi Pont. tum consulendus est Pont. ut in c. Olim & aliis hoc tit. Alias vero accipienda sunt verba juxta sensum seu significationem, secundum quam inspectis rerum circumstantiis, verisimile est proferentem accepisse, c. Quarenti h. t. ne dum proprietates spectatur, omittatur sensus veritatis, d. c. Præterea & c. Quod dicitur. & c. Ioseph hoc tit. Quod si verba obscura fuerint, ita intelligenda sunt, ut res de qua agi-

tur, potius valere possit, quam petire, d. c. Abbati vers. profecto.

Insuper quarundam vocum etymologiae traduntur, veluti unde dicatur jus, c. Ius dictum; unde dicatur pactum, d. c. pactum; unde dicatur Forus, c. Forus eod. Denique traditur privilegia Principis latissimè esse accipienda ut aliquid adferant seu operentur, nec remaneat ambiguitas, d. c. Abbati eod.

## TITULUS XLI. & Ultimus.

### De Regulis juris.

1. Regula unde dicta.

2. Regula definitio apud Iuriconsultos.

1. Regula sumitur ex Jure, non verò Jus ex Regula, l. 1. D. h. t. & propterea, postquam de toto Jure Pontificio actum est, subjicitur coronidis loco Tit. De Regulis juris; & quidem post Tit. De Verborum significat. quia disputatio de vocibus simplicibus præcedere debet disputationem de compositis.

Dicitur autem Regula ex eo, quod rectè dicat, vel, ut alij volunt ex eo, quod regat: vel normam rectè vivendi præbeat, vel quod distortum pravumque corrigat, ut habetur in can. Regula Dist. 3. Et Græcè dicitur Canon, can. Canon ead. Distinct. 3. Unde & jus Pontificum dicitur Canonicum, id est, Regulare.

2. Jurisconsultis Regula est quædam compendiosa enarratio multarum rerum, varijs partibus Juris definitarum. Unde Azo. Regulam definit esse plurium rerum traditionem compendiosâ narratione factam: & Paulus Jurisc. in. d. l. 1. D. h. t. Regulam esse, quæ rem, quæ est, breviter enarrat. Cujus sensus est, quod in regula sit oratio, quæ rem, quæ est, id est, jus quod in ipsa controversia sequi oportet seu causam ac rationem plurium rerum in arte juris definitarum breviter id est, generaliter, & quidem ex Jure constituto & recepto enarrat. Cum enim, ut in alijs scientijs, non omnia facta & individua, utpote infinita, pos-



sint aliqua ratione comprehendi ac cognosci, ita neque leges neque Senatusconsulta ita feribi potuerunt, vel possunt, ut omnes casus, qui quandoque incidunt, comprehendant, *l. Neque leges D. De LL.* necessum fuit, exemplo aliarum scientiarum, etiam ex Jure, ex ijs, quæ in variis ejus partibus definita sunt, aliquas generales regulas constituere, quæ contingerent causam & rationem primariam, quæ moti fuerunt prudeates ad ita definiendum, & proinde nobis primariam rationem Juris controversi decidendi præberent. Sic Ulpianus, cum in divisis Juris partibus observasset primum moribus receptum, deinde legibus constitutum, quod fœminæ non possent esse Judices, Magistratum gerere, postulare, curatrices esse, & sic de similibus: inde desumpsit & constituit universalem regulam quod fœminæ ab omnibus civilibus officijs vel publicis remotæ sint, *l. 2. D. eod. Et rursus*, cum varijs in partibus Juris definitum esset, pisces, feras, bestias, lapillos in littore maris inventos fieri occupantis, quia in nullius bonis sunt, inde desumpta est hæc compendiosa regula. Quæ in nullius bonis sunt, sunt primo occupantis; sic de similibus.

Atque ita patet in primis, cur regula dicatur ex Jure nasci non autem jus ex regula. Secundò patet, quanta sit utilitas Regularum Juris, quodque id sint regulæ Jurisconsultis, quod

Medicis Aphorismi, Geometris Postulata: & cur dicat Jurisconsultus in *l. 1. D. eod.* quod si vitiata sit regula perdere officium suum.

Porro regulæ quæ hic traduntur, sunt, Quod omnis res per quasque causas nascitur, per easdem dissolvatur, *c. 1.* Quod dubia in meliorem partem sint interpretanda, *cap. 2.* Quod propter scandalum vitandum non sit veritas omittenda, *c. 3.* Quod necessitas illicitum faciat licitum; & similes. Quarum prima primariam continet rationem & causam, cur stipulatio, quæ est verbis contracta, possit verbis ipso jure dissolvi; non etiam emptio, locatio, mutuum, & alij contractus, aliter quam verbis initi: idem cur emptio, locatio, mandatum, societas, quæ solo consensu contrahuntur, possint etiam solo contrario dissensu dissolvi; & sic de alijs regulis Juris Can. ut fufius hic Peckius ad quem Lectorem remittimus, & ad Dei Opt. Max. ejusque Intemeratæ Matri Virg. Mariæ honorem, hisce Paratitlis seu summariæ Explicationi Decretalium, per modum Institutionum Juris Can. finem imponimus: omnia in eis tradita S. R. Ecclesiæ censuræ submittentes, & quæ illa probaverit, approbantes, quæ improbaverit, improban-

tes, quæ improbaverit, improban-

FINIS.

Zzz 3

INDEX



# INDEX

## Rerum & Verborum Notabilium.

*Quae his Libris Explicantur.*

A



**ABAS** sui Monasterii Religiosis Minores ordines conferre potest, Lib. 1. Tit. 11. §. 3. n. 6.  
**Abbatissa** non nisi quadragenaria eligenda, l. 1. §. 14. §. 1. n. 6.  
**Abolitio** vel est generalis, vel specialis, l. 5. t. 2. num. 4.  
**Accusatio** quid sit, l. 5. t. 1. §. 1. n. 1.  
**Libellus** accusatorius quid continere debeat, num. 2.  
**Qui** accusare possint vel non possint, ib. §. 2.  
**Qui** non possint accusari, §. 3.  
**Adulterium** & generaliter & specialiter sumitur, l. 5. t. 16. §. 1. n. 1.  
**Pena** adulterii ex utroque jure, n. 2. & 3.  
**Pena** Clerici adulteri, n. 5.  
**Adulterum** deprehensum cum uxore an occidere liceat, n. 4.  
**Adulterium** quando impediat aut dirimat matrimonium, l. 4. t. 7. n. 2. & 3.  
**Etas** requisita ad obtinendum beneficium, ad Episcopatum & alias dignitates, l. 1. t. 14. §. 1. n. 1. 2. 3.  
**Etas** requisita ad tonsuram, ad ordines tum minores tum maiores, ibid. §. 4.  
**Etas** requisita ad sponsalia contrahenda, l. 4. t. 1. §. 2. n. 1. ad contrahendum matrimonium, ibid. §. 7. & eod. l. 1. t. 2.  
**Affinitas** quid sit, qui Affines, l. 4. t. 14. §. 3. n. 1.  
**Oritur** Affinitas etiam ex illicito coitu, ibid. num. 2.

**Affinitas** orta ex copula illicita soluit sponsalia de futuro, l. 4. t. 13. n. 1. & t. 14. §. 3. n. 4.  
**Antichresis** qua dicatur, l. 3. t. 21. §. 3. n. 1.  
**Jure civili** licita est, & canonico prohibita, l. 5. t. 19. §. 1. n. 4.  
**Apostata** idem, qui desertor, l. 5. t. 9. n. 1.  
**Pena** Apostatarum, n. 3. ibid.  
**Apostasia** alia est fidei, alia obedientia, alia religionis, n. 2. ibid.  
**Apostoli** qui & unde dicantur, l. 2. t. 28. §. 10. n. 1. & 2.  
**Alii** sunt dimissorii, alii reverentiales, alii refutatorii, ibid. n. 3.  
**Intra** quod tempus peti & recipi debeant ibid. num. 4.  
**Appellatio** quid, & quod duplex, l. 2. t. 28. §. 1. n. 1. & 3.  
**Appellare** cui liceat, ibid. §. 2.  
**A** quibus iudicibus, §. 3.  
**A** quibus sententia seu actibus, §. 4.  
**Coram** quo interponi appellatio debeat, §. 5.  
**Et** ad quem sit appellandum, §. 6. ibid.  
**Quando** & quo tempore interponi debeat, §. 7.  
**Qualiter** sit interponenda appellatio, §. 8.  
**Idque** a sententia cum definitiva, tum interlocutoria, §. 9.  
**Intra** quod tempus petendi Apostoli, §. 10.  
**Quibus** appellationibus sit deferendum, §. 11.  
**Intra** quod tempus introducenda & proseguenda sit appellatio, §. 11. 13. & 14.  
**Effectus** appellationis, nihil attendendum esse appellationis pendente, §. 15.  
**Permissa** tamen quadam iudici vel pariter pendente appellatione, §. 17.  
**Arbitri**



**A**bitri qui dicantur, & quotuplices sint, l. 1.  
 In quo differant à iudicibus, ibid. n. 5.  
 Quo pacto adsumi soleant, ibid. § 2.  
 Qui eligi in arbitros possint, § 3.  
 Quot eligi possint, ibid. § 4.  
 Super quibus accipi non possint arbitri, ibid.  
 Quo pacto potestas eorum finiat, ibid.  
**A**rchidiaconus quis, ejusque officium, l. 1. t. 23.  
 Qualitates in Archidiacono requisita, l. 1.  
**A**rchiepiscopi potestas. Est summus Episcoporum,  
 l. 1. t. 8. § 2. n. 1.  
 In quos jurisdictionem exerceat, ibid. n. 2.  
**A**rchipresbyter quis dicatur, ejusque officium, l. 1.  
 t. 24. n. 5.  
 Alius Urbanus, alius Ruralis, n. 6.  
 Attentorum remedium quando locum habeat,  
 l. 2. t. 28. § 15. n. 4.  
 Privilegia illi remedio competentia, § 16.

B

**B**aptismus unde dicatur, l. 3. t. 42. § 1.  
 Ejus materia, forma, & visio, ibid. n. 3. 4. 5.  
 Minister hujus Sacramenti: & cur in eo patrum  
 necessarii, ibid. § 2.  
 Quam baptizandi, & quo in loco, § 3.  
 Effectus baptismi, § 4.  
 Regulas & Canonicas sceminas non esse Religiosas,  
 l. 3. t. 31. § 3. n. 10. 11.  
 Beneficium Ecclesiasticum quid sit, & qua in eo  
 considerentur, l. 3. t. 5. n. 3. & seq.  
 Varia illius divisiones, ibid. § 2. per tot.  
 Beneficia secularia secularibus & regularia regu-  
 laribus conferenda, ibid. n. 14.  
 Beneficia Eccles. acquiruntur per institutionem Ca-  
 nonicam, l. 3. t. 7. § 1. n. 1.  
 Beneficia quadam certa familia debita sunt, l. 3.  
 t. 7. § 4. n. 8.  
 Beneficia non conferenda, nisi vacent, d. l. 3.  
 t. 8. § 1.  
 Varia autem modis vacare dicuntur, ibid.  
 § 2.  
 Conferri debent intra sex menses, ibid. § 3.  
 Beneficia quandoque non conferri, sed commendari  
 sive dari in commendam, d. § 3. n. 2.

Beneficia compatible, vel non qua sint, ibid.  
 § 4.  
 Incompatible quadam sunt primi generis, qua-  
 dam secundi generis, ibid. n. 3. & 5.  
 Beneficia sine diminutione aut reservatione fru-  
 ctum conferenda, l. 3. t. 12. n. 1.  
 Item gratis, sine modo & conditione, ibid.  
 num. 6.  
 Item liberè non obreptitiè, n. 9. & 10.  
 Bigamia quotuplex, l. 1. t. 21. n. 1. 2. & 3.  
 Bigami cur ordinari prohibeantur, ibid. n. 4.  
 Poena sic ordinatorum, ibid. n. 5.

C

**C**alumniari, Calumnia & Calumniator quid  
 sit, l. 2. t. 7. § 1. n. 2. & l. 5. t. 2. n. 1.  
**C**anonicus & Canonicatus quid sit, l. 3. t. 5. § 1.  
 num. 2.  
 Canonicam portionem ex legatis Ecclesia detrahit  
 Episcopus, l. 3. t. 26. § 3. num. 5. & d.  
 l. 3. t. 28. § 6.  
 Quod tamen fallit certis casibus, d. § 6. n. 4. 5.  
 & seqq.  
 Non sit autem detractio illa, nisi deductis oneri-  
 bus, ibid. n. 9.  
**C**anonicam portio etiam Ecclesia parochiali debita  
 est, si quis extra eam sepulturam elegerit, d. t.  
 28. § 5.  
 Quantitas illius portionis, ibid. n. 2.  
 Ex quibus bonis detrahi debeat, n. 4.  
**C**apella & Capellania unde nomen habeant, & in  
 quo differant, l. 3. t. 37. n. 1. & 2.  
**C**apella curata à seculari regi debet, ibid. n. 3.  
**C**apituli nomine quid intelligatur, l. 3. t. 9.  
 num. 1.  
**C**apitulum sede vacante qua beneficia conferre pos-  
 sit, ibid. n. 3. 5.  
 Similiter succedit in jurisdictionem rerum tam  
 spiritualium quam temporalium, ibid.  
 n. 6.  
 Non tamen exercet ea, quae sunt ordinis Episco-  
 palis, ibid. n. 12.  
 Absque consensu Capituli Prælatus ardua nego-  
 tia expedire non potest, l. 3. t. 10. n. 1.  
 In levibus, ut & in statutis condendis, opus est  
 solo consilio, ibid. n. 2. & 3.  
 Requiritur verò consensus majoris & sanioris  
 partis, l. 3. t. 11. n. 1.  
 Carceris



- Carceris poenā quatenus Iudex Ecclesiasticus uti  
 possit, l. 5. t. 37. §. 2. n. 1.  
 Casus summo Pont. reservati, l. 5. t. 38. §. 6.  
 num. 8.  
 Casus reservati Episcopo, n. 9.  
 Cautio quid & quos modis utiliter caveatur, l. 3.  
 t. 21. §. 1. n. 1.  
 Censura quid significet, l. 3. t. 39. §. 1. n. 1.  
 Censura debetur Episcopo, nomine Cathedralici.  
 ibid. n. 2.  
 Item patrono, quem sibi reservaverit, ibid. n. 3.  
 In qua moneta solvendus sit, n. 6.  
 Censura Ecclesiastica qua dicatur, l. 5. t. 39. §. 1.  
 num. 2.  
 Species illius sunt Excommunicatio, Suspendio &  
 Interdictum, n. 3.  
 Citatio quid sit, quotuplex, & requisita ad ean-  
 dem, l. 2. t. 2. §. 3. n. 2. 3.  
 Executio citationis quo modo fieri debeat, ibid.  
 §. 4.  
 Effectus ejusdem, ibid. §. 5.  
 Citatio, an die festo vel ad diem festum fieri possit,  
 l. 2. t. 9. n. 13.  
 Clausula, Si ita est, Si preces veritate nitantur,  
 l. 1. t. 3. §. 2. n. 4.  
 Per clausulam Motus proprii, Non obstante,  
 &c. tollitur subreptio in rescriptis, ibid. §.  
 7. n. 6.  
 Clerici peregrini qui dicantur, l. 1. t. 22. §. 1. n. 1.  
 Admitti non debent, ut celebrent publice, ibid.  
 num. 3.  
 Clericus in iudicem laicum consentire non potest  
 regulariter, l. 2. t. 2. §. 1. n. 10. 11.  
 Clericus coram iudice laico reconveniri potest, l.  
 2. t. 4. n. 3. 4. 5.  
 Clerici quo modo instituere & componere vitam  
 debeant, ut sint continentis, & abstinentes ab  
 omni crimine &c. l. 3. t. 1. n. 5. & seq.  
 Clerici interdicta habitatio cum mulieribus, l. 3.  
 t. 2. n. 1.  
 Clerici concubinariū Missam audire an liceat, ibid.  
 n. 6.  
 Clericis cœlibatus commendatus, l. 3. t. 3. §. 1.  
 num. 1.  
 Clerici sacris initiati matrimonium ipso iure nul-  
 lum est, ibid. n. 2.  
 Clerico minoribus ordinibus contrahente matrimo-  
 nium quatenus amittatur beneficium, ibid.  
 §. 2.  
 An & quatenus immunitate gaudeat Ecclesia-  
 stica, §. 3.  
 Clerici beneficiati quatenus teneantur ad residen-  
 tiam, l. 3. t. 4.  
 Egrotantes vel debilitati non tenentur, l. 3. t. 6.  
 Clerici acquisitionum intuitu Ecclesia an sint Do-  
 mini, l. 3. t. 25. n. 5. & 6.  
 De iis bonis testari non possunt, d. l. 3. t. 26.  
 §. 5. n. 7.  
 Quamvis secus de consuetudine, ibid. n. 9.  
 Clerici interdicti quo modo succedatur, l. 3.  
 t. 27. n. 6. & 7.  
 Clerici negotiis secularibus sese immiscere vetan-  
 tur, l. 3. t. 50.  
 Poena Clericorum negotiantium, ibid. n. 3.  
 Clericis interdicta venatio, l. 5. t. 24.  
 Item percussio, d. l. 5. t. 25.  
 Clerici maledicti poena, l. 5. t. 26.  
 Clericus excommunicatus, depositus vel interdi-  
 ctus celebrans quo modo puniatur, ibid. t. 27.  
 Item celebrans in ordine quem non suscepit, t. 28.  
 Item promotus per saltum, t. 29.  
 Item furtivè ordinem suscipiens, t. 30.  
 Clericus perpetuo carcere includi non debet, l. 5.  
 t. 37. §. 2. n. 2.  
 Clericus pro crimine torqueri non potest, n. 5.  
 Coadjutor quis, & quid sit, l. 1. t. 28. §. 7.  
 Cognatio alia naturalis, alia spiritalis, alia civilis,  
 l. 4. t. 11. n. 2.  
 Cognatio spiritalis qua dicatur, ibid. n. 4.  
 Hac dirimit matrimonium postea contrahitum,  
 ibid. n. 8.  
 Cognatio legalis quatenus impediat contrahi aut  
 dirimat matrimonium, l. 4. t. 12.  
 Cognatio naturalis quid & quotuplex, l. 4. t. 14.  
 §. 1. n. 1. & 2.  
 Cognati & Agnati qui dicantur, n. 3.  
 Cognatorum alii ascendentes, alii descendentes,  
 alii collaterales, ibid. n. 4.  
 Inter hos quatenus prohibita sint nuptiæ, ibid.  
 §. 6. 7.  
 Cognationum gradus & computatio, ibid. §. 2.  
 Collatio quid sit, & quotuplex, l. 3. t. 7. §. 1.  
 num. 4.  
 In quo differat ab electione, presentatione & por-  
 tulatione, ibid. n. 5.  
 Qui conferre beneficia possint, ibid. §. 2.  
 Quibus conferre debeant, §. 3.  
 Idoneitas ad beneficia in quibus consistat, §. 4.  
 Collusio



*Cillus* quid sit, & in quibus causis locum habeat.

l. 5. t. 22. n. 1.

*Pena* collationis.

n. 2.

*Commodatum* quid sit, l. 3. t. 15. n. 1. & 2.

*Commodatarius* ad quid teneatur, ibid. n. 3.

*Compromissarius* arbitri qui dicantur, l. 1. t. 43.

§. 1. n. 2.

*Compromissum* sit vel adjecta pena vel non ad-

jecta, ibid. §. 2. n. 1. & 2.

*Compromisso* semper standum secundum Canones,

ibid. n. 4.

*Ejus effectus*, ibid. §. 6.

*Concilium* quid sit, in Procem. §. 10. n. 1.

*Ejus divisio* in *Saculare* & *Ecclesiasticum*, n. 2.

*Ecclesiasticum* aliud est *Generale*, aliud *Parti-*

*culare*, ibid. n. 3.

*Cuncta generalia* quot sint, n. 4.

*Particularia* alia *Nationalia*, alia *Provincia-*

*lia*, alia *Dioecessana*, n. 6.

*Ad Provincialia* qui vocandi, ibid. n. 8.

*Confessio Sacramentalis* quid sit, & quis minister

illius, l. 5. t. 38. §. 6. n. 1. 2. & seq.

*Qui* & quando obliget *praeceptum confessionis*,

ibid. §. 7.

*Conditiones* & *qualitates* requiruntur ad *confessio-*

*nem*, §. 8.

*Circumstantiae* in *confessione* exprimendae, §. 9.

*Ex quibus causis* *devidere* sive *dimidiare* *Con-*

*fessionem* liceat, §. 10.

*Nullus* *confessionis* ex quibus causis *oriatur*,

§. 12.

*De sigillo* *confessionis*, §. 13.

*Confessio* de alio facta alteri non nocet, n. 8.

*Confessio simplex* an *iudicio* & per *verbum Credo*

in quo differat, l. 2. t. 18. n. 5.

*Confessio extrajudicialis* *semiplene* probat, ibid.

n. 6. & 7.

*Confessio* potest esse publica & fieri per *interpretem*,

§. 11.

*Confessio* quatenus habeatur pro *iudicato*, ib. 10.

*Confirmatio* electi a quo & qualiter fieri debeat,

l. 1. t. 6. §. 7.

*Confirmatio* potestas ante *consecrationem*, ibid. n. 7.

*Confirmationis Sacramentum* cur necessarium:

eiusque materia, forma & effectus, l. 1. t.

15. §. 2.

*Consecratio* *Episcopi*, & ejus forma, l. 1. t. 6.

*Consecratio* *Ecclesiae* vel *altaris* quando & quo ritu

fieri debeat, l. 3. t. 40. n. 1.

*Quo pacto* probetur *Ecclesiam* *consecratam* esse,

ibid. n. 3.

*Quibus casibus* iterari possit *consecratio*, vel

non ibid. n. 4.

*Constitutio* unde dicta, & quid sit, l. 1. t. 2.

§. 1. n. 1. & 2.

*Ejus* *condenda* *modi* *tres* per *Epistolam*, *Decre-*

*tum* & *Edictum*, ibid. n. 4.

*Constitutionum Ecclesiasticarum* *species*, *Dogma*,

*Mandatum*, &c. ibid. n. 6.

*Qui eas* *condere* possint, ibid. §. 2. n. 1.

*Qualiter* & *quos* *obligent*, n. 2. & seq.

*Alia* *sunt* *Generales*, *alia* *Speciales* vel *Persona-*

*les*, ibid. n. 7.

*Consuetudo* quid sit, l. 1. t. 4. §. 1. n. 2. *requisita*

ad *consuetudinem* *introducendam*, ibid. §. 2.

*Consuetudo* *alia* est *prae legem*, *alia* *secundum le-*

*gem*, *alia* *contra legem*, ibid. §. 3. n. 2. 3. 4.

*Contractuum* *alii* *nominati*, *alii* *innominati*: *item*

*alii* *bonae fidei*, *alii* *stricti iuris* &c. l. 3. t. 14.

n. 1. 2. 3.

*Contritio* quid sit, & ad eam *requisita*, l. 5. t. 38.

§. 3. n. 1. & seq.

*Contritio* quomodo ab *Attritione* differat, n. 5.

& 6.

*Quanta* *esse* *debeat* *contritio*, ibid. §. 4.

*Quatenus* *obliget* *praeceptum obligationis*, §. 5.

*Contumacia* quid sit, & *contumacia* *quis*, l. 2. t.

14. n. 2. & 3.

*Pena* *contumaciae* *laetioris*, ibid. n. 4.

*Ob contumaciam* *rei* *quo modo* *actor* *mutatur*

in *possessionem* *honorum*, l. 2. t. 15. n. 1. &

seqq.

*Pena* *actoris* *contumaciae*, ibid. n. 7.

*Corpore* *vitiosi* *cur* *ordinari* *prohibeantur*, l. 1.

t. 20.

*Custodis* *officium*, l. 1. t. 27.

## D

*Damnnum* *quoquo modo* *alteri* *datum* *reparari*

*debet*, l. 5. t. 36. §. 1. n. 1.

*Decimas* *deberi* *solo jure Ecclesiastico*, l. 3. t. 30.

§. 4. n. 3. & 4.

*Multorum* *fructuum* & *insolitas* *non* *deberi* *de-*

*cimas*, ibid. n. 5. & 6.

*Ex quibus* *vel* *ut* *debeantur*, & *quotuplices* *sint*,

ibid. §. 5.

*In quo* *differant* *praediales* a *personalibus* ib. n. 3.

¶ ¶ ¶ ¶

*Quibus*



- Quibus debeantur, parag. 6. & à quibus, § 7.  
 Quibus modis quis eximatur à prestatione decimarum, Paragrapho 8.  
 Decima novales quæ dicantur & quibus debeantur, paragrapho 1. 2. 3.  
 Cognitio decimarum ad quem spectet, ibid. num. 7.  
 Pœna detinentium vel non solventium decimas, parag. 10.  
 Degradatio qui sit, & effectus illius, l. 5. t. 39. parag. 14.  
 Delegare sive iudicem delegatum dare potest Summus Pont. l. 1. t. 29. parag. 1. n. 2.  
 Item quilibet Ordinarius, ibid. n. 5.  
 Forma delegandi, ibid. parag. 2.  
 Delegari qui prohibeantur, ibid. parag. 3.  
 Delictum, Peccatum & Crimen quandoque promiscue sumi, l. 5. t. 3. parag. 2. n. 1.  
 Delictorum alia Deum principaliter, alia proximum laedunt, ibid. n. 2.  
 Item alia sunt merè Ecclesiastica, alia merè secularia, ibid. n. 3.  
 Denuntiatio in causa criminali alia est civilis, alia Evangelica, alia Canonica, l. 5. t. 1. parag. 5. n. 1. 3.  
 Denuntiatio Evangelica in quo differat ab accusatione, ibid. n. 4.  
 Estque generalis & specialis, ibid. n. 5.  
 Denuntiationes sive banna in causa matrimoniali remitti quandoque possunt, l. 4. t. 3. num. 3.  
 Pertinent quippe ad solemnitatem non ad essentiam, ibid. n. 5.  
 Depositum quid significet, l. 3. t. 16.  
 Depositarius ad quid teneatur, ibid. n. 3. 4.  
 Depositio alia verbalis, alia actualis, quæ & Degradatio, l. 5. t. 39. parag. 14. n. 1. & 2.  
 Verbalis non tollit privilegium clericale, n. 3.  
 Diaconus quis dicatur, & munus illius, l. 1. t. 23. n. 1.  
 Dignitatem, personatum, officium qui habere dicantur, l. 3. t. 5. parag. 2. n. 4. 5. 6.  
 Dilatio quid sit, & quotuplex, l. 2. t. 8. parag. 1.  
 Hodie, dilationes omnes sunt arbitrariae, ibid. n. 6.  
 Potestque iudex ex causa plures dilationes concedere, ibid. n. 12.  
 Quatenus dilationes propagari possint, ibid. parag. 2.  
 Effectus dilationum, ibid. parag. 4.  
 Divortium in quo à Repudio differat, l. 4. t. 19. num. 1.  
 Quid divortij nomine intelligatur, d. n. 1.  
 Pro docendi labore, vel pro arte, quam quis proficietur accipere pecuniam non est simonia, l. 5. t. 5. n. 2. & 3.  
 Donatio unde dicatur, & quid sit, lib. 3. t. 24. parag. 1. n. 1. & 2.  
 Alia est mortis causa donatio, alia inter vivos, ibid. n. 3.  
 Hanc non nisi ex certis causis revocari, illam facile revocari, n. 6. & 7. ibid.  
 Donationes inter vivos latissime interpretandas esse, ibid. n. 2. n. 1.  
 Donatio inter vivos quo modo perficiatur, § 3.  
 Donatio excedens 500. solidos insinuari debet, ibid. n. 3. & 4.  
 Donatio item alia propria, alia impropria, parag. 4.  
 Qui donare possint, parag. 5.  
 Dos quid sit & quotuplex: quid item donatio propter nuptias, l. 4. t. 20. n. 1. & 2.  
 Duellum unde dictum, l. 5. t. 14. n. 1.  
 Duella hodie prohibita utroque jure, n. 1.  
 Pœna duellantium ex jure Canonico, n. 3.  
 Ex decreto Conc. Trid. n. 4. ibid. & quando istius pœnis locus sit, n. 5. 6. 7. ibid.  
 E  
 Ecclesia nomine quid intelligatur, l. 3. t. 8. parag. 1. n. 1.  
 Ecclesia de novo erigi non debens sine auctoritate Pont. vel Episc. ibid. n. 3.  
 Et non nisi eum aore competentem, n. 4.  
 Ecclesia nova erectione noceri non debet vicinis aedibus, n. 5. ibid. nec praesudicium inferri antiquæ Ecclesiæ, n. 6.  
 Quinam ad Ecclesiarum reparationem teneantur, ibid. parag. 2. per tot.  
 Ecclesiarum varia sunt divisiones & differentie, l. 3. t. 29. parag. 1. n. 1.  
 Ecclesia Curata, quæ dicatur, ibid. n. 2. quæ Parochialis, n. 3. Vide Parochus.  
 Ecclesie res alienari prohibentur, l. 3. t. 3. parag. 1.  
 Pœna alienantium, ibid. n. 6.  
 Certis tamen casibus permissa est alienatio, ibid. parag. 2.  
 Solemnitas requisita ad alienationem, ibid. parag. 3.  
 Ecclesia laesa quomodo restitui potest, ibid. num. 5.  
 E



Elitio quid significet, l. 1. t. 6. §. 1.  
 In quibus differat à Postulatione, ibid. n. 5.  
 Quando faciendâ electio, quo loco & per quos, ibid. §. 2.  
 Intra quod tempus fieri debet, ibid. §. 3.  
 Elitio vel sit per scrutinium, vel per compromissum, vel per inspirationem divinam, ibid. §. 4.  
 Eligendi ius quibus competat, ibid. §. 5.  
 Qui eligi non possint, ibid. n. 3.  
 Quales eligendi, ibid. §. 6.  
 Eliti à quibus confirmandi, ibid. §. 7.  
 Emptio-venditio cur solo consensu contrahi dicatur, l. 3. t. 17. §. 1. n. 3.  
 In quibus à permutacione differat, ibid. n. 5.  
 Quare vendi possint, ibid. §. 2.  
 Qua non possint vendi, §. 4.  
 Venditor emptori tenetur de evictione, d. §. 2. n. 3.  
 Rescinditur emptio & venditio ob lesionem ultra dimidium iusti pretii, ibid. §. 3.  
 Emphyteusis in quo distinguatur ab emptione-venditione, locacione-conduccionem, l. 3. t. 18. §. 2. n. 2.  
 Emphyteuta amittit ius suum ob non solum canonem, n. 3.  
 Item si vendat rem emphyteuticam non facta denuntiatione Domino, n. 4.  
 In Episcopum qui aut quales eligendi, l. 1. t. 6. §. 6.  
 Episcopatus novi ex causa erigi possunt, l. 3. t. 4. §. 8. §. 1. n. 9.  
 Error persona impedit & dirimit matrimonium, l. 4. t. 9. n. 1.  
 Similiter error servilis conditionis, n. 2.  
 Error circa bona fortuna nec impedit nec dirimit, ibid. n. 7.  
 Eucharistia Sacramentum describitur, materia, illius est panis & vinum, l. 3. t. 41. §. 1.  
 Vinum aqua permixtum esse oportet, ibid. n. 6.  
 Forma & Minister huius Sacramenti, ibid. §. 2.  
 Quilibet Christianus illud communicare debet, saltem semel in anno, §. 3. n. 1.  
 Effectus Eucharistia, §. 4.  
 Eucharistia in Ecclesiis parochialibus adservanda, non in Capellis, l. 3. t. 44.  
 Quomodo & quando deferenda ad agrosos, n. 4.  
 Exactionibus sive tributis non gravandi ab Episc. subditi, l. 3. t. 39. §. 2.

Exigitamen charitativum subsidium, n. 2.  
 Examen ordinandorum omnino necessarium, l. 5. t. 30. n. 3.  
 Exceptio quid & quatuorplex, l. 2. t. 25. n. 1. 2. 3.  
 Exceptiones dilatoria quando proponenda n. 6. & seqq.  
 Exceptiones peremptoria quando proponenda, ibid. n. 12. & seqq.  
 Exceptio eliditur replicatione, &c. n. 14.  
 Excommunicatio unde dicta, eiusque definitio, l. 5. t. 39. §. 1. n. 4. 5.  
 Alia est maior, alia minor, ibid. §. 2. n. 1.  
 Item alia est à jure, alia ab homine, n. 2.  
 Item alia lata sententia, alia ferenda, n. 4.  
 Alia item iusta, alia iniusta, n. 7.  
 Effectus maioris Excommunicationis, §. 3.  
 Effectus minoris excommunicationis, §. 4.  
 Qui excommunicari possint, §. 5.  
 Qui excommunicari, §. 6.  
 Quis absolvere possit ab excommunicatione, §. 7.  
 Executores ultimarum voluntatum alij legitimi, alij testamentarij, alij dativi, l. 3. t. 26. §. 7. num. 1.  
 Intra quod tempus executio fieri debeat, n. 3.  
 Episcopi omnium piarum fundationum sunt executores, n. 4.  
 Exponens infantem necare videtur, l. 5. t. 11. in princ.  
 Poena exponentium infantes & languidos, n. 1.  
 Expectativa ad beneficia sublata, etiam olim in Belgio, l. 3. t. 8. §. 1. n. 4. 5.

## F

Feriarum nomine quid intelligatur, l. 2. t. 9. n. 2. & 3.  
 Alia sunt solemnes, alia repentina seu extraordinaria, & differentia earum, n. 4.  
 & seqq.  
 Quanam tempore feriarum prohibeantur, ibid. n. 9. & 10.  
 Feudi definitio, l. 3. t. 20. §. 1.  
 Feudalem contratum esse nominatum, & in quo differat à permutatione, n. 1. & 3.  
 Qui in feudum dare possit, ibid. §. 2.  
 Feudum sine consensu domini alienari non potest, ibid. n. 4.  
 Fides quid sit, l. 1. t. 1. §. 2. n. 1.  
 Quase.



# INDEX RERUM,

- Quatenus de fide disputare liceat, *ibid.* n. 3.  
 Fidejussor, Constitutor, Mandator, & Expromissor  
 in quo differant, l. 3. t. 2. §. 1.  
 Fidejussor quibus obligationibus adhibeatur, §. 2.  
 Qui fidejuberet possint, §. 3.  
 Effectus fidejussionis, §. 4.  
 Beneficium divisionis fidejussoribus competent,  
*ibid.* n. 5.  
 Item beneficium ordinis, n. 6.  
 Quibus modis extinguatur fidejussio, §. 5.  
 Falsum crimen quâ ratione punibile sit, l. 5. t. 20.  
 §. 1. n. 2.  
 Falsum committitur dicto, facto, scripto, & aliis  
 modis, n. 3.  
 Poena falsi ex utroque jure, §. 2.  
 Filius patri in beneficio succedere nequit, l. 1. t.  
 17. n. 6.  
 Forum competent quid sit, & quot modis quis fo-  
 rum sortiri dicatur, l. 2. t. 2. §. 1.  
 Fructus beneficiorum alteri sub annua pensione ce-  
 di possunt, l. 5. t. 4. n. 2.  
 Fructus beneficiorum à docentibus & discedenti-  
 bus percipi in absentia possunt, l. 5. t. 5. n. 5.  
 Furtum unde dicatur, & quid furti nomine ve-  
 niat, l. 5. t. 18. §. 1. n. 1.  
 Furtum à rapina distingui, n. 2.  
 Furti definitio, n. 3.  
 Divisio, §. 3.  
 Poena furti ex utroque jure, d. §. 3. n. 4.  

H

 Hæreticus quis dicatur, l. 5. t. 7. §. 1. n. 1. 2. 3.  
 Poena hæreticorum, *ibid.* §. 2.  
 Remedia ad exterminandam hæresim, *ibid.* n.  
 6. & 7.  
 Quo modo procedendum sit in causa hæreseos,  
*ibid.* §. 3.  
 Hermaphroditus an contrahere matrimonium pos-  
 sit, l. 4. t. 1. §. 10. n. 4.  
 Homicidium aliud voluntarium, aliud necessari-  
 um, aliud casuale, l. 5. t. 12. n. 2. & seq.  
 Poena homicidii voluntarii ex utroque jure, *ib.*  
 §. 9.  
 Homicidium quando impediatur aut dirimat matri-  
 monium, l. 4. t. 7. n. 1.  
 Hospitalium nomine quæ veniant, l. 3. t. 36. §. 2.  
 num. 1.  
 Hospitalia omnia de jure subiecta Episcopo loci,  
*ibid.* n. 30.  
 Visitari debent ab Episcopo, etiam exempta, n. 5.  
 Nisi à laicis regi solita: & quatenus ea subja-  
 ceant visitationi Episcopi, *ibid.* §. 2. n. 1.  
 & seqq.  
 Hypotheca & pignus in quo differant, l. 3. t. 21.  
 §. 1. n. 2. 3.  
 Hypothecaria actio qua sit, in quo differat à pigno-  
 raticia, *ibid.* §. 4. n. 3. & 4.  

I

 Ejusmodi observatio in quibus consistat, l. 3.  
 t. 46. n. 2. & seq.  
 Que jejuna censeantur, *ibid.* n. 1.  
 Illegitimè nati arcentur ab ordinibus sacris, l. 1.  
 t. 17.  
 Ejus rei ratio, *ibid.* n. 2.  
 Item arcentur à Religione ingressu, l. 3. t. 31.  
 §. 2. n. 3.  
 Immunitas alia est personarum, alia locorum, alia  
 bonorum, l. 3. t. 49. n. 1.  
 Immunitas personalis ac localis in quibus consistat,  
 n. 2. & 3.  
 Impedimenta dirimentia matrimonium contra-  
 ctum & contractus impediunt, l. 4. t. 1.  
 §. 10. n. 2. 3.  
 Item in Append. ad t. 16.  
 Impotentia perpetua impedit matrimonium, l. 4.  
 t. 15. n. 2.  
 Nisi quis scienter cum impotente contrahat, n. 3.  
 Dissolutio matrimonii ex causa impotentia iudi-  
 cio Ecclesiæ facienda, n. 5. 6. 7.  
 Incestus quid sit, l. 5. t. 16. §. 3. n. 1.  
 Poena incestus ex utroque jure, n. 2. & 3.  
 Incestus impedit exactionem debiti & contrahi  
 aliud matrimonium, lib. 4. t. 13. n. 3.  
 dummodo sit formalis & consummatus, *ibid.*  
 n. 6.  
 Indulgentiarum nomine quid significetur, l. 5. t. 38.  
 §. 18. n. 1.  
 In Ecclesiâ esse potestatem concedendi indulgentias,  
*ibid.* n. 2.  
 Thesaurus indulgentiarum unde originem ha-  
 beat, §. 19.  
 Indulgentias aliter vivis, aliter mortuis concedi,  
 §. 20.  
 Penes quos sit potestas concedendi indulgentias,  
 §. 21.  
 Effectus indulgentiarum, §. 22.  
 Causæ, §. 23.  
 Requisitæ



- Requisita ex parte volentium promereri indulgentias, §. 24.  
 Indulgentia quamdiu durent, §. 25.  
 Infidelis conversus recte contrahit cum fidele, l. 3. t. 33. n. 2.  
 Injuria generaliter & specialiter pro contumelia fit, l. 5. t. 36. §. 1. n. 1.  
 Injur, n. 2.  
 Fure & verbi, n. 3.  
 Pena injuriarum ex utroque jure, n. 3.  
 Inquisitio quid sit, & quo modo instituenda, l. 5. t. 1. §. 4. n. 1. 2. & seq.  
 Est, vel generalis vel specialis, ibid. n. 6.  
 A iudice competente fieri debet, n. 11.  
 Institutio Canonica que dicatur, l. 3. t. 7. §. 1. n. 2. & seq.  
 Institutio de jure ad Episcop. spectat, de consuetudine ad Archidiaconum, ibid. §. 3. n. 7. 8.  
 Nemo instituendus, nisi examinatus, ibid. §. 3. n. 4.  
 Institutio qua fit ad presentationem patroni à quo fieri debeat, l. 3. t. 38. §. 6.  
 Institutio heredis est caput testamenti, l. 3. t. 26. §. 2. n. 1.  
 Institui heres codicillis directo nequit, n. 2.  
 Liber in potestate constituti necessario instituiendi vel exheredandi, etiam jure Canonico, n. 3.  
 Instrumentum aliud privatum, aliud publicum, l. 2. t. 22. §. 1. n. 2.  
 Privatum quodnam dicatur, ejusque species, ibid. n. 5. 6.  
 Differentia inter publicum & privatum, ibid. §. 2.  
 Vi probent instrumenta edi sive produci in iudicio, ea oportet post litem contestatam, ibid. §. 3.  
 Qualiter & cui edi debeant, ibid. §. 4.  
 Reus actori an teneatur edere instrumenta, num. 4. 5.  
 Instrumentum quo modo probetur vel improbat, ibid. §. 5.  
 Interdictum Ecclesia quid sit, & quoduplex, l. 5. t. 39. §. 1. n. 1. 2.  
 Quis interdicere possit, ex qua causa quâ formâ, qui effectus interdicti, §. 1. 2.  
 Interdictum Ecclesia est impedimentum matrimonium contrahi impediens, lib. 4. t. 16. n. 1.  
 Interdictum recuperanda cui competat, l. 2. t. 1. §. 1. n. 2.  
 In quo differat ab interdicto retinenda possessionis, num. 3.  
 Irregularitas quid sit, & in quo distinguatur à Censura Ecclesiastica, lib. 5. t. 39. §. 13. num. 1. 2.  
 Iubiläum unde dicatur, l. 5. t. 38. §. 2. 6. n. 1.  
 Quoto anno Iubiläum celebratur, n. 3.  
 Effectus Iubilæ, n. 4.  
 Iudæi vestitu & habitatione à Christianis distincti esse debent, l. 5. t. 6. n. 3.  
 Ab omnibus honoribus arcantur, n. 4.  
 Quo pacto in eos inquirendum, n. 5.  
 Non cogendi ad fidem, n. 6.  
 Iudæorum conversorum privilegia, n. 8.  
 Iudex quis & unde dicatur, l. 1. t. 32. §. 1.  
 Iudicem qualem esse oporteat, & qualiter judicare, ibid. §. 2.  
 Iudicis officium aliud nobile, aliud mercenarium, ibid. §. 3.  
 Iudex Ecclesiasticus secundum Canones judicare debet, lib. 5. t. 37. §. 1. n. 8. quatenus penam pecuniariam infligere possit, ibid. n. 11.  
 Iudex delegatus quis dicatur, l. 1. t. 29. §. 1. n. 1.  
 Ejus officium & potestas in quibus consistat, ibid. §. 4.  
 Differentia inter delegatum ab Ordinario & Summo Pont. ibid. n. 8.  
 Quibus modis finiatur iudicio delegati jurisdictionis, l. 1. t. 29. §. 5. & seq.  
 Iudex ordinarius est, qui propriam jurisdictionem habet, l. 1. t. 31. §. 1. n. 1.  
 Iudices ordinarii qui sint, ibid. §. 2.  
 Quinam prohibeantur esse ejusmodi iudices, ibid. n. 10.  
 Iudicium quid & quoduplex, l. 2. t. 1.  
 Iuramentum quid sit, l. 2. t. 24.  
 Iurare per Deum vel creaturam, an licitum, ibid. §. 2.  
 Requisita ad iuramenti validitatem, ibid. §. 3.  
 Iuramentum aliud est assertorium sive decisivum litis, aliud promissorium, aliud comminatorium, ibid. §. 4.  
 Assertorium aliud voluntarium, aliud iudiciale, aliud necessarium sive suppletivum probationis, ibid. §. 5.  
 Iuramentum suppletorium in quibus causis locum habeat, ibid. §. 6.  
 Effectus iuramenti assertorii, ibid. §. 7.  
 Vis & effectus iuramenti promissorii, ibid. §. 8.  
 Iura.



*Iuramentum suppletorium in quibus causis locum habeat.* *ibid.* §. 6.  
*Effectus iuramenti assertorij.* *ibid.* §. 7.  
*Vis & effectus iuramenti promissorij.* *ibid.* §. 8.  
*Iuramentum quando confirmet contractum vel non.* *ibid.* §. 9.  
*Iuramentum calumniae cur introductum, ejusque capita.* *l.* 2. t. 7. §. 1.  
*A quibus praestari debeat.* *ibid.* §. 2.  
*In quibus causis.* *ibid.* §. 3.  
*In qua lris parte.* *n.* 2.  
*Ætæna iuramentum hoc subterfugientis.* *ibid.* §. 4.  
*Iuris acceptiones varia, in Procem.* §. 1. n. 2.  
*Ius à iustitia dici, secundum Iurise.* *n.* 3.  
*Dividitur in ius ad rem & ius in re.* §. 2.  
*Item in ius Naturale & Positivum, &c.* *ibid.* num. 5.  
*Ius naturale explicatum.* §. 3.  
*Item ius positivum divinum & humanum.* §. 4.  
*Ius gentium quid sit, & in quo à naturali distinguatur.* §. 5.  
*Ius civile quid sit.* §. 6.  
*Ius Canonicum unde dictum, ejusque origo & necessitas.* §. 7.  
*Divisio in ius scriptum & non scriptum.* §. 8.  
*Librorum juris Canonici series & dispositio, d.* §. 8. n. 2. & seqq.  
*Ius Canonicum à jure civili declarationem accipit, & contra.* §. 9. n. 4.  
*Ius patronatus quod dicatur, & quibus modis acquiratur.* *l.* 3. t. 38. §. 1.  
*Aliud est Ecclesiasticum, aliud Laicum & cur laico competat.* *ibid.* §. 2.  
*Differentia inter Ecclesiasticum & laicum.* §. 3.  
*Quo modo transferatur hoc ius in alium.* *parag.* 4.  
*Quo modo amittatur.* §. 7.  
*Iustus in publica honestatis unde oritur, & quatenus impedimento sit matrimonio.* *l.* 4. t. 14. §. 4.  
*Iurisdictio ordinaria à quo detur.* *l.* 1. t. 31. §. 1. num. 2.  
*Quibus detur & competat.* *ibid.* §. 2.  
*Iurisdictio Episcopi quatenus se extendat.* *ibid.* n. 3. 4. §. 6.

## L

**L** *Ascus quibus casibus subiciatur iudici Ecclesiastico.* *l.* 2. t. 2. §. 1. n. 12.  
*Legati qui dicantur.* *l.* 1. t. 30. §. 1.  
*Alij sunt legati à latere, alijs missi, alijs nati.* *ibid.* n. 2. 3. & 4.  
*In quibus hi conveniant.* *ibid.* §. 2.  
*In quibus differant.* *ibid.* §. 3.  
*Quibus modis finiatur legati officium.* *ibid.* parag. 4.  
*Legitimi filij sunt ex iustis nuptiis nati.* *l.* 4. t. 17. num. 1.  
*Item legitimati per subsequens matrimonium.* *ibid.* n. 3.  
*Vel rescripto Principis aut Pontificis.* *n.* 4.  
*Legitima portio, liberis debita, quanta sit.* *l.* 3. t. 26. parag. 2. n. 4.  
*Legitima & Trebellianica portio detrahi simul jure Canonico potest.* *parag.* 3. n. 1.  
*Etiā jure civili.* *n.* 2. & 3.  
*Lepra superveniens non dirimit matrimonium.* *l.* 4. t. 8.  
*Libellus quid sit.* *l.* 2. t. 3. n. 1.  
*Qualis esse debeat.* *n.* 3.  
*Alius est Civilis seu Conventionalis, alius Criminalis.* *ibid.* n. 5.  
*Libello quando non sit opus.* *ibid.* n. 9. & 10.  
*Libellum quatenus mutare & emendare liceat.* *ibid.* n. 11 & 12.  
*Littera dimissoria qua dicantur, & à quo dentur.* *l.* 1. t. 11. parag. 4.  
*Litis contestatio quid sit, & quo pacto inducatur.* *l.* 2. t. 5. parag. 1. n. 5. 6. 7.  
*A litis contestatione incipit iudicium propriū sumptum.* *ibid.* n. 3.  
*Quomodo impediatur.* *ibid.* 8. 9. 10.  
*Effectus litis contestationis.* *ibid.* parag. 2.  
*Ante litis contestationem testes regulariter recipi non debent.* *l.* 2. t. 6.  
*Exceptis certis casibus.* *ibid.* 3. 4. 5.  
*Lite pendente nihil innovandum.* *l.* 2. t. 16.  
*Quando pendere lis dicatur.* *ibid.* n. 2.  
*Locatio - conductio in quo distinguatur ab emptione - venditione.* *l.* 3. t. 18. parag. 1. n. 2.  
*Ad quid teneantur locator & conductor.* *n.* 3. 4.

## M

**M** *Aioritas quid, & quibus modis quem alio majorem esse contingat.* *l.* 1. t. 33.  
*Ex ma-*



# INDEX RERUM,

Ex majoritate oritur obedientia, quam minor  
majori debet. *ibid.* n. 3.  
Major & senior pars qua dicatur, l. 3. tit. 11.  
num. 2.  
Matrimonium aliter Conjugium dicitur, item  
Connubium & Nuptia, l. 4. t. 1. § 5.  
Matrimonij definitio enucleata, n. 2.  
Matrimonium verum fuisse inter B Iosephum & Virg.  
Desparam, n. 5.  
Matrimonium contineri in individua vita consuetu-  
dinem, n. 6.  
Materia, forma & minister matrimonij, *ibid.* § 6.  
Etas requisita ad contrahendum matrimoni-  
um, § 7.  
Item consensus, cum ipsorum contrahentium.  
§ 8.  
Tum etiam parentum, saltem de honestate, § 9.  
Qui contrahere matrimonium, possint, vel non  
possint, § 10.  
Matrimonium absque Parocho & testibus contra-  
ctum est nullum, l. 4. t. 3. n. 4.  
Matrimonium clandestinum contractum de novo con-  
trahi potest, *ibid.* n. 10.  
Vxor absente marito, cum alio matrimonium  
contrahens, eo reverso ad eundem redire  
cogitur, l. 4. t. 4.  
Matrimonium & pure & sub conditione, honesta-  
tamen, contrahi potest, l. 4. t. 5.  
Matrimonium qui & quatenus accusare possint,  
l. 4. t. 18.  
Matrimonium quibus casibus dissolui possit, l. 4.  
t. 19. § 1. & 2.  
Metus quid sit, l. 1. t. 40. n. 4.  
Metu gesta ipso iure obligant, n. 5.  
Exceptis certis casibus, *ibid.* n. 6.  
Reus peccatus rescindi per integrum restituti-  
onem,  
Dummodo fuerit metus cadens in constantem  
virum non etiam reverentialis, n. 8. 9.  
Si tamen iuramentum accesserit, illud servan-  
dum erit, *ibid.* n. 13.  
Missio in bonorum possessionem ex primo & secundo  
decreto quo modo fiat, l. 2. t. 15. n. 1. &  
seq.  
Modi procedendi in criminalibus, per accusatio-  
nem, l. 5. t. 1. § 1.  
Per inquisitionem, § 4.  
Per denuntiationem, § 5.  
Per exceptionem, per notorium, per imploratio-  
nem officij iudicis, § 6.

Monachi unde dicantur, & quibus nomen illud con-  
veniat, l. 3. t. 31. § 1. n. 2.  
Monachi sunt vel parentum oblatione vel profes-  
sione, *ibid.* § 2.  
Monachi proprium habere aut possidere non possunt,  
d. l. 3. t. 35. n. 3.  
Quatenus ad aliam Religionem transire liceat,  
Ad Ecclesias parochiales adsume nequeunt, *ibid.*  
n. 7.  
Monitorium ad finem revelationis usus, l. 5. t. 18.  
§ 1. in fine, & t. 39. § 2. n. 6.  
Mulierem purificari post partum, consilij est, non  
praecepti, l. 3. t. 47.  
Mutua petitio quid sit, l. 2. t. 4. n. 2.

## N

**N**egligentia Pralati qua sit, & quo pacto com-  
mittatur ab Episcopo, l. 1. t. 20. n. 3. & 4.  
n. 2.  
Pleña ejus varia, n. 2.  
Nuntiare novum opus quid sit, l. 5. t. 31. n. 1.  
Origo, forma, & effectus novi operis nuntiatio-  
nis, n. 2. 3. 4.  
Nuptia secunda qua dicantur, l. 4. t. 21. n. 1. &  
differentia inter primas ac secundas, n. 3.  
Nubens secunda intra annum luctus non sit infamis  
jure Canonico, n. 2.

## O

**O**blatio specialiter quid sit, ejusque species,  
l. 3. t. 30. § 1. n. 2. 3.  
Oblationes certis casibus sunt de necessitate num. 4.  
Quibus cedant oblationes, *ibid.* § 2.  
Quatenus Episcopo debeantur, n. 4.  
A quibus recipi, qui recipere non possint, § 3.  
Ordo quid sit. Ejus materia, forma & effectus,  
l. 1. t. 11. § 1. n. 1. 2.  
Ordinum alij majores, alij minores, *ibid.* § 2. n. 2.  
Ordines sunt septem, secundum Theologos; novem  
secundum Canonistas, n. 3. 4.  
Conferuntur à proprio Episcopo, *ib.* § 3. n. 1. 2.  
& seq.  
Item ab alieno cum licentia proprii, *ibid.* § 6.  
Item à Sum Pont. ubique & cuilibet, d. § 3. n. 5.  
Item minores ab Abbatis sui monasterij Ma-  
nachis, *ibid.* n. 6.  
Quibus temporibus conferendi sint, *ibid.* § 5.  
Gradatim conferendi & per interstitia, *ibid.*  
num. 6.  
*In praes.*



In proficiendis quis ordo requiratur, l. 1. c.  
 14. parag. 3.  
 Ordo quo modo annexus dicatur beneficio, ibid.  
 num. 5.  
 Ordinari prohibentur illegitimè nati, l. 1. t. 17.  
 Servi, ibid. t. 18. Obligati ad rationem t. 19.  
 ibid. Corpore vitati, ibid. t. 20. Bigami,  
 ibid. t. 21. Clerici peregrini, ibid. t. 22.  
 Item non baptizati, non confirmati, mulieres, il-  
 literati, &c. ibid. parag. 2. n. 7. 8.  
 Ordo cognitionum quis servandus, pluribus causis  
 concurrentibus, l. 2. t. 10.

P

**P**actum à contractu & transactione in quo dif-  
 ferat, l. 1. t. 35. parag. 1. n. 1.  
 In quo à pollicitatione, n. 2.  
 Pactum divisio, & an ex pacto detur actio, pa-  
 rag. 2.  
 Pacisci qui, quibus & de quibus possint, ibid.  
 parag. 3.  
 Pactum antichristeos in pignoribus improbatum jure  
 Canonico, l. 3. t. 24. parag. 3. n. 1. & 2.  
 Pactum legis commissoria similiter improbatum,  
 num. 3.  
 Pactum quid sit, & quid significet in Pont. Patri-  
 archis Archiepisc. &c. l. 1. t. 8.  
 Parricidium qui committere dicantur, lib. 5. t. 10.  
 Penaparricidarum, n. 2.  
 Parochus & Parochia, item Paræcus & Paræcia  
 unde dicantur, l. 3. t. 29. parag. 1. n. 4. & 5.  
 Patrobianus seu Paræcianus quis consensur, ibid.  
 n. 12.  
 Parochia distincta esse debent, n. 9.  
 Parochiani in Ecclesia sua baptizandi, ibid. pa-  
 rag. 2. num. 1.  
 Parochi circa agrotos officium, n. 4.  
 Missa & divina in Ecclesia parochiali audien-  
 da: Item mortui sepeliendi, n. 6. & 7.  
 Parochus proprius quis dicatur, l. 4. t. 3. n. 7.  
 Partus sequitur ventrem, l. 4. t. 10. n. 1.  
 Peculium Clericorum ex quibus constet, l. 3.  
 t. 25. n. 2. & seq.  
 Peregrinatio ad S. Apostolicam quando effectum  
 appellationis habent, l. 2. t. 29.  
 Permutatio quid sit, & qua res permutari possint,  
 l. 3. t. 19. n. 1. & 2.  
 Permutari beneficia cum beneficiis quo pacto pos-  
 sint, n. 3. 4.

**Pignus** & Hypotheca in quo differant, l. 3. t. 21.  
 parag. 1. n. 2. 3.  
**Pignus** quo modo contrahatur, n. 4. 5.  
 Aliud est pratorium aliud iudiciale, n. 6.  
 Qua res oppignorari possint, ibid. parag. 2.  
 Quae non possint, n. 2. & seq.  
 Quae pacta pignori apponi solita sunt, ibid.  
 parag. 3.  
**Pignoratus** actio vel directa vel contraria, ibid.  
 parag. 4.  
**Pignus** quibus modis dissolvatur, ibid. n. 6.  
 Plus petitur re, tempore, loco & causa, l. 2. t. 11.  
 Pœna plus petentium, n. 2. & 4.  
 Pœna à multa in quo distinguatur, l. 5. t. 37.  
 parag. 1. num. 1.  
 Pœna alia civilis alia criminalis, & utraque ali-  
 ter distincta, n. 2. & seq.  
 In pœnis inflegendis quid attendere iudex debet,  
 num. 9.  
 Pœna invasionis beneficii vel officii quando infli-  
 genda, parag. 3. n. 1. 2.  
 Pœna exilis quatenus imponenda, parag. 4.  
 Pœnitentia nomen aquivocum, lib. 5. t. 38.  
 parag. 1.  
 Peculiariter sumitur pro Sacramento pœnitentiae,  
 ibid. n. 3.  
 Pœnitentia, alia est privata, alia publica, n. 4.  
 Pœnitentia definitio, ibid. parag. 2.  
 Polygamia à jure vetita, l. 4. t. 1. parag. 5. n. 3.  
 Possessio in iudiciis possessoris quid significet, l. 2.  
 t. 12. parag. 1. n. 3. & quod duplex, ibid. n. 4.  
 5. & seq.  
 Possessorium iudicium aliud est adipiscenda posses-  
 sionis, aliud retinenda, aliud recuperanda: &  
 exempla cuiusque, ibid. n. 11. & seq.  
 In causa possessionis quis sit competens iudex,  
 ibid. parag. 3.  
 Possessionis & proprietatis causa coram eodem ju-  
 dice tractanda, ibid. n. 5.  
 An & quatenus utraque cumulari possit, ibid.  
 parag. 4.  
 De remediis aliquot recuperanda possessionis,  
 l. 2. t. 13. parag. 1. 2. & 3.  
 Postulatio praelati quid sit, l. 1. t. 5.  
 Qui postulandi, ibid. n. 3.  
 Postulatio in quo differat ab electione, l. 1. t. 6.  
 parag. 1. n. 6.  
 Postulare in iudicio quid sit, l. 1. t. 37. n. 2.  
 Quinam postulare non possint, n. 3. 4. & 5.  
 Præbenda



*Præbenda quæ dicatur,* l. 3. r. 5. § 1. n. 1.  
*Præbendum in quo à commodato differat,* l. 3. r. 14. n. 6.  
*In quo à precaria, seu precaria,* n. 8.  
*Præbatus quis dicatur,* l. 1. r. 10. n. 1.  
*Præbatus excedere dicitur, subditos actionibus premendo,* l. 5. r. 31. n. 1.  
*Item uniendo Ecclesias & jurisdictioni Episcopi se ingerendo,* ibid. n. 2. & 4.  
*Præscriptio quid sit & in quo ab usucapione differat,* l. 2. r. 26. § 1.  
*Reliqua vide in V. Usucapio.*  
*Præsentatio quid sit, & cui ius præsentandi competit,* l. 3. r. 38. § 5.  
*Patronus seipsum præsentare non potest, num. 3.*  
*Præsumptio quid sit,* l. 2. r. 23. § 1. n. 1.  
*In quo à fictione differat,* n. 2.  
*Alia est hominis, alia juris, & hæc alia juris tantum, alia de jure,* ibid. § 2.  
*Ex quibus causis oriuntur præsumptiones,* ibid. par. 3.  
*Effectus præsumptionum,* ibid. par. 4.  
*Præsumptionum concursus,* ibid. par. 5.  
*Præsumptio an & quando allegari debeat,* ibid. par. 6.  
*Prævaricari quis dicatur,* l. 5. r. 2. n. 2.  
*Prævaricari quis, ejusque munus & officium,* l. 1. r. 15.  
*Primicia in quo distinguantur ab oblationibus,* l. 3. r. 30. par. 1.  
*Earum quantitas,* n. 3.  
*Debentur proprio parochio,* n. 4.  
*Privilegium quid sit,* l. 5. r. 33. § 1. n. 1.  
*Privilegia non extendenda extra personas, locum aut rem, quibus concessa sunt,* n. 2. & 3.  
*Privilegia quibus modis amittantur,* n. 4.  
*Privilegia prava interpretatione non extendenda,* ibid. par. 2.  
*Privilegia Regularium quatenus limitata aut limitanda,* n. 2.  
*Probatio quid sit,* l. 32. r. 19. § 1.  
*Quotuplex,* § 2.  
*Probandi onus cui incumbat,* ibid. § 3.  
*Quando & quo loco facienda probatio,* ibid. § 4.  
*Qualitas & effectus probationis,* ibid. § 5.  
*Procuratoris nomen jure Canonico latius accipi,* l. 1. r. 35. § 1. n. 4.  
*Definitio ejusdem,* n. 3.  
*Procuratorum alij Iudiciales, alij Extrajudiciales, item alij generales, alij speciales, &c.*  
*ibid. § 2.*  
*Qui constituere procuratorem possint,* ibid. § 3.  
*Quis constitui possit, vel non possit,* § 4.  
*Et in quibus casibus,* ibid. § 5.  
*Procurator regulariter non admittitur sine mandato,* ibid. § 6.  
*Procuratoria potestas quibus modis finiat, ibid. § 7.*  
*Exceptiones persona procuratoris obici solita,* ibid. § 8.  
*Procuratio sive necessarium sumptuum exhibitio debita Episcopo ratione visitationis,* l. 3. r. 39. § 3.  
*Ab ea nulla Ecclesia est libera,* n. 2.  
 *Professio monastica vel expressæ sit, vel tacite,* l. 3. r. 31. § 2. n. 2.  
*Decretum Conc. Trid. de tempore professionis monasticæ,* ibid. n. 4.  
*Requisita ad validitatem professionis,* ibid. § 3.  
 *Professio in una Religione, ad strictiorem transire licet,* d. § 3. n. 12.  
*Proprietas & Dominium in quo differant,* l. 2. r. 12. § 2. n. 1.  
*Proprietatis & possessionis differentia, numero 2.*  
*Porogatio in iudicio non suum quando & quo pacto fieri debeat,* l. 2. r. 1. § 2.  
*Puer doli capax, ob delictum puniendus est,* l. 5. r. 23. § 1.  
*Nec ex delicto ejus tenetur pater,* n. 2.  
*Purgatio Canonica qua dicatur, & quo modo fiat,* l. 5. r. 34. n. 1. 2. 3. 4.  
*Quando permitti debeat,* n. 6.  
*Purgatio vulgaris quo pacto fieri solita,* l. 5. tit. 35.  
*Ea prohibita, & causa prohibitionis, numero 2.*

R

**R** *Apina quid sit, ejusque poena de jure civili,* l. 5. r. 17. § 3. n. 1.  
*Raptus in quo à stupro differat,* l. 5. r. 17. § 1. num. 1.  
*Raptor non potest dici sponsus rapiens sponsam violentem,* n. 2.  
*Pœna raptus ex utroque jure,* ibid. § 2.  
*Bbb Raptor.*



# INDEX RERUM.

Raptoraptam ducere uxorem jure civili prohibetur, non vero jure Canonico, ibi. l. 2. §. 3.  
 Reconventio qua dicatur, l. 1. §. 4. n. 1.  
 Clericus coram iudice laico reconveniri potest, ibi. n. 3. 4. 5.  
 Coram quo iudice & in quibus causis reconventio locum habeat, ibi. par. 2.  
 Quando proponi debeat, ibi. par. 3.  
 Causa conventionis & reconventionis paripassu expedienda, ibi. n. 3.  
 Recusatio iudicis qui & coram quo proponenda, l. 2. §. 23. n. 8.  
 Proponenda ante omnem actum judicalem, l. 2. §. 28. par. 18.  
 Et quidem libello ac scripto, n. 3.  
 Causa suspicionis an in libello exprimenda, n. 4.  
 Qui iudex recusari possit, ibi. n. 9.  
 Causa iusta & effectus recusationis, ibi. par. 19.  
 Regula unde dicta, & quid regula iuris, l. 5. §. 41. n. 1. & 2.  
 Regula de infirmis resignantibus, lib. 1. tit. 9. n. 9.  
 Regulares unde dicantur, lib. 3. tit. 31. par. 4. num. 1.  
 Relationum affinitas cum appellationibus, l. 2. §. 28. par. 20. n. 1. & 2.  
 Relatio quid sit, ibi. n. 3.  
 Relationis & Consultationis differentia, numero 7.  
 Religionem profiteri nequit furiosus & illegitimus, l. 3. §. 31. par. 3. n. 3. & 4.  
 Religionem unam professus, ad aliam strictiorem transire licet, d. par. 3. num. 12 & l. 5. §. 9. num. 4.  
 Quo casu alter conjugum altero vel invito vel consentiente Religionem ingredi possit, l. 3. §. 32.  
 Religionem novam quis propria auctoritate constituere non potest, l. 3. §. 37. n. 5.  
 Reliquia Sanctorum vendi non possunt vel passim ostendi, l. 3. §. 45. n. 2.  
 Quando eas publice venerari liceat, numero 3.  
 Renuntiatio quid sit & quotuplex, l. 1. §. 9. n. 1. & 2.  
 Episcopatus ex quibus causis renunciare liceat, ibi. n. 5.  
 Qui semel renunciavit beneficio ad illud redire non possit, ibi. n. 6.  
 Rescriptum quid sit, l. 1. §. 3. §. 1.  
 Alia sunt Rescripta gratia, alia iusticia, §. 2. n. 2. & 3.

In omni rescripto sub intelligenda clausula, Si ita est. Si preces veritate nitantur, ibi. num. 4.  
 Rescriptum qui impetrare possit, ibidem, §. 3.  
 Contra quem & super quibus impetretur, n. 1. & 2.  
 Ex pluribus rescriptis quodnam praeferendum, ibi. §. per tot.  
 Rescriptorum interpretatio stricta est, ibidem, §. 6.  
 Rescriptum contrarius non valet, ibi. §. 7. n. 4.  
 Rescriptum subreptionis in una parte non vitari regulariter, n. 5.  
 Restitutio in integrum quid sit, l. 1. §. 41. §. 1. num. 2.  
 Datur minoribus 25. annis, n. 2.  
 Et eorum exemplo Reip. Ecclesia, &c. ibi. num. 6. 7. 8.  
 Item maioribus 25. annis ex iusta aliqua causa, n. 9.  
 Debet peti intra quadriennium continuum à tempore lationis, ibi. par. 2. n. 1.  
 Et coram iudice rei, n. 2.  
 Datur & restitutio adversus alienationem iudicij mutandi causam factam, l. 1. §. 42.  
 S  
 Sacramenti definitio, l. 1. §. 16. par. 1.  
 Divisio, par. 2.  
 Quaedam necessaria ad salutem, quaedam voluntaria, ibi. n. 2. & 3.  
 Quaedam iterari possunt, quaedam non, ibi. §. 3.  
 Sacrista officium, l. 1. §. 26.  
 Sagittariorum ars cur prohibeatur jure Canonico, l. 5. §. 15.  
 Saraceni qui, & unde dicantur, lib. 5. §. 6. n. 2.  
 Cum Saracenis interdictum omnia commercium, ibi. n. 8.  
 Satisfactio, pars poenitentiae quid sit & quotuplex, l. 5. §. 38. par. 14.  
 Quis modus servandus in poenitentia impotenda, par. 15. n. 3.  
 Sacramentalis satisfactio per alium adimpleri nequit, §. 17. n. 2.  
 Schismatici qui dicantur, l. 5. §. 8. n. 1.  
 Eorum poena, n. 2. & 3.  
 Scriptura non est de essentia legis, l. 1. §. 4. par. 2. num. 8.  
 Scrutinium quid & quotuplex, l. 1. §. 12.  
 Qui à scrutinio excusentur, ibi. n. 7.  
 Sententia & rei iudicata quid sit, l. 2. §. 27. par. 1.



tag. 1. num. 1.  
 Sententia alia est definitiva, alia interlocutoria,  
 num. 3.  
 Interlocutoria qua dicatur, & quoduplex. n. 5.  
 & seqq.  
 Differentia inter definitivam & interlocutori-  
 am, ibid. parag. 2.  
 Quando & quo pacto iudex sententiam ferre de-  
 beat, ibid. parag. 3.  
 Eius & effectus sententia definitiva, ibid. pa-  
 rag. 5.  
 Sepulcrum ac Sepultura quid sit, lib. 3. t. 28. pa-  
 rag. 1.  
 Loca sepultura destinata apud Eihnicos & Chri-  
 stianos, n. 3. & 4.  
 Sepultura ius ad quam Ecclesiam spectet ibid. pa-  
 rag. 2.  
 Electio sepultura cuilibet libera est, parag. 3.  
 Exceptio, n. 3.  
 De sepulchro majorum; & qui nomine majo-  
 rum veniant, parag. 4. n. 1. & 4.  
 Quibus denegata sit sepultura, parag. 7.  
 An exigat aliquid possit pro sepultura, parag. 8.  
 Pena violentum sepulchra, parag. 9.  
 Sequenter quis & unde dicatur, l. 2. t. 17. n. 1.  
 Sequendum à deposito in quo differat, n. 2.  
 Sequens ratio quoduplex, & quando permittitur, ibid.  
 n. 3. & seqq.  
 Servi ordinari cur prohibeantur, l. 1. tit. 18.  
 num. 1. 2.  
 Servitus realis & mixta qua dicatur, l. 2. t. 26.  
 parag. 6. n. 11.  
 Servitutes praescribi ad instar rerum immobilium,  
 n. 10.  
 Sigillum confessionis quid sit, & qui ad sigillum  
 teneantur, l. 5. t. 38. parag. 13.  
 Simonia unde dicta & definitio illius, l. 5. t. 3.  
 parag. 2. n. 1. & 2.  
 Alia est Conventionalis, alia realis, alia men-  
 talis, ibid. parag. 3.  
 Item alia confidentia, n. 3.  
 Pena Simoniacorum, parag. 4.  
 Solutio generaliter & specialiter quid significet l.  
 3. t. 23. n. 1.  
 Successor in Ecclesia vel beneficio quatenus, tenea-  
 tur ad as alienum sui praedecessoris, num. 3.  
 Qui solvendo non est, potest cedere bonis, num. 5.  
 Sortilegi qui dicantur, l. 5. t. 21. n. 1.

Sortes alia divisoria, consultoria, alia divinito-  
 ria; & haec prohibita, n. 2. & seqq.  
 Spado an matrimonium contrahere possit, l. 4. t.  
 15. n. 8.  
 Spoliatus ante omnia restituendus, l. 3. t. 13. §. 4.  
 & quia dici debeat spoliatus, ibid. parag. 5.  
 Sponsalia quid sint, & quoduplex, l. 4. t. 1.  
 parag. 1.  
 Requisita ad sponsalia de futuro, ibid. n. 3.  
 Qui sponsalia contrahere possint, & quibus  
 modis, ibid. parag. 2.  
 Effectus sponsaliorum, parag. 3.  
 Quibus modis dissolvantur, parag. 4.  
 Status quid significet, l. 3. t. 35. n. 1.  
 Status Monachorum & Regularium in quibus  
 constat, n. 2.  
 In Statutis condendus quam servanda sint, l. 3.  
 t. 10. n. 6. 7. 8.  
 Semprum laud, stricto & stricto sumi, l. 5. t.  
 16. parag. 2. n. 1.  
 Pena stupri, ex viroque iure, n. 2. & 3.  
 Stylus in iure quid sit, & in quo à Consuetudine  
 differat, l. 1. t. 4. parag. 4. n. 1. & 4. facit  
 ius, n. 2.  
 Substitutio heredis alia directa, alia obliqua. Di-  
 recta alia vulgaris, alia pupillaris, & c. l. 3.  
 t. 26. parag. 4.  
 Successio ab intestato quo modo deferatur iure civi-  
 li, l. 3. t. 27. n. 2. & seqq.  
 Clericis intestatis quo modo succedatur de iure  
 ac consuetudine, n. 6. & 7.  
 Suspendio, prout censura est Ecclesiastica, est mul-  
 tiplex, l. 5. t. 39. parag. 8. n. 1. & 3.  
 Suspendere potest, qui excommunicare, §. 9. n. 1.  
 Forma suspensionis, n. 3.  
 Effectus, & forma absolutionis à suspensione,  
 parag. 10.  
 Syndicus ab universitate constituitur, l. 1. t. 39.  
 num. 5.  
 In quo distinguatur à procuratore, ab actore,  
 & c. ibid. n. 1. & 2.  
 Quis & qualis constituendus, ibid. n. 6. & 7.

## T

**T**ergi versari quid dicatur, l. 5. t. 2. n. 3.  
 Testamentum quid sit, l. 3. t. 26. parag. 1. n. 1.  
 Aliud est scriptum, aliud nuncupativum, n. 2.  
 Testamenta hodierna esse nuncupativa, n. 3.  
 Bbb b 2 Testam.




# INDEX RERUM, ET VERBORUM,

- Testandi forma jure Pontif. praescripta, n. 4.  
 Testamentum factum ad causam non piam, si desit  
 solemnitas aliqua, an sit validum in foro  
 conscientiae, ibid. n. 2.  
 Caput testamenti est institutio heredi, ibid.  
 §. 2. n. 1.  
 Qui testamentum facere possint, ibid. §. 5.  
 Testis quis, & qualis esse debeat, l. 2. t. 20. §. 1.  
 Qui testes esse non possint, ibid. §. 2.  
 Modus producendi & recipiendi testes, ibid. §. 3.  
 Testes cogi possunt ad dicendum testimonium, l. 2.  
 t. 21. n. 1. & seq.  
 Exceptio, ibid. n. 6.  
 Testes in festo die examinari possint, l. 2. t. 9. n. 14.  
 Testes in testamento qui adhiberi possint, l. 3. t. 26.  
 §. 6.  
 Tormenta an & quando licita, l. 5. tit. 12. num. 3.  
 Transactio & generaliter & specialiter sumitur,  
 l. 1. t. 36. §. 1.  
 Transactio definitio, n. 2.  
 Qui transigere possint, ibid. §. 1.  
 De quibus rebus transigi possint, vel non possint,  
 ibid. §. 3.  
 Transactio effectus, ibid. §. 4.  
 Translatio Episcoporum quid sit, & ex quibus  
 causis fieri possit, l. 1. t. 7.  
 Treuga quid, & quocumque, l. 1. t. 34.  
 Treuga & induciarum discrimen, n. 2.  
 Trinitas in divinis quid significet, lib. 1. t. 1. §. 1.  
 num. 2.  
 Cur in Trinitate prima persona dicatur Pater,  
 secunda Filius, tertia Spiritus, n. 3. 4. 5.  
 V.  
**V**enatio clamosa interdicta Clericis, lib. 5.  
 tit. 2.  
 Verba non semper accipienda, prout sonant, sed  
 juxta mentem proferentis, lib. 5. t. 40. n. 2.  
 Verberum poena quatenus licita jure Canonico, l.  
 5. t. 37. §. 2. n. 4.  
 Vicarius quis dicatur, l. 1. t. 28. §. 1.  
 Alius est perpetuus, alius temporalis, n. 1. & 2.  
 Vicarius Episcopi, ibid. §. 2.  
 Qualis constitui debeat, ibid. §. 3.  
 Quibus modis, & quot numero, §. 4.  
 Est ordinarius, non delegatus, ibid. §. 5.  
 Quibus modis finiatur ejus potestas, §. 6.  
 Vicus victori condemnandus in expensis, ibid. l. 5.  
 t. 36. §. 2. n. 1.  
 Vis quid sit & quocumque, l. 1. t. 40. n. 2. & 3.  
 Vigilia ipso jure obligant, n. 5.  
 Visitandi jus competit Episcopo per totam suam  
 diocesim, idque qualibet biennio semel, l.  
 3. t. 39. §. 3. n. 3.  
 Forma & ordo visitationis, n. 4. 5.  
 Visitandi facultas datur Episcopo cumulatim, ibid.  
 §. 4. n. 5.  
 Vinctio sacra qua dicatur, ejusque divisio, l. 1. t. 15.  
 §. 1.  
 Vinctio extrinseca, ejus materia, forma effectus, l. 1.  
 t. 15. §. 3.  
 Vnire Ecclesiam solius est Episcopi, l. 5. tit. 31. n. 2.  
 Voti definitio & natura explicata, lib. 1. tit. 34. §. 1.  
 Votum aliud solenne, aliud simplex: item aliud  
 expressum, aliud tacitum, &c. ibid. §. 2.  
 Effectus sive obligatio voti, §. 3.  
 Quibus modis solvatur votum, n. 2. seq.  
 Votum quatenus impediat aut dirimat matrimo-  
 nium, l. 4. t. 6. n. 2. 3.  
 Usurpationis & praescriptionis differentia, l. 2. t.  
 26. §. 1. n. 3. & 4.  
 Usurpationis definitio, ibid. n. 6.  
 Requisita ad usurpationem, possessio continuata,  
 ibid. §. 7. Bona fides, §. 3.  
 Eaque omni tempore adesse debet, §. 4. Tit. sive ju-  
 sta causa possidendi, §. 5. Tempus, §. 6.  
 Quamvis usurpare possint, & quare res usurapi,  
 §. 7. & 8.  
 Usura quid nominis & rei, l. 5. t. 10. §. 1. n. 23.  
 Usura alia est mentalis, alia realis, §. 2.  
 Item alia lucrativa, alia punitiva, alia com-  
 pensatoria, §. 2. n. 3.  
 Item alia centesima, alia trientalis, &c. ibid.  
 n. 4.  
 Usura prohibita jure divino naturali & Canonico,  
 §. 3. n. 1. 2. 3.  
 Iure civili quatenus permessa, n. 4. 5.  
 Usura usurarum sublata à Iustiniano, n. 6.  
 Usura dautica jure Canonico non omnino prohibi-  
 ta, n. 7.  
 Poena usurariorum, §. 4. per tot.

FINIS.




























Vallensis

Th  
4782